A. R. P. BARTHOLOMÆI
DE BARBERIIS
A CASTRO VETRO
PROVINCIÆ LOMBARDIÆ
CAPUCCINI DEFFINITORIS,
ET SACRÆ THEOLOGIÆ LECTORIS,
CURSUS THEOLOGICUS,
Ad mentem Seraphici Doctoris S. Bonaventuræ.

IN DUOS TOMOS DISTRIBUTUS.

TOMUS PRIMUS,

Continens primum & secundum Librum Sententiarum

SERENISSIMO PRINCIPI RAYNALDO ESTENSI
EMINENTISSIMO S. R. E. CARDINALI DICATUS.



LUGDUNI,
Sumptibus FRANCISCI COMBA, viâ
Mercatoriâ, sub signo trium virtutum.

M. DC. LXXXVII.
CUM PRIVILEGIO REGIS.



Cœleſtem Purpuræ ſplendorem
Sereniſſimi Principis
RAYNALDI ATESTINI
Ad majus Eccleſiæ Romanæ illuſtramentum,
Et Catholicæ Fidei propagationem
Anagramatiſmo prænuntiabat.

PETRVS HERCVLES BELLOIS, inter gelatos il Tempeſtivo.

Programma.
RAYNALDUS ATESTINUS.

Anagramma.
SYDUS, LATERANI NATUS.

Tetraſticon.

SYDUS inocciduum LATERANI, Surge, Britannos
Duc ad adorandum, quem repulere, Tybrim.
Regali auſpicio LATERANI, Altiſſime Princeps,
NATUS es, & ſanctæ gloria Matris eris.



SERENISSIMO DOMINO DOMINO

RAYNALDO ESTENSI

MVTINÆ, REGII, &c.

Principi, ac S. R. E. Eminentissimo Cardinali.

DOCTO homini, ac erudito cogitare est vivere, ut ex oraculo Tulliano condiscimus; quapropter quàm jucunda, quàm grata sit præteritorum memoria laborum, & quàm dulce sit tergum laboris, experto credamus ipsi Tullio, & nobis. Præ cæteris autem studiorum laboribus, quibus hominem, votis præcipuè claustralibus obstrictum, totum se penitus mancipare deceat, Theologiæ exercitatio est, cujus nobilitate, ob formale ejus objectum, quod est Deus, qua Deus, inter innumera scholasticarum elucubrationum genera nil excellentius, inter tot liberalium artium varietates, nil sublimius, nil delectabilius vel inveniri potest, vel excogitari, cujus etiam utilitas planè incomparabilis patet, dum cæcutientem inter sæculi tenebras animum illuminat, illiusque vivacitatem amore discendi peræstuantem prætiosissimo profundissimæ eruditionis rore temperat, & tunc ad incomprehensibilem lætitiam, ad immortalem gloriam viam sternit, dum per revelationis lumen ad cognitionem Dei nos elevat, ut illum saltem per speculum in ænigmate intueamur. Cur autem per ænigmata divinam cogamur investigare Sapientiam, & divinarum Scripturarum secreta tanto labore, tantaque mentis industria superare, infulatus Hipponæ Theologus, & post ipsum fusiùs Seraphicus Doctor difficultatem sic magistraliter enodat. Deus, inquit, tres potissimum ob causas scientiam hanc signatam esse voluit, & clausam. Primò ad declinandum fastidium; quæ enim sunt obvia, & aperta, contemnimus; prout ex adverso recondita desideramus, & operta, prævioque sudore suaviùs inventa degustamus. Secundò ut ad liquidiorem veritatis notitiam obscuritas nos adduceret, propter quam ad intimius, & altius adstricti studium divini sensus medullam penitùs intelligeremus, & ex inquirendi difficultate delectationem veritatis assequeremur. Denique ad comprimendam humani temeritatem ingenii, ejusque superbiam defatigatione domandam, ut dum tumens hominis animus abstrusos divinæ sapientiæ recessus penetrare se posse præsumit, desperans tandem cogatur una cum Æthiope illo Eunuco exclamare: *Quomodo possem hæc intelligere, nisi aliquis ostenderet mihi?* Necessaria igitur fax est, ut hujusce luminis claritatem delucidare possimus, & hæc est Theologia Scholastica, conspicillo cujus in hanc lucis abyssum oculos erigere permittitur. Ex millibus autem, qui Theologicis ænigmatibus facem prætulere tutissimam, obvius, non tam genio, quàm venerationi meæ semper extitit Seraphicus Doctor Bonaventura, cujus operum enucleationi ab ipsis juventutis meæ

primordiis ex animi voto prorsus addictus, atque in intima ejus penetralia per-humaniter inductus, & exceptus ejusdem arcana, non veluti transfuga, sed tamquam domesticus explorator, & supernorum mysteriorum sollicitus indagator de tenebris eruere usque ad canitiem laboro, quousque tandem post diuturnam, & strenuissimam tot investigationum patientiam è cellulæ latebris velut post liminio prosiliens Bonaventuriana Theologia optatam jamdiù lucem summo cordis mei jubilo veluti è tenebris eruta intuetur. In hujus hilaritatis affectu nobilissima per mentem mihi recurrit historia. Inter cætera, quæ post Palmyrenam victoriam Aurelianus Imper. Romam transvexit, templisque triumphali pompa defixit spolia, pretiosius fuit, Vopisco authore, purpureum pallium, in Capitolini Jovis templo suspensum, divini, ut ejus hyperbolico utar elogio, coloris, quale nec prius admirabunda, nec postea Roma spectarit. Inter Cupressus, & Virgulta, inter Capitolii verticem, & Diogenianum tugoriolum, inter Cæsarem, & Irum comparatio forte si permitteretur, ego quoque me jactabundus extollerem, post exantlatos longissimi studii labores purpureum reportavisse pallium, Cæsareo pretiosius, adulationis citrà fucum, divini verè coloris, & Roma dignius, & Templis. Diverso tamen claret prodigio. Purpureum siquidem pallium ab Aureliano translatum oculos in hanc admirationem trahebat, ut reliquæ seu Cæsaris, seu Matronarum purpuræ pretiosiores illi admotæ in cinericium transformatæ colorem viderentur. Meum verò cæteris admotum purpuris cinericium tantum refert colorem. Hæc nimirum est Bonaventuræ purpura, quæ quatuor ab hinc sæculis, & ultrà Seraphico cinere cooperta, ruborem, quo suffusa est, reddere nobis erubescit, malens inter papyros, & paupertatem pallere, quàm inter luxus, & palatia coruscare. Ab igne cœlesti, in quem per plura lustra mentis oculos immobiliter affixit, hos cineres traxit, inter quos inextinctas divini numinis prunas constantissimè servavit. Ego verò ingenioli mei forcipe, religiosaque familiaritate prætiosos cineres vertens, occultam Theologiæ purpuram detexi, & ad majorem Orbis utilitatem, Bonaventuræ venerationem, & Triadis Augustissimæ gloriam explicare in voto est.

Ut experientia pallio meo prodigii gloriam conciliem, ad nobilissimum, celsissime purpurate, purpuræ tuæ syrma procumbens accedere concupisco. Hanc enim, cum tot Principum, tot Regum, tot Cæsarum cognato sanguine sit imbuta, studio Regis elaborata, à supremo Piscatore, sagacissimo meritorum æstimatore, maturissimè colorata, ab Oceano (naviculam Petri non ampliùs egre ferente) in adoratum Tyberim traducta, tuæ non minus Aquilæ, Tuorumque Liliorum, quam tuorum candore morum illustrata, expugnatione Budæ condecorata, totius acclamatione Catholichismi exaltata, purpuras inter pretiosiores adscribendam esse quis dubitet? Reverentialis quidem perhorrescentia ob tuæ dignitatis eminentiam, ob tuarum molem occupationum, ne illam temerè compellarem, hasque inverecundè interpellarem, me violenter invasit; sed hæsitantem animum ingenita Tuæ affabilitatis abundantia, & avitus in Ordinem Capucinorum affectus potenter excussit, effecitque, ut audacter eam prædicasse, quàm ingratè tulisse videri maluerim. Quin meus Animus, eò quia tam sublimem voto Aram requirat, temeritatis nota sugillari non merebitur, quandoquidem Homerus, cùm in Clypeo Achilis sidera depinxit, Cœlique verticem descripsit, & motum, nobis innuere voluit luminosus ille cæcus supernarum inquisitionem scientiarum summis heroibus esse dignissimam.

Imploratum igitur, Clementissime Princeps, accessum mihi permite, ut hanc cinericiam purpuram tuæ serenissimæ appendam, & ex tuæ contactu splendor

refulgeret

refulgeret meæ. Et quamvis liber, & oblator tuis serenissimis oculis apparerent obscuri, neutrum tamen fortasse non respues, cum recordaberis, quòd inter eulogias, quas Hieronymus Lucinio dedit, Codex fuit, idest visiones Isaiæ valdè obscurissimæ, quas historica explanatione nuper illustraverat. At Purpuratum Purparatus Ecclesiæ, Doctorem Princeps Ecclesiæ, Seraphicam Doctrinam Seraphici Patronus Ordinis quidni libenter in consortium excipiet, in Aulam inducet, & prosequetur affectu? Vota mea jam prævenisti, Heros celsissime, atramenti mei fuligines vicinis purpuræ tuæ fulgoribus illustrati, humanissimoque vultu, quo soles, hoc munus accepisti, præcipua ex parte de alienis opibus deprομptum, & extractum, meæ tamen industriæ non pænitus expers; hoc namque ex abstrusis, & reconditis loculis tam laboriosè conquirendum, expolivi, & in ordinem his temporibus scholis scholasticis ad usum facilem redegi opus istud prætiosissimum velut aurum latens excusso pulvere obscuritatis, & inutilitatis extraxi, vel sine debita gloria jacens erexi. Æquum autem te mihi Princeps integerrime, fore perpensa rei difficultate non diffiteor, quam ipse primus ultrò suscepi, inextricabilesque hujus Theologiæ ambages, & labyrintos pro modulo ingenioli mei extricavi, latebras excussi, ut jam libero pede, & mentis jucunditate percurri possint, & aspectui studiosorum Seraphicæ doctrinæ sint perviæ. Quæ mens itaque fuerit, & quis meus in hoc enucleando studio labor, eadem sit in judicando prudentia, quæ erit in legendo benevolentia. Lucubrationes istæ quidem non Tullii, vel Demosthenis sunt calamis, & calamistris inustæ, vel cofrasis undique fucis, constipatis cincinnis adulteratæ, sed quæ veram, solidam, & nudam veritatis eloquentiam redoleant, sapiant, & præseferant, veris sententiis, atte vera suffultam, consumatas quæstiones, & sapientia refertas contineant. Qualecunque tandem sit hoc munusculum, & quisquiliæ potiùs, quàm Bonaventuræ penu videretur, & ad tuorum sublimitatem meritorum assurgere non valeret, attamen, humanissime Princeps, ad imitationem Dei non illud tam rei oblatæ magnitudine, quàm affectus, & obsequii consecrantis perpendere digneris; cum uberior sit numus è pauco, quàm thesaurus è maximo: Deus enim omnipotens non quanta offeruntur, consuevit attendere, sed voluntatis largitatem; quapropter Evangelica vidua multis in gazophilatium multa mittentibus, projectis tantùm duobus minutis reliquos omnes superavit, non quòd plus aliis immiserit, sed quia liberaliorem ostenderit voluntatem. Hæc oblatio munusculi pretium credatur, quo me indissolubilibus alligatum catenulis emancipare concupiscam, sed pignus obsequii, quo me tenaciùs obstringam. Et quamvis donationibus veluti mercaturam facere dicantur, qui dona Principibus offerunt, ut ait Isocrates, eo intuitu donantes, ut majora consequantur; ego tamen votivæ paupertati deditus, & perpetuo devotionis vinculo Eminentiæ tuæ celsissimæ dicatus, aliud munus implorare non audeo, nisi quod Axa filia Caleb ab ipso patre postulavit. Da mihi benedictionem.

Dabantur in Asceterio Capuccinorum Mutinæ die 30. Maii 1687.

Serenissimæ tuæ Eminentiæ

Humillimus, & obsequentissimus in Christo servus
F. Bartholomæus à Castro Vetro Mutinensis Capucc.



Purpuram
Sereniſſimi Principis
RAYNALDI ATESTINI
Interceſſionibus, & auſpiciis
SS. Imperii Britannici Majeſtatum
Diis, hominibuſque plaudentibus
Feliciter imploratam,
Et glorioſiſſimis incrementis
A regali munificentia, & protectione
Honorificentiùs exaltandam
Obſequioſo Anagrammate prænuntiabat.

PETRUS HERCULES BELLOIS, inter gelatos il Tempeſtivo.

Thema.

RAYNALDUS ATESTINUS.

Anagramma.

AULA STUARDIS NITENS.

Diſticon.

Regibus AULA NITENS erit hæc auguſta STUARDIS,
Ad trinas revehit quæ tria Regna Mitras.

AD LECTOREM BENIGNISSIMVM.


ERAPHICVM Doctorem D. Bonaventuram meritò Sixtus quintus, Divus Antoninus, Trithemius, Gerso, aliique plures Scriptores antiqui, & recentes conclamant, omnes alios sui temporis Theologos, & Doctores præcelluisse, tum in subtilitate, tum in pietate, tum in devotione: Unde Trithemius ait: Bonaventura omnes alios utilitate operum facilè superat, si Spiritum divini amoris, & Christianæ devotionis in eo loquentem attendas: Profundus est, non verbosus, subtilis, non curiosus, disertus, non vanus: flammantia, non inflantia verba proferens: Unde, & securiùs legitur, faciliùs ab amante intelligitur, utiliùs frequentatur, dulciùs, & fructuosiùs retinetur; Multi doctrinam proferunt, devotionem prædicant multi, pauci scribendo libros docuerunt utramque: Bonaventura autem, & multos superavit, & paucos, dum ejus doctrina devotionem, devotio instituit doctrinam; si ergo, & doctus esse vis, & devotus, illius scriptis esto intentus. Hæc piissimè, & verissimè Trithemius: Quibus sic stantibus, meritò Pater Gaudentius Brixiensis noster in suæ Summæ apparatu conquæritur, neminem in florentissima Minorum Religione divinissimi hujus Doctoris opera elucidasse, eruditiones exposuisse, sententias propugnasse: Omnes Scotum, acutum, subtilem, Theologorum Principem inclamant: ideone, ait, Seraphicus Bonaventura obliviscendus? è cujus fonte Scotus puriorem lympham hauserat, inter cujus scripta subtiliorem auram spiraverat? hæc verissimè Pater Gaudentius (quod, & ego jam notavi, & ostendi in meæ Philosophiæ Seraphicæ apparatu:) Hinc est quod ego à primis studiorum meorum in Religione incunabilis me totum huic Seraphicæ doctrinæ addixi, prosecutusque sum incessanter usque ad decrepitam ætatem per quinquaginta ferè annos. Annum enim 73. ago, Religionisque 56. dies quidem pauci, & mali) eò quia animus meus quietem firmam nunquam adinvenit, nisi in quotidiana Seraphici Doctoris Scriptorum lectura. Cum autem addictus fuerim à Superioribus ad lecturam, tum Philosophiæ, tum Theologiæ per duo curricula annorum 15. & amplius, Cursumque Philosophicum ex Scriptis Seraphici Doctoris efformaverim, eumdemque studentibus meis dictaverim: vidensque non sine animi mei mærore admirationeque omnes Religiosos Capuccinos, præcipueque Lectores, & Scholares ex una parte profiteri maximam venerationem huic sanctissimo viro, ipsumque conclamare, & venerari veluti proprium Doctorem, Magistrum, Protectorem, & Patronum, & ex alia postea in Scholis monstruosè profitentes alienam doctrinam discissos in varias, & diversas Scholas, sive Thomistarum, sive Scotistarum, sive Neotericorum, quod meritò nomine monstruositatis appello, cum in pluribus Capitulis Generalibus imposita fuerit Lectoribus, & studentibus lectio, & studium doctrinæ Seraphicæ, ut patet ex Chronicis antiquis, quod statutum fuit pluries, & confirmatum in pluribus aliis Capitulis nostræ Religionis, sed nunquam perfectè observatum, ob difficultates maximas occurrentes in evolvendis scriptis Seraph. Doct. Huic monstruositati cupiens occurrere, simulque eos excitare, & promovere ad amorem, & sequelam hujus Seraphicæ scholæ, hunc cursum, & lecturam Theologicorum prælo committendam proposui cursus philosophici germanam, eademque mente, eodem studio, eodem ordine, & scopo concinnatam. Quare post evulgatam philosophiam in tres partes, ad tres annos ex scriptis hujus sancti Doctoris excerptam, & ordinatam; post evulgatam tabulam omnium rerum notabilium, seu potius concordantiam eorum, quæ in ejus divinis scriptis reperiuntur: postquè typis datam expositionem omnium librorum sacræ Scripturæ à Seraphico Doctore sparsim per sua scripta adnotatam, & exhibitam sub titulo Glosæ Seraphicæ totius sacræ Scripturæ in quatuor tomos distributam. Nunc in lucem profero, & offero lecturam, seu cursum istum

Theologicum, tum Scholasticum, tum Moralem ad quatuor annos distributum in quatuor partes, studiosis minoritis, præcipuéque Religiosis meis Capuccinis, in quo pro modulo ingenioli mei quæstiones, & materias his temporibus agitatas in scholis expono, & solvo ad mentem ejusdem Seraphici Doctoris, omniaque trado consequenter ad ipsius principia scholastica à me in dicto cursu philosophico præjacta. Unum est, quod à monstruositate supradicta, vel retegenda, vel tollenda me avocare potuisse videbatur: nempe quia plures Theologi eximii extitere, qui ad commentationem Theologiæ Bonaventuristicæ, & manus, & calamum extenderunt, isti fuerunt ex mea Religione Patres Trigosius, Theodorus Forestus, Coriolanus, Marcellus Regiensis, Bonaventura Linconiensis: & novissimè Gaudentius Brixiensis vir quidem eruditissimus, & doctissimus, qui sua commentaria secundùm ordinem Summæ Divi Thomæ in septem tomos totam Theologiam Seraphicam conclusit: Ex Religione Minorum Conventualium fuerunt Stephanus Brulefer, Capulius, & Matthæus Ferchius Veliensis: Ad quid igitur actum agere, & cum Lectorum fastidio novis scriptionibus eadem certè vix diversa regerere? Attamen nulla excusatio ad hoc onus excutiendum satis idonea mihi occurrere in promptu potuit: etenim licèt plures tali studio incubuerint, tamen major pars ipsorum morte præventi vix prima limina attigerunt, vel tantùm coordinaverunt materiam Theologicam à sancto Doctore priùs ordinatam ad methodum Magistri secundùm quatuor libros sententiarum, & transtulerunt ad methodum Summæ Doctoris Angelici absque commentatione necessaria, omnesque, excepto Ferchio verè fidelissimo Bonaventurista, ut in suo parvo opusculo typis tradito de essentia Angelorum patet, Seraphicum Doctorem etiam invitum pertraxerunt plus, minusve ad scholam, & partes Thomistarum, vel Scotistarum juxta cujusque propensionem, à qua censura, nec penitus absolvendus est Pater Gaudentius, licèt minus culpatus, alioquin omni laude dignus, quod, & notat, & valde conquæritur meritò Pater Ferchius citatus appellans ipsos non commentatores, sed potius adjuvarios doctrinæ Seraphicæ, quod, & ego notavi, ostendique in meæ Seraphicæ Philosophiæ apparatu, & cursu: Sanctus Bonaventura enim suam sedem non collocavit in schola Thomistica, vel Scotica, sed per propria, & ab istis, ut plurimum, diversa principia incedit, licèt sæpè plus cum Scoto in conclusionibus conveniat, seu, ut veriùs dicam, Scotus cum Bonaventura veluti in Religione ipsius lacte doctrinæ enutritus; præterea data quacunque commentatione in sanctum Bonaventuram adhuc desiderari videbatur lectura, seu cursus, tum Philosophicus, tum Theologicus, compendiosus, expeditusque, qui ex professo posset inservire, & præ manibus haberi à studiosis Seraphicæ doctrinæ, omnesque excitare ad ipsius lecturam, & amorem: cum autem ad ipsius confectionem impulsus fuerim ex obedientia mihi imposita à tribus Patribus Generalibus meæ Religionis, scilicet à Patre Marco Antonio à Carpenetulo, à Patre Stephano à Cesena jam à terra ad cœlum vocatis, & novissimè à Patre Carolo Maria Maceratense nunc habenas Religionis moderante cursum istum, seu lecturam non Thomisticam, nec Scoticam, sed Bonaventuristicam, & ad os, & mentem sancti Bonaventuræ in lucem profero; tandem quidquid sit de his omnibus usurpare mihi licet id, quod dixit sanctus Anastasius Sinaita aripiens commentationem Hexameri post tot anteriores tractatus aliorum Patrum veluti mihi accommodatissimum: Post illos (inquit) qui antea laboraverunt vestigiis eorum insistens, qui circa undecimam horam æque celeriter munus peragunt, & in metendo, & rursus in vindemiando demisso oculo, & humili diligentia, & imperitia, tanquam spicas legens, & culmos colligens instar formicæ relicta grana relego, & tanquam canis micas colligens lauti, & opipari Patrum epuli, ac convivii aufero, quæ excidunt, jure hæc dico, qui novissimus una hora facturus à Patre familias, scilicet à Superioribus meis in hanc vineam conductus sum. Utinam cum sero factum fuerit, & Procurator operarios ad reddendam mercedem vocaverit, non frauder denario ex quo primi, qui portaverunt pondus diei, & æstus cum Domino vineæ convenerunt.

Prodit iste Cursus Theologicus non ingenti libri mole, quæ Lectoris animum deterere solet, mentem obruere, & prolixitate vires laxare, methodi enim facilitati, & brevitati litavi, solùm necessaria ad conficiendum Theologum sumendo, & eodem animo, & scopo, sed non eodem medio, quo Pater Ludovicus Caspensis

noster

noster, vir utique Famosus æque, ac doctissimus, suum cursum in lucem exposuit, sed tamen ex penu, & fonte Thomisticæ, seù potius neotericorum scholæ, absque eo, quòd vix, seu saltem rarissin è mentionem faciat doctrinæ Seraphici Doctoris; sic autem in suo apparatu propriam mentem aperit dicens: cursum istum compendiosum sic expono Scholaribus meæ Religionis, ut tempus quatuor annorum, juxta præscriptum nostrarum constitutionum, scholares nostri incumbant sacræ, & divinæ Theologiæ, satis quidem exiguum ad id, quod superest obligationi psallendi in choro, vacandi orationi mentali, & adimplendi cætera munera obedientiæ: sic & ego ad rem meam: O utinam iste doctissimus vir convenisset, & sudores suos, animumque ad lecturam, & elucidationem Seraphicæ doctrinæ; sic enim non fuisset frustratus suo intentu, & fructu: faxit Deus, ut quod tantus Doctor non obtinuit, in hoc cursu meo seraphico adimpleatur ad gloriam, & amplificationem seraphicæ, & divinæ hujus doctrinæ, & ad utilitatem, & profectum Religionis, & hic est unicus scopus, quem mihi præfixi; si assequutus, finem assecutus, satis est, & hìc sisto: si ergo humanissime Lector aliquid ad utilitatem tuam transferre poteris gratanter suscipe, quod autem minus aptum tibi videbitur, ita inscitiæ meæ, aut negligentiæ tribuas, ut ubi ego muneri, tu non desis animo. Vale, & Deum pro me indignissimo precare.



FACVLTAS REVERENDISSIMI PATRIS GENERALIS.

FRATER CAROLVS MARIA A MACERATA Ord. Minor. S. Franc Capucc. Minister Generalis. Dilecto nobis in Domino P. Bartholomæo à Castro Vetro Capuccino olim sacræ Theologiæ Lecture, nunc verò Guardiano, & Diffinitore hujus Provinciæ Lombardiæ.

Opus à te elaboratum, cui titulus est (Cursus Theologicus, seu Lectura ad quatuor annos, in quatuor partes distributa, in qua disputantur, & resolvuntur ad mentem Seraph. Doct. S. Bonavent. Quæstiones, quæ nunc in scholis communiter agitantur) cum ex relatu duorum nostri Ordinis PP. Theologorum, quibus ipsum commisimus lustrandum, nil à Catholicis dogmatibus dissonum, nil Christianis moribus contineat adversum, ut in commune studiosorum commodum, ac utilitatem prælum subeas, nec non publicam lucem videat, servatis servandis, præsentium virtute facultatem impartimur. In quorum fidem, &c.

Datum Mutinæ die 23. Julii 1686. Loco † sigilli

F. CAROLUS MARIA MACERATENSIS Minister Generalis Capuccinorum.

Approbationes Theologorum Ordinis.

OPus, cui titulus est: Cursus Theologicus, seu lectura ad quatuor annos in quatuor partes distributa, in qua disputantur, & resolvuntur ad mentem Seraph. Doct. Sancti Bonavent. quæstiones, quæ nunc in Scholis communiter agitantur: ab A.R.P. Bartholomæu à Castro Vetro Mutinensi Capuccinu, olim sacræ Theologiæ Lectore præstantissimu, & nunc in Provincia Lombardiæ Deffinitore meritissimo, summo ingenii acumine elaboratum, singulari judicio conscriptum, & solida doctrina refertum, nutibus R.P. Caroli Mariæ Maceratensis vigilantissimi Minoritanæ Religionis Capuccin. Gener. Ministri studio sólerti perlegimus nos infrascripti, cumque, in eo nihil orthodoxæ fidei contrarium, nihil veritati dissonum, nihil morum probitati invenerimus adversùm, imò omnia, & singula sint, & Doctoris Seraphici doctrinæ conformia, & clarissima methódo enucleata, dum D. Bonav. perspicuo calamo exponit, & abscondita quæque tanta aperit claritate, ut quod sublimiora torquere consuevit ingenia, nunc delectabilia reddantur; idcircò, sicuti opus istud planè divinum nullam promeretur exceptionem, utpotè tanto dignum authore, ità ad orthodoxæ veritatis propugnaculum, scholarum decus, & Religionis Seraphicæ ornamentum dignissimum censemus, quod inscribatur æternitati, nec minus omnium oculis quàm Præli sudoribus committatur. Datum Parmæ die 23. Maii 1686.

F. LAURENTIUS A ZIBELLO Exdeffin. & Guard. Capuccinor. exlector S. Theol.
F. JOACHIN A SORANEA Lector S. Theol. in Conventu Capucc. Parmæ.

APPROBATIO.

EGo infrascriptus Doctor Theologicus, socius Sorbonicus, & primus Custos Sanctæ Crucis in Ecclesia Lugdunensi, LIBRVM (cujus titulus est) Cursus Theologicus ad mentem sancti Bonavent. Authore R. P. Bartholomæo à Castro Veno Mutinensi Concionatore Capuccino, sacræ Theologiæ Exlectore, & Provinciæ Lombardiæ Deffinitore, non sine maxima animi lætitia, propter singularem ejus doctrinæ pietatem, & eminentiam, perlegi, necnon prælo donandum dignissimum censui: In cujus rei fidem manum libentissimè apposui. Lugduni die 29. Julii 1687.

COHADE.

ẽ 2

INDEX GENERALIS
DISPVTATIONVM, ET QVÆSTIONVM
primi Libri Sententiarum.

DISPVTATIO PRIMA PROOEMIALIS.

DISPVTATIO II.

DISPVTATIO III.

DISPVTATIO IV.

DISPVTATIO V.

VIII. Quomo

DISPVTATIO VI.

DISPVTATIO VII.

DISPVTATIO VIII.

DISPVTATIO IX.


DISPVTATIO X.

DISPVTATIO XI.

DISPVTATIO XII.

DISPVTATIO XIII.

DISPVTATIO XIV.



INDEX GENERALIS
DISPVTATIONVM, ET QVÆSTIONVM
secundi Libri Sententiarum.

DISPVTATIO VII.

DISPVTATIO VIII.

DISPVTATIO IX.

DISPVTATIO X.

DISPVTATIO XI.

DISPVTATIO XII.

DISPVTATIO XIII.

DISPVTATIO XIV.

DISPVTATIO XV.

DISPVTATIO XVI.

F I N I S.



Summa Privilegii Regis Christianissimi.

CAUTUM est authoritate Regis, ne quis in suo regno, aliisque locis suæ ditioni subjectis intra decem proximos annos librum, qui sic inscribitur, *Cursus Theologicus ad mentem Seraphici Doctoris Sancti Bonaventuræ*, Authore A. R. P. Bartholomæo à Castro Vetro Mutinensi, Provinciæ Lombardiæ Concionatore Capuccino, sacræ Theologiæ Lectore, necnon Deffinitore, absque Francisci Comba Lugdunensis Bibliopolæ permissu imprimere, aut divendere audeat, à die publicationis horum exemplarium: qui secus fecerit, pœna indictâ, prout amplius in diplomate Regio continetur, mulctabitur. Datum Versaliæ die 5. Decembris anno Domini 1686.

De mandato Regis, Signatum JUNQUIERES.

Prima Editio absoluta fuit die 26. Augusti 1687.

A.R.P.BAR

A. R. P. BARTHOLOMÆI DE BARBERIIS ORDINIS CAPUCINORUM S. FRANCISCI THEOLOGIA

Ad mentem Seraphici D. S. Bonaventuræ.

PARS PRIMA.

DE DEO TRINO, ET UNO.

DISPUTATIO PROOEMIALIS.

QVÆSTIO PRIMA.

De existentia, & necessitate Theologiæ.

5 PRIMÒ supponitur, quòd nomine Theologiæ, secundùm nominis vim, venit omnis sermo de Deo: talis autem sermo, seu cognitio de Deo alia est naturalia, estque illa, quam ex creaturis solo lumine naturæ comparare possumus, communique vocabulo appellatur Metaphisica, ad quam etiam Philosophi Gentiles pervenerunt, licèt cum variis imperfectionibus ob defectum luminis fidei: Alia est supernaturalis, quæ & revelata etiam dicitur, & de hac est in præsenti difficultas: & hæc communiter à Theologis quadrifariam sumitur. Primò pro habitu fidei, quo credimus articulos ipsos, & quæ sunt de fide sancita, suntque principia prima in Theologia Scholastica. Secundò pro habitu conclusionum Theologicarum deductarum ex illis principiis. Tertiò pro interpretatione, & expositione sacræ Scripturæ, non habita ratione ex instituto ad vim syllogisticam, sed simpliciter explicando sensum latentem in sacris litteris; & hæc Theologia positiva communiter appellatur, quia ponit ex sacris litteris principia, & ex iis sensus varios ipsius sacræ Scripturæ; & hæc est, quam SS. Patres tradiderunt in suis operibus, & quorum sententias in quatuor partes reduxit ordinatè Petrus Lombardus Magister sententiarum; & ad hanc reducitur Theologia symbolica, quæ utitur symbolis, & mystica, quæ in mysterio tota est abscondita consistens in dilectione excessiva secundùm vim purgativam, illuminativam, & perfectivam, estque consummatio omnis scientiæ. Quartò sumitur pro complexo ex articulis fidei, & conclusionibus per Theologicum discursum illatis, & dicitur scholastica, quæ in scholis maximo labore, ac studio addiscitur, occupaturque in confirmando, defendendoque sententiam fidei, in colligendo conclusiones ex articulis fidei, in confutando errores ipsis oppositos; & hæc eadem ferè est ac supra posita in secundo loco, solumque addit hæc ordinem scholasticum materiarum, quæque non differt à positiva, nisi accidentaliter. *Hæc omnia ferè ex Seraph. Doct. in Brevil. in sermon. Hexaem. in Psal.* 102. *& in op. itin. ment.*

Secundò suppon. necessitatem aliam esse absolutam, estque rei, sine qua absolutè finis non potest haberi; ut cibus ad vitam: aliam esse secundùm quid, & conditionatam, estque rei, sine qua commodi finis non potest haberi, ut equus ad iter faciendum. In Theologicis autem consideratur necessarium necessitate medii, & necessarium necessitate præcepti. *S. Bonav. l. 1. disput. 38. art. 1. q. 1.* alibique pluries. His positis. a

Prima conclusio. Omnibus, & singulis viatoribus adultis est, & fuit semper necessaria de lege ordinaria aliqua doctrina revelata, & necessitate medii, & necessitate præcepti; *Est Seraph. Doct. in Brevil. proœm.* & communis omnium Theologorum, & consensus Ec-

cleſiæ : ratio eſt quia agenti per cognitionem neceſſaria eſt cognitio diſtincta finis, hæc autem non poteſt haberi viribus naturæ, ergo indiget homo cognitionē per fidem ; ſed hæc præcipitur à Chriſto dicente, *Qui non crediderit condemnabitur. Mat. c. ult.* ergo neceſſaria eſt neceſſitate medii, & præcepti.

3 2. concluſio. Præter hanc cognitionem, quæ habetur ex ſola fide, communitati fidelium eſt neceſſaria aliqua alia doctrina, ideſt interpretatio ſacræ Scripturæ : probatur ex eo, quòd in ea ſunt plura loca difficillima ad intelligendum, quæ indigent doctrina, & acumine SS. PP. qui à Deo lumine cæleſti Perfuſi ſacram Scripturam expoſuerunt : & hinc eſt, quod in veteri teſtamento in rebus dubiis homines mittebantur ad Levitas, & Sacerdores, & in lege Evangelica ſtatuta ſunt Concilia Generalia, & Provincialia, & Doctores ad hoc apti, à Deo miſſi ſunt.

4 3. concluſio. Theologia, tùm poſitiva, tùm ſcholaſtica, quæ eſt habitus concluſionum deductarum modò inquiſitivo, & illativo ex principiis fidei, licèt non ſit neceſſaria cuilibet ſingulari ad ſalutem, eſt tamen toti Eccleſiæ aliqua ratione neceſſaria, ut à doctis indocti erudiantur, ut errores contra fidem inſurgentes refutentur, & veritates fidei de ſe obſcuræ clareſcant. *Eſt Seraph. Doctor. l. 1. quæſt. 2. proœm. & communis omnium.*

Prima pars per ſe patet, quia multi ſalvi facti ſunt abſquè eò quòd hac Theologia pollerent : quoad Theologiam verò poſitivam, jam hæc pars ſupra probata eſt ; Alia verò pars etiam eſt communis Catholicorum cum S. Bon. cit. eſt enim hæc. Theologia ſcholaſtica ſummè inviſa Hæreticis horum temporum, cum ſit turris David clypeis munita, ex qua omnis armatura fortium deſumitur ad deſtruenda ipſorum machinamenta : primò ergo arguitur, & probatur *ex 1. D. Petri, cap. 3.* ubi ait nos debere eſſe paratos rationem reddere poſcentibus dogmatum fidei ; & S. Paulus ad Titum ait : *Oportet Epiſcopum eſſe potentem exhortari in doctrina ſana, & eos, qui contradicunt, arguere* ; ſed hoc vix poteſt fieri abſquè Theologia ſcholaſtica ; ergo : Tùm quia SS. Patres ad confutandos errores, & hæreſes uſi ſunt ſcholaſtico ſtylo, imò ipſe Chriſtus pluribus locis uſus eſt Theologicis rationibus ad confutandos errores Phariſæorum, & aliorum hoſtium ſuæ ſacræ doctrinæ, quod & notavit Seraph. Doct. pluriès, & præcipuè *in cap. 11. Luc.* tùm quia hæc Theologia eſt neceſſaria ad promovendam fidem ad roborandos infirmos, ad delectandum perfectos ; tùm quia aliæ veritates, quæ rationibus impugnantur, rationibus etiam propugnantur, ergo multò magis veritates Catholicæ, quæ innituntur primæ veritati habent argumenta certiſſima, quibus confirmantur ; & hinc eſt (*ait Seraph. Doct.*) quòd his mediis prima ætate Eccleſia infans ſartatecta ſervata eſt à calumniis, & aſtu inimicorum, & his temporibus ſuſtineri validè poteſt.

Obijc. 1. quòd in ſacra ſcriptura reprehenduntur ſcrutatores Majeſtatis Dei, *ut Iſa. c. 40. Prov. c. 25. & Eccleſ. c. 3.* Reſp. S. Bon. reprehendi ſcrutatores curioſitatum, non veritatis ; imò Chriſtus *Ioan. c. 5.* præcipit hanc ſcrutationem, dicens ſcrutamini ſcripturas.

Obijc. 2. modus procedendi debet eſſe proportionatus materiæ, ſed materia hujus doctrinæ, eſt credibile, quod eſt ſuprà rationes, imò rationes minuunt fidem ergo.

Reſp. materiam hujus doctrinæ eſſe ſupra rationem ordinis merè naturalis, non verò è fide erutam, & ipſi innixam, vel agnitam per donum ſcientiæ, & intellectus ; quæ rationes non quidem fidem promovent, ſed coadjuvant ad redarguendum incredulos infirmos ſolidandum, & eruditos conſolandum ; & ideò SS. Patres quando reprehendunt ſubtilitates Philoſophicas, & contentiones diſputationum, reprehendunt vitia diſputantium, non ipſam facultatem ; vitia inquam, eorum, qui in diſputationibus tantùm intendunt victoriam, non veritatem attingere, & ad hoc utuntur ſophiſmatibus, & vanis ſubtilitatibus. *V. S. B. quæſt. 2. proœm. qui doctiſſimè, & clariſſimè ſolvit omnia dubia in contrarium, & l. 3. d. 35. a. p. quæſt. 3.* Ex quibus etiam probata remanet prima pars tituli quæſtionis de exiſtentia Theologiæ ſcholaſticæ, quæ eorum maximo Eccleſiæ profectu viget in ea.

QUÆSTIO II.

An Theologia ſit propriè ſcientia, & quomodo.

1. ADvert. quòd Theologia poteſt conſiderari ſecundùm ſe : 2. prout in Deo ; & in Beatis : 3. prout eſt in viatoribus. 5

2. Advert. quòd Theologia ſecundùm ſe, & ut in Deo eſt ſcientia perfectiſſima, quia eſt de objecto neceſſario, & evidenti ; Idem & dicendum prout eſt in Beatis, quia eſt de principiis ſupernaturalibus, & lumine ſupernaturali claris, in hocque, omnes ferè conveniunt : Quæſtio igitur procedit ſolùm de Theologia prout eſt in nobis viatoribus, & à nobis acquiritur ex articulis fidei creditis.

In qua prima opinio eſt Scoti, & ſequacium cum Nominalibus negantium ipſam eſſe propriè ſcientiam. 2. eſt D. Thomæ, & ſequacium eam reponentium in numero ſcientiarum, in qua tamen Thomiſtæ variant ; nam aliqui ipſam appellant propriè, & rigoroſè ſcientiam ; alij ipſam eſſe ſcientiam ſubalternatam, vel ad inſtar ſubalternatæ habentem principia evidentia in ſcientia beatorum, circa ſententiam Seraphici Bonaventuræ. Expoſitores variant, cum ipſa variè de ipſa ſit loquutus ; nam modò ipſam appellat abſolutè ſcientiam, modò dicit eſſe inevidentem in principiis. Undè P. Gaudentius noſter hic *quæſt. 2.* S. Doctorem adnumerat cum Scotiſtis. Trigoſius cum Thomiſtis ; ſenſum verò S. Bonaventuræ ego exiſtimo longè diverſum ab utraque Schola Thomiſtarum, & Scotiſtarum, quare pro ſolutione quæſtionis, & èlucidatione mentis S. Bonaventuræ.

1. Not. quòd ad ſcientiam perfectam quatuor requiruntur ſecundùm doctrinam Ariſtot. *in lib. poſter.* primum quòd ſit de objecto neceſſario. 2. quòd ſit notitia certa. 3. quòd ſit cauſata à principiis, vel à cauſa intellectui evidente. 4. ut ſit comparata per ſillogiſticum diſcurſum ; Hæcque quarta conditio ſecundùm communem ſenſum omnium Scholarum eſt per accidens ipſi ſcientiæ, importatæ imperfectionem, qua non utuntur Beati, ut advertit S. Bon. *l. 3. d. 31. a. 1. quæſt. 3. ad 5.* de quibus conditionibus. *V. l. 3. d. 3. a. 1. quæſt. 1. ad 2. & quæſt. 4. & d. 24. a. 2. quæſt. & lib. 1. d. 19. a. 2 quæſt. 2. & itin. ment. c. 3.* qui tamen omnes iſtas conditiones ad duo capita reducit, ſcilicet ad immutabilitatem objecti, & immutabilitatem, ſeu 6

certitu

certitudinem infallibilem ex parte intellectûs; omne enim quod scitur necessarium est in se sine mutabilitate, & certum est ipsi scienti, tunc enim scimus, cùm causam cognoscimus, propter quam res est, quia impossibile est aliter se habere; *Sic Seraph. Doc. eruditè serm. 1. Dom. 22. Pent. exponit Philosophum.*

7 2. Not. quòd meritò Seraph. Doctor mentionem non facit de evidentia, sed tantùm de certitudine infallibili, quia ex certitudine oritur evidentia in scientiis humanis, & inferioribus, eo ipso enim quòd intellectus est certus de veritate, illi adhæret firmiter excludendo omnem dubitationem, cúmque talis certitudo innitatur principiis per se notis hinc in ipsis veluti in speculo, seu potiùs in causa perspicuè videt tales veritates: Hæc autem certitudo *(ait S. Doct. l. 3. d. 23. quæst. 4.)* est duplex; alia dicitur speculationis evidentia, alia adhæsionis: Prima determinat & coercet intellectum ad principia lumine naturali per se nota, & ex ipsis descendit ad conclusiones notas per demonstrationem, & hæc dependet ab ipso objecto cognito, *ut sic ex l. 3. d. 23. quæst. 1. ad 2.* Certitudo per adhæsionem determinat, unitque intellectum ad divinas veritates, ipsum captivando in obsequium Christi; & quia hæc non dependet ab objecto cognito *(ut notat l. 3. d. 24. art. 1. quæst. 1. ad 2.)* sed ab ipso lumine supernaturali, & divino, hinc est, quòd in scientiis inferioribus necesse est, quòd intellectus conformetur ipsi cognoscibili secundùm exigentiam sui in se: In scientia verò Theologica intellectus conformatur non præcisè soli ipsi objecto cognito, sed lumini, per quod ad hoc cognoscendum illuminatur; & quia illud lumen certum est etiam de contingente, hinc est, quòd habitus fidei, & per consequens conclusionum, quæ ab ipsa inferuntur, conformatur ei, à quo dependet, ita quod non potest falsificari, nec vacillare propter contingentiam crediti: Et hinc patet qualis evidentia, & quàm eminentior sit in Theologia, quàm in quacumque alia scientia inferiori, & quomodo sit evidentia vera, & phisica, per quam apertè videt tali veritati non posse admisceri falsitatem, vel errorem, quodque indè probatur, quia si per impossibile negandum esset unum de duobus, aut propositio per se nota lumine naturali, aut propositio de fide lumine divino nota, sicque pati mortem, potiùs negaretur propositio per se nota lumine naturali, quàm ista, ut notat *lib. 3. d. 23. quæst. 4.*

8 3. Not. ut patet quàm verè dixerit Seraph. Doct. *in Brevil. p. 1. cap. 1.* solam Theologiam esse propriam, & veram scientiam, alias verò inferiores aliqualiter deficere à rigorosa ratione scientiæ, notat Seraph. Doct. *l. 3. d. 24. quæst. 1. ad 4. & quæst. 2.* quòd in tantùm aliqua dicitur scientia vera (loquitur autem de scientiis inferioribus, & humanis) in quantùm oritur ex principiis evidentibus. Evidentia verò est quasi extra, idest clara videntia, hæcque oritur ex resolutione ipsius conclusionis in sua principia originalia clarè visa, & cognita; clarè autem non possunt cognosci nisi per cognitionem conversam, & consonam cognitioni sensitivæ, evidentia enim pendet à sensu V. G. quòd totum sit majus sua parte, vel omne corpus movetur. Hæc autem cognitio pendet à cognitione singularium, circa quæ sola versatur, ex quorum inductione, vel enumeratione elicitur propositio universalis: undè de se sunt inevidentia, nisi fiant tali illatione evidentia, & ut talia comprobentur, vel ex inductione, vel experientia; cùm autem sensus possint decipi, hinc non dabitur ulla scientia inferior tàm certa, & evidens, quæ sit omnimodè, & infallibiliter immunis ab errore, vel falsitate, ut continua experientia patet in tot scientiis humanis, in quibus tot ingenia desudarunt, & incessanter desudant invenientes quotidiè nodos varios hæsitationum etiam in principiis ipsis ab antiquis suppositis ut certissimis, quam veritatem fusè expendunt & probant novissimè Cartesius, & Ant. le Grand in sua Philosophia, ex eo maximè, quia sensus nos juvant tantùm ad rerum existentiam percipiendam, non verò ad earum quidditatem, nisi forsan aliquando, & ex accidenti: Cum autem Theologia non pendeat ab objecto, sed à lumine superiori, divino, certoque hinc mirum non est, quòd à S. Doct. sola ipsa propriè appelletur scientia; & hinc dicit S. Doct. *quæst. 2. ad procem. ad 5. & 6.* quòd credibile est super rationem quantùm ad scientiam acquisitam per rationem evidentem evidentia humana, sed non supra rationem elevata per lumen fidei, & per donum scientiæ, & intellectus: fides enim elevat ad adhærendum, & assentiendum veritati supernæ; scientia, & intellectus ad ea, quæ credita sunt, intelligendum; hoc enim donum addit ad assensum fidei rationes creditas, per quas intelligitur quod creditur, quia autem fides assentit non propter rationem humanam, sed propter amorem ejus, cui assentit, hinc desiderat rationem probabilem, & tunc non minuitur meritum, sed augetur solatium; *sic S. Bon.*

4. Not. quòd cùm totum fundamentum adversariorum sit, quia Theologia procedit ex articulis fidei cognitis tantùm ænigmaticè, & obscurè, non autem evidenter; hic enucleandum est in quo sita sit hæc ænigmatica cognitio, nam in hoc (ait S. Doct.) multi decipiuntur. 9

Undè advert. quòd talis ænigmatica cognitio dicitur obscura tantùm respectu visionis corporalis, ex eo quòd objectum fidei est verum non visum intuitivè, idest non præsens, sicut est objectum gloriæ, non enim (ut dictum est supra) potest fieri resolutio usque ad cognitionem sensitivam, ut in scientiis inferioribus; *sic lib. 3. d. 23. art. 2. quæst. 1. ad 1. & 4. lib. 4. it. 6. p. art. 1. quæst. 5. ad 5. op. Diet. tit. 18. cap. 5.* Per id tamen non tollitur, quin tale objectum sit evidenter cognitum sivè cognitum abstractivo, sivè purissimo modo per lumen superius, infallibile, & immune à quocumque errore, & falsitate, quod non potest dici de lumine rationis convertente se ad sensibilia (ait S. Doct. *lib. 2. d. 24. art. 1. quæst. 2. ad 3. & 4.*) in qua conversione multotiès decipitur, ut patet experientia. Vide Joan. à S. Thoma d. 2. a. 9. ubi doctissimè probat hanc veritatem, & fallibilitatem in talibus inductionibus singularium, ex quibus scientiæ naturales coacervant suas propositiones universales; Undè fides ab Apostolo dicitur argumentum rerum non apparentium, idest non præsentium; argumentum tamen est non dialecticum ex probabilibus, seu opinabilibus, non tentativum, seu sophisticum, sed apodicticum, idest faciens scire, quia per istud demonstrativè probatur veritas plusquàm quodlibet aliud instrumentum scientiarum, nunquàm enim aliquis sapiens potuit pervenire ad tantam scientiam de Deo, & creaturis, ad quantam pervenit simplex Piscator, cum dixit; *Tu es Christus filius Dei vivi*; quia per istud argumentum probatur unitas, & Trinitas divinæ essentiæ, & personarum; unitas primæ causæ; multiplicitas creaturarum; quidditas, & qualitas

gratiæ,

gratiæ, ſacramentorum, aliorumque myſteriorum divinorum; hincque patet, quòd fides dicitur cognitio ænigmatica, & obſcura non abſolutè, ſed per comparationem ad rem viſam, ideſt reſolvibilem ad ſenſitivam cognitionem, quæ conditio appoſita eſt, ut ſit de objecto non viſo, quia creditur voluntariè, & quia eſt veritas ſalutifera creditur voluntariè, & meritoriè, quæ duo ſunt aliena à ſpeculatione ſcientiarum inferiorum, *lib.* 3. *d.* 23. *quæſt.* 5. *ad.* 2. *op. Diat. cit. & quæſt.* 5. *ad* 2. *op. comp. Theol. lib.* 5. *cap.* 19. *V. lib.* 1. *d.* 18. *p.* 1. *a.* 1. *quæſt.* 2. *corp.* ubi probat evidentiam in articulis fidei tùm in ſe, tùm in probando. Et *op. itiner. ment. cap.* 3.

5. Notandum: Ut pateat hæc veritas circa deficientiam certitudinis ſcientiarum naturalium, ſumatur hoc principium: omne totum eſt majus ſua parte; hæc univerſalitas fundatur in inductione ſenſuum, quibus continuè videmus & partes, & totum, & quòd totum eſt majus ſua parte; ſed quòd hoc ità univerſale ſit, ut etiam ſupernaturaliter non poſſit deficere, licèt ex terminorum natura optimè deducatur, tamen ex vi inductionis factæ per ſenſus, à qua dependet, & originatur, ſemper de ſe ſubeſt fallaciæ, cujus ſenſus ſunt originaliter capaces, quia ex vi illius non certificatur quid lateat in omnipotentia Dei, & quid poſſet, vel non poſſit circa illa: & cùm talis certitudo poſſit ſtabiliri ulteriùs per revelationem divinam, tàm quoad univerſalitatem, quàm quoad ſuam cauſam, ſcilicet quoad inductionem ſenſuum, hinc patet diſcrimen inter ſcientias naturales, & Theologiam: Nam in ſcientiis naturalibus origo notitiæ eſt à ſenſibus ſubjectis fallaciæ, ut continuo experimento patet, qui ſolùm poſſunt inducere notitiam exiſtentiæ rerum, non verò quidditatis ipſarum, niſi forſan per accidens, & per inductionem: hinc patet quàm vacillans ſit talis ſcientia orta ex ſenſibus quod impedimentum non occurrit in ſcientiis ſupernaturalibus, ut dictum eſt.

10 6. Not. quòd lis eſt inter Theologos, an Theologia noſtra viatorum ſubalternetur Theologiæ Beatorum, & Dei: Thomiſtæ aſſerunt ſubalternari. Scotus cum ſuis id negat: Seraph. Doct. non tractat hanc quæſtionem, ſed tantùm an ſubalternetur Scripturæ ſacræ, & conſequenter etiam habitui fidei. *Sic lib.* 1. *quæſt.* 2. *Prol. ad* 4. ubi admittit aliquam ſubalternationem in Theologia ipſi ſacræ Scripturæ, licèt non perfectam, quia in ipſa non concurrunt omnes conditiones, quas Philoſophi, exigunt in perfecta ſubalternatione, nempè ut utraque ſit de eodem ſubjecto, ut ſubjectum ſubalternatæ addat aliquam differentiam accidentalem diſtrahentem, ſic ad numerum arithmeticæ, muſica addit ſonos, ut principia ſubalternatæ ſint concluſiones probatæ à priori in ſubalternante; de quibus vide, quæ tradita ſunt à nobis in Logica *ad num.* 650. *& ſeq.*

Diſquirunt autem, an in ſubalternata requiratur cognitio demonſtrativa, quæ habetur in ſubalternante, an verò ſufficiat fides humana habita ipſi magiſtro tradenti talia principia. Affirmant aliqui apud Ruvium in Logica; communior negat. S. Bon. cit. docet, quòd licèt hoc ſit verum in ſcientiis inferioribus, non tamen in Theologia, ſed ſufficere fidem ſupernaturalem cum ſupra tradita certitudine, & evidentia luminis ſuperni, & ratio eſt, quia principia Theologiæ manifeſtantur per lumen ſuperioris ſcientiæ, quæ eſt vel ſacræ Scripturæ, vel fidei; Addunt hic Thomiſtæ, quæ eſt Theologia Dei, & Beatorum, hinc concluditur non eſſe ſubalternationem perfectam, quia in Theologia viatorum non habetur notitia perfecta concluſionum Theologiæ Beatorum, licèt in ſeipſa contineat talia principia. His poſitis.

1. concl. Theologia Dei, & Beatorum vera, & 11
perfecta eſt ſcientia; eſt communis omnium cum Seraph. Doct *lib.* 3. *d.* 31. *art.* 2. *quæſt.* 3. quia habet omnes conditiones ſcientiæ, dempta ultima, quæ eſt cognitionis habitæ per diſcurſum ſyllogiſticum; cùm unico intuitu per intellectum deiformem Beati videant in principiis concluſiones evidenter.

2. concl. Theologia viatorum eſt vera, & perfectior ſcientia quàm quæcumque alia ſcientia inferior, imò ipſa ſola eſt perfecta ſcientia, eſt Seraph. Doct. D. Thomæ, & ſequacium, eſt & P. Trigoſij, aliorumque multorum contra Scotum, alioſque & noſtrum. P. Gaudentium, qui *in quæſt.* 2. *proœm.* nititur trahere Seraphicum Doctorem ad partes Scotiſtarum, ſed verè violenter; nam *in Brevil. p.* 1. *cap.* 1. patenter dicit, quòd ſola Theologia eſt ſcientia perfecta, & ſemper in omnibus locis, in quibus contingit loqui de Theologia, eam appellat ſcientiam, & præcipuè *lib.* 1. *in quæſt.* 2. *&* 3. *proœm.* Duas partes continet hæc concluſio, prima quòd ſit ſcientia perfecta; ſecunda quòd ipſa ſola eſt perfectiſſima. Prob. autem prima pars; tùm quia eſt de objecto neceſſario, quod aliter non poteſt eſſe; tùm quia eſt certa, & evidens certitudine & evidentia ſuperiore, & eminentiori quacumque certitudine humana; tùm quia habentur in ea demonſtrationes, & concluſiones deductæ ex principiis notis lumine ſupernaturali; tùm quia eſt habitus intellectûs, ſed non eſt ars, neque prudentia, neque habitus principiorum, ut per ſe patet, ergo eſt ſcientia, vel ſapientia, ſcilicèt de altiſſimis rebus; tùm quia ob id requiritur evidentia in ſcientiis inferioribus, ut intellectus certitudinem aſſenſûs mutuet, & firmiter adhæreat veritati cognitæ, ergo dum aliundè habeatur talis certitudo, & cognitio etiam firmior, ut in noſtro caſu probatum eſt ſupra, talis evidentia ſuperfluit.

Reſp. Scotiſtæ, Meldula, Gaudentius, aliique negando hanc evidentiam in noſtra Theologia, & quia hæc evidentia eſt conditio intrinſecè neceſſaria ad ſcientiam, ipſamque eſſentialiter differre faciens à fide: addit P. Gaudentius, reſponſionem communem Thomiſtarum talem evidentiam non eſſe neceſſariam, ſed ſufficere certitudinem in ſcientia univerſaliter conſiderata prout abſtrahit à naturali, & ſupernaturali ſcientia, eſſe vilem fugam, eo quia debemus eſſentiam rerum philoſophicarum definire juxta regulas Philoſophorum, non autem excogitare novas naturas ad evitandum argumenta contraria, alioquin numquam aliquid erit nobis ſtabile maximè ad moralia, ut graviter admonet Meldula *num.* 18. Vaſquez cum S. Bon.

Sed contra primò, quia talis evidentia ab Ariſtotele non expoſcitur; dicit enim, quòd ſcire eſt cognoſcere cauſam, ob quam res eſt, illius cauſam eſſe, & fieri non poteſt, ut aliter ſe habeat, in quibus verbis non expoſcit evidentiam, ſed certitudinem, per quam etiam remota evidentia habitus ille innititur connexioni infallibili, & reſpicit veritatem infallibilem, & perficit intellectum ſine periculo erroris, & indefectibiliter, per quod diſcernitur ab opinione: ergo cùm Theologia reſolvat in principia certiſſima, utique erit habitus intellectualis non artis, non prudentiæ, quia poteſt quis eſſe Theologus abſque notitia alicuius

artis,

aitis, & etiam peccator; non principiorum, quia est discursivus; ergo vel scientia, vel sapientia.

Confirmatur illa propositio, vel conclusio, quæ ex intrinseca ratione habet, ut non possit ei subesse falsitas, habet evidentiam phisicam, vel metaphisicam, sed propositiones, vel per se notæ, vel æquivalenter per lumen divinum, certum, & infallibile, sicut sunt Theologicæ, sunt hujusmodi, ergo sunt evidentes, major est certa: Evidentia enim est certa videntia veritatis in terminis propositionis: minor probatur, quia propositiones de fide ex intrinseca ratione habent, quòd non possunt subesse falsitati, & errori, & hoc tùm ratione sui, tùm ratione intellectûs ex lumine superno, & certissimo, ergo conclusiones ex ipsis illatæ habent evidentiam à priori, scilicet à propositionibus de fide. Confirmatur iterùm, & magis viget ratio supra posita, quia talis evidentia intrinsecè est in ipsa veritate Theologica, quæ in intellectu viatoris suppletur per majorem certitudinem super omnem scientiam humanam, ergo quæcunique alia est superflua; Præterea etiam ad tale lumen supernaturale additur naturale, quo potest cognosci esse Deum, nec posse mentiri; quod etiam innuit Arist. lib. Poster. ubi postquam tradidit definitionem scientiæ subdit: Non sciet aliquis, nisi præmissarum habuerit scientiam, aut aliquid majus scientia; ergo cùm nos habeamus aliquid majus scientia, nempè certitudinem firmiter convincentem intellectum, ipsumque facientem adhærere veritati, etiam Theologia nostra est vera scientia.

Respondent, hanc certitudinem non posse appellari evidentiam, cum innitatur testimonio alterius, scilicet Dei revelantis, non nostræ evidentiæ, seu cognitioni evidenti: Contra, quia credere veritatem revelatam à Deo est per illustrationem intellectûs facientem cognoscere ipsam, eique firmiter adhærere; unde evidentia scientiarum inferiorum per hoc differt ab evidentia Theologiæ, quòd illa trahit originem ab extra, scilicet à sensibus, ista ab intrà, scilicèt à lumine inhærente in anima; ergo hæc est major, & firmior, & certior.

Confirmatur iterùm. Si scientia, est ex principiis notis per se, & evidentibus, vel debent esse evidentia quoad nos, vel quoad se: si primum; ergo metaphisica non erit omnium notissima, quia ejus principia sunt paucis nota; tùm etiam, quia habemus aliquid majus tali evidentia; si secundum cùm principia Theologiæ sint de se notissima, ut Pater genuit filium, Deus est trinus, ergo per hoc non desinit, quòd sit scientia. *Ex lib. 3. d. 23. quæst. 4. ad 4.*

12 2. Pars conclusionis, scilicet quòd Theologia, sola sit in toto rigore scientia perfectissima ex S. Bon. *Brevil. p. 1. cap. 1. & ex 3. & 4. Not.* quia cæteræ scientiæ si resolvantur totaliter ad sua principia originalia, reducuntur ad cognitionem sensitivam, quæ sæpè subest erroribus, & falsitatibus, ut teste experientia patet, exemplum sit in hac propositione, omne totum est majus sua parte, quæ in Eucharistia redditur falsa; ergo talia principia subduntur fallaciæ; hinc sola Theologia, si resolvatur in sua principia sumit certitudinem tàm firmam, quòd non potest subjici falsitati, ut sublimissimè discurrit S. Bon. *in serm. 1. Dom. 11. Pent. & in itiner. ment. cap. 3. & in Brevil. cit.* Ideóque sola Theologia est scientia perfecta, quoniam incipit à primo, quod est primum principium, & pervenit ad ultimum, quod est præmium æternum: incipit à summo, quod est Deus altissimus creator omnium, & pervenit ad infimum, quod est infernale supplicium: Ipsa etiam sola est sapientia perfecta, quæ incipit à causa summa, ut est principium causatorum, ubi terminatur cognitio philosophica, & transit per eam, ut est remedium peccatorum, & reducit in eam, ut est præmium meritorum, & finis desideriorum; & in hac cognitione est sapor perfectus, vita, & salus animarum, & ideò ad eam addiscendam inflammari debet desiderium omnium Christianorum. *Sic Seraph. Bon. in Brevil.*

Obiic. 1. cum Scotistis, aliisque adversantibus. Theologia nostra caret evidentia scientifica, ergo non est perfecta scientia; nec valet dicere ipsam habere certitudinem majorem omnium scientiarum inferiorum, quia certitudo se habet ad evidentiam, ut genus ad speciem, ergo ex certitudine non rectè infertur evidentia: Respondent communiter, concedendo totum de scientia Aristotelica, quia Theologia verè caret evidentia negando de scientia absoluta; negant autem à certitudine oriri evidentiam tamquam speciem à genere, ex eo quòd certitudo abstrahit a certitudine scientifica & ab evidentia. 13

Nos autem respondemus ex principiis Seraph. Theologiam carere evidentia speculationis, non autem adhæsionis idest caret quidem evidentia formali reducibili ad cognitionem sensitivam, qualis est scientiarum inferiorum, non autem caret evidentia supernaturali non solùm æquivalente, sed & eminentiori quacumque naturali, ut dictum est in fundamentis.

Resp. 2. *Ex S. Bon. quæst. 2. procem. ad 4.* quòd in Theologia de credibili fit res intelligibilis per rationem, idest supposita revelatione, & lumine fidei dictantis intelligentiam principiorum fit deductio conclusionis per syllogisticum discursum, & tunc lumine naturali cognoscitur scientificè talis conclusio, ejusque illatio, & demonstratio; undè certitudo Theologiæ, formaliter est quidem ordinis naturalis, sed originativè, & ex parte principiorum est supernaturalis, & hac ratione excedit omnem naturalem certitudinem. Nec valet si dicas, ergo ex ea parte, qua est naturalis potest deficere, & maximè si conclusio sequitur ex altera præmissarum naturali, & ex altera supernaturali, tunc enim conclusio sequitur debiliorem partem: Resp. neg. posse deficere, cùm non sit absolutè naturalis, quia conclusio habet connexionem cum principio supernaturali, & ad ejus indeficientiam elevatur, quod etiam evenit in rebus contingentibus scientiæ, & providentiæ divinæ subjectis.

Sed contrà insurgunt: Cognitio principiorum est cognitio per fidem obscuram, & ænigmaticam, sed cognitio principiorum debet haberi evidenter ad hoc ut habeatur scientia; ergo.

Resp. ex traditis, quòd cognitio per fidem dicitur obscura per comparationem ad beatificam; item & dicitur obscura per comparationem ad intellectum non elevatum per lumen supernaturale, non verò in ordine ad intellectum illuminatum, & lumine fidei, & doni scientiæ, & intellectûs; quæ fides docet intellectum talia principia esse de se evidentia, & tunc articuli fidei se habent ac principia universalia scientiæ naturalis, in hoc quòd ista sunt ex cognitione abstractiva, non intuitiva, qualis est etiam cognitio per fidem.

Instant: In Theologia non potest fieri resolutio in principia per se evidentia. Ergo. Resp. primò neg. antecedens: resolvit enim suas conclusiones in prima principia visa lumine superno, ex quo lumine cognoscit ipsa de se esse evidentissima:

Resp. 2. neg. consequens; quia si talis resolutio esset necessaria, pauci essent scientes, imò nemo haberet scientiam, quia talis resolutio facienda esset usque ad sensitivam cognitionem singularium, quæ est fallax, & subjecta erroribus. Instant iterùm. In Theologia multa pertractantur de singularibus, & contingentibus. Ergo ex hac parte non est scientia: Resp. 1. Ex hoc non sequi ipsam non esse scientiam, quia etiam in aliis pertractantur multa contingentia, & singularia, nec ista auferunt ab objecto universali rationem scientiæ. Resp. 2. quòd necessitas objecti est conditio scibilis, non scientiæ; ideò dato contingente æternæ veritatis, ut in Theologia, tunc erit scientificum, imò ex hoc meritò sola Theologia dicitur vera scientia; quia de singulari credibili fiunt demonstrationes parientes scientiam infallibilem; undè sola Theologia corrigit plures errores, in quos incidit Philosophia, ut est de creatione, mundi ab æterno, de mortalitate animæ, de accidentibus Eucharisticis, aliisque. Ex quibus patet hallucinatio adversariorum, qui negant præcipuè ex hoc rationem scientiæ in Theologia, quia ejus principia, licèt in se, & per se sint nota, tamen non sunt talia nobis, quia in hac propositione. V. G. Deus est unus, & trinus, perceptis terminis intellectus non assentit illi veritati, quia talis cognitio est contraria sensitivæ, sic discurrit P. Gaudentius noster ad finem quæstionis, ecce maxima hallucinatio: nam ista principia cùm non trahant originem à sensitiva cognitione, ut evenit in scientiis inferioribus, sed ab ipsa veritate abstractissima addito lumine superno fidei, & doni scientiæ, & intellectûs, ut notat S. Bon. statim intellectus apprehendit hanc veritatem sine hæsitatione, & periculo erroris, & hinc oritur hæc evidentia supernaturalis, quarè objectiones adversantium fallaces sunt, & nihil concludunt, transeunt enim à lumine, & cognitione naturali ad supernaturalem, & hoc est, quod S. Bon. quæst. 2. ad 5. dicit, si intellectus est fide informatus, ea quæ sunt fidei non sunt supra rationem, sed secundùm rationem adjutam à dono scientiæ, sapientiæ, & intellectûs; si verò intellectus est sine fide, tunc ea, quæ sunt fidei, sunt non contra rationem, sed supra rationem, quam excedunt, etiamsi intellectus imbutus esset omnibus scientiis naturalibus.

14 3. concl. Theologia viatorum propriè, & in rigore non subalternatur scientiæ Beatorum, sed aliqualiter tantùm, & impropriè, magis autem scientiæ sacræ Scripturæ. Est Seraph. Doctor. cit. quæst. 2. procem. & communis. Prob. prima pars. Theologia Beatorum non probat, sed supponit principia nostræ Theologiæ, ergo non subalternatur Theologiæ Beatorum; tùm quia habent idem objectum; tùm quia nostra Theologia non dependet à Theologia Beatorum; tùm quia non possunt stare simul, ergo.

Prob. 2. pars. Quia Theologia nostra superaddit ad illam rationem credibilitatis, & probabilitatis, & cognoscitur perfectius objectum in beatifica, ergo habent aliqualem ordinem.

Prob. 3. pars. Quòd majorem aliqualem subalternationem habeat ad sacram Scripturam, sed tamen imperfectam; primò quia Theologia nostra desumit sua principia à sacra Scriptura, & utitur lumine fidei, additque ad credibile rationem distrahentem probabilitatis per rationem; ergo habet aliquam subalternationem à sacra Scriptura; quòd verò sit imperfecta subalternatio patet, quia habet certitudinem diversam à certitudine sacræ Scripturæ, quia hæc oritur immediatè à fide, illa à ratione adjuta à fide; ideoque formaliter certitudo est naturalis, originativè supernaturalis.

Q. 1. An conclusiones Theologicæ sint æqualiter de fide ac principia? Resp. 1. quòd si præmissæ, & conclusio sint æqualiter revelatæ, & expressæ in sacra Scriptura, omnes æqualiter sunt de fide; ut Pater est generans, Filius generatus, & Spiritus sanctus spiratus, ergo tres personæ realiter distinctæ. 15

R. 2. si conclusio evidenter deducitur ex principiis fidei, vel ex altera præmissarum, ea altera naturali, ut omnis homo est animal rationale, Christus est homo, ergo animal rationale; tunc conclusio est de fide non immediatè, sed mediatè, eò quia continetur in præmissa de fide. Dices conclusio sequitur debiliorem partem, ergo in hoc argumento conclusio non potest esse de fide. Resp. conced. totum, quando est ab ipsa tanquam à totali causa, nec continetur saltem virtualiter in majori de fide, ut est in nostro casu, in quo conclusio est de fide, non ratione illationis, à qua solùm recipit explicationem, sed quia continetur in propositione de fide.

Resp. 3. si conclusio infertur non evidenter, sed tantùm opinabiliter ex principiis fidei, tunc facit opinionem tantùm. V. G. Sacramenta sunt causa gratiæ, sed non sunt causa phisica, ergo tantùm moralis; major est de fide, minor est in opinione; sic & conclusio, & ratio est, quia conclusio continetur in illa majori opinabiliter tantùm.

Q. 2. An Theologia sit habitus naturalis, an supernaturalis? Resp. cum communi, quòd si sumatur secundùm substantiam, & prout contra distinguitur à fide, est habitus naturalis, & acquisitus humana industria, non infusus: & hoc patet, quia in ipso sunt multæ conclusiones, quæ non sunt de fide, nec pollent tanta certitudine, quanta præstat ipsa fides: si verò sumitur quoad modum potest dici habitus supernaturalis, tùm ratione objecti, quod est Deus supernaturaliter cognitus; tùm propter rationem formalem sub qua, quæ est divina revelatio, quia semper habet saltem alteram præmissarum de fide, vel dependentem à fide essentialiter, & propter hæc ad differentiam aliarum scientiarum, in quibus omnia sunt naturalia, & naturaliter cognoscibilia, solet appellari supernaturalis, & ob id illas dignitate præcellit, omnesque veluti pedissequas recognoscit; quæ doctrina eruitur ea Seraphici Doct. doctrina proximè tradita in 2. conclusione. Et hinc sequitur, quòd si Theologus fit infidelis, non solùm amittit fidem, sed & hunc habitum Theologicum, quia enim fides est ratio formalis assentiendi principiis Theologica, hinc amissa fide, amittit & ejus effectus, etiamsi in eo remaneant species intelligibiles, & quædam notitia acquisita, tanquam cadaver sine anima, id est sine assensu certo certitudine medii: Addimus, quòd in Theologia distinguuntur gradus propositionum falsarum, ut aliquæ sint, & dicantur hæreticæ, quæ sunt contradictoriæ earum, quæ sunt de fide: Aliæ erroneæ, quæ ut plurimùm sunt, quæ contrariæ sunt iis, quæ sequuntur ex illis de fide mediante aliqua naturaliter certa, quæ tamen non sunt determinatæ de fide, ut sunt illæ communes Metaphisicæ, & fidei, ut Deum esse unum, bonum, primam causam: Aliæ sunt solùm temerariæ, quæ sine sufficienti fundamento sunt contra communem sensum Sanctorum Patrum & Doctorum. 16

Q. 3. An Theologia sit dignior, & certior cæteris scientiis? Not. 1. quòd dignitas scientiæ, ex duplici 17

plici capite oritur, scilicet ex dignitate objecti, & ex certitudine cognitionis: quoad qualitatem objecti certum est esse digniorem; quæstio est circa certitudinem.

Not. 2. certitudinem ex parte cognitionis duo importare: primum infallibilitatem cognitionis, quando non contingit errare circa principia cognita: secundùm adhæsionem firmam cognoscentis, sivè determinationem ad unum excludentem omnem dubitationem, ut verò se tenet ex parte objecti, idem sunt ejus certitudo, ac necessarium, & immutabile.

Not. 3. certitudo propriè dicta, quæ est infallibilitas cognoscentis, derivatur (loquendo de cognitione creata) ab objecto in cognitionem, ita ut numquàm possit esse major in notitia, quàm in objecto; prout verò significat adhæsionem firmam, nòn pendet necessariò à certitudine objecti, cum possit quis firmiter adhærere errori, ut patet in Hæretico, & tamen est natura objecti, acti, ut si penetretur à cognoscente, ipsum determinat ad firmam adhæsionem.

Not. 4. Fidem, & Theologiam hoc habere commune cum scientia naturali, ut dum manent in intellectu faciant eum firmiter adhærere determinatè ad unum excludendo dubitationem quamcumque. In hoc verò differunt quoad assensum Theologicum, vel fidei, movetur intellectus ex imperio voluntatis, simulque à veritate objecti ostensi intellectui à lumine fidei cum infallibilitate, & certitudine. Ad assensum verò in cæteris scientiis intellectus cogitur ex veritate objecti percepta, & ex lumine naturali ipsius intellectûs; & quia in tali perceptione potest errare, hinc & fallibiliter potest applicari, quod non evenit in fide: quare autem ad assensum fidei requiratur voluntas docet S. Bon. lib. 3. d. 23. quæst. 1. ad 2. quia enim fides habet pro objecto veritatem non visam, & non subjectam sensibus, ideò requiritur imperium voluntatis ad hoc, ut credatur voluntariè, & cum meritò: Hinc.

Resp. 1. Quòd Theologia certitudine infallibilitatis certior est quacumque scientia naturali: sic S. Bon. quia nititur certiori causæ, nempè revelationi divinæ, & lumini supernaturali fidei: magis enim repugnat falli intellectum assentiendo Deo revelanti, quàm sequendo judicium rationis; & hinc est, ait, quòd numquam quis subiit mortem pro sustinenda credulitate scientiæ naturalis, sicut pro sustinenda veritate fidei: *S. Bon. lib. 3. dist. 23. quæst. 5. corp. & lib. 1. quæst. 2. proœm. ad 4.*

Resp. 2. Quòd loquendo de certitudine speculationis certior est aliqua scientia naturalis, quàm Theologicæ veritatis, ut patet in cognitione primorum principiorum, quia in istis adest evidentia talis, de qua non potest dubitari, sistendo tamen in cognitione purè naturali: loquendo verò de certitudine adhæsionis, qua illuminatur certitudinaliter intellectus, & movetur voluntas tali veritati adhærere firmiter, sic major est ista certitudo, quàm in quacumque alia scientia; & si adest aliquando aliqua hæsitantia, hæc evenit ob defectum scientis, vel dubiorum extraneorum, non ipsius scientiæ: Conclusio igitur est, quòd in tensùm scientia naturalis dicitur certior certitudine speculationis, quatenùs ex evidentia plenius assequatur talis certitudo ab intellectu, & satietur, & quietetur intellectus in objecto viso. Fides autem 17 admittit aliquem motum medium, quia ejus certitudo præexigit motionem voluntatis factam à tactu divino, qua imperet intellectui, ut credat, & captivet se in obsequium Christi; sicque scientia naturalis relinquit intellectum intra suos terminos, & eumdem ordinem; Theologia verò ipsum relinquit sub alienis terminis extra proprium ordinem, ut potè dependentem à motione voluntatis; his tamen non obstantibus, certior est ipsa Theologia, quia ejus certitudo est ex lumine supernaturali, quæ decipi non potest, sicut evenire potest in resolutione ultimata scientiarum naturalium, ut supra traditum est; & hoc etiam probatur, quia si tales propositiones naturales à Deo revelarentur, fierent certiores, ergo sunt capaces majoris certitudinis, non sic autem propositiones de fide.

QUÆSTIO III.

Quodnam sit subjectum, vel objectum Theologiæ. S. Bon. quæst. 1. proœm.

PRo explicatione tituli advert. 1. quòd nomine subjecti hic nòn intelligitur subjectum, & materia in qua, hæc enim est subjectum formæ; nec materia ex qua, quæ est altera pars compositi; sed subjectum, seu materia circa quam versatur scientia, & de qua prædicantur ea, quæ tractantur in scientia: coincidit autem subjectum hoc cum objecto, & cum fine; dicitur autem objectum in ordine ad potentiam, quam terminat, & propriè convenit conclusioni; dicitur & finis, ad quem omnia talis scientiæ terminant, & in cujus gratiam considerantur, sed propriissimè magis appellatur subjectum. *Sic S. Bon.* 18

Advert. 2. Quòd ad rationem subjecti scientiæ tres conditiones præcipuè requiruntur. Prima est, quòd de ipso præsupponatur quod est, & quod quid est, idest existentia actualis, vel possibilis, & quidditas non solùm nominis, sed rei, seu ejus definitio, & conceptus quidditativus, in quo conceptu continentur principia, per quæ passiones demonstrantur de ipso; & hinc secunda conditio, scilicet quòd per ipsum quod quid est demonstrentur passiones. V. G. ens, quia ens, id est quia habet principia, nempè essentiam, & existentiam saltem aptitudinalem, de ipso demonstrantur verum, bonum, & unum: tertia conditio est ut ad ipsum reducantur, seu attributionem, relationemque dicant omnia, quæ tractantur in illa scientia, vel ut principia, vel ut partes, vel ut proprietates, vel etiam ut opposita, quorum cognitio maximè conferat ad cognitionem subjecti, in quo sensu dixit Aristot. scientiam eamdem esse contrariorum, & ob id subjectum etiam debet habere unitatem vel genericam, vel specificam: quæritur igitur quod nam sit subjectum Theologiæ.

In hac quæstione plurimæ circumferuntur sententiæ, & ferè tot, quot capita, cujus rei causam esse credo, quòd hæc controversia habet multum de nomine: Alij enim volunt esse Deum sub ratione deitatis; sic D. Thomas, & Scotus: alij Christum, ut Salvatorem: alij res, & signa, alij alia proponunt, ut videri potest apud P. Gaudentium: Seraphicus Doctor, ut rectè notat noster P. Gaudentius, triplex subjectum nostræ Theologiæ assignat, scilicet radicale, integrale, & universale, de quo infra. Pro solutione quæstionis.

Not. 1. Quòd communiter duplex subjectum cuicũque scientiæ assignatur, scilicet materiale, & quod, & formale, scilicet ratio sub qua materiale est id,

quod

quod attingitur in sua materialitate, & universalitate, in qua potest esse cōmune etiam aliis scientiis, ut est ens in Metaphisica, quod etiam à Phisico consideratur; formale est ratio sub qua consideratur, sic ens quatenùs est ens consideratur solùm à Metaphisico; & ut mobile à Phisico: sic color est objectum materiale visus; luciditas est ratio formalis, sub qua est objectum visûs: rursus ratio formalis objecti, est duplex: Altera quæ dicitur ratio qua, & est ea, quæ per se primò respicitur à scientia in materialibus objectis secundùm aliquam habitudinem ipsius ad illa: talis in Theologia est deitas, Deus enim ut Deus est objectum ejus, & à Seraph. Doct. appellatur subjectum radicale, ut infra dicetur. Altera est ratio formalis sub qua, id est per quam velut per medium, vel sub cujus ratione scientia infert suas conclusiones, estque in Theologia esse revelatum ratione intelligibile: *sic distinguunt S. Bon. quæst. 1. proœm. aliis locis a nobis cit. in quæst. 1. proœm. Logicæ. P. Gaudentius quæst. 4. D. Thomas, aliique communiter.*

19 Not. 2. quòd S. Bon. qua præditus est modestia conatur graviorum Doctorum sententias conciliare non sanè crassiori differens minerva (ut carpit Faber Favent. *num.* 17. ferè semper infensus, doctrinæ, Seraphici Doct. licèt educatus, & grandis factus in Collegio Romano S. Bonaventuræ,) sed subtilissimè. Distinguit autem subjectum, seu objectum tripliciter. 1. in subjectum radicale, ad quod omnia reducuntur sicut ad principium, ut in Grammatica, litteræ; in Geometria, punctus. 2. in subjectum integrale, ut in Grammatica, oratio congrua; in Geometria, corpus, quod continet in se omne genus dimensionum. 3. in subjectum universale, ad quod omnia reducuntur, ut ad totum universale; sic in Grammatica est vox articulata, ordinata ad significandum, & in Geometria quantitas continua immobilis: Quid autem intelligat Seraph. Doct. per hæc nomina est in quæstione apud Commentatores: nam Trigos. Coriol. Linconiensis violenter trahentes Seraph. Doct. ad partem Thomistarum, dicunt quòd per subjectum radicale intelligit formale adæquatum, & per integrale, & universale ipsum materiale, idemque intelligit veluti ad mentem Seraph. Doct. Favent. quæ expositio patentissimè est extorta, & contra mentem Seraph. Doct. ut patet legenti textum: non enim littera in Grammatica, est subjectum formale, nec punctus in Geometria, sed oratio significativa, & quantitas continua immobilis: Nec etiam P. Gaudentius satis explicat mentem Seraph. Doct. dum dicit, quòd Deus sub ratione deitatis est subjectum formale, & materiale quod; formale autem sub quo est revelatio sub ratione explicabilis. Dicit igitur S. Doct. quòd subjectum originale est ipse Deus sub ratione principii, & hoc dicitur subjectum materiale originativum, & ut principium, à quo omnia alia derivant: subjectum materiale totale est Christus prout comprehendit divinam, & humanam naturam sive creatam, & increatam, ad quod reducuntur omnia, quæ tractantur in Theologia, quod omnia complectitur vel per compositionem, sive per unionem, sive per ordinem. Subjectum autem formale attributionis, est vel res, vel signum, seu Sacramentum, scilicet res nostræ fidei, & Sacramenta, aliaque signa sacra revelata per fidem; vel clariùs: est omne credibile, ut transit in rationem intelligibilis per rationes, & argumentationem. Sicque & Deus, & Christus, & credibile dicitur subjectum Theologiæ per diversas rationes. His positis sit.

1. Conclusio. Deus qua Deus est, non est subjectum universale, & formale, sed tantùm radicale materialeque: est S. Bon. cit. contra Thomistas, Scotum, Trigosium, Gaudentium, aliosque; qui se profitentur sequaces S. Bon. & probatur, quia de ratione subjecti formalis universalis, & attributionis scientiæ est, ut omnia, quæ in ea, tractantur, reducantur ad ipsum, vel tamquam principia, vel partes, seu species, vel proprietates sub eadem ratione formali; sed plurima, tractantur in Theologia, quæ nullo ex his modis reducuntur ad Deum sub ratione deitatis: ergo. Prob. minor (nam major est certa) quia in Theologia tractatur de homine, de quo demonstrantur passiones, & attributa propria; sic de Angelis demonstrantur motus locales, locutiones, aliaque hujusmodi, quæ non reducuntur ad Deum sub ratione deitatis, nec ut species, nec ut partes, nec ut proprietates, sed tantùm sub ratione principii, ergo vera nostra Conclusio. 20

Respondent adversarii reduci ista omnia ad Deum, ut effectus ipsius, & ob id veluti ipsius proprietates.

Contra 1. ergo etiam corpus naturale spectabit ad hoc subjectum, sicque tollitur omnis ratio aliarum scientiarum. Contra 2. quia de ipsis rebus apposité & secundùm se, nón prout sunt effectus Dei agitur. Respondet Vasquez reduci ad Deum accidentaliter: contra ergo etiam Metaphisica, Phisica, & aliæ scientiæ ad Theologiam spectabunt. Contra 3. si ut effectus considerantur, ergo ad ipsum Deum sub ratione principii spectabunt; sed hæc non est ratio formalis subjecti Theologiæ ergo.

Obiic. 1. Deus continet virtualiter omnia, quæ tractantur in Theologia ergo. Resp. 1. neg. antecedens, non enim continet peccatum, de quo est præcipua consideratio: Resp. 2. continere omnia ut principium, non ut subjectum universale, & formale: obiic. 2. Theologia est sermo de Deo ergo. Resp. dici talem ratione principalitatis.

2. Conclusio. Christus est subjectum materiale adæquatum, seu continentiæ Theologiæ. est S. Bon. cit. Nota autem quòd subdit Seraph. Doct. hæc verba: subjectum, ad quod omnia, quæ tractantur in Theologia, reducuntur ut ad totum integrum, est Christus, prout comprehendit divinam, & humanam naturam, sive creatam, sive increatam, (de quibus sunt duo primi libri) & caput, & membra, (de quibus sunt duo sequentes:) & accipio hic largè totum integrum, quod multa complectitur non solùm per compositionem, sed etiam per unionem, & per ordinem: hæc Seraph. Doct. Ideò nomine Christi, vel totius integralis, venit Christus verus Deus, & homo, & mysticus: verus est hypostasis verbi cum natura assumpta: mysticus est collectio Christi fidelium, & unio ipsorum cum ipso ut capite, *ut l. 3. d.* 13. *art.* 2. *qu.* 3. & prout est membris conforme, ipsorum principium, & influxivum sensus, & motuum spiritualium; sicque utroque modo est unum tùm per compositionem humanitatis, tùm per unionem hypostaticam, tùm per unionem moralem cum membris, tùm per ordinem, quia ista plura dependent ab ipso, vel ut à Deo, velut à capite v. l. 3. d. 6. a. 3. quæst. 1. seq. hæc Seraph. Doct. quibus sufficienter probata remanet conclusio, quia continet naturam creatam, & increatam, caput, & membra, & omnia, quæ tractantur in Theologia, & quæ continentur in symbolo, ideóque Apostolus solum Christum sibi præfixerat objectum suæ scientiæ. 21

3. Conclusio.

22 3. concl. Subjectum universale formale, & attributionis Theologiæ est credibile ut intelligibile per rationem, seu scibile, seu credibile Theologicum, ut Theologicum est. Prob. quia totum, quod consideratur in Theologia est id, quod habetur revelatum de fide, prout tamen per rationem, & demonstrationem scitur; & id coincidit cum rebus, vel signis: ubi per signum non intelligit signum grammaticale, vel doctrinale, ut est vox, & scriptura, sed res, quæ sunt symbola aliarum rerum, sivè sint efficientes ut Sacramenta novæ legis, vel figurales ut sunt Sacramenta, & figuræ veteris testamenti, vel significata sacræ Scripturæ; nam ut notat serm. 15. Hexaem. in cæteris scientiis voces tantùm significant rem, ob idque est in eis unicus sensus: hic verò & voces, & res significant, & intelligibiles sunt per rationem: hinc concludimus verbis verè aureis Seraph Doct. *in Brevil. p. 1. cap. 1.* Theologia sola est scientia perfecta, & una, licèt sit de tot, & tam variis, cujus subjectum ut à quo omnia, est Deus; ut per quod omnia, est Christus; ut ad quod omnia, est opus reparationis; ut circa quod omnia, est unicum charitatis vinculum quo cælestia, & terrestria connectuntur; ut de quo omnia in libris Canonicis comprehensa, est credibile; ut de quo omnia in libris expositorum est credibile ut per rationem intelligibile; quod enim credimus debemus auctoritati, quod intelligimus rationi: Ex dictis facillimum est respondere omnibus objectionibus in contrarium:

23 Quarum prima est: Christus non est totum integrale, cum divina, & humana natura non sint partes in unum compositæ: ergo malè dicitur Christus totum integrale, seu continentiæ.

Resp. quòd Christus secundùm humanam naturam est totum phisicum, secundùm utramque verò dicitur totum non per compositionem, sed unionem, ob idque dicitur subjectum continentiæ, ut dictum est. Contra: Propositiones de Christo sunt contingentes, ergo ad rationem scientificam non spectant. Resp. ex Seraph. Doct. *lib. 3. dist. 24. quæst. 1.* quòd licèt de se consideratæ sint contingentes, prout tamen sunt à Deo prævisæ, præordinatæ, & revelatæ sunt æternæ veritatis, nec possunt subesse falsitati, vel errori: ratio est, quia earum cognitio non pendet ab ipso objecto in proprio genere, sicut sunt scientiæ inferiores, sed à lumine fidei, per quod ad hæc cognoscenda illuminatur intellectus, quod lumen certum est, & immutabile: nam ut notat idem Seraph. Doct. *ibid. quæst. 3. & dist. 35. dub. 1.* Fides quoad essentiam respicit complexum propositionis. V.G. Christum, & Incarnationem, non concernendo ullam temporis differentiam, sed indifferentiam ad omne tempus, quia ut sic talis articulus dicit summam veritatem divinam, licèt quoad modum, seu explicationem subsit variationi temporis; undè Christi Incarnatio futura antiquitùs, & nunc facta eumdem articulum immutabilem fidei concernit.

Obiic. 2. Si Christus est subjectum continentiæ sequitur, quòd tractatur de Patre, & Spiritu sancto in tali subjecto non contineatur, vel quòd Christus sit prior Patre, si ad ipsum reducitur. Resp. neg sequelam; nam ad hoc, ut aliquid sit subjectum continentiæ, sufficit, ut ad ipsum reducatur vel ratione principii, vel ratione unionis, vel identitatis, vel ordinis, sicut est Pater, & Spiritus sanctus, ille quidem ad Christum, ut ad Filium iste, ut ad spiratorem, tùm & ratione divinitatis, quam ut fons omnium notionalium continet Christus.

Obiic. 3. Res, & signa spectant ad alias scientias, scilicet vel ad Grammaticam, vel Phisicam, & ut crassius obiicit Faber num. 14. etiam ad medicinam, & statuariam, &c. ergo non possunt constitui pro subjecto Theologiæ. Resp. res, & signa non ut sic, sed ut revelata, & ob id ut credibilia, prout eis additur intelligibilitas per rationem sunt subjectum Theologiæ. Sic negatur sequela.

Q. An intelligibilitas credibilium per rationem sit ad probandam veritatem fidei? Ratio dubitandi est, quia fides non potest probari nisi per auctoritatem divinam, non per rationes naturales. Resp. quòd Theologia non est ad probandam veritatem articulorum fidei, quia dependet à prima, & summa veritate Dei revelantis, & ideò articuli fidei sunt veluti dignitates, quæ non habent evidentiam in scientia, in qua supponuntur, sed ex virtute superioris scientiæ, à qua accipiuntur; sic & articuli fidei non sumunt evidentiam ex Theologia nostra, sed ex Theologia Dei: Undè Theologia nostra inservit ad demonstrandam credulitatem eorum, & ad edocendum modum, quo debeant apprehendi in particulari. De hac evidentia credulitatis fidei, & de locis, ex quibus argumenta probativa desumi possunt videatur S. Bon. *serm. 9. Hexaem. & seq.* ubi hæc excellentissimè super omnes ipsa explicat, & tradit.

QUÆSTIO IV.

An Theologia sit scientia speculativa, & an practica: seu an ut boni fiamus?

Seraphicus Doctor videtur cum D. Thoma concordare, cùm videatur asserere Theologiam esse simul speculativam, & practicam, ob idque à PP. Trigos. Coriol. Lingoniensi Capuccinis, & à P. Capulio expositoribus ipsius trahitur ad hanc Thomistarum partem, à quibus parum etiam distat P. Gaudentius unicus totius Theologiæ Seraphicæ commentator; sed pace tantorum virorum immeritò, nam sententia Seraph. Doctor est singularis, ut mox patebit. 24

Prima igitur opinio est Scoti, & asseclarum esse practicam, cùm sit directiva operum voluntatis. 2. Henrici esse speculativam. 3. Nomin. esse modò practicam, modò speculativam secundùm qualitatem conclusionum ipsius, eo quòd negant esse unicum habitum, sed aggregatum plurium materiarum. 4. est D. Thomæ, & sequacium esse eminenter, vel etiam formaliter speculativam, & practicam, sed principalius speculativam.

Seraph. Doct. vult esse speculativam, simulque affectivam; quid verò per affectivam intelligat, mox aperiemus. Pro solutione quæst. 1. Suppon. quod à nobis fusè traditum est in quæst. procem. Logicæ ex Seraph Doct. scientiam practicam esse illam quæ versatur circa praxim: Praxis est operatio alterius potentiæ ab intellectu, præcipueque voluntatis, naturaliter posterior intellectione, nata elici conformiter rectæ rationi; unde verificatur id, quod dixit Aristoteles. Intellectum fieri practicum extensione, scilicet extendendo se extra se ad praxim voluntatis, aliarumque potentiarum dirigibilium, & capacium bonitatis, & malitiæ: hanc doctrinam sumpsit Scotus à Seraph. Doct. qui fusè ipsam explanat *lib. 2. d. 24. p. 1. a. 1. q. 1. ad 1. & q. 3. corp. & d. 39. a. 1. q. 1. & lib. 1. d. 40. a. 1. q. 1. ad 2. & lib. 3. d. 14. a. 3. q. 3. ad 3. & d. 33. a. 1. q. 1. & Comp. Th. 1. c. 47.*

25 Not. 2. ex Seraph. Doct. *lib. 1. quæst. 3. proœm.* quòd habitus scientiarum adinventi sunt ad dirigendum intellectum, ne erret in suis actibus. Potest errare tripliciter: primò in se sistendo, & ad hoc inventæ sunt scientiæ speculativæ. 2. prout extenditur extrà se ad opera voluntatis vel elicita, vel imperata capacia bonitatis, & malitiæ & ad hoc sunt inventæ scientiæ morales, quæ docent modum rectè operandi, & simul procedunt modo operativo. 3. prout extenditur ad affectum tantùm, sic inventa est sapientia, qualis est cognitio Theologica; quæ est habitus medius inter purè speculativum, & practicum, qui complectitur utrumque quia dicit cognitionem, & affectum, ideò dicitur sapida scientia: ut autem hoc intelligatur clariùs adverte cum Nicol. de Nysse *in quæst. proœm. lib. 1.* quòd valdè differunt hæc duo dicta: Notitia est ordinabilis de se ad dirigendum opus, & hoc est proprium scientiæ practicæ: Notitia est ordinabilis ad finem ultimum, scilicet ad sui amorem, & hoc commune est omnibus scientiis etiam speculativis, sed magis proprium Theologiæ, nec hoc transfert scientiam ad rationem practicæ: Et si quæras cur hoc sit proprium Theologiæ? Resp. cum Seraph. Doct. quòd Theologia nostra est cognitio veritatum, quæ inferuntur ex principiis fidei, ideò involvit essentialiter in se fidem; fides autem est assensus intellectus, sed imperatus à voluntate, illuminans primò intellectum ad amplexandam veritatem summam propter se, sed quia etiam tangit voluntatem, & affectum, ideò sicuti imperatus fuit talis assensus à voluntate, sic etiam eamdem voluntatem inclinat ad ultimum finem amandum, nam credere in Deum, est credendo, & cognoscendo ire in Deum per amorem: hoc autem totum præsupponit tanquam proprium principium nostra Theologia; hinc est quòd cum dirigat intellectum in speculatione veritatum illatarum ex talibus principiis propter se, etiam involvit talem inclinationem ad affectum, & amorem in Deum ratione fidei inclusæ in suis principiis: Hæc ex Seraph. Doct. *op. Brevil. in proœm. & lib. 3. dist. 23. art. 1. quæst. 2. in corp. & lib. 1. quæst. 3. proœm. ad finem corp.* Et hinc patet fundamentum, quare Seraph. Doct. in titulo quæstionis non quærit an Theologia sit speculativa, an practica, sed an sit speculativa, & ut boni fiamus, scilicet an non solùm sit speculativa, sed etiam inclinet de sui ratione ad Dei amorem, supponens tamquam certum, Theologiam scholasticam non ordinari ex sua natura ad praxim, hoc enim spectat vel ad scientias morales, vel ad Theologiam mysticam, vel ad virtutes Cardinales. His positis.

26 1. concl. Theologia scholastica non est propriè practica. *Est S. Bon. cit.*

Prob. quia omnis scientia practica est vel de opere, & in opere, vel de opere tantùm. *Ex lib. 3. dist. 14. art. 3. quæst. 3. ad 3.* De opere est scientia moralis, quæ est de operibus pendentibus à libera voluntate: De opere, & in opere est ars Mechanica, quando operatur, sed Theologia non est hujusmodi, ergo major est certa: minor probatur, quia Theologia est scientia, & cognitio conclusionum illatarum ex credibili, sed ratione credibilis amplectitur veritatem propter se, & ratione conclusionis sistit in contemplatione sui objecti, ergo, &c. sed hæc conclusio magis patebit in sequenti.

Respondent neg. min. & ad probationem respondent Scotistæ; Theologiam de se esse ordinativam ad Dei amorem, qui est praxis, estque opus voluntatis, contra, quia sic omnes scientiæ essent practicæ, nam ut docet Arist. ex quacumque speculatione nascitur amor objecti, & delectatio in se cognita; sed quia talis amor provenit ex consequenti, & veluti per accidens, hinc eis non tollitur ratio speculativi.

Prob. 2. Illa est scientia practica, quando ex ipsius deficientia nascitur error non solùm in intellectu, sed & in opere ex ipsius ratione formali; sed deficiente vera Theologia nascitur error ex ipsius ratione formali in intellectu solùm, ut patet in Hæreticis, & in tot opinionibus Theologorum, in quibus multi aberrant, quæ (ut notat P. Gaudentius) si ad trutinam revocarentur, ad nihil inservirent ad praxim, licèt posteà ex consequenti, & per accidens sequantur errores in operibus: ergo Theologia non est practica.

2. concl. Theologia nostra propriissimè est speculativa, potestque dici practica lato modo, & valdè impropriè: Est S. Bon. *quæst. 3. proœm.* qui licèt videatur admittere habitum medium participantem ex utraque ratione, quatenus dicitur etiam sapientia, tamen se explicat, ut notatum est in fundamentis. Prob. autem quia ex Seraph. Doct. Illa est scientia speculativa, quæ de sui ratione sistit in contemplatione sui objecti nec habet se extendere ad opus, sed Theologia est hujusmodi, ergo Prob. minor, & optimè à Patre Gaudentio ex S. Bonav. Theologiæ major pars est in solis abditis, arcanisque veritatibus propter se simpliciter pandendis de Deo, V.G. quòd in intellectu divino, vel memoria generetur filius, quòd ex sola essentiæ cognitione non personarum, vel creaturarum, quòd relationes in divinis dicant, vel non dicant perfectionem, quòd Spiritus sanctus distingueretur, vel non à Filio, si ab ipso non procederet, & innumera alia arcana, quibus implentur volumina, ad praxim de se non dirigentia, ut per se patet, nisi ex accidenti & remotè valdè. Ergo. 27

Obiic. 1. Notitia de Deo est directiva voluntatis, ergo practica. Resp. est directiva de se, nego, ex consequenti transeat, &c.

Obiic. 2. Hæc notitia de se apta est gignere amorem, sed amor est praxis. Ergo. Resp. ex doctrina tradita ex Seraph. Doct. in ultimo fundamento, dicitur notitia de Deo de se generativa amoris, quatenus est doctrinæ fidei, quæ fides attingit intellectum, & voluntatem; & quia Theologia desumit sua principia ex fide, hinc hac ratione dicitur aliquo modo, & valdè impropriè practica, seu potiùs affectiva: sed hæc non est Theologia, de qua hic loquimur, hæc enim est cognitio conclusionum, quæ ex principiis talibus per argumentationem inferuntur ad instruendum intellectum, ne erret in suis speculationibus circa fidem, & magis in iis roboretur, & hoc patet legenti textum Seraph. Doct. *in Brevil. in proœm. & ubi quæst. 3.* Nam dum dicit Theologiam esse, ut boni fiamus, non sumit bonitatem pro objecto, cùm aliud objectum assignaverit supra, sed pro fine, qui est ultimatus finis fidei, scilicet non solùm imbuere intellectum veritatibus de Deo, sed ut boni fiamus, ideóque apponitur talis ratio Theologiæ, quatenus utitur principiis de fide:

Et hinc infertur ulterius, quòd cùm Theologia complectatur principia fidei, & conclusiones indè illatas, dicitur meritò sapientia, quia & sistit in contemplatione sui objecti de se, & ordinatur ad cognitionem, & amorem Dei imprimendum in anima.

Obiic. 3 Principia Theologiæ sunt articuli de fide, & imperari à voluntate; ergo sunt praxis; ergo

ergo si Theologia vi horum principiorum infert suas conclusiones, magis erit praxis?

Resp. esse maximam dissentionem inter Scotistas, an actus intellectus imperati à voluntate, omnes sint praxis? Affirmant alij, alij negant apud Meldul. in Log. Seraph. Doct. respondet *lib. 3. d. 13. art. 1. qu. st. 1.* quòd intellectus sit practicus solùm quando se unit cum voluntate secundùm operationes capaces bonitatis, & malitiæ idque verificatur de actibus secundariis, non de primis, qui sunt speculationis puræ actus, ut est in proposito, undè concluditur, quòd Theologia nostra dicitur impropriè, & ex consequenti solùm, & per accidens practica.

28 *Q. An Theologia sit una specie, an multiplex?* Multi negant, ut nominales, esse unicam, sed volunt esse aggregatum variarum disparatarum conclusionum: Alij ei tribuunt unitatem genericam. S. Bon. *in quæst. . proæm. ad 4. & op. Brevil. p. . cap. 1.* docet esse unicam specie athoma, ex hoc quòd potitus sota unica ratione formali, nempè quia est de credibili, prout est per rationem probabile; & quia omnia ad ipsum ordinantur.

Et hæc de prologomenis Theologiæ: qui vult ampliorem notitiam adeat nostrum doctissimum P. Gaudentium, qui omnia, quæ sunt necessaria tàm ad cognitionem perfectam sacræ Theologiæ, quàm & sacræ Scripturæ fusè, & acutissimè tradit: sic & Vasquez, & Joan. à S. Thoma, quæ omnia brevitatis causa, & ne actum agamus, omittimus:

Appendix ad studentes Capucinos.

29 SEraphicus Doctor videns multos scholasticos Religiosos in studiis totaliter occupatos, simulque errabundos, & declinantes à studio virtutum, tantam infidelitatem maximo sui animæ dolore in prol. suæ Theologiæ mysticè deplorat verbis Hieremiæ: *Viæ Sion lugent, eo quod non sint, qui veniant ad solemnitatem:* subdens licèt Hieremias Propheta dixerit hoc verbum, captivitatem populi sui deplorans; tamen hoc poterit speculator quisque intelligens exclamare tantam captivitatem animarum, tantam declinationem à semitis justitiæ, & viis æquitatis in mundo universo discernens. Viæ enim dicuntur amantium desideria animarum, quibus ad Deum, & ad supernam civitatem Jerusalem super omnem rationem, & intellectum etiam in terreno corpore habitantes animæ sublevantur; quæ viæ etiam lugere dicuntur eo quòd non sit, qui ad tantam solemnitatem aspiciat, eo quòd abjecta vera sapientia tam Clerus, quàm populus mondanis deliciis, vel inutilibus curiositatibus se immergat, sed quod multò magis est dolendum, & cordis lachrymis incessabiliter lamentandum, quòd multi Religiosi, multi etiam viri famosi reputati, veluti quondam populus Israeliticus relicto cultu Creatoris sui manufactis Idolis servierunt, sic relicta vera sapientia, qua Deus solus perfectè colitur interius, & à solis amantibus adoratur, diversis scientiis, & fabricationibus multiplicium argumentorum inventiviis, quasi quibusdam Idolis miserabiliter impleverunt; in quibus sic absorbentur Diabolo instigante, & sic mens ipsorum in istis totaliter possidetur, ut vera sapientia locum in eis non inveniat. Nam hac pessima occupatione, quam Deus dedit filiis hominum, infæliciter occupantur ita ut non sit spiraculum, quo suum Creatorem anima per flammigeras amoris affectiones contingat: non enim ad hoc animam creaverat, ut contra suam generositatem multitudine quaternorum ovinarum pellium repleretur, sed ad hoc, ut sedes esset sapientiæ, & in ipsa Rex pacificus civitatis supernæ, scilicet Deus altissimus, resideret: Igitur relicta humana sapientia, curiositate scientiæ inutilis, argumentationum, & opinionum capturis, Religiosa anima per amoris ascensionem ad fontem omnium desideriorum ascendat, in quo solo reperiat veritatem: Triplex igitur via ista ad Deum est, scilicet purgativa, qua mens ad discendam veram sapientiam disponitur: secunda illuminativa dicitur, qua mens cogitando ad amoris inflammationem accedit: tertia unitiva, qua mens super omnem intellectum, rationem, & intelligentiam à solo Deo sursum actu dirigitur. Hæc Seraph. Doct.

Ad vos igitur dilectissimi Patres, fratresque diriguntur hæc Seraphica monita, & ut vos à scholastica ad mysticam Theologiam, imò ipsum scholasticum studium ad mysticum transferatis, & convertatis, ego minimus vester servulus parans hunc cursum quadriennalem Theologiæ sacræ, hæc paucula vobis præ desiderio salutis vestræ, & profectus ad bonum Ecclesiæ, & salutem animarum subjungo, quod & pro viribus meis semper agam in quocumque tractatu: Audistis Theologiam esse sermonem de Deo; hinc addiscere debetis vos, qui inter Theologiæ professores adnumerati estis, quales sermones à vobis exigat Seraph. P. S. Franciscus in vestris conversationibus, ut de vobis enuntietur; ubi fuerint duo, vel tres congregati in nómine meo, in medio eorum sum.

Audistis, quòd Theologia hæc sit Ecclesiæ necessaria, ut ipsam non ad inanem gloriam, aut curiositatem, vel aliquid simile, sed tantùm ad ædificationem vestram, & proximi curetis addiscere, ut Deo placeatis, ut Deum magis cognoscendo ardentiùs diligatis, & ferventiùs illi serviatis, ut idonei ministri Evangelii fiatis, & ut animas Christi sanguine redemptas, præcipere rudiores, & magis doctrinæ indigas ad Deum per bonam vitam, & sanctam institutionem ire compellatis, alias in malum omen vestri verificabitur quod dicit S. Job cap. 20. *Panis ejus vertetur in fel aspidum intrinsecus.*

Audistis, quòd Theologiæ scientia habet pro objecto Deum ut originale principium, & Christum Deum, & hominem, credibileque rationibus probabile Ex hoc addiscatis modum, quo perfecti Theologi evadere possitis; nempè Deum, & Dominum nostrum Jesum Christum præ oculis mentis ut unicum objectum vestris actionibus præfigaris; nam ut dicitur *in lib. Eccle. & Ecclesiast.* Oculi sapientis in capite, oculi stultorum in finibus terræ; qui enim veram sapientiam vult acquirere Deum semper antè oculos habeat; & quia intentio est actus voluntatis dirigentis seipsam, & actus suos in finem ultimum, per consequens etiam à charitate, & amore imperatur; hinc sicut in hac scientia Theologiæ pro fundamento stabilitur ejus objectum, sic & hæc intentio in Deum recognoscitur fundamentum totius vitæ spiritualis, & meriti operationum nostrarum; De qua materia videte quæ tradit Seraph. Doct. *in op. de septem itiner. æternit. in itinere primo per totum: & in op. de sex alis Cherub.* Sic enim securè, & cum profectu studium hujus sacræ doctrinæ perficietis.

DISPUTATIO II.

QUIA principalis intentio hujus sacræ doctrinæ est tradere notitiam sufficientem de Deo, prout necesse est ad salutem pro statu viæ; Deus autem non solùm potest considerari secundùm se, sed etiam prout est rerum principium, & exemplar, effectivum in creatione, reparativum in redemptione, reformativum in justificatione, & perfectivum in retributione; hinc ad hujus doctrinæ expositionem intendentes; primò tractabimus de Deo secundùm se, postea in ordine ad creaturas. Consideratio autem de Deo secundùm se erit bipartita, scilicet prout est unus, & postea prout est Trinus: In qua primo loco sese nobis offert, ejus essentia, & existentia.

QUÆSTIO I.

De Dei essentia, & existentia. S. Bon. l. 1. dist. 8. quæst. 1. seq.

30 NOta, quòd quæstio de hac materia proponitur à Seraph Doct. sub hoc titulo: An veritas sit proprietas divini esse, & ita quòd non possit cogitari non esse: Ab aliis autem tali pacto: An existentia sit de essentia Dei, & an sit solius Dei, & an esse Dei sit simpliciter necessarium, ita quòd hæc propositio Deus est, sit per se nota, cui consequitur alia; An Deum esse sit demonstrabile: Quæ materia licèt ab aliis in plures quæstiones dividatur, nos tamen in hac unica quæstione omnia resolvemus majoris brevitatis causa:

Igitur in hac quæst. Aliqui Scotistæ sustinent existentiam esse modum intrinsecum Dei, non verò prædicatum quidditativum Dei. Sic Tromb. Pontian. apud Meldul. *d. 2. num. 1.*

Communis ferè omnium opinio est, quòd sit prædicatum Dei quidditativum: sic S. Bon. cit. D. Thomas. Pro solutione quæstionis, & intelligentia textus Seraphici.

Not. 1. quòd in titulo quæstionis an veritas sit proprietas divini esse, Seraph. Doct. non accipit veritatem prout residet formaliter in intellectu causata ab ipso objecto; nec etiam pro ipsa re prout est objectum intellectus, quem excitat, & informat, sed in ordine ad ipsam rem, cujus est actus, & propriè dicitur indivisio entis, & esse, quæ à D. August. definitur. Veritas est id, quod est, sic enim convertitur cum ente. Rursus hæc veritas potest sumi prout distinguitur contra falsitatem, vel prout distinguitur contra permixtionem, & impuritatem: primò modo communis est cuicumque enti vero, sivè creato, sivè increato, quia longè est à falsitate, quæ est privatio indivisionis, imitationis, & expressionis; falsum enim est quod non est actu perfectè talis naturæ; sicuti est aurum in potentia glebæ, nec item imitatur suum principium, scilicet idæam in mente divina, nec item exprimit verè se intellectui excitando ipsum ad verum assensum, verum autem quodcumque caret his tribus imperfectionibus falsitatis: secundò modo prout distinguitur contra permixtionem, & impuritatem, verum in nulla creatura est, sed in solo Deo, in quo solo nulla est diversitas, in ipso solo est imitatio, & similitudo pura, & expressio summæ veritatis non permixta alicui dissimilitudini sicut est in omni creatura, in qua est quidem indivisio entis, & esse, sed cum diversitate actus, & potentiæ, & imitatio primæ veritatis, sed cum dissimilitudine permixta, scilicet cum participatione, mutabilitate, & transmutabilitate; undè nomine veritatis hìc in titulo venit existentia Dei in ordine ad essentiam. Sic Seraph. Doct. quæst. cit. & in Eccle. procem. Notandum etiam, quòd nomine proprietatis non sumitur passio emanans ab essentia, sed prout dicitur aliquid de quidditate rei, ut sumitur apud Arist. *1. top. & Porph. c. de proprio.*

Not. 2. quòd cùm Seraph. Doct. quæst. 2. proponat quæstionem an divinum esse sit adeò verum, quòd non possit cogitari non esse, idem est, quod alii Theologi quærunt an propositio hæc, Deus est, sit propositio per se nota, in qua Thomistæ dicunt, quòd secundùm se est per se nota, non quoad nos, & ad hanc trahitur, licèt violenter S. Bon. à P. Trigosio, & Lingoniensi. 31

Oppositum enim Seraph. Doct. sentit, quem & secutus est Scotus cum plurimis aliis Doct. docet enim illam propositionem esse per se notam, quæ aprehenditur statim ex perceptione terminorum, talisque est evidens, licèt inevidens fiat intellectui excæcato, & ideò hæc propositio, Deus est, non potest negari cum dissensu, nisi ob ignorantiam, & insipientiam, in quam Athæistæ incidunt; undè propositio per se nota est illa, in qua causa prædicati clauditur in ratione subjecti, & ob id perceptis terminis statim intellectus assentitur illi veritati significatæ. Idem cum proportione dicitur de propositionibus de fide, quibus intellectus imbutus lumine supernaturali perceptis terminis statim sine hæsitatione formali eis assentitur, undè æquivalent propositionibus per se notis. *Sic Seraph. Doctor in quæst. 2. cit. & l. 1. dist. 39. art. 1. quæst. 2. & lib. 3. dist. 23. dub. 1. & lib. 3. d. 23. supra cit. in quæst. 2. procem.* His positis.

1. conclusio. Existentia est de conceptu quidditativo Dei, vel quod est idem, verum est de conceptu quidditativo Dei, prout contra distinguitur ab impuro, & potentialitate, & dissimilitudine, est S. Bon. & communis, ut notat P. Gaudentius. Et probatur tùm auctoritate ex Exodo *cap. 3.* Vbi Deus se nominat per *Ego sum, qui sum*; ergo esse est hoc, quod primò obiicitur intellectui divino, & per nomen significatur; tùm quia per hoc differt verum, & esse increatum à creato, quod illud est tale per essentiam, & purissimum ab omni permixtione possibilitatis ad non esse, & falsitatis, ad ens creatum est tale per 32

participa

participationem, ob idque cum distinctione inter actum, & potentiam, & cum possibilitate ad non esse, & cum vanitate; ergo: Tùm quia is, qui est suum esse existit per essentiam, & habet essentiale ipsum existere: talis est Deus; ergo: Tùm quia si existentia distingueretur formaliter ab essentia, resultaret ab ea ut potentia ad actum, & se haberet ut imperfectum ad perfectum, nam principium constitutivum alterius esse debet perfectum actu, potentia dicit imperfectum, at potentialitas talis abest à Deo; si enim præscindas à Deo ipsum esse, erit Dei essentia in potentia objectiva ad esse saltem in illo primo signo, atque ideò non actus, & imperfecta; ergo: Sic arguit pluribus rationibus Seraph. Doct. *in quæst. cit. & serm.* 10. *Hexaem. l.* 1. *dist.* 2. *dub.* 4. *& in sap. ad cap.* 13.

Objic. 1. Verum, & ens convertuntur, sed entitas est etiam in creatura, ergo, non est de quidditate Dei. Resp. quòd antecedens est verum de veritate, & existentia prout opponitur tantùm falsitati, & potentialitati puræ: falsum de veritate, & existentia prout dicit omnimodam impermixtionem à potentialitate, diversitate, ut est in Deo.

Contra insurgunt aliqui Scotistæ. Essentia, & existentia habent diversos conceptus formalissimos, ergo nec se formaliter includunt, ita ut unum sit de ratione quidditativa alterius, ergo nec in Deo; cum id petat earum ratio formalis.

Resp. S. Bon. hìc *ad* 4. *& lib.* 1. *dist.* 3. *p.* 1. *dub.* 7. quòd essentia, & existentia possunt sumi secundùm communissimas rationes; possunt & sumi secundùm peculiares, ut dicitur sensus, & sensus hominis: primo modo essentia sumitur in abstracto, sicut & existentia, sicque dicunt diversas rationes de se: secundo modo ut contractæ ad Deum, & creaturas; vel idem sunt, vel diversæ secundùm quod exigunt peculiares rationes: in Deo sese includunt ratione infinitatis essentiæ, impermixtionisque à potentialitate, à dissimilitudine, & diversitate; non sic in creaturis, in quibus fit prædicatio in secundo modo dicendi per se; in Deo autem in primo modo.

Contra iterum instant: si existentia est de quidditativo conceptu Dei, æquè poterit dici, existentia est de conceptu quidditativo Dei; iterùm per conversionem essentia est proprietas quidditativa Dei; quod est falsum. Resp. S. Bon. *quæst.* 1. *cit.* neg. consequentiam, ratio est, quia sicut de ratione proprietatis est quòd convenit soli, quòd sit ratio innotescendi essentiam (in creatis autem ratione imperfectionis est etiam ratio differens ab essentia, non sic in Deo.) Sic etiam veritas in Deo summa, & prima cõvenit soli essentiæ estq. ratio innotescendi, & licèt in Deo sint unum, & idem formaliter, tamen ista nomina entitas, & veritas, subjectum, & proprietas desumpta à creaturis, & translata ad Deum retinent modum significandi, & modum intelligendi, quia per essentiam creaturarum intelligimus & significamus essentiam Dei, & per veritatem creatam intelligimus, & significamus veritatem increatam. Et ob hanc rationem non potest fieri ista conversio prædicationum in Deo.

33 *Q. quale discrimen sit inter esse Dei, & creaturarum?* Resp. ex Seraph. Doct. hìc in dubiis: primò quòd creatura habet esse post non esse, & à Deo, & ita ex nihilo, & possibile ad non esse, & sic per modum accidentis; at esse Dei est ex se & ab æterno est independens, incommutabile, & verum, & simplex habens indistinctionem perfectissimam entis, & esse, actus, & potentiæ sine possibilitate ad non esse, immune à præterito, & futuro absque varietate, & successione. Ideò (ait Seraph. Doct.) esse nostrum comparatum ad divinum est veluti accidens; nempè sicut accidens non in se, sed in sua causa, & subjecto sustentatur; sic esse creatum sustentatur in prima causa omnia causante, & continente verbo virtutis suæ; & sicut accidens à subjecto trahit ortum, sic nostrum esse à Deo, & sicut potest adesse, & abesse, sic nostrum esse; & sicut accidentis essentia non est quidditas ipsa subjecti, sed facit compositionem cum ea, sic esse creatum differt à natura ipsum contrahente; & hinc in esse creaturæ triplex imperfectio: prima, quòd non est aliquid per se subsistens, imò est actus subsistentis, sed in Deo suum esse est ipse Deus, subsistens: secunda esse creaturæ est ab alio acquisitum, habetque potentialitatem, mutabilitatem, & dependentiam; sed in Deo è contra, ut dictum est: tertia esse creaturæ differt à sua quidditate, undè per esse suum homo non ponitur in genere humano, sed per suam quidditatem; esse verò divinum est sua quidditas.

2. concl. Hæc propositio, Deus est, est per se nota; *est S. Bon. hic quæst.* 2, & ferè communis; & probatur, quia nullum habet medium, per quod probetur connexio inter subjectum & prædicatum, clauditur enim ratio prædicati in ratione subjecti, cum esse, & existere sit de ratione quidditativa Dei. Alias rationes vide apud Seraph. Doct. sed superadducta est potissima, & magis propria. 34

Ex quibus sequitur, quòd nullus intellectus, nisi cæcus, vel ignorans potest negare, quòd Deus non sit, imò nec cogitare: Addit autem Seraph. Doct. quòd pro statu isto nobis non innotescit ratio, & existentia Dei, nisi respectu existentiæ, & an sit, non verò respectu quidditatis, quid sit; in hac enim potest errare intellectus noster, ratio autem hujus discriminis est, quia in intellectu nostro adest lumen innatum, cujus vi, apprehensis terminis, habetur cognitio existentiæ Dei; cognitio verò quidditativa solùm lumine claro, & intuitivo potest haberi, licèt finito modo, hinc est, quòd numquam fuit natio tam effera, quæ non recognoverit Deum esse, licèt posteà defecerit in cognitione circa quid est, adorans Idolum pro Deo.

3. concl. Quæ ex traditis consequitur; Deum esse est demonstrabile per rationem naturalem, non à priori, sed à posteriori: *Est S. Bon. dist.* 18. *art.* 1. *quæst.* 1. *& 2. aliisque pluribus locis*, est communis ferè omnium PP. 35

1. Pars probatur à Seraph. Doct. quia si posset à priori demonstrari hoc esset probandum ab essentia, sed quidditas Dei non potest à nobis percipi in sua ratione absoluta, sed solùm in relatione ad creaturas, & à posteriori, ergo; tùm quia quæstio si est, est anterior quæstioni quid est, ergo non potest existentia per essentiam probari.

Prob. 2. pars tùm ex *sap. cap.* 13. *A magnitudine speciei, & creaturæ cognoscibiliter poterit horum creator videri*, de quo textu vide S. Bon. *ibid.* & communiter SS. Patres. Probatur autem existentia Dei, tùm ex motu reducibili in unum primum movens immotum; tùm ab effectibus reducibilibus in unam primam causam non ab alio causatam; tùm ex multitudine tot rerum creatarum reducibili in unum ens primum; tùm ex mundi pulchritudine, & ordine pulcherrimo; tùm ex mediis ad salutem, ex præmio virtutum; & pœna vitiorum; *de quibus vide S. Bonav. in itiner. ment. cap.* 3. *seq. ad* 5. *op. Principium sacræ Scripturæ, & lib.* 1. *dist.* 3. *in dubiis, & op. Brevil. p.* 1. *cap.* 2. *ser.* 10. *Hexaem. lib.* 2. *dist.* 19. *quæst.* 1. *op. Comp. Theol. lib.* 1. *cap.* 1.

& P. Gaudentius fusè, & doctè ex Seraph. probat hanc conclusionem.

Dices 1. Idololatra dicit idolum est Deus, sed idolum nihil est, ergo nihil esse, vel non esse Deum cogitat. Resp. Idololatram deficere in quæstione quid sit, non verò, an sit, imò supponit Deum existere, obidque adorat idolum tamquam Deum, & quia nescit quid sit, ideò errat.

Dices 2. Ex fide cognoscimus existentiam Dei, ergo hæc cognitio est inevidens, ergo evidentia demonstrationis non potest simul inesse in cognitione talis existentiæ. Resp. neg vltimam consequentiam, non enim repugnat cognitio evidens, & inevidens de eodem subjecto per diversa media, & traditur in materia de fide.

QVÆSTIO II.

De quidditate Dei. *Quid sit Deus, & quanam sit ratio constitutiva Dei.*

36 NOt. 1. quòd licèt intellectus noster deficiat in cognitione quidditatis Dei, cum non adsit ulla proportio, vel æquiparantia inter objectum & potentiam, quod notat Seraph. Doct. *lib. 1. d. 3. p. 1. in dubiis, & quæst. 1. & d. 8. p. 1. a. 1. quæst. 2.* non per hoc tamen prohibemur, imò necesse est aliquo modo inter hujus vitæ umbras scrutari ejus quidditatem, & essentiam, ut ejus perfectiones venerari, aliisque explicare valeamus.

Not. 2. ex Seraph. Doct cit. & d. 22. quæst. 3. aliisque PP. tribus modis investigari posse divinæ essentiæ quidditatem. primo per negationem, de qua ait S. Dion. negationes de Deo sunt veræ, affirmationes sunt incompactæ, seu inconvenientes, quia non satis modum significandi Deum habent; quod cum sit verum, ut notat etiam Seraph. Doct. *Comp. Theol. lib. 1. cap. 18.* tamen etiam modus negativus est nimis latus, cum per ipsum tantùm confusè indicetur modus positivus, qui infertur ex tali negatione; v. g. Deus non est corpus, non est spiritus, non est potens, non est sapiens, nempè sicut nos sumus: 2. per relationem ad creaturas, ut dum dicitur primus motor, prima causa, ex quibus necessitatem essendi Dei colligimus, de quo modo agit pluries S. Bon. *tùm d. 18. cit. tùm in op. Principium, aliisque locis:* 3. per excellentiam, qua Deum super omnia entia pulcherrimum, & perfectissimum cognoscimus, & hic modus est optimus, quo sæpè utitur Seraph. Doct. præcipuè *in Brevil. p. 1. ser. ij. Hexaem. & op. Principium &c. op. Comp. Theol. lib. 1. cap. 21.*

Not. 3. Quòd est in quæstione apud Theol. quænam sit ratio constitutiva divinæ essentiæ: in qua Suar. aliique recentiores volunt esse actualem intellectionem Dei, ex eo quòd hæc est ex vi sua formali communicatio naturæ, per generationem, quod non habet ex sua ratione spiratio: Alii cum Vasquez volunt esse substantiam à se, vel secundùm se: alii volunt esse substantiam à se existentis intellectualis; alii volunt esse prout est radix intellectionis; vel secundùm alios prout est infinita; vel secundùm alios prout est principium substantialium perfectionum; de quibus noster P. Gaudentius *d. 2. quæst. 3. & Seraph. Doct. l. 1. d. 5. a. 1. quæst. 1. & a. 2. quæst. 1. & d. 9. quæst. 1. & d. 10. quæst. 1. seq.* His positis.

1. Concl. esse Dei includit totam ejus quidditatem; sic S. Bon. *ser. ji. Hexaem. aliisque locis cit.* Probatur ex ipsius nomine ego sum qui sum; & qui est, per quod omnis potentialitas ab eo excluditur, actusque purissimus enuntiatur, ob idque saltem implicitè ejus esse involvit esse perfectissimum Dei: cum autem ejus quidditas sit nobis ignota, satis secundùm statum viæ per esse actum purum explicatur.

2. Concl. Quidditas Dei explicatur nobis sufficienter per tres modos supradictos, sed præcipuè per excellentiam: Probatur autem à Seraph. Doct. *in Comp. lib. 1. cap. 21. tali discursu.* Divinæ dignitatis excellentia tanta est, quòd mens de Deo cogitans deficit, cum sit incomprehensibilis; sensus eum non percipit, cum sit invisibilis: lingua ipsum non explicat, cum sit ineffabilis: locus eum non capit, cum sit incircumscriptibilis: scriptura eum non explicat, cum sit inæstimabilis: tempus eum non mensurat, cum sit immensurabilis: virtus eum non attingit, cum sit inaccessibilis: desideria, & vota transgreditur, cum sit insuperabilis, vel incomparabilis: & breviter omnis creatura ad Deum comparata defectum habet. quia finiti ad infinitum nulla est proportio. Sunt & alia multa, quæ soli divinæ majestati conveniunt, & nulli alii creaturæ, in quibus excellentiæ suæ dignitas apparet, sicut est esse omnipotentem, omnibonum, omniscientem. Item ad ipsum solum pertinet esse ubique præsentem, de nihilo res creare, in instanti operari, in operatione quietum esse, mirabilia facere ex auctoritate, de qualibet creatura facere quod vult: creaturarum perfectiones finitas in se infinito modo, & eminentiori continere; ergo optimè pro statu isto infertur Dei quidditas & negativo modo, & per relationem ad creaturas, & per prædicationem excellentiarum infinitarum. Ex quibus sequitur, quòd nihil dignè, vel propriè de Deo dicitur ob ejus excellentiam, & ob id est indefinibilis à nobis, sed tantùm per circumlocutionem, unde Bernardus ait, quid est Deus? ex quo omnia, per quem omnia, & in quo omnia. quid est Deus? quo nihil melius cogitari potest: quid est Deus? voluntas omnipotens, benevolentissima virtus, lumen æternum, incommutabilis ratio, summa beatitudo, invisibilis inaccessibilis in se, in suis spectabilis, & solus mirabilis. *Vide S. Bon. Comp. lib. 1. c. 14.*

3. Concl. intellectio actualis sola non est ratio constitutiva Dei: nec ipse intellectus solus, nec sola substantia à se; sed est eadem substantia à se intellectiva, & volitiva: *sic S. Bon. lib. 1. d. 5. a. 1. q. 1. & a. 1. q. 1. aliis loc. cit.*

Probatur prima pars ex Seraph Doct. *lib. 1. d. 2. quæst. 1.* quia intellectio actualis supponit virtutem, virtus autem substantiam; ergo intellectio actualis non est prima ratio constitutiva Dei, tum quia omnis intellectio supponit suum objectum, ergo si intellectio est ipsa deitas, etiam antè deitatem supponitur objectum intellectionis.

Probatur 2. pars; quia intellectu gignitur verbum, non spiritus sanctus, sed spiritus sanctus producitur voluntate fæcunda, & deitate essentialiter constituitur Deus, & tertia persona, ergo vera nostra conclusio, quòd Deus constituitur per substantiam, à se intellectivam, & volitivam.

Applicatio mystica.

Quia multis persuasum est, ea quæ hic traduntur, solùm ad scholas & scholasticas pertinere disputationes, quodque est error maximus, nam inter omnes Theologiæ partes nulla præstantior, nulla dignior, nulla fructuosior; homini enim, si 37

quis

quis ea probè noverint, super omnes non solùm maximam consolationem affert, sed etiam summam perfectionem, & sanctimoniam conciliare potest, & hoc ex attentissima rerum divinarum consideratione in Deum mentem elevando, Deum admirando, venerando, timendo, amando, & jugiter laudando, ac benedicendo, & semper in ejus conspectu ambulando, vitam, ac mores ad ejus beneplacitum, nutumque perfectissimè componendo. Hic est proprius Theologiæ scopus, & finis, ait Seraph. Doct. *in proœm. Comp. Theol.*

Ex hac igitur disputatione, in qua de esse Dei sermo factus est, materia amplissima meditationis exhibetur conferenti omnia alia esse cum esse Dei: si enim consideremus, quænam sint, quæ die, noctuque occupant mentes, & manus mundanorum, nullum esse nisi imaginarium inveniemus ipsa habere, quid enim aliud sunt honores, dignitates, laudes, fama, nisi fumus, & mera opinio? quid divitiæ, & omnia sensibilia sensibus corporeis objecta, nisi veluti quædam accidentia, scilicet corruptibilia, quæ modò adsunt, modò absunt? quid scientiæ, mundanæ, earumque fundamenta, & principia, etiam universalia, quæ solùm vento, & rumore replent cor hominis? ô filii hominum ut quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium? Ergo ex hoc discamus omnia ista pertransire, & ad Deum consurgere, in quo inveniemus esse æternum sine principio, & fine; esse infinitum indeficiens, sibi, & nobis solùm sufficiens; esse immensum, quod replet omnia, & tribuit esse cuique habenti, & in quo vivimus, movemur, & sumus: ad hoc esse infinitum assurgamus, in ipso quiescamus, cætera omnia contemnendo.

DISPVTATIO III.

De Dei simplicitate, infinitate, immutabilitate, æternitate, & immensitate.

COgnito de Deo, an sit, & prout imbecillitas nostra exigit, quid sit: Nunc quærendum quomodo, & qualis sit; & hinc ad considerationem perfectionum Dei, quæ communi vocabulo appellantur attributa, eo quòd sunt perfectiones, quas reperimus in creaturis cum imperfectione, tribuimus, & recognoscimus in Deo sine imperfectione; & quia aliqua ex eis concipimus adinstar qualitatum essentiæ absolutarum, vel modorum intrinsecorum essentiæ, eaque nomine negativo exprimimus, uti sunt simplicitas, seu incompossibilitas, infinitas, immutabilitas, æternitas, immensitas: alia sunt, quæ dicunt ordinem ad creaturas; hinc in hac disputatione, per plures quæstiones agemus de primis negativis, & in sequentibus de aliis; & quia simplicitas est primus modus unitatis divinæ, ideò post expensionem unitatis, sermo erit de simplicitate divina.

QVÆSTIO I.

An Deus sit unus. S. Bon. l. 1. d. 2. a. 1. quæst. 1. & d. 24. quæst. 1.

38 QUia ad simplicitatem requiritur unitas, hinc pro elucidanda simplicitate Dei in sequenti quæstione, anteponitur hæc quæstio de unitate non specifica, vel generica, sed numerali; An Deus sit unus, non quæ sit principium numeri, ut in creatis, sed prout convertitur cum ente: suppon. autem, ut fusè probavimus in tract. formalit. in Logica, unitatem de se dicere quid positivum, licèt explicetur per negationem divisionis: & hinc.

Unica Concl. Deus est ita unus, ut plures Deos esse non solùm sit impossibile sed nec intelligibile, rectè intellecto hoc nomine Deus. Est contra gentiles adorantes plures Deos, aliosque hæreticos recognoscentes plura principia rerum.

Probatur autem multis sacræ scripturæ testimoniis à Seraph. Doct. allatis *in Comp. Theol. lib. 1. cap. 2.* ut ex Deut. *cap.* 32. Videte quòd ego sum solus, ut non sit alius Deus præter me: & Ephes. c. 4. Unus Deus, & una fides & symb. Athan. Hæc est fides catholica, ut unum Deum in Trinitate, & Trinitatem in unitate veneremur.

Prob. 1. rationibus; & primò ex simplicitate, de qua in sequenti quæstione. Deus est simplicissimus, si ergo sunt plures Dii, aut omninò conveniunt, aut differunt. Si primum ergo erit unus, non plures. Si secundum, ergo, si differunt omninò, unus erit Deus, alter non; si verò partim conveniunt, & partim disconveniunt, tunc dabitur in Deo compositio, sicque tolletur simplicitas in Deo. Probatur 2. Deus est omnipotens, ergo potest facere, quòd omnis potentia alia à sua, nihil possit; sed si sunt duo Dii diversi in natura, unus poterit facere de altero, quòd nihil possit, sicque non erit Deus, cum potentia possit ei auferri: Prob. 3. Deus est simpliciter summus ergo omnia alia sunt infra ipsum, ergo omnia alia ab ipso dependent, & ad ipsum ut ultimum finem referuntur; si ergo sunt plures Dii, unus erit infra alterum, & è converso, unus erit ad alterum, & è converso, ergo nullus ex eis erit Deus: Prob. 4. per deductionem ad impossibile ex immensitate, si duo Dii, ergo vel unus est ubi est alius, aut non; si primum, ergo unus in altero est, cum sint eodem modo essendi, ergo unus est alteri materialis, scilicet unus alterum poterit penetrare, alter penetrari, sicque materialiter se habere, sicque non erit Deus. Si secundum, ergo alter est circumscriptus, vel uterque limitatus, ergo neuter immensus, & infinitus. Prob. 5. ex intellectione: si sunt duo Dii, vel unus comprehendit alterum, vel non. Si non, ergo sunt finitæ sapientiæ, vel ignorantes; si sic, aut comprehendit per præsentiam, aut per speciem, aut per seipsum,

si

si per præsentiam, ergo unus alteri illabitur, cumque perficit; si per speciem, ergo compositius; si per seipsum, ergo unus est alterius exemplar, ergo & principium, ergo & quid diversum: Prob.6. ex dilectione, si sunt duo Dii, ergo vel unus alterum diligit ut diligendus est, eoque fruitur, vel non; si primum ergo ille, quo fruitur est summum bonum, & Deus, & ille, qui fruitur non est summum bonum, nec ultimus finis, ob idque nec Deus; si non; ergo neuter est summum bonum: Alias rationes demonstrativas affert Seraph. Doct. tùm loc. cit. tùm in Brevil. tùm in ser. 11. Hexaem.

Obiic. 1. Deus plus potest facere, quàm nos intelligere, sed intelligit homo plures Deos, ut patet in gentilibus, ergo id potest facere, sed quidquid potest esse in divina natura, ibi actu est, ergo & pluralitas actualis deitatum: Resp. conced. antecedens, & majorem de intellectu rationali, non de phantastico, & chimerico, qualis erat Gentilium ex eo quòd ignorabant nobilitatem divinam.

Obiic. 2. Plura bona sunt meliora paucioribus, sed plures Dii sunt plura bona, ergo melius aliquid erunt duo, quàm unus; sed omne melius circa Deum ponendum, ergo & plures Deos.

Resp. hanc objectionem excitare illam quæstionem, An creata bona addita Deo faciant majus bonum: in qua aliqui, inter quos est Calpensis noster. *d. 5. f. 2.* affirmant facere majus bonum non intensivè, sed extensivè: Communis tamen S Bon. hic, *& 1. in ment. c. 5. ad finem & lib. 1. d. 44. in fund. 6.* est opposita, & negans bonum creatum additum bono infinito non facere majus nec extensivè, nec intensivè, ex eo quòd Deus est bonum infinitum omnia continens, & omnibus esse suum participans; undè negatur major de bono increato, conced. de creato, & finito; imò ex hoc asserto opposito sequerentur maxima absurda; v.g. quòd Christus ratione divinitatis, & humanitatis esset melior Patre, & quod ipse Christus esset melior seipso ab æterno, & ratione mundi creati esset seipso melior ab æterno.

Obiic. 3. Ubi est diversa operatio, ibi diversa virtus, & per consequens diversa actio; sed operatio trium personarum est diversa, quia solus Filius assumpsit humanam naturam; & solus Spiritus Sanctus apparuit in specie columbæ; ergo sunt diversi in substantia. Resp. 1. majorem esse universaliter falsam, quia ex eadem virtute etiam in creatis prodeunt diversi effectus, ut patet in sole: Resp. 2. transeat pro nunc major: Ad min. resp. quòd in unione hypostatica est unitio, & unio; unitio est productio illius naturæ humanæ assumptæ, & etiam unionis: unio est relatio, non operatio; sic in apparitione columbæ est productio ipsius, & signatio, quæ est relatio; ad actionem tres personæ concurrerent, ad relationem non; sic corruit consequentia.

Obiic. 4 Magnæ potentiæ est magna producere; ergo infinitæ potentiæ est producere infinita; sed Deus est infinitæ potentiæ, ergo potest producere infinitum Deum Resp. quòd infinitæ potentiæ est posse producere infinitum de seipso, sed non alium diversæ naturæ, propter divinam simplicitatem; de aliquo creato, vel de nihilo falsum est, quia licèt Deus sit potentiæ infinitæ, creatura non est capax infinitatis absolutæ, cum ejus esse essentialiter sit limitatum.

Obiic. 5. Si unus est Deus ob summam simplicitatem, ergo pluralitas personarum ei obstat tamquam superflua, & quia opposita non possunt esse circa idem. Resp. pluralitatem repugnare simplicitati summæ, quæ est per additionem novæ entitatis, non quæ est tantùm per originem, hæc enim nec addit, nec componit, nec repugnat, &c. *sic Seraph. Doct. l. 1. d. 2. a. 1 q. 1.*

Q. an hæc unitas suprapositá sit solius Dei, an verò etiam communis creaturis? Resp. esse solius Dei propriam: in creaturis quidem est unitas simplicitatis, sed tamen est defectiva, quia licèt quodlibet principium sit simplex, non tamen de se sufficiens est ad aliud producendum sine alio principio: Item in principiatis est unitas totalitatis, & plenitudinis, sed tamen est deficiens quia non est de se, seu simplex.

Item in universalibus est unitas conformitatis, sed deficiens, quia numeratur cum alia: item in individuis est unitas immultiplicabilitatis, sed tamen est deficiens, quia cum individualitate numeratur forma; item in voluntatibus est unitas unanimitatis, seu conformitatis, sed deficiens, quia separari potest per dissensionem; At in Deo est omnis ista multiplex unitas, seu una unitas cum omnibus istis perfectionibus sine imperfectione admixta, licèt sit in tribus personis: *sic S. Bon. ser. 11. Hexaem.*

QVÆSTIO II.

An Deus sit summè simplex. S. Bon. l. 1. d. 8. p. 2. a. 1.

Quia simplicitas cum sit passio entis, non tamen ita generalis, sicut unitas, ideò dicit modum unitatis nobilissimum, sicutque ad ejusdem unitatis perfectionem, hinc meritò post quæstionem de unitate, proponitur hæc de simplicitate; an sit perfectio solius Dei; & ratio dubitandi est, quia cum inter creata adsint multa simplicia, & hæc etiam multa imperfectissima, videtur debere removeri à Dei perfectionibus. Pro solutione igitur quæstionis. 40

I Not. ex S. Bon. *l. 1 d. 37. p. 1. quæst. 2. ad 2. & 3.* quòd simplicitas est nomen æquivocum, modò importans perfectionem, modò imperfectionem, undè ut evitetur omnis æquivocatio, advertit Seraph. Doct. quòd duplex est simplicitas; alia importans passivitatem & materialitatem, & compossibilitatem. alia actualitatem, & formam; differunt autem essentialiter, quia in prima accessus ad simplicitatem est per diminutionem, ablationemque actus, & perfectionis; undè quò purius, & spiritualius est ens, & quò remotius à materialitate, & compositione, eò etiam est perfectius; patet hoc in quanto molis, in quo punctum est in perfectius, quia habet potentiam infinitam passivam respectu infinitarum linearum, quas potest inchoare, & terminare: idem & patet in substantiis materialibus quantis. In quanto verò virtutis, ut est v. g. charitas, & gratia, quò magis augentur, eo spiritualiores, & perfectiores fiunt: Hinc cum talis spiritualis simplicitas sit in Deo, & ob id in summo, etiam ipsius attributum est dicens infinitatem perfectionem,

Ex qua fundamentali, & ineluctabili doctrina patet hallucinatio Scotistarum, qui dicunt simplicitatem non dicere conceptum adæquatum perfectionis simpliciter simplicis, cum hæc redundet ex constitutione plurium perfectionum, entis sed potiùs esse quid dicens conceptum inadequatum;

sit

sic ex Smisingh. t. 2. d. 2. patet inquam falsitas hujus positionis, cùm simplicitas hæc in summo dicat de sua ratione formali summam actualitatem, & puritatem, & perfectionem immunem à quacumque imperfectione.

Not. 2. ex Seraph. Doct. *l. 1. d. 8. p. 2. quæst. 2.* quòd licèt simplicitas dicatur per ordinem ad privationem compositionis, tamen talis privatio ei competit tantùm connotativè, & consecutivè, nam de sua ratione formali dicit positionem, quidquid dicat Trigos. & hoc vel cum perfectione, vel imperfectione secundùm quòd dicit, & involvit vel actualitatem, vel potentialitatem; cum autem nobis innotescat per oppositionem ad compositionem, hinc duplicem modum assignant Doctores explicandi eam ex tali oppositione: primus est talis; quia alia est compositio partium essentialium, estque omnis per se entis, scilicet ex materia, & forma; alia est partium quantitativarum, seu integrantium, vel omogenearum, vel heterogenearum: alia est substantiæ, virtutis, & operationis, sive substantiæ, & accidentis, ut ignis, & caloris; alia est suppositi & naturæ, ut in Petro humanitas, & Petruitas: alia est essentiæ & existentiæ, quibus omnibus opponitur simplicitas suo modo; & per consequens cum in omnibus creaturis adsit aliqua ex his compositionibus importantibus aliquam diversitatem, datur etiam gradualis perfectio simplicitatis; & hinc creaturæ in suo esse totali quò magis removentur à multiplicitate, & diversitate, eò sunt perfectiores; ut patet in quanto molis, quod est imperfectius re spirituali in homine, & in Angelo respectu hominis; & hic est primus modus, quem ponit Seraph. Doct. *cit. d. 8.* nec ipsum approbando, nec reprobando, undè subdit alium modum veriorem, & faciliorem: & ad sua principia aptiorem. Unde.

41 Not. 3. ut pateat cur simplicitas dicatur conditio entis, & unitatis entis, quòd stando in hac materia duplex est compositio, alia est ex his, alia cum his, prima est potiùs passiva uti est compositio totius ex materia, & forma: secunda habet magis rationem activi; prima est cujuscumque per se entis creati, quod componitur ex materia, & forma: Nota, quòd S. Bon. dicit ex materia, & forma, quia etiam Angeli sic compositi sunt in sua sententia, ut fusè à nobis probatum est in tertia parte nostræ Philosophiæ: secunda est entium simplicium creatorum, quæ sunt cum aliis componibilia, ut sunt principia, & accidentales formæ: Nota etiam, quòd datur alia compositio, quæ dicitur in his, ut in aggregato plurium entium; alia etiam ab his, quæ est in creatura cum dependentia à Deo, & cum potentialitate ad non esse, sic S. Bon. infra cit. in quæstione de attributorum distinctione; unde nulla potest dari creatura, quæ non admittat vel omnes, vel aliquam ex his compositionibus; hinc sequitur quòd simplicitas omnimoda non potest ulli creaturæ competere, & per consequens talis simplicitas non est conditio generalis entis, ut est unum, verum, & bonum, sed est conditio, seu modus unitatis nobilissimus excludens omnem passibilitatem, & ob id est tantùm entis actus puri, ideoque ponit ens unitatem, & identitatem in suo summo purissimo, & actualissimo. Hinc.

1. Concl. Deus est summè simplex: est de fidè ex Conc. Later. Probatur à Seraph. Doct. cit.

1. Primum ens est à compositione remotissimum; Deus est primum ens, ergo: major probatur, nam priùs est simplex, quàm compositum, quia ex eo fiunt composita.

Prob. 2. Id quod est suum esse, quidquid habet est simplicissimum; Deus est suum esse, ergo: probatur minor; Deus habet potentiam, sapientiam, &c. aut ergo est sua potentia, sapientia, &c. aut non: si non, cùm sit potens potentia, ergo si non est sua potentia, ipsam ab alio habebit, sicque non erit Deus; ergo primum, &c.

Prob. 3 In Deo ente nobilissimo debet poni omnis conditio nobilitatis; at simplicitas summa est conditio entis nobilissimi, quia licèt composita corruptibilia sint suis partibus perfectiora, involvunt tamen imperfectionem corporis, quia compositum perfectum creatum continet totum, & partes, sed quælibet pars non habet, nec est totum, ergo cum Deus sit ens excludens has imperfectiones, erit summè simplex.

Prob. 4. qui est infinitæ virtutis est simplicissimus, ergo & Deus; antecedens patet, quia virtus unita magis fortior, ergo cum in Deo sit infinita, erit infinitè unita, & simplex.

2. Concl. summa Dei simplicitas fundatur in summa Dei actualitate; est S. Bon. *l. 1. d. 8. cit.* Prob. à Seraph. Doct. Compositionis ratio est, quia una pars est actu perficiens, alia potentia perfectibilis; ergo à contrario incapacitas compositionis venit à summa actualitate, quæ non est capax novæ perfectionis. Patet hoc ex hoc, quòd ideò dicitur Deus purus actus, quia habet omnes perfectiones entis actu, & infinitas, & infinito modo, excludens omnem potentialitatem ad ulteriores perfectiones; & cùm talis pura actualitas sit aliena essentialiter à creatura qualibet, hinc demetienda est summa simplicitas ab ipsa pura actualitate. 42

Obiic. 1. Simplicius est quod abstractum est à pluribus, quàm quod continetur in pluribus, sed Deus est in tribus personis; ergo summa simplicitas non est in Deo: Resp. veram esse majorem quando abstractum non intelligitur plurificatum, vel plurificabile in pluribus, si vero non plurificatur, tunc falsa est major, & consequentia; ut autem id meliùs dignoscatur. Not. quod potest quis intelligere unum in uno, & unum in pluribus multiplicatum, & unum in pluribus non multiplicatum; simplicius autem est intelligere unum in pluribus multiplicatum, quàm unum in uno: sic universale simplicius est singulari, sed hoc est in creatis, nec importat summam simplicitatem ob compositionem, & multiplicationem involutam: In Deo autem est unum non multiplicatum in pluribus, quia eadem essentia est communicata tribus personis, & hoc ob summam actualitatem, quæ continet summam diffusionem, & communicationem cum summa simplicitata.

Obiic. 2. Ubi est identitas sine diversitate, ibi major est simplicitas, sed in Deo est identitas cum diversitate, ergo non est summa simplicitas in Deo. Resp. Seraph. Doct. quòd major est vera, quando diversitas venit ex additione entitatis absolutæ; non verò quando venit tantùm ex origine, quæ solùm addit relationem personæ productæ ad producens; & hæc diversitas propriè dicitur distinctio, quæ importat tantùm relationem; sic negatur consequentia, quod infra magis declarabitur.

Obiic. 3. Ibi est major simplicitas, ubi est unitas sine pluralitate, sed in Deo est unitas cum plu-

ralitate personarum, ergo non est summa. Resp. veram esse majorem, quando plus est in duobus, quàm in uno, non sic in Deo, quia eædem perfectiones sunt æqualiter in omnibus; sed de hoc infrà fusiùs agetur.

Obiic. 4. Major est simplicitas, ubi non tantùm unum, & idem est subjectum, sed etiam proprietas, & relatio, sed in Deo proprietas differt à proprietate, ut paternitas à filiatione, & in Patre innascibilitas à paternitate, ergo non est ibi summa simplicitas.

Resp. majorem esse veram, quando proprietas differt à proprietate vel respectu subjecti, quia causantur ex diversis naturis in ipso repertis, ut in homine ratione corporis, & animæ; vel respectu sui, ut differt musica, & grammatica in eodem; sic enim faciunt compositionem; sed major est falsa quando sumitur differentia respectu objecti, tunc enim per respectum ad aliud oritur distinctio tantùm, non compositio; sic in puncto nullam inducit compositionem respectus ad principium, & terminum linearum, quæ doctrina aliàs attentiùs examinabitur.

43 3. Concl. summa simplicitas soli Deo est propria: est S. Bon. *art. quæst.* 2. sequitur ex traditis, & patet, quia non datur creatura, quæ non admittat aliquam compositionem, & quia deficit à summa unitate, estque limitata, nec actus purus; & licèt dentur aliquæ creaturæ simplices, tamen non sunt præditæ omnimoda simplicitate ob rationes adductas. Dices; potest dari creatura, quæ careat omni compositione, ergo.

Resp. negando antecedens, quia eo ipso, quòd est creatura, & limitata, est capax novæ additionis, tùm quia essentialiter est dependens à Deo, sed nullum dependens est sua dependentia, ergo: tùm quia habet potentialitatem ad non esse, & iterum ad novum esse, ergo ex actu, & potentia composita. Ex quibus sequitur solutio plurium quæstionum, quas in hac disputatione movet D. Thomas, An Deus sit corpus: an sit ens compositum: & Seraph. Doct. quærit hic: An Deus sit in aliquo determinato genere. Pro cujus solutione sit.

44 4. Concl. Deus nullatenus est in prædicamento, determinatoque genere, scilicet nec per se, nec per accidens, nec reductivè, est S. Bon. *l. 1. d. 8. p. 2. dub. 4. & quæst ult. & d. 22. quæst. 1. & 4. seq. op. Brevil. p. 1. cap. 4. & 6. D. Th. Scot. & communis, dempris Greg. Marsil. aliisque paucis.*

Prob. autem: tùm quia esse in aliquo determinato genere est habere esse limitatum, & finitum; tùm quia caderet compositio in Deo, quod est impossibile; tùm quia nec est genus, nec species, nec individuum; ergo nullo modo est in prædicamentis: est enim unus numero Deus, nec habet supra aliquid, quòd habeat rationem generis, vel speciei; nec est individuum, quia hoc in ratione univoca convenit cum aliis; Deus autem nihil commune univocum habet cum creaturis, nec habet aliquid diversum contrahens genus, & speciem ad individuum; sed vide quæ tradita sunt à nobis in Logica, *n.* 51. & 361.

Obiic. 1. Deus est natura determinata differens ab aliis, ergo. Resp. esse naturam determinatam non per aliquid contrahens, ut sunt creaturæ; sic negatur consequentia.

Obiic. 2. Deus habet superius univocum, scilicet esse ens, & substantiam, ergo in determinato genere: Resp. neg. antecedens; est quidem Deus substantia per se subsistens, non tamen substantia accidentibus, non composita, non limitata, non contrahibilis per differentiam aliquam, habens omnes perfectiones omnium eminenter unitas in se sine imperfectione; undè si nominetur nominibus variorum prædicamentorum, id fit secundùm id, quod dicit perfectionem ablata imperfectione.

QVÆSTIO III.

An attributa sint in Deo, & an ipsorum distinctio obsit divinæ simplicitati: vel an distinguantur ab essentia divina, & inter se.

1 SVppon. ex Seraph. Doct. *ser.* 11. *Hexaem.* 45
quòd sicut omne ens habet suas proprietates, & perfectiones, ut bonitatem, unitatem, veritatem, &c. sic & nobilissimum ens perfectissimas entis perfectiones habet; & licèt sint istæ infinitæ, tamen distinguuntur ad duo capita, nempè ad perfectiones incommunicabiles creaturis, quia sunt solius Dei propriæ, ut est infinitas, omnipotentia, immutabilitas, immensitas, incomprehensibilitas, quæ terminis negativis ut plurimùm exprimuntur: Aliæ verò sunt communicabiles creaturis, ut potentia, sapientia, bonitas, & similia, quæ in Deo sunt formaliter eminenter, scilicet sine ulla imperfectione, uti sunt in creaturis; Istæ verò communi vocabulo appellantur attributa: Undè communiter ad rationem attributi divini requiruntur quatuor conditiones: prima, quòd nomen non sit metaphoricum, ut Leo, Agnus, sed proprium: 2. quòd talis perfectio sit in Deo formaliter, undè causalia, ut principium, & causa, non sunt attributa, cum sint in Deo tantùm virtualiter: 3. quòd sint quid absolutum, undè relationes, nec actiones liberæ, nec ideæ dicuntur attributa: 4. quòd attributum significetur per modum actus secundi emanantis ab essentia: undè nomina, quæ significant actum primum ut essentia, substantia, existentia non sunt attributum: Et hinc attributum Dei definitur; Perfectio essentialis, quæ reperta in creatura tribuitur Deo, sublata omni imperfectione: Hoc discrimen perfectionum divinarum tradit S. Bon. *l.* 1. *d.* 22. *quæst.* 3. dicens; quædam sunt nomina, quæ significant rem, cujus veritas est in Deo, & oppositum in creatura, ut immensus, æternus, & talia nullo modo transferuntur in creaturam, nec secundùm rem, nec secundùm nominis impositionem, & vice versa his opposita, quæ sunt in creatura non transferuntur ullo modo in Deum: quædam sunt nomina, quæ significant rem, cujus veritas est in creatura, & consimilis proprietas in Deo, ut Lapis, Leo: res enim significata est in creatura, sed similitudo proprietatis, ut constantia, stabilitas, & fortitudo est in Deo: quædam sunt nomina significantia rem, cujus veritas est in Deo, & similitudo ejus in creatura, ut sapientia potentia, voluntas, & talia nomina transferuntur à creaturis ad Deum, non secundùm rem, sed secundùm impositionem, quia priùs imposita sunt creaturis, quàm Deo, licet priùs sint in Deo; Et ista sunt attributa, de quibus procedit hæc quæstio; nempè an multitudo istarum perfectionum existentium in Deo obsint divinæ

simplicitati:

simplicitati: vel an distinguantur aliquo modo à divina essentia, & inter se, & quali distinctione.

2. Suppon. Quæstionem excitari tantùm de attributis, non autem de relationibus divinis; nam ad aures Seraph. Doct. dispar est ratio differentiæ, ipsarum, ut suo loco patebit.

In qua quæstione triplex opinio circumfertur. 1. est Scoti, & Scotistarum asserentium attributa ab essentia, & inter se distingui formaliter ex natura rei, sive actualiter, non tamquam rem à re sed tamquam rem à realitate, & realitatem à realitate.

2. est Nominalium admittentium distinctionem tantùm rationis ratiocinantis, sive magis propriè loquendo, esse distinctionem tantùm secundùm nomen, & conceptus formales.

3. est D. Thomæ, & Thomistarum, aliorumque plurimorum admittentium distinctionem virtualem, seu rationis ratiocinatæ, & cum fundamento in re; Cum hac sententia clarissimè patet ex ejus scriptis stare Seraph. Doctorem tamquam veriori, &c. Pro solutione quæst.

1. Not. & suppon. quod de distinctionibus fusè à nobis traditum est in tract. formalitatum in Logica, ubi attulimus varios textus clarissimos Seraph. Doct. assignantes omnia genera distinctionum, notavimus ab ipso distinctionem realem appellari aliquando secundùm pluralitatem distinctionum vel personarum, quæ est inter rem, & rem, aliquando formalem, id est secundùm rationem, & essentiam, diversumque modum essendi; item & distinctionem formalem ex natura rei, & actualem; quam è fonte Seraphico desumpsit Scotus; hanc appellat aliquando secundùm attributionem, quia verè, & realiter attribuitur unum uni & aliud alteri; aliquando secundùm modum se habendi diversum, ut inter absoluta, & relativa in divinis; item & distinctionem virtualem, quam appellat modò distinctionem rationis, modò secundùm modum intelligendi, modò secundùm apprehensionem nostram, de quibus videri potest *l. 1. d. 26. quæst. 1. & d. 3. p. 2. quæst. 3. ad 1. & d. 24. p. 1 a. 1. quæst 1. aliisque locis à nobis fusè expensis in Logica.*

2. Not. Ex traditis in quæstione antecedenti ex Seraph. Doct. *l. 1. d. 8. p. 1. quæst. 1. ad* 1. quòd simplicitas non est proprietas generalis entis, sicut est unum, verum, bonum, sed est modus unitatis nobilissimus, qualificans, & modificans ipsam unitatem secundùm varios gradus, sic & compositio, & cum Deus sit unus unitate perfectissima, & infinita, per consequens ejus simplicitas tribuit unitati omnem possibilem, & omnino maximam puritatem, & tollit ab eo quamlibet pluralitatem absolutam; & cum in unitate insit infinitas, quæ habet identificare in infinito quamlibet perfectionem supremo, perfectissimo, & infinito modo: hinc infertur, quòd talis sit suprema omnium, ob idque involvat omnem identificationem, non solùm realem, sed etiam formalem, & consequenter in Dei essentia omnes perfectiones sunt unum formaliter, & idem cum ipsa; aliàs non esset simpliciter simplex, & perfectissimo modo una.

Ex quibus patet hallucinatio Scotistarum admittentium quidem in Deo & unitatem, & simplicitatem, sed cum hac conditione, quod simplicitas, quæ opponitur veræ compositioni, ob id excludit etiam compositionem ex actu, & potentia, non verò pluralitatem attributorum distinctorum tantùm formaliter, ex eo quòd unitas in Deo non est summa, & formalis, sed tantùm identica admittens secum pluralitatem attributorum, relationum, & personarum, quæ, pluralitas non est absoluta, sed secundùm quid non tollens rationem perfectæ unitatis, & identitatis, quæ sola dicit perfectionem infinitam, alioquin tres personæ deberent esse unum formaliter: sic ex d. 2. num. 75. & 85. seq. qui ibidem addit etiam nos per distinctionem virtualem admittere pluralitatem attributorum in Deo, imò & pluralitatem realem personarum, ergo etiam in nostra opinione unitas Dei non est omnimoda:

Sed quàm sint ista objecta absona veritati, & etiam considerationi metaphisicæ clarè patet, cum ex Metaphisica necessariò ad ens sequatur unitas, & simplicitas; ideò quale est ens, talis est unitas, & simplicitas, & si ens est summum, & infinitum, etiam ejus unitas erit summa, & infinita, ob idque & simplicitas, & cum essentia divina sit entitas in se infinita, & potissima, etiam ejus unitas, & simplicitas erit immunis ab omni pluralitate absolutorum entium, ob idque & simplicitas, & unitas, & identitas erit formalis, cum sit potior reali; & ad ea quæ instant contra nos, satisfiet in solutione quæstionis:

Not. 3. ex Seraph. Doct. *lib. 1. d. 45. a. 2. quæst. 1.* 46
quòd fundamentum distinctionis virtualis, seu rationis ratiocinatæ provenit ex una parte ex eminentissima objecti perfectione, & ex alia ex imperfectione nostri intellectus non valentis unico conceptu exprimere tantam perfectionem, undè quia videt in creaturis v.g. sapientiam, potentiam, bonitatem esse entia inter se distincta, totum transfert ad Deum per plures conceptus, licèt in Deo totum sit perfectissimè unum; undè omnis compositio, quæ intervenit ex tali expressione est à parte modi intelligendi, non rei intellectæ, quod latè, & egregiè probat Seraph. Doct. *l. 1. d. 17. a. 1. quæst. 3. & d. 34. quæst. 2. & d. 8. p. 1. quæst. 1. ad arg. & d. 7. quæst. 4. corp. & d. 35. quæst. 2.*

Et hinc oritur differentia inter distinctionem formalem, virtualem, & rationis ratiocinantis: nam in formali, pluralitas antecedit opus intellectus; in virtuali, præcedit ab intrinseco eminentia objecti, virtualisque pluralitas, actualis verò distinctio consequitur ad opus intellectus ob idque est veluti inchoata radicaliter in re, & in intellectu completa: in distinctione rationis ratiocinantis fundamentum est non in re, sed super extrinseca, & connotata, vel effectus, quæ connotatio, ait Seraph. Doct. *lib 1. d. 45 q. 1. ad* 1. spectat tantùm ad modum significandi, & exprimendi, ut est Deus, & Deitas, undè potiùs stat in voce, seu in intellectu, quam in rebus.

Not. 4. maximam esse litem inter Scotistas ex 47
una parte, & D. Th. & Bon. ex alia, an sola distinctio rationis, seu virtualis sufficiat ad verificanda contradictoria de eadem re: Scotistæ id negant, sed sustinent requiri necessariò aliquam distinctionem à parte rei, ut v. g. Essentia est communicabilis, relatio incommunicabilis: D. Thomas, & cum eo Seraph. Doct. sustinent sufficere in divinis distinctionem virtualem: hinc ad rem S. Bon. *l. 1. d. 28. a. 1. q. 1. corp. & ad 3. & d. 43 a. 1. quæst. 1. ad 3. & 4* notat ad perfectam contradictionem, & omnimodam requiri primò aliquid commune positivum ad utramque partem, quia circa diversa non est contradictio: 2. requiritur, quòd negatio sit extra genus, & omnimoda; si enim negatio sit in genere, id est aliquid negans, & aliquid

ponens, tunc non est perfecta, & omnimoda contradictio, quia tunc secundùm unam partem verificabitur contradictio, & secundùm aliam nequaquam V.G. Homo nascitur secundùm idæam hominis, & non secundùm idæam Asini, & tamen istæ idææ in Deo nullam distinctionem habent à parte rei, quia illa negatio (non nascitur secundùm idæam Asini) non est absoluta, sed tantùm ratione relationis rationis ad rem; sic & incommunicabilitas, & communicabilitas in Deo, est enim hæc negatio in genere circa idem positivum eminens, & commune ad utrumque à parte rei; sicque etiam distinctio rationis, & virtualis sufficit ad verificanda contradictoria in divinis circa eamdem rem unam formaliter, & multiplicem virtualiter: Ratio autem quare id, quod est unum formaliter à parte rei, ut intellectus, & voluntas Dei, potest fundare verificativam contradictoriarum, ut Pater generat intellectu, non generat voluntate, est, quia ut sit vera contradictio in complexis, oportet ut negatio feratur super totum complexum, alias non est vera contradictio; contradictoria enim complexa habent esse per intellectum, & cum conceptus nostri non adæquent totam rationem objecti, cum sit pelagus infinitum, hinc & objectum potest admittere propositiones contradictorias ratione distinctionis virtualis; ut patet in exemplo allato, Pater generat intellectu, non generat voluntate: ly, voluntate, cadit super generare, non super totum complexum Patris, & Dei, qui est principium productivum, similiter ista; homo nascitur secundùm idæam hominis, non secundùm idæam Asini: Idææ cum sint unum, & idem formaliter, & multæ virtualiter, admittunt etiam simul, & semel affirmativam, & negativam, quia contradictio cadit non super idæam, sed super complexum, scilicet super nascitur, & non nascitur: Quæ doctrina Seraph. est diligenter notanda, cum sit fundamentalis in hac quæstione, & aliis materiis. *Vide S. Bon. lib. 1. dist. 4. art. 1. q. 2. corp. præcipuè ad 3. & dist. 6. quæst. 1. ad ult. & d. 19. p. 2. quæst. 2. ad 4. & dist. 28. quæst. 1. & dist. 34. q. 1. ad 5. & quæst. 2. ad 7. & dist. 35. quæst. 3, lib. 3. dist. 5. quæst. . ad 4.*

48 Not. 5. quia Scotistæ contra nostram opinionem clamant, utque de medio tollant nostram doctrinam supra allatam de simplicitate divina quatenùs opposita est distinctioni formali attributorum; instant inquam contra nos, quòd cum tali simplicitate, & unitate cogimur admittere pluralitatem, scilicet personarum, & relationum, ob idque non importare summam unitatem: Ut hæc ipsorum instantia funditus evertatur advert. quòd unitas, seu identitas formalis per id differt à reali, quòd formalis est intimior, & per intrinseca, & simplicissima, & absoluta, & omnimoda; at identitas realis admittit plura, & ea, quæ sunt de conceptu secundario, ut sunt relationes; undè in opinione Seraphica primus, & supremus gradus identitatis, & unitatis est formalis, secundarius est identitatis realis cum pluralitate relationum; nec hinc sequitur in divinis compositio in hac identitate reali, sicut sequeretur si talis identitas esset in absolutis cum distinctione formali; ratio est quia diversitas per relationem non est per additionem alicujus entitatis absolutæ, imò propriè loquendo, nec relativæ, sed provenit illa diversitas, seu pluralitas ratione originum, & productionum, & solùm per comparationem positivam, & habitudinem ad objectum, ob idque non tollit summam simplicitatem, sicut facit diversitas facta per additionem entitatis absolutæ: *Sic ex Seraph. Doct. l. 1. dist. 8. p. 2. art. 1. quæst. 2. ad 2. & 4. dist. 9. art. 1. quæst. 2. ad ult. & dist. 26. art. 1. quæst. 1. ad 3.* Dixi quòd distinctio per relationes non sit per additionem entitatis vel absolutæ, vel relativæ, quia entitas relativa dicit duo, scilicet quid absolutum, & ipsam relationem quod, & quo, & additio est tantùm secundùm habitudinem, quia ratio (in) transit in divinam substantiam, idest cum dicat eamdem rationem ac deitas, & quodcúmque absolutum, ideò ratione, in, non differt formaliter ab ipso subjecto, scilicet Deo: remanet verò ratio (ad) idest respectus, habitudoque ad objectum, qui respectus dicit diversam rationem, & obid additur tantùm comparatio respectiva; *sic ex Seraph. Doct. lib. 1. dist. 33. quæst. 1.* Cum autem compositio debeat esse vel in his, vel ex his, hinc iste respectus, & habitudo nullam infert compositionem, & cum accessus ad simplicitatem in spiritualibus sit, ut supradictum est per majorem depurationem, & exclusionem pluralitatis, *ex Seraph. Doct. lib. 1. dist. 5. part. 2. art. 1. quæst. 2. ad 3.* hinc & simplicitas pura, cùm sit summa unitas, opponitur etiam cuicumque pluralitati absolutæ; & hinc etiam patet quàm falsò dicant Scotistæ, simplicitatem summam opponi tantùm compositioni per actum, & potentiam, unitatem verò summam pluralitati; hoc inquam falsum est, quia simplicitas est modus unitatis, ergo & opponitur pluralitati omnium entitatum absolutarum diversarum à parte rei, & per consequens etiam distinctioni formali, quia hinc læderetur summa simplicitas; quia cum deitas se habeat eodem modo, imò formaliori, & magis intrinseco modo ad bonitatem, justitiam, misericordiam, &c. sequitur quòd ipsa Deitas cum attributis dicat quid unum formaliter simplicissimum, licèt considerata attributa secundùm se, & per se dicant conceptum objectivum inadæquatum, & ob id fundent distinctionem virtualem rationis, quod non potest dici de deitate respectu relationum, & in ordine (ad) cum habeant rationes diversas: Hinc patet in quo sensu admittatur in nostra sententia cum identitate reali pluralitas relationum, & personalitatum. *Vide lib. 1. dist. 24. dub. 1. & dist. 26. quæst. 1. ad 3. His positis.*

1. conclusio. Perfectiones simpliciter simplices sunt formaliter in Deo; perfectiones verò secundùm quid, idest quæ sunt in creaturis, sunt tantùm eminenter, & virtualiter in Deo, idest ablatis imperfectionibus, utraque pars est de fide, & à S. Bon. pluries asserta præcipuè *lib. 1. dist. 19. p. 1. dub. 9. & p. 2. quæst. 3. ad arg. & dist. 18. p. 1. art. 2. quæst. 1. ad 5. & p. 2. quæst. ult. ad 3. & 4. & dist. 9. quæst. 1. fund. 3. & dist. 22. art. 1. quæst. 3. & dist. 35. quæst. 1. & 2. & dist. 43. quæst. 2. ad 3.* 49

Pro clariori intelligentia conclusionis: Not. 1. quòd perfectio simpliciter simplex dicitur (ex D. Anselmo) quòd in unoquoque melius est esse, quàm non esse; idest perfectio talis est, quæ ex suo genere entis est talis in illo subjecto absque imperfectione; undè duæ conditiones ad hanc exiguntur: Altera quòd non involvat imperfectionem; altera est, ut non claudat oppositionem, ob quam repugnat aliam æqualem perfectionem eidem inesse, vel meliorem, & ita melius est eam habere, quàm non habere, eo ipso quòd non excludat alias æquales, vel perfectiores; & hinc infertur Paternitatem in Patre non esse perfectionem simpliciter simplicem, non ratione imperfectionis, sed quia ei repugnat filiatio, quæ est æqualis perfectionis; quod tamen est falsum, cum istæ relationes opponantur

nantur tantùm secundùm se, non tamen respectu divinitatis, vel per circumincessionem, ut dicit Caspensis noster, ideò S. Bon. dicit perfectionem simpliciter simplicem esse illam, quæ est optima nobilis perfecta, & superabundans, quæ quia omni perfectione exuberans est, melior est ipsa, quàm non ipsa, etiamsi habeatur alia: Perfectio verò secundùm quid est illa, quæ in sua ratione formali includit imperfectionem; est tamen sufficiens tali naturæ in suo genere perficiendæ, sic lapidi in genere lapidis melius est esse insensibilem, quàm sensibilem, &c. Ex quo sequitur, quòd propriè perfectio simpliciter simplex est solùm in Deo: *S. Bon. lib. 1. dist. 17. p. 2. quæst. 4. & dist. 19. p. 1. dub. 9. & dist. 45. art. 2. quæst. 1. lib. 2. dist. 4. dub. 3. aliisque locis pluribus.*

50 Not. 2. quòd continentia alterius rei, alia est formalis, alia eminentialis, alia virtualis; continere formaliter est continere aliquid sub ea ratione, sub qua natum est existere in se, sicut sol, & ignis continent lucem: continere eminentialiter est continere aliquid sub ratione superiori excedente eam ut est in se; sic sol continet calorem sub excellentiori forma, quàm sit in igne, scilicet in forma cælesti: virtualiter tantùm contineri, & non eminenter dicitur contineri aliquid in virtute causæ, sibi æqualis, aut inferioris, ut in causa instrumentali, in dispositiva ad formam, quia res in eis non continetur actu, sed in virtute: Continentia verò eminentialis est duplex: prima est quando eminenter formaliter aliquid continetur in aliquo quantùm ad formam, & substantiam suam, in alio tamen modo, & statu altiori, & non cum imperfectionibus, sicut continetur in inferiori; sic anima rationalis continet eminenter formaliter vegetativum: secunda est continentia eminentialis virtualis, quando scilicet non secundùm eamdem formam, & substantiam continetur effectus, sed sub alia altiori modo, quæ in virtute æquivalet isti inferiori, ut sol continet herbam, virtualiter tantùm; sic in Deo sunt perfectiones simpliciter simplices formaliter; aliæ autem eminenter, vel virtualiter. His suppositis.

1. pars prob. tùm ex sacra Scriptura, in qua Deus sibi attribuit perfectiones formales, ut ibi Exod. c. 3. *qui est*, & Math. *cap. 19. Nemo bonus, &c.* tùm ex SS. PP. maximè Aug. Dionisio, & ex S. Bon. *ser. 5. 10. & 11. Hexaem. & op. itiner. ment. c. 3. & seq.* quia sunt aliqua attributa ut immensitas, infinitas, omnipotentia, & similia, quæ soli Deo competunt formaliter.

Prob. 2. pars quoad continentiam eminentialem, quia multæ perfectiones sunt in creaturis, quæ involvunt imperfectionem, ergo in Deo debent esse sine ulla imperfectione.

Probatur quoad continentiam virtualem, quia Deus est prima causa, primum ens, ergo continet in sua virtute omnes effectus, &c Obiic. relationes in Deo habent oppositionem V. G. Paternitas in Patre ad filiationem, ergo dantur perfectiones cum oppositione ad alias in Deo, ergo non omnes continet. Resp. quòd licèt sint oppositæ de se formaliter, non tamen in ordine ad essentiam, & ad circumincessionem, secundùm quas rationes continentur in Dei essentia, sic negatur consequentia.

51 2. concl. Attributa divina ab essentia, & inter se non distinguuntur realiter, nec formaliter ex natura rei, sed virtualiter tantùm, sivè distinctione ratiocinata.

1. pars est communis Catholicorum, quæ in Concil. Rhem. præsente D. Bern. & principaliter certante contra errores Gilberti Porretani, determinata fuit de fide; Gilbertus enim asserebat relationes in Deo distingui ab essentia realiter tanquam res à re, idem & dicebat de attributis; de qua veritate agunt fusè Theologi, & circa sententiam Gilberti, ut videre quisque potest apud Nazar. in D. Thom. Ioan. à S. Thom. Gaudentium nostrum, qui fusè, & doctè examinat hanc quæstionem, in hoc tamen excedit, dum in hac *quæst. 8. num. 46.* vult, ut etiam Scoti sententia de distinctione formali involvatur aliqualiter in hac damnatione, non quidem directè, sed consecutivè, ex hoc (ait ipse) quòd sicut Gilbertus negabat posse prædicari attributa de Deo in abstracto, ut Deus est bonitas, sed tantùm in concreto, idem infertur ex sententia Scoti; quod tamen est falsum, nam in sententia Scoti; etiam supposita distinctione formali inter essentiam, & attributa, potest fieri prædicatio identica in abstracto, & hoc ratione infinitatis extremorum, & identificationis realis: igitur ad alias duas partes conclusionis deveniamus.

Pr. 2. pars ex doctrina, & fundamentis Seraph. Doct. supra allatis: primò contra Scotum: non posse admitti distinctionem formalem in attributis.

Probatur 1. ex D. Aug. *lib. 7. cap. 1. & lib. 5. c. 8. cit. à S. Bon. lib. 1. dist. 19. dub. 3.* ubi dicit: Non alio magnus, alio Deus, sed eo magnus, quo Deus, sed, ly, eo, & quo significant rationem formalem, ergo secundùm Aug. sunt Deitas, & magnitudo idem formaliter; Respondent per illos terminos importari negationem distinctionis realis; & Faber id probat ex hoc, quod subdit Aug. non eo verbum, quo sapientia: Contra: si solùm excludit distinctionem rei à re in primo textu, ergo in secunda exclusiva sequens non eo verbum, quo sapientia asserit verbum à sapientia distingui realiter, eodem modo enim, quo unum negatur, alterum affirmatur, & vice versa, quod est hæreticum; visque illationis stat in hoc, quòd particulæ eo, & quo significant eodem modo, & hinc directè sequitur, quod si admittitur ly eo, & quo, negari identitatem formalem inter absolutum, & relationem, ergo sequitur sapientiam, & deitatem esse idem formaliter.

Probatur 2. Esse omne id, quod habet, ita est Dei proprium, ut nulli creaturæ communicetur; *Sic S. Bon. lib. 1. dist. 8. p. 1. quæst. 1. & Comp. Theol. lib. 1. cap. 16.* Quibus addit testimonia SS. Patrum, qui patenter fatentur, Deum esse quicquid habet in abstracto; at hæc nequeunt verificari, nisi idem formaliter; ergo Deus est formaliter sapientia, bonitas, &c. min. probatur à Seraph. Doct. *in Comp. cit.* quia inter creaturas simplices perfectione eminent Angelus; & anima, in quibus potentiæ differunt formaliter secundùm Scotum, & S. Bon. & tamen non possumus dicere Angelus est sua sapientia, intellectus est voluntas; & hoc, quia hoc est privilegium Dei esse unicam perfectionem, infinitam, actualem, simplicissimam, quæ habet vim omnium perfectionum. Confirmatur, & magis urgetur hæc ratio à Seraph. Doct. dist. 8. cit. Deus est sapiens, omnipotens, &c. aut ergo est sua sapientia formaliter, & potentia, aut non: si primum habeo intentum; si secundum ergo formaliter est falsum dicere Deus est sapiens, &c. per se: tunc sic: Ab eodem est posse, à quo esse, sed Deus formaliter à se non habet posse, ergo nec esse.

Confirmatur 2. à Seraph. Doct. si perfectiones

divinæ differunt inter se, & ab essentia formaliter, quæro: an de se quælibet sit finita, an infinita: si finita ergo formaliter non est Deus, quod est hæreticum, atque adeò non est adorabilis, ut inferebat D. Bern. contra Gilbertum: si infinita, vel est infinita simpliciter, vel secundùm quid, & in genere; si hoc secundùm, ergo non est Deus, sed creatura (sic enim inferunt Scotistæ, agentes de relationibus.) Si primum ergo nil formaliter addi potest; ergo vel nil juvat potentia addita essentiæ, vel sunt multa infinita simpliciter, quòd est absonum, quia infinitum simpliciter continet formaliter omne ens.

Confirmatur iterùm ex Seraph. Doct. *dist.* 26. *quæst.* 1. *ad* 3. Distinctio formarum facit distinctionem definitionum, hæc supponit distinctionem naturarum, & essentiarum, ergo & multiplicationem Deorum. Item ex *dist.* 33. *quæst.* 2. Istæ formæ distinctæ, vel sunt æquales, vel inæquales; si primum ergo plures Dii formaliter, si sint infinitæ simpliciter: si inæquales, ergo aliquæ sunt Deo inferiores, & non Deus.

Ad hæc respondent Scotistæ: hæc omnia prædicari identicè, vel formaliter inadæquatè tanquam partes essentiæ; & hoc, quia si definiretur essentia, includeret identicè sapientiam, &c. Et ad id de prædicationibus in abstracto; respondent tales prædicationes. V.G. deitas est sapientia, potentia, &c. esse veras identicè, non formaliter, quia abstracta ultima abstractione formaliter, sapientia non est justitia: Et ad id de essentia, & de substantivis; respondent, quòd divina essentia ut sic abstracta ab attributis est perfectissima formaliter quoad perfectiones primarias per sua prædicata quidditativa importatas, & etiam quoad alias radicaliter, unitivè, & identicè, quæ radicalis, & identica continentia impedit, ne dici possit per eas perfectibilis; sed tamen essentia in suo esse abstracto præciso ultimatè nec est sapiens formaliter, nec non sapiens, quia in tali statu, licet non præscindat à prædicatis primi modi, præscindit tamen à prædicatis secundi modi; sic etiam homo in tali statu nec est risibilis, nec non risibilis, quia risibilitas est prædicatum secundi modi, &c. Et si instes, sapiens, & non sapiens sunt contradictoria, ergo essentia in tali statu præcisionis nec est sapiens, nec non sapiens, erit insipiens: Resp. Meldula num. 91. Inter contradictoria complexa non dari medium, benè autem inter incomplexa, terminosque incomplexos, præcipuè si sumantur cum aliqua determinatione, & syncathegorematicè: ratio est, quia in prædicatione complexa affirmatio, & negatio est identica; incomplexa verò sumpta de se abstracta, ut homo de se secundùm suam rationem formalem sumitur formaliter, sic ei non competunt in tali statu nisi prædicata primi modi, non secundi modi nisi identicè; *Vide Meldul. quæst. 2. à num. 90. & 41. & quæst. 4. n. 331.* qui respondent ad exempla in creatis. V. G. intellectus, & voluntas de se non prædicantur in abstracto, licèt distinguantur formaliter, & sunt idem identicè negando paritatem; quia creata non sunt infinita, sicut attributa divina, quæ in infinitate conveniunt, & ob id identificantur ad invicem.

5 a Contra has omnes responsiones est argumentum: si in creatis non potest fieri prædicatio abstractorum ob defectum infinitatis. V. G. intellectus est voluntas, anima est rationalitas, ergo neque in divinis: probatur sequela, & paritas, quia ratio infinitatis etiam ex Scoto non mutat rationes rerum, sed in esse abstracto prædicata præscindunt totaliter à quocumque inferiori, ergo in tali statu, etiamsi sint infinita, eis non potest competere prædicatio nec formalis, nec identica, ergo in tali statu essentia est non sapiens, non bona, &c.

Probatur 3. ex S. Bon. cit. dist. 8. Dei summa simplicitas læditur admissa distinctione formali attributorum, ergo talis distinctio eliminanda: probatur antecedens cum sequela ex traditis; summa simplicitas est modus qualificans unitatem, ergo & ipsam unitatem collocans in summo, sed admissa distinctione formali unitas non est summa, ergo nec simplicitas; Confirmatur, quia distinctio formalis attributorum infert compositionem actus, & actus, quia adveniunt essentiæ veluti ipsius perfectiones, ergo malè assignatur talis distinctio. Respondent simplicitatem summam non lædi nisi per distinctionem realem, quia hæc intervenit per actum & potentiam, non verò per distinctionem formalem, quia hæc stat cum summa identitate reali ob infinitatem divinæ essentiæ, & attributorum. Contra: summa unitas tollit pluralitatem absolutorum, & hæc destruit summam unitatem, quia pluralitas est per additionem actus ad actum, ergo nulla responsio: Item si identitas infinitatis, & simplicitatis admittit talem distinctionem formalem, ergo non est summa cùm alia major excogitari possit simplicitas, scilicet formalis, tùm etiam quia de ratione infinitatis formaliter est identificare sibi omnem compossibilem perfectionem supremo modo, ergo & formali identificatione. Respondent stare summam simplicitatem cum tali distinctione, &c.

Sed contra, quia hæc est petitio principii, & hoc est, quod in quæstione quæritur, nosque cum fundamento de fide, nempè ex simplicitate, & ob id ex unitate summa probamus immunitatem divinitatis à quacumque distinctione reali, & compositione.

Confirmatur, & urgetur amplius hæc ratio desumpta à simplicitate, & unitate: summa simplicitas supponit unitatem, vel inest intrinsecè unitati summæ, estque antè omnem distinctionem; sed unitas excludit distinctionem consequentem, ergo non potest simul cum ipsa compati; unitas enim, & simplicitas summa est quid absolutum; distinctio quid respectivum, ergo prior est quacumque distinctione, ergo, &c.

Probatur 4. Vbi est additio actus, & actus, ibi compositio, imò major quam ex actu, & potentia; sed talis sequitur ex distinctione attributorum, ergo eliminanda: Probatur sequela minor, si sumatur essentia divina præcisà, & formaliter; tunc sic; in tali statu vel est sapiens, vel non sapiens, vel summè perfecta, vel non. Respondent in tali statu præciso formali nec esse sapientem, nec non sapientem. Contra, vel est perfecta omnimodè formaliter, vel non; & dico formaliter, non identicè, nec originaliter, ut respondent Scotistæ: nempè vel est perfecta formaliter, vel non; si non, ergo formaliter non habet simplicitatem, infinitatem, & perfectionem summam, quod est hæreticum, & contra sensus SS. PP. ex S. Bon. *dist.* 8. *cit.* cum divina essentia formaliter sit pelagus omnium perfectionum in ea existentium; si sic ergo non distinguitur formaliter à suis perfectionibus, nec valet responsio ipsorum dicentium sufficere identicam unitatem, quia cum hæc etiam reperiatur in creatis, non esset summa in Deo.

Probatur 5. Distinctio omnis in divinis fundatur in aliqua oppositione extremorum relativa: distinctio

distinctio enim est relatio, sed in absolutis nulla nulla est relatio, ergo nec distinctio: major est D. Damasc. & SS. PP. in divinis nulla est distinctio, ubi nulla est oppositio.

Respondent Scotistæ talem oppositionem relativam esse tantùm fundamentaliter in absolutis per non identitatem mutuam extremorum. Contra: Non identitas in extremis positivis nihil aliud est, nisi distinctio, & vera relatio, quia non identitas dicit duo relativa formaliter, non fundamentaliter tantùm, ergo non potest esse in absolutis, nisi post unitatem, ob idque per comparationem intellectus.

Confirmatur. Hæc non identitas in creatis importat compositionem ex actu, & potentia, vel ex genere, & differentia, ergo & in divinis: Probatur consequentia, & paritas, quia ratio formalis talis compositionis est non identitas; ergo si adest in absoluta divinæ talis non identitas, adest & eadem ratio formalis compositionis.

Confirmatur iterum. Distinctio est incommunicatio in esse; sed summa unitas in divinis antecedit omnem distinctionem, & tollit talem incommunicationem, ergo si supervenit, erit tantùm per intellectum, quia à parte rei ipsi entitati absolutæ repugnat, cum præventa sit ab unitate, & simplicitate summa.

Probatur 6. ens infinitum formaliter, & essentialiter continet formaliter omnes perfectiones sibi compossibiles, ergo & divina essentia, alioquin non erit infinita entitas formaliter.

Confirmatur; quia ens summum, seu entitas, & Deitas sunt unum formaliter, sed si ens ut sic esset infinitum, etiam substantia esset infinita, & idem formaliter cum ente, ergo & ratio entis esset ratio substantiæ, ergo & essentia divina est ratio formalis sapientiæ, &c. Resp. Meldula *cit. n.* 104. negando paritatem, nam ens, & substantia se habent ut superius, & inferius, & ideò facerent compositionem; non sic attributa, quæ se habent ut perfectiones disparatæ essentiæ, & in ultimo actu constitutæ: Contra, quia per Scotistas divina essentia se habet ut superius, & attributa ut quid inferius, quia pullulant ex ea, ergo se habent ut actus ad potentiam; & confirmatur, quia dato per impossibile, quòd divina essentia non esset infinita, advenientibus attributis fieret infinita, cum ipsa sint infinita; ergo data distinctione formali sequitur compositio, & actuatio ex actu, & potentia.

55 Obiic. 1. ex D. Aug. lib. 3. contra Maximinum cap. 10. ubi sic arguit. Si potes Deum Patrem concedere simplicem, & tamen esse sapientem, bonum quantò magis unus Deus potest esse simplex, & tamen Trinitas, ita ut tres personæ, non sint partes unius Dei? Hinc arguit Scotus: Si attributa non differunt formaliter, sed solùm nostra ratione, argumentum D. Augustini esset ridiculum; argueret enim sic: Pluralitas attributorum stat cum simplicitate Dei, nec facit compositionem, ergo neque personæ, quæ realiter distinguuntur, faciunt compositionem in Deo. Huic authoritati à nemine adhuc responsum gloriatur Faber.

Huic argumento tamen respondetur facilè, primò retorquendo argumentum: Si D. Aug arguit à distinctione ad distinctionem, à majori ad minus, hoc erit argumentum. Si distinctio attributorum Deum non componit, ergo neque distinctio personarum; Ut autem argumentum sit validum, oporteret distinctionem majorem esse in attributis, quàm in personis, atque ideò attributa differre ut res, & res absolutas, & ideò majorem esse inter ea distinctionem, quàm in personis, quod est contra fidem.

Hinc 2. respondetur ex doctrina S. Bon. allata in fundamento ultimo: quòd argumentum D. Augusti. habet hunc sensum: Si potes intelligere attributa, quæ sunt entia absoluta, aptaque componere, adhuc tamen non lædere divinam simplicitatem, quia unificantur, multò magis potes concedere relationes non componere, & cur hoc? quia, ait S. Bon. minus esse (in) habent, quàm attributa: attributa enim totum esse habent in subjecto, scilicet in divina essentia, & non componunt: relationes verò parum esse (in) habent, cum non ordinentur ad unionem principaliter, sed ad oppositionem, & respectum ad terminum: Vide fundamentum ultimum hujus quæstionis: hinc ruunt omnia, quæ hic aggerat P. Macedo. Alias objectiones afferunt Scotistæ ex SS. PP. quas omnes explicatas, & solutas habebis in P. Gaudentio, qui acutissimè ista pertractat: objectiones omnes ferè adversariorum fundantur super duo principia, nempè super definitionem attributorum, & essentiæ, & super contradictionem.

Obiiciunt ergo 2. ex contradictione: Contradictoria actualia non possunt de eadem re formali verificari, sed exigunt distinctionem actualem à parte rei: radix enim contradictionis est distinctio, & causa contradictionis velut ejus effectus; sed in divinis attributis verificantur contradictoria; nempè Pater intellectu generat, voluntate non, sed spirat; essentia est communicabilis, persona non, ergo adest necessariò distinctio actualis inter ista extrema, & à parte rei. Resp. ex Seraph. Doct. *cit. in fund. conced.* majorem de contradictoriis, in quibus negatio est omnimoda, & extra genus, negando de iis, in quibus negatio non est omnimoda, sed negando aliquid, ponit aliud; & ad minorem resp. contradictionem in divinis non esse omnimodam, & ideò sufficere eminentiam essentiæ, & infinitatem subjecti continentis eminenter virtutem ad utramque partem contradictionis; & ad hoc habemus aliquale exemplum in creaturis, ut in sole eadem virtus actualis lucis exsiccat, generat, sterilescere facit, liquat, & indurat; & si hoc in creaturis finitis evenit, cur non etiam multò magis in eodem principio productivo infinito, & infinitæ virtutis? Dicimus igitur, quòd in ente finito non possunt verificari contradictoria de eodem uno formaliter, quia non capit perfectiones utriusque extremi; sed benè in ente infinito continente in eadem ratione formali una formaliter omnes perfectiones actualiter, ideóque sufficientissimè tollitur ista contradictio per virtualem distinctionem, & continentiam, undè per eamdem virtutem omnimodam formaliter Deus & generat, & spirat; ita ut dum in ente tali infinito negat V. G. intellectui spirare, non est mera negatio, sed virtualis assertio, scilicet quòd ita generat, ut formalitas eadem etiam spirat, licèt virtus, & eminentia illa talis sit, ut si esset solus intellectus generaret, non spiraret, & virtuali capacitate æquivalet duplici capacitati prædicatorum veluti contradicentium; quæ virtus oritur ex infinita Dei perfectione, quæ continet quidquid perfectionis habet generare, & spirare, & eminenter, & virtualiter actu ita se habent, ut possint ea prædicata implere, licèt in creaturis finitis distincta: Hæc omnia fusiori calamo à nobis traditur hic, quia hæc doctrina verissima satisfacit plurimis objectionibus, & instantiis ab adversariis objectis: *Vide S. Bon. lib.* 1. *dist.* 3.

dist.5. art.1. quæst.1. per totam maximè ad primum, & dist.33. quæst.2. & dist.8. quæst.1. ad ult.

Instat Meldula: Extrema contradictionis sunt in divinis actu, & non solùm in virtute, ergo & actualis contradictio. Resp. sunt actu, & simul in virtute concedo: sunt actu distincta, & non solùm in virtute, nego consequentiam; sunt quidem actu, sed ex eodem principio uno, & infinito actu virtutem ea producendi habente, quia est perfectionis infinitæ, undè contradictio (ait S. Bon.) est tantùm penès nostrum modum enuntiandi, quia non habemus alios modos, nisi desumptos ex creatis.

Instant iterum: Intellectus aliquid respicit, quod non voluntas, & è contra, scilicet generare, & spirare, ergo in se habent esse diversum actualiter. Resp. conced. antecedens de intellectu & voluntate in ratione principii; licèt secundùm se sint quid unum formaliter ratione suæ infinitæ perfectionis: sunt enim quid unum formaliter cum essentia, & inter se, & cum hac identitate, & virtualitate habent rationem utriusque principii ob suam infinitam eminentiam.

54 Obiic. 3. ex definitione. Infinitas non mutat rerum essentias, sed bonitas, & potentia in genere habent diversas definitiones, & essentias, ergo & in Deo: Et confirmatur ex D. Damasc. qui vocat essentiam Dei naturam, attributa verò qualitates substantiæ hujus: Et D. Aug 5. de Trinit. *cap.6.* ait, quòd non omnia in Deo significantur per modum substantiæ, sed per modum aliorum prædicamentorum, cum igitur attributa habeant modum qualitatis substantiæ spectant ad secundum modum dicendi per se, sicque retinent suam propriam rationem formalem distinctam ab essentia.

Pro responsione adæquata istis objectionibus, & pluribus aliis, quas coacervant adversariũ fundatas in propria definitione, & ratione formali substantiæ, & attributorum, adverte quòd duplex est infinitas, alia in genere, ut infinitas in linea, hæcque non mutat rationem generis, & quantitatis, ex hoc quia attenditur penès ea, quæ infra latitudinem rei sunt: Alia est infinitas absoluta, & divina, quæ rem illimitat, quia attenditur penès ea, ad quæ latitudo totius entis extenditur, ideò includit omnem perfectionem simpliciter, & ideò non sistit in genere, & formalitate; hinc resp. conced. majorem, & minorem de infinito in genere, neg. de infinito increato, quod transfert rem extra quidditatem limitatam; sicque bonitas, sapientia habet quidem veram rationem sapientiæ, & bonitatis, sed divinæ, & infinitæ, undè eorum diversæ definitiones sunt tantùm secundùm modum significandi, & intelligendi, non essendi, ideò eamdem rationem formalem habent in Deo: *Sic ex S. Bon. dist.8. part.2. quæst. ult. & quæst.1. ad ult.* Et hinc dixit Seraph. Doct. *lib.1. dist.26. quæst.2. & Brevil. part.1. cap.4.* quòd quinque prædicamenta prima substantia, quantitas, scilicet virtutis, qualitas, relatio, & actio sunt in Deo secundùm id, quòd dicunt perfectionem, & identificationem summam, & formalem cum Deitate. Alia verò sunt tantùm transumptivo, & figurativo modo.

Instant Scotistæ, & alii externi; per hanc distinctionem virtualem nihil lucis tribui abscondito mysterio Trinitatis, quia si sola distinctio virtualis sufficit ad verificanda contradictoria de intellectu generante, & voluntate spirante tamquam una re formaliter unissima, & solùm virtualiter distincta, ergo idem poterit dici de distinctione personarum.

Nec valet id, quod respondent Thomistæ, ait Meldula, nempè quòd ad hoc sufficit distinctio virtualis, nam hoc est committere circulum, & petere principium, dum dicimus, quòd distinctio virtualis explicatur per capacitatem duorum principiorum intellectus scilicet, & voluntatis existentium una res formaliter identificata, & posteà talem capacitatem explicamus per distinctionem virtualem. Resp. si verùm est quod primò obiiciunt, nempè talem distinctionem virtualem nil lucis addere ad explicandum mysterium SS. Trinitatis, dicant ipsi quid lucis afferat distinctio formalis ipsorum inter ipsa principia, cum ipsa secundùm eos sint unum realiter, non duo principia realia, cum enumeratio inferatur solùm ex distinctione reali, non formali; sed tamen directè resp. negando assumptum, cum per nostram distinctionem removeamus compositionem à Deo, & explicamus perfectam simplicitatem, & majorem quæ relucet magis per communicationem simplicem tribus personis: Et ad id de circulo, & petitione principii, neg. sequelam, quia adducimus rationem formalem negationis distinctionis formalis, nempè rationem infinitatis, quæ in summo simplici identificat sibi omnem perfectionem modo purissimo, & quia in tali infinito adest æquivalentia duorum principiorum, hinc & oritur ex distinctione virtuali, quòd coniuntur simul summa simplicitas, & productio realis personarum, & distinctio realis inter producens, & productum, quam doctrinam innuit S.Bon. *lib.1. dist.13. quæst.3. ad 2.*

Hic locus exigeret objectiones Nominalium negantium distinctionem virtualem, & formalem, sed quia satis solutæ, & solidè fuerunt à nobis confutatæ in tractatu formalitatum in Logica *tom.2. quæst.10.* in quæstione laterali, ideò ne actum agamus omittuntur.

QUÆSTIO IV.

De Dei infinitate: quid sit, & an soli Deo competat:

1. SUppon. quòd quæstio non procedit de infinitate peculiari attributorum, nec de infinitate præsentiæ; quæ dicitur immensitas; divinæ durationis, quæ dicitur æternitas, &c. sed de infinitate divinæ essentiæ, qua Deus est: Proponitur autem hic quæstio, tùm ad clariorem intelligentiam eorum, quæ supra tradita sunt, & quæ tradenda in quæstionibus de peculiaribus attributis: Quæritur ergo in quonam ratio formalis infinitatis divinæ sita sit, & an sit solius Dei propria. 55

1. Opinio est Thomistarum cum magistro D. Thoma asserentium consistere in negatione fundata tamen in perfectione immensa divinæ essentiæ: sunt tamen divisi inter se: aliqui enim dicunt rationem formalem consistere in negatione limitationis perfectionis: alii in negatione determinationis generis: alii in negatione compositionis: alii in negatione principii, & finis: Joan. a S. Thoma *p.1. quæst.7. art.1.* docet D. Thom. assignare duo fundamenta infinitatis essentialis: primò carentiam terminorum, quibus forma finitur modo phisico, scilicet per receptionem in materia, vel per ordinem ad illam: & secundò carentiam terminorum, quibus res aliqua finitur, & limitatur modo metaphisico, scilicet ex defectu generis, & differentiæ, qui sunt termini limitantes metaphisicè essentiam: &

hinc

hinc limitatio omnis venit tùm ex genere, & differentia, tùm ex receptione formæ in materia, quæ cum absint à Deo, hinc in eo adest infinitas.

2. opinio est Scoti, & sequacium apud Fabrum *d.* 10. *n.* 36. sustinentium consistere in perfectione positiva omnis entitatis ipsi infinito debitæ; qui tamen duplicem infinitatem recognoscunt in Deo, aliam radicalem, quæ est essentiæ divinæ, cum sit pelagus, & radix omnium perfectionum, qua sibi identificat eas realiter; aliam formalem, estque singulorum attributorum, quorum unum non includit rationem formalem alterius, ipsamque appellant infinitatem in determinato genere: Et hinc Scotistæ inferunt simplicitatem in Deo ex ipsius infinitate radicali; ex hoc enim aliquid dicitur incompossibile, & simplex in summo, quia est infinitum; Et hoc dicunt procedentes secundùm sua principia, ut scilicet salvent distinctionem formalem attributorum ab omni componibilitate; & ut collocent in primo, & supremo gradu identificationem realem provenientem ex infinitate radicali, qua identificat sibi realiter omnem perfectionem; undè, aiunt, talem simplicitatem posse stare cum distinctione formali existente in attributis divinis eò quia sunt infinita secundariò, & veluti in determinato genere, quia talis infinitas descendit ex divina essentia, ob idque non secundùm totam latitudinem entis, sed solùm veluti in determinato genere sapientiæ, bonitatis, &c. de qua materia. Vide Mastrium *dist.* 1. *num.* 55. & 301. *seq.*

3. opinio est Seraph. Doct. qui cum secunda sustinet infinitatem Dei non consistere præcisè in negatione, nisi ex consequenti, sed in ratione positiva, sed postea negat illam duplicem infinitatem radicalem, & formalem tanquam duas rationes distinctas; vultque inferri in Deo infinitatem ex ratione simplicitatis divinæ: *Sic in locis infra cit.* Pro solutione, &c.

56 1. Not. *ex lib.* 1. *dist.* 35. *art.* 1. *quæst.* 1. *ad ult.* & *dist.* 43. *art.* 1. *quæst.* 2. *ad* 1. quòd cum infinitum, ex vi nominis dicat privationem, vel negationem finis, hoc potest dici duplici modo, scilicet vel per negationem perfectionis, & actus, qualis est in materia prima; vel per privationem limitationis, & finis; primum dicit maximam imperfectionem, quia indiget actuari, & impleri per actum, & formari: secundum dicit maximam perfectionem, quia in eo actus completur per potentiam, & perfectionem, ideóque non habet finiri, sed potiùs finire, & complere, & perficere, cum sit ultimus omnium perfectionum finis, contineatque omnem entitatem, & bonitatem: Rursus hoc infinitum aliud dicitur in genere, aliud supra genus: infinitum in genere est quod continet totam entis latitudinem in genere determinato V. G. in quantitate, in sapientia, ad quod tria requiruntur: primum ut formaliter, vel eminenter contineat omnem perfectionem, & mensuram possibilem, vel imaginabilem in illo genere: secundum ut series illarum perfectionum excurrat crescendo sine termino: tertium ut in illa interminabili serie non possit assignari aliquid determinatum, quod non infinitè superetur ob eo, quod dicitur infinitum: sic sapientia infinita continet omnes sapientiæ species, gradus, mensuras, distinctiones possibiles, vel imaginabiles intentionum, extensionumque; tandem ad omnia, quæ ad ipsam spectant, & ideò in tali infinito contenta sunt res positivæ determinatæ, & limitatæ, sed sine termino, ita ut non possit deveniri unquàm ad aliquid, quodcumque illud sit, quod non excedatur infinitè: infinitum verò aliud est tale in ratione entis, taleque est absolutè, & omnibus modis, & possibilibus, & imaginabilibus, quia totam entitatis amplitudinem, quæ in infinitum, & sine termino excurrit, in se continet, eique se exæquat: *Hæc omnia ex Seraph. Doct. locis citatis, & infra cit.* Rursus infinitum hoc absolutum tale dici potest vel positivè, vel negativè: positivè dicitur sumendo ipsum, ut unum, & determinatum; & in modum rei unius singularis, & determinatæ conceptibile, sed adeò perfectum, ut infinita in se eminenter contineat eo modo, quo supradictum est in tota entis latitudine.

Infinitum negativè idem dicitur, non concipiendo ipsum, ut una res positiva, & determinata, sed ut multitudo rerum determinatarum sine termino, & statu excurrentium, & crescentium in quovis genere entitatis: neutrum verò est in rebus creatis, cum non sit aliquid positivum, & per modum unius rei determinatæ, ideò non potest esse terminus creationis: aliud verò propriè est in solo Deo: nam infinitum syncategorematicum propriè non est infinitum, cum constet tantùm partibus finitis: & tali pacto locutio, & prædicatio fit de Deo vel per affirmationes positivas, vel negativas.

Not. 2. quòd finitum, & infinitum ab Aristotele 57
assignantur ut proprietates quantitatis molis: de quibus hic non est sermo: sed tales proprietates, vel modi sunt etiam assignabiles quanto virtutis, quod propriè dicitur infinitum intensivum entis. *Sic S. Bon. lib.* 1. *dist.* 43. *art.* 1. *quæst.* 2. *ad* 2. & *l.* 3. *d.* 14. *art.* 1. *quæst.* 1. *alibique sæpe.*

Not. 3. ex Seraph. Doct. *lib.* 1. *d.* 43. *art.* 1. *per tot. præcipue q.* 1. & *d.* 37. *p.* 1. *q.* 1. *corp.* & *ad* 3. & *l.* 3. *d.* 14. *a.* 1. *q.* 1. *corp.* & *ad* 3. & *l.* 1. *d.* 3. *p.* 1. *a.* 1. *per tot.* alibique sæpè, quòd, ut supra traditum est in quæst. de simplicitate Dei, cum simplicitas sit modus unitatis perfectissimæ, & summæ, excludatque omnem potentialitatem, & componibilitatem, ob idque & quamcumque terminationem, ideò dicit actum purum (omnis enim finitas oritur ex dependentia vel ex his, vel cum his, vel ab his, quia pars est quæ terminat, vel aliam partem, vel totum, vel totum est per participationem, ob idque cum dependentia, & potentialitate) hinc ex simplicitate oritur, vel infertur infinitas absoluta (quidquid dicant Scotistæ) & ratio est, quia simplicitas summa dicit indivisionem summam entis, & esse, & unitatis in essentia; quia enim essentia est centrum existentiæ, & virtutis, & cum nulla potentia limitetur in centro suo, ideò ubi est essentia, ibi est virtus, quæ potest totum ubique, & quia talis virtus, quæ est ratio infinitatis, est idem quod ipsa essentia divina quasi ad hanc consequitur; & hinc est, quòd ratione simplicitatis, & per consequens infinitatis essentia divina habet identificare sibi perfectissimo, & unitissimo modo quamcumque perfectionem simpliciter simplicem: undè falsum esse concluditur id, quod asserunt Scotistæ, dari duplicem infinitatem in Deo, scilicet radicalem in essentia, & formalem in attributis: talis autem duplicatio omninò superflua est, ratio est, quia infinitatis ratio est essentiæ virtus existens in centro suo, scilicet in essentia, quæ ratione simplicitatis perfectissima, & formali unitate est eadem cum ipsa, ideò tribuit suam rationem omni perfectioni existenti in infinito, hinc est, quòd in tantum attributa divina sunt infinita, in quantum sunt unum perfectissimo, & purissimo modo, & formaliter cum ipsa virtute essentiæ summè simplicis, quia enim Deus summè simplex, ideò ad nihil arctatur, ideóque infinitus, ideóque immensus; & quia est summè simplex ideò in infinitum virtuosissimus,

simus, quia virtus ejus est in omnibus, quæ virtus idem est quod substantia, ideò necesse est, quòd sit in omnibus, & quia summè simplex, ideò actus primus, ideòque idem est quod sapientia, potentia, bonitas, &c. *Vide S.Bon. lib.1. dist.37. quæst.* & *dist 43. art.* ubi altissimè banc doctrinam fundamentalem tradit. His positis, &c.

58 1. concl. infinitas Dei non consistit præcisè in negatione, sed in entitate positiva, scilicet in simplicitate summa continente virtutem unitissimam Dei, est S Bon *loc.cit.* præcipuè *l.1.d.43.quæst.1.* ꝟ 2. Probatur prima pars; quia negatio de se nullam dicit perfectionem, & si dicit, id est ratione appositæ perfectionis, sed infinitas dicit summam virtutem, & perfectionem, ergo. Probatur a ex doctrina Seraph. *lib.1.dist 28. quæst. 1.* quam tradit de innascibilitate Patris: Negatio cum constantia subjecti, sivè negatio in genere supponit in subjecto aliquam perfectionem, cujus ratione ei convenit infinitas, ergo dicit quid positivum: Antecedens probatur, quia negatio finis importata per hoc nomen, infinitum, non potest subjecto convenire, nisi ob aliquam perfectionem, ad quam sequatur necessariò talis negatio; ergo dicit quid positivum essentialiter, & negativum ex consequenti.

2. pars sequitur ex probatione primæ: Probatur autem primò à priori: quod est summè simplex, & purissimus actus, id est infinitum; solus Deus est talis, ergo solus est infinitus; major probata est in antecedenti quæstione, & patet., quia simplicitas summa & purissima actualitas excludit omnem compositionem, & ob id omnem terminationem, ergo ex hac infertur infinitas in Deo: Probatur a. à posteriori: tùm ex potentia illimitata, & identitate essentiæ, & potentiæ: tùm ex hoc, quòd non potest ipsi superaddi aliqua perfectio finita: tùm quia Deus à nullo est, sed omnia ab ipso, ergo sine aliqua terminatione.

59 2. concl. infinitas est modus intrinsecus essentiæ divinæ, spectans potiùs ad quale, seu qualitatis dicit intentionem entitativam, seu virtutem. coexistentem cum essentia divina, quæ tamen dicitur attributum lato modo. Patet ex traditis in fundamentis; continetur enim infinitas in conceptu quidditativo essentiæ adæquato, sicuti intensio, seu virtus intensiva continetur in substantia; quòd autem sit modus potiùs quam attributum etiam probatur, quia potest probari à priori per simplicitatem, & actualitatem puram, ergo intelligitur tamquam perfectio secundaria divinæ essentiæ.

60 3 concl. infinitas est propria solius Dei, ob idque incommunicabilis alicui, vel nulli creaturæ: Conclusio hæc petit illam quæstionem phisicam, an Deus possit producere infinitum, quam in tertio libro Phisicæ ex principiis Seraph. Doct. enodavimus. ad quam remitto Lectorem: Ex eo enim, quòd infinitas excludit omnem, & quamcumque potentialitatem, dicitque de se actum potissimum in quocumque genere; & cum in nulla creatura possit adesse talis summa actualitas, & in omni creatura, quantacumque sit, intrinsecè adsit aliqua potentialitas, vel ad esse, vel ad non esse; hinc sequitur veritas nostræ conclusionis: Hanc quæstionem tractat fusè P. Gaudentius *dist.6.quæst.1.* & *Seraph. Doct. lib.3. d.1. art 1. per tot.*

Obüc. 1. si essentia divina est infinita ergo continebit omnia creata; sicque nullum ens præter ipsum adesse. Resp. distinguo consequens: continet omnia, vel formaliter, vel eminenter: continet quidem omnia eminenter, & hoc est de ratione infiniti, hinc negatur ultima consequentia.

Obüc. 2. infinitum de se dicit negationem, vel 61 privationem finis, sed Deus est finis finiens omnia creata, ergo non est infinitus. Resp. infinitatem, ut supra notatum est, dicere primò perfectionem positivam infinitam, & secundariò negationem finis, & ob istam negationem finis dicitur summum bonum, ad quod omnia creata finiuntur, & tendunt. Vide alias objectiones, quas affert Seraph. Doct. loc. cit. quæ facilè possunt solvi ex traditis.

Hinc ex traditis sequitur primò quòd ratione infinitatis (ut dicit D. Dion. *l.de div. nom. c.1.* & *13.* & *de mystica Theol. c.4.* & *5.* & *alibi sæpè,*) possunt omnia de Deo affirmari, & etiam negari: Affirmantur autem omnia, quia omnia sunt in ipso vel formaliter, vel eminenter: sic sapientia, bonitas, justitia, aliaque, quæ formaliter dicunt perfectionem; & quia plurima rerum nomina non tribuuntur Deo ob imperfectionem, quam involuunt, tamen omnes rerum species, & individua sunt in ipso eminenter secundùm sua prototypa, & veluti primæva, & æterna semina, ex quorum vi pullularunt, atque adeò sunt in ipso intrinsecè, non quidem secundùm suum esse formale, & essentiale, sed secundùm suum esse eminens, & supereſſentiale; undè ipse est omnia, & singula eminenter, & supereſſentialiter.

Negantur etiam omnia de ipso, quia ipse est supra omnem rationem, & speciem creatæ mentis conceptibilem: concipiuntur enim à creatura sub ratione limitata, non includente omnem aliam perfectionem; sed in ipso continentur perfectissimè, & infinitò modo; tùm tamquam in causa efficiente valente res omnes producere; tùm tamquam in causa exemplari ratione idearum, quæ sunt vivæ notiones, & similitudines rerum, per quas, & secundùm quas omnia produxit; tùm & tamquam in causa finali, quia omnia sicut sunt ab ipso, ità & propter ipsum; & tandem tamquam particulares causæ & in universali: *Sic Apostolus ad Rom. cap. 1. Ex ipso, & per ipsum, & in ipso, & ad ipsum sunt omnia.*

Appendix, & applicatio mystica in ordine ad orationem, & meditationem.

HÆc est vita æterna (dixit Christus Jesus 62 Joan. *cap. 17.*) *ut cognoscant te verum Deum, & quem misisti Iesum Christum*: docens in his verbis, cognitionem Dei esse supremam, & absolutissimam perfectæ, consummatæque justitiæ regulam, & normam omnis rectitudinis, qua certissimè ad vitam æternam perducamur. Hinc S. Dion. dicebat primam unionem cum Deo esse per intellectum, ex qua tamquam ex fonte sequitur unio per affectum, nempè per spem, & charitatem, religionemque, & similiter unio aliarum virium animæ cum eodem quatenùs earum operationes per affectum in Deum, ejusque gloriam elevantur, ac diriguntur.

Et quia prima pars hujus justitiæ per Theologiam scholasticam perficitur; imbuitur enim intellectus, & in intellectu unio prima cum Deo; hinc vos ô studentes Seraph. noster Magister invitat ad complementum hujus notitiæ, scilicet ad mysticam Theologiam, ut cognitis (quantum possibile est in hac obscuritate viæ) perfectionibus Dei, ejus attributis in communi, & in particulari, ipsius summa simplicitate, purissima actualitate, & infinitate, hanc eamdem notitiam in praxim reducatis in oratione, eam in affectu excitando, excitatam augendo, & auctam perficiendo; & licèt multiplex fructus capi possit ex hac sublimi notitia, tamen ad quatuor, vel quinque capita ipsos vobis propono.

Primus

Primus eſt, ut ſumma reverentia, & humilitate cum Deo agamus, & coram ipſo ambulemus: quò enim major Princeps, cum quo nobis loquendum, vel verſandum eſt, eò majorem ei reverentiam, & ſubmiſſionem exhibemus: Itaque cum Dei Majeſtas, & excellentia per omnia ſit infinita, infinita quoque reverentia, honore, & ſubmiſſione dignus eſt; quæ cum à creatura præſtari nequeant, convenit ſaltem præſtet ſummam, quam commodè poteſt, præſertim in oratione, quando cum ipſo loquimur, & ſalutis noſtræ curam agimus, ſed potiſſimùm in ſacrificio Miſſæ, ubi infinitæ illi Majeſtati, infiniti pretii, & immenſæ dignitatis hoſtia offertur. Ad hanc autem reverentiam excitandam duæ conſiderationes concurrere debent: nimirum excellentiæ infinitæ Dei, & noſtræ vilitatis per comparationem unius ad alterum; ex conſideratione enim noſtræ vilitatis, nihilitatis, miſerabilis paupertatis, & indigentiæ excitari debemus ad nos humiliandum coram illa infinita Majeſtate, à qua habemus quidquid ſumus, & habemus, ut dicamus cum Abraham: loquar ad Dominum meum, cum ſim pulvis, & cinis.

2. eſt, ut adepta tali cognitione divinæ excellentiæ Deum ſupra omnia ſinceriſſima charitate & benevolentia amemus; cum propter ſuam infinitam excellentiam infinitè dignus ſit omni bono, omni gloria, omni laude, omni cultu, omni veneratione, omni obedientia, & obſequio: & ſi noſtrum affectum tali amore, & benevolentia in Dei excellentiam ornabimus, tunc & excitabitur in nobis maximum deſiderium gloriæ Dei in creaturis, & promptitudo animi ad vitam noſtram, ad vires omnes, & facultates omnes expendendas, ad gloriam Dei maximam in creaturis procurandam, id eſt ut omnes illum noſcant, & infinitudinem ejus Majeſtatis, immenſitatem, æternitatem, ſapientiam, &c. & ament, & timeant, & colant, & laudent ſemper in omnibus, in hia enim gloria Dei externa conſiſtit; & hinc oritur maximum gaudium de bonis ejus internis, & perfectionibus, quòd ſcilicet ſit tantus, tàm infinitus, tàm perfectus, tàm immenſus, &c. ô grande exercitium eſt hoc! verè immenſum mare plenum dulcedine Paradiſi; ô fælix, qui in ipſum dignus ſit introduci, & ſe immergere.

3. fructus, & ſequitur ex antecedenti, eſt, ut Deum tàm dignum, & infinitum ſuper omnia deſiderabilia amemus, & deſideremus, quia in ipſo infinitè eſt quidquid poſſumus concupiſcere, ut nobis benè ſit; in ipſo enim eſt omne bonum, omne pulchrum, omne delectabile, omnis dulcedo, omnis quies, omnes divitiæ, omnes theſauri, omnis nobilitas, majeſtas, ſapientia, potentia, & denique vita æterna: Ex quo pariter gignitur cognitio amentiæ noſtræ, dum extra Deum, in rebus creatis nobis procuramus aliquod bonum, cum omnia ſint vilia, fugacia, vana, &c.

4. fructus eſt ex ſupra dictis conſequens, ſcilicet ut cognoſcamus ſervitutem Dei eſſe nobiliſſimam, eamque rebus omnibus etiam ſceptris, & imperiis anteponendam: hæc autem conſiſtit tùm in cognitione Dei, & eorum, quæ ad ipſum pertinent; tùm in officiis charitatis, & benevolentiæ, & gratulationis de ipſius Dei bonis infinitis: tùm ex conſequenti in officiis Religionis ipſum colendo, laudando, orando, &c. ejus mandata ſervando; ſic enim obtinebimus vitam æternam, quam ipſum cognoſcentibus modo dicto promittit.

5. Hinc & ad notitiam Jeſu Chriſti ſimul invitamur, dum dicit Chriſtus; *Hæc eſt vita æterna, ut te Deum verum cognoſcant, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum:* nempè conſiderando, quòd cum Deus de ſe ſit ſummè ſimplex, immuniſque ab omni compoſitione, potentialitate, & paſſibilitate voluit fieri homo, & aſſumere corpus compoſitum, potentiale, paſſibile, ut ſic ſe ſubiiciendo tot pænalitatibus, nobis præberet exemplum, viamque pararet nobis aſcendendi per imitationem ad ipſius perfectam unionem, non ſolùm mentis, ſed & corporis, & ſic ad beatam gloriam pervenire, &c.

O Domine Deus meus, Deus magne, & terribilis, Deus immenſæ Majeſtatis, Domine pelagus infinitum eſſentiæ bonitatis & beatitudinis, fac ut vileſcant mihi omnia tranſitoria propter te, & chara ſint mihi omnia tua, & tu Deus meus pluſquàm omnia, ut amem te ſupra omnia, & ſemper ſerviam tibi, quia infinitè melior es omnibus, & dignus, ut omnis amor, omnis benevolentia, omnis benedictio, omnis gratulatio, omnis gloria, omnis ſervitus tibi ab omni creatura in omnem æternitatem deferatur, & impendatur. Amen. Hæc omnia ex Seraph. Doct. in ſuis opuſc. præcipuè in Theologia myſtica.

QVÆSTIO V.

De immutabilitate Dei: quid ſit, & quænam ipſius ratio.

SEraph. Doct. *lib.1. diſt.8. p.2. dub.1.* advertit, 63
quòd cum ex ſimplicitate, & infinitate Dei tanquam ratione formali oriatur immutabilitas, ſecundùm ordinem naturæ, & doctrinæ, prius expendi deberet ſimplicitas, poſteà immutabilitas, ſed quia immutabilitas eſt notior nobis, cum negatio ſit notior affirmatione, ideò Magiſter ſententiarum, & ipſe Seraph. Doct. priùs agunt de immutabilitate, ut faciliùs innoteſcat ſimplicitas, & infinitas: His tamen non obſtantibus nos ſequentes ordinem doctrinæ, & naturæ poſt conſiderationem ſimplicitatis, & infinitatis proponimus poſteriori loco quæſtionem de immutabilitate Dei. Et quia triplex eſt mutatio, prima ad formam ſubſtantialem, vel accidentalem, & dicitur corruptio, generatio, & tranſmutatio. 2. ad locum. 3. ad tempus, ſeu ſecundùm durationem; hinc è contra triplex immutabilitas in Deo poteſt conſiderari, vel ad formam ſecundùm ſe, & dicitur abſolutè immutabilitas; vel ad durationem, & dicitur æternitas; vel ad locum, & dicitur immenſitas: de quibus omnibus Seraph. Doctor. *lib. 1. d.8. p.1. art.2. & d.37.* Primò igitur quæritur, an immutabilitas abſoluta conveniat Deo, & an ſit ſolius Dei propria; an etiam poſſit competere alicui creaturæ: Pro cujus ſolutione ſit.

1. concl. Nulla creatura datur, vel dari poteſt non ſubjecta alicui ex traditis mutationibus, eſt S. Bon. cit. & communis; & patet quia omnis creatura per mutationem tranſit de non eſſe ad eſſe, eſtque capax revertendi ad ſuum non eſſe; ſi à Deo non conſervetur; tùm quia omnis creatura, vel eſt accidens, vel habet accidens, & ſubjecta vel mutationi ad formam ſubſtantialem, vel accidentalem, vel ad locum, vel quoad durationem; quæ, propoſitio per ſe patet, nec indiget ulteriori probatione: Et hinc.

2. concl. ſolus Deus eſt immutabilis, & immunis à quacumque mutatione. Eſt Seraph. Doct. & communis, eſtque definitum de fide in Concil. Lateran. Probatur autem à Seraph. Doct. velut à priori:

Primò

Primò ex simplicitate, & summa actualitate, & infinitate tali pacto. Omnis mutatio oritur ex potentialitate, sed in Deo nulla est potentialitas, ergo nec ulla immutabilitas: subsumo; sed in qualibet creatura adest potentialitas, ergo in ulla creatura adest mutabilitas: major per se patet, ubi enim est potentialitas, ibi est aptitudo ad id, quod non habetur, ergo & immutabilitas: minor item est certa quia Deus est actus purus, & summè simplex, ergo immunis ab omni potentialitate, & mutatione: Probatur 2. ex immensitate, qua est ubique ejus immutabilitas ad locum; qui enim mutatur ad locum, pervenit ad terminum de novo, sed Deus est ubique ergo, &c. Probatur 3. ex æternitate, in qua idem est præsens, præteritum, & futurum, ergo cum Deus sit æternus, non subjacet mutationi, durationis, &c. sivè quoad primum esse, sivè quoad successionem, sivè quocumque alio modo. Cum igitur nulla creatura possit dari, quæ non subjaceat alicui ex istis mutationibus, sequitur, quod hæc sit proprietas soli Deo competens: Addit & aliud argumentum ex Ricardo. Omnis mutatio vel est in statum meliorem, vel deteriorem, vel æqualem: Deus non potest mutari in meliorem, quia est verissimè, idest simplex actus purus, & infinitus: non in deteriorem, quia à se ipso est, & ideò non potest suam perfectionem amittere infinitam, non in æqualem, quia perfectissimus est, & infinitus, & ideò nequit extrà æqualis dari perfectio.

64 Obiic. 1. ex *Sap. cap. 7. omnibus mobilibus mobilior est sapientia:* Et si dicas, dici mobilem sapientiam increatam activè, quia dat motum omnibus creaturis, non valet, quia nihil dat quod non habet, sed Deus dat motum, ergo in se ipsum continet: Resp. S. Bon. dici mobilem Deum activè, quia ipse est, qui dat motum, sicut sensibile dicitur de animali, quia dat sensationem: ad id quòd nemo dat quod non habet; respondetur esse verum: nihil dat quod non habet, vel formaliter, vel exemplariter, vel causaliter, & virtualiter: Deus habet in se motum non primo modo, sed secundo, & tertio.

Obiic. 2. Deus non erat homo ante Incarnationem, posteà factus est homo, ergo mutatus est. Nec valet si dicas, quòd homo prædicatur de Deo non per inhærentiam novi esse advenientis Deo, sed per relationem, quæ potest advenire sine mutatione extremorum, vel unius extremi, sic nummo additur pretium per solum decretum Principis: Non valet inquam, quia D. Ambros. arguit contra hæreticum, qui dicebat Filium genitum fuisse in tempore; si hoc est verum (ait Ambros.) ergo de non Patre in tempore mutatus est in Patrem, ergo relatio hæc infert mutationem. Duplicem responsionem affert hic Seraph. Doct. quæ tamen in unam coalescunt: & primò quòd optimè arguebat Ambros. contra hæreticum; sic etiam eodem modo D. Hilar. ut ex Seraph. Doct. *dist. 9. dub. 16.* nempè si in divinis advenisset in tempore nova relatio personalis constituens Christum Filium Dei in esse, tunc verè secuta esset mutatio in utroque extremo: sed quia is, qui ab æterno erat Filius Dei, per incarnationem, & unionem factus est homo, hinc sola mutatio facta est in humanitate: secunda responsio est, quòd non advenit relatio personalis, hæc enim est constitutiva personæ, & hæc ab æterno, sed tantùm advenit relatio Dei ad creaturam, quæ est relatio tantùm secundùm dici, ut suo loco probabitur, per quam solùm mutatio vera fit in altero extremorum, scilicet in humanitate per unionem relativam, altero extremo manente immutato.

Obiic. 3. Deus de non agente, & creante fit agens, & creans, ergo mutatur: Nec valet si dicas, mutationem cadere in creaturam, non in Deo; quia priùs natura Deus intelligitur non creans, posteà creans, hinc de non creante est creans, ergo mutatus: Resp. Seraph. Doct. quòd duplex agens est, alius est, qui est sua actio; alius qui exigit actionem mediam à se distinctam ad agendum: agens hic secundo modo necessariò agendo mutatur; agens primo modo non mutatur, & ratio discriminis est, quia agens creatum necessariò transit de potentia ad actum: Deus autem cum sit purissimus actus, & ab æterno semper in actu pro illo, vel illo tempore, iste agit de novo sine sui mutatione, sed mutatio intervenit solùm in termino.

Obiic. 4. & est instantia etiam contra supra positam responsionem: Deus de non volente v.g. creare pro tali tempore fit volens pro alio tempore; ergo vel semper voluit ab æterno, vel mutatur; non primum quia Deus cum sit causa rerum, & aliquando non fuit causa, posteà fuit, ergo mutatus? Resp. Seraph. Doct. in Dei actionibus ad extra non concurrere mediationem alterius causæ, vel dispositionis, sed tantùm unionem actus, & operis cum divina volitione; & quia in Deo idem est substantia, voluntas, & operatio, & voluntas causa immediata est ex parte substantiæ virtutis, & actus immanentis; itaque sicut ab æterno est Deus, ita ab æterno est in eo voluntas, & volitio, attamen non conjungitur operi extra nisi pro tempore determinato: undè non valet Deus ab æterno voluit creare mundum, ergo ab æterno creavit mundum, quia voluit effectum prodire pro tali tempore, quo voluntas actui conjungitur extra, sic cum volo cras legere, voluntas conjungitur pro die crastino. *Vide op. Comp. Theol. lib. 1. cap. 19. ubi fuse istam quæstionem tractat. Seraph. Doct.*

Nota autem, quòd hæc objectio excitat illam molestissimam quæstionem, & omnium difficillimam circa immutabilitatem moralem voluntatis Dei ad actus liberos, & contingentes: sed quia hæc habet proprium locum in tractatu de prædestinatione, & voluntate Dei, hinc ibidem eam remittimus, ubi de actibus liberis Dei agetur.

Appendix, & applicatio mystica doctrinæ supra traditæ.

Ad vos ô dilectissimi Fratres Seraph. Doctor 65
dirigit hanc Theologicam doctrinam, ut hinc ad mysticam considerationem transferatis ipsam, pro materia orationis, & meditationis vestræ; ut nempè ediscatis quòd cum Deus sit immobilis de se, dans cuncta moveri, eò quòd nullus motus, nulla actio, nullum esse, nulla permanentia inesse possit creaturæ competere, cum omnis creatura sit ex nihilo, & ad nihilum caderet, nisi à Deo conservaretur; hinc occasionem sumere, & vota nostra transferre debemus ad exercitium humilitatis, cognoscentes nostram exilitatem, & nihilitatem, ut hinc discamus nos Deo subditos in omnibus vivere, ad ipsum continuè recurrere, ut abstergat ab oculis mentis nostræ fugacem nugarum hujus mundi fascinationem, ut quantum inter caduca, & immortalia, inter fluxa, & permanentia, inter bona hujus sæculi, & futuri intersit perspiciamus, ut illis contemptis, hæc prosequamur, hæc assequamur, hisque inhæreamus. Et cum totus mundus perpetuo motui sit subjectus, solaque æterna immutabilia,

mutabilia, ad ipsa defigamus corda nostra, ut hinc immutabilitatem in Dei cognitione, & amore perpetuo obtineamus; & cum tot mutationibus simus subjecti, ipsi Deo immutabili semper innitamur fide, spe, & charitate; ut avertat à nobis præcipuè mutationem, & casum à Dei gratia ad nihilum peccati: hæc enim mutatio est omnium horribilis, & perniciosa, ut hinc ejus gratia fortificati, stabiles in ejus servitio vivamus.

QUÆSTIO VI.

De Dei Æternitate.

66 ÆTernitas vel proximè consequitur immutabilitatem, ut sensit S. Bon. *lib. 1. dist. 8. p. 1. art. 2. quæst. 1.* vel quatenùs importat perfectionem in Deo connectitur cum immutabilitate: & ideò post quæstionem de immutabilitate differendum est de æternitate, quid sit, & an positivum, an negativum, an competat soli Deo, & quomodo coexistat omnibus partibus temporis, & qualiter differat à cæteris durationibus, quæ omnia ex scriptis Seraph. Doct. excerpemus: licet P. Trigosius noster dicat, S. Bon. de hac æternitatis quidditate nihil agere; quod verè mirum est in profitente se discipulum, & commentatorem S. Doct. cum de hac materia plurimis in locis, & fusè, & acutissimè disserat, quod & notavit doctissimus P. Gaudentius, qui plures quæstiones de hac materia excitat; nos autem in hac unica omnia necessaria ad hanc materiam comprehendemus. Pro solutione igitur quæstionis.

1. Not. ex S. Bon. *lib. 4. dist. 3. p. 2. art. 3. quæst. 1. ad 1. & cap. 5. in Exec.* quòd hoc nomen æternum variè usurpatur in sacra Scriptura; primò enim æternum, quod non habet finem præscriptum in Scriptura, sic filiis Israel data fuit terra in possessionem æternam. 2. quod habet finem, sed non in tempore, sic tempus dicitur æternum. 3. cujus significatum nunquam finitur; sic Sacerdotium legis figurabat Sacerdotium Christi æternum. 4. cujus substantia numquam finitur, licèt habuerit principium, sic Angeli, & animæ dicuntur æternæ à parte post. 5. propriè est æternum, quod caret principio, & fine: primis duobus modis illa dicuntur æterna quantùm ad figuram: tertium dicitur quantùm ad significatum: quartum dicitur quantùm ad substantiam ex parte post: solusque Deus dicitur æternus ultimo modo: Addimus, quòd hoc nomen æternum Deo applicatur dupliciter, vel secundùm puram æternitatem, & simplicem, sic Deus dicitur absolutè æternus: vel cum connotatione actus temporalis, ut cum dicitur Dominus, vel Creator, vel Redemptor, & hoc secundo modo potest sumi secundùm habitum, & in actu primo, sic est idem quod æternum absolutum; vel in actu secundo, & tunc dicitur temporaliter: *Vide l. 1. d. 29. dub. 3. & d. 41. dub. 4. & d. 38. quæst. ult. ad ult.*

Not. 2. quòd in Phisica fusè ex S. Bon. probatum fuit *l. 4. tr. 3. quæst. 1. & seq.* nempè tempus, & ævitenitatem esse mensuras reales mensurantes durationem primò rerum temporalium, & æviternorum, & secundariò ipsorum existentiæ, ob idque tam durationem, quàm mensuram distingui realiter à rebus durantibus, & mensuratis: hoc totum inquam probatum fuit loc. cit. quod solùm verum est in rebus creatis: nam in Deo non cadit talis distinctio, cum æternitas Dei sit ejus duratio, ob idque & ipse Deus; & hinc est, quòd Seraph. Doct. tractans de æternitate, eam ut plurimùm non appellat mensuram, sed tantùm durationem Dei, & cum tali nomine utatur, *ut in op. de seq. itin. ætern. d. 7.* sumit nomen mensuræ, scilicet lato, & improprio modo; & in hoc sensu cum aliqua analogia adnumeratur æternitas cum aliis duabus rerum creatarum, scilicet tempore, & ævitenitate, quas solas absque multiplicatione superflua aliarum mensurarum, Seraph. Doct. recognoscit in rebus creatis: *Sic in Centil. p. 3. sect. 7. & aliis loc. cit. supra, & infra.*

Not. 3. esse in quæstione apud Theologos in 67 quonam sit ratio formalis æternitatis Dei: nempè an simul cum sua entitate reali superaddatur formaliter etiam aliquis respectus rationis, nempè quatenùs cum uniformitate durationis Dei involvatur connotatio mensuræ divinæ substantiæ: & hoc est, quod multi Thomistæ admittunt apud Gaud. *q. 3.* alii verò sustinent in recto, & realiter dicere quid absolutum, & per respectum rationis addere negationem principii, & finis: sic cum Vasquez alii plures, inter quos Baudunus, & Coriol. &c. velut ad mentem Seraph. Doct. sed tamen communiter, & vera sententia est, æternitatis essentiam esse totam positivam, & realem, nempè uniformitatem omnimodam durationis, & hæc est Seraph. Doct. tùm in *Centil. cit.* tùm *in Comp. Theo. lib. 1. cap. 18.* tùm *in op. de septem itiner. ætern. cit.* qui tamen notat in Comp. non posse sufficienter explicari, nisi per negationem termini à parte antè, & post, quia cum sit simplicissima entitas, ob idque intellectus noster plenè non potest talia simplicia comprehendere, nisi per remotionem, & negationem, quod & docuit D. Dion. sic enim per negationes melius manuducitur intellectus ad divina aliqualiter cognoscenda.

Not. 4. quòd cum communiter à DD. dicatur, 68 æternitatem Dei coexistere omnibus partibus temporis: ista propositio indiget declaratione; nam potest sumi in falso, & vero sensu, ut notat Seraph. Doct. *lib. 1. dist. 41. art. 2. quæst. 1. ad 4. & d. 39. art. 2. quæst. 2. & dist. 3. dub. 7.* Malum, & falsum sensum habebit, si intelligatur, æternitatem mensurare tempus, vel à tempore mensurari, quasi in se includat formaliter partes temporis, vel aliquid, per quod ipsis correspondeat; nam in æternitate non est prius, & posterius: undè verus sensus erit dicere, quòd æternitas dicitur coexistere omnibus partibus temporis, quatenùs vel est causa temporis, vel est aliquid superexcedens tempus, quod est ipsum nunc æternitatis, respectu cujus simul, & semel Antichristus, & Adamus. V. G. ei sunt præsentes, & non quatenùs sunt in fluxu, per quem reducuntur ad præsens; & ratio est, quia ut ait Seraph. Doct. sicut cognitio Dei est omninò simplex, omninò præsens, & actus purus omnia complectitur per modum simplicitatis, & præsentialitatis, ideò nec novum, nec vetus, nec præteritum, nec futurum ei advenire potest: sic est omninò æternitas, & divina duratio, quæ est actus purus, cui omnia & præterita, & præsentia, & futura sunt omninò præsentia: exemplum aliquale potest desumi ex puncto: sicut enim punctum, quòd est in centro sphæræ, dum movetur virtualiter coexistit idem præsens omnibus punctis in circumferentia existentibus, quæ tamen cum inter se distent non coexistunt invicem; ita æternitas eminet per suum nunc præsens, & æternum omnibus variationibus temporum, undè dicitur coexistere omnibus partibus temporis, non simul, sed divisim sumptis; patet quia per suum nunc respondet ipsi nunc temporis,

non præterito, cum non sit, nec futuro, quia adhuc non est; alioquin tempus præteritum, & futurum si coexisteret æternitati, posset dici præsens, non præteritum. His positis.

69 1. Concl. Ratio formalis æternitatis non est quid reale in recto connotans in obliquo, vel continens formaliter per modum completionis quid rationis; est S. Bon. & plurimorum Theologorum contra Ferrar. aliosque Thomistas: ratio est potissima, quia æternitas est perfectio absoluta Dei, ergo non completur per respectum rationis; & si respondeant Authores adversantes, hunc respectum rationis, scilicet rationem mensuræ involvi per intellectum nostrum ad faciliorem captum nostrum de æternitate, sicuti tenentur respondere, in hoc sensu nulla est discrepantia. Hinc.

2. Concl. Æternitas de sua ratione formali completa dicit quid positivum reale absolutum, nullum dicens respectum ad creaturas, nempe est uniformitas durationis Dei, seu duratio uniformis Dei, & invariabilis; unde in sententia Seraph. Doct. duo dicit æternitas Dei. Alterum est uniformitas invariabilis, quæ ex actualissima simplicitate oritur. Alterum interminabilitas, seu diuturnitas sine principio, & fine: *sic Seraph. Doct. loc. cit. & præcipue in Comp. Theol.* unde essentialiter non involvit negationem, ut vult Vasquez, nec alium respectum, ut volunt alii.

Probatur 1. ex divina simplicitate: Ens simplicissimum infinitè perfectissimum est ens reale positivum, sed æternitas Dei est hujusmodi, quia est duratio entis per essentiam, atque adeò infinitè perfecta, ergo sicut infinitas divinæ essentiæ intensiva est perfectio positiva absoluta, ita æternitas, quæ est extensiva ad permanentiam.

Probatur 2. Simplicitas summa in Deo importat in esse, & essentia Dei modum positivum, ergo & in duratione; probatur consequentia, quia duratio sequitur, estque ejusdem rationis cum ipsa re durante, ergo dicit & ipsa totum suum formale positivum absolutum: Et hinc sequitur negationes importatas in æternitate, & importantes negationem principii, & finis esse quid consequens ad ipsam æternitatem positivam. Hinc & Trismegistus (ex Seraph. cit.) dicebat sola monas est alpha, & omega, sive alpha, & omega, hoc est, quia Deus est principium sine principio, & finis sine fine, ideò rectè secundùm rem definitur tali pacto. Æternitas est diuturnitas sine principio, & sine fine, & mutabilitate: secundùm etymologiam verò dicitur æternitas, quasi extra terminos, quia termino caret tam initiali, quam finali.

Probatur 3. ex definitione data à Boetio Severino ab omnibus scholis, & Theologis tamquam propriissima unanimi plausu recepta. Æternitas est interminabilis vitæ, tota simul, ac perfecta possessio: explicatur hæc definitio: dicitur interminabilis ex opposito generabilium, & corruptibilium, & aliorum, quæ habent principium, & finem, quæque mensurantur tempore: dicitur non existentiæ, sed vitæ: vita enim est perfectissimum esse, ac proinde in ejus possessione meritò ponitur æternitas, quæ est perfectissima duratio, & etiam quia à nobis non concipitur nisi comparatione motûs, unde in vita apprehenditur motus quidam, & actuositas continua; dicitur ergo vitæ ad differentiam eorum, quæ durant semper, sed non vivunt, ut cœli, est enim æternitas duratio viventis perfectissimi; similiter excluduntur omnia, quæ aliquo modo mutantur, nam mutatio qualibet est quædam mors, ut dicit S. Aug. dicitur possessio, scilicet vitæ, quia in quibusdam est vita interminabilis, sed miserrima, ut in damnatis; æternitas verò est possessio vera, & felix, & jucundissima, quæ in nobis est tantùm in spe: dicitur tota simul ad excludendam vitam Beatorum, quæ non est tota simul, quia successionem habet, & in hominibus ante judicium non est tota, quia non est corporum, sicque possessio indicat perfectam actualitatem, & quietem jucundam; &, ly, tota simul, ad differentiam temporis, & ævi, quæ involvunt successionem in sententia S. Bon. & in sententia communi ævuum involvit principium: dicitur perfecta, ad differentiam eorum, quæ habent esse simul, sed imperfectum, ut instans, & punctus; sed æternitas est nullo indigens, & tota completissima ratione summæ simplicitatis: interminabilitas igitur, invariabilitas, & simplicitas sunt tres conditiones æternitatis Dei. *Vide S. Bon. in Comp. & Centil. cit.*

Obiic. 1. Æternitas definitur per negationem principii, & finis, ergo involvit negationem: Resp. nos uti simili modo negativo, tamquam faciliori ad explicandam perfectionem positivam æternitatis, ut dictum est ex D. Dion. & Bon. in fundamentis, sed tamen per hanc negationem intendimus explicare entitatem positivam antecedentem ipsam negationem, sic & unitas explicatur per indivisionem &c. aliaque multa attributa:

Obiic. 2. Scriptura tribuit Deo præteritum, præsens, & futurum, qui est, qui erat, qui futurus est. Hebr. *c.* 13. & aliis locis, ergo in eò est difformitas, non uniformitas: Resp. S. Bon. *l. 1. d. 9. dub.* 8. Scripturam uti his terminis pro nostro captu faciliori ad explicandum Deum fuisse semper, nunc necessariò & futurum semper; ita quòd per ista significatur invariabilitas durationis divinæ sine principio, & fine.

3. Concl. Æternitas propriè dicta est sollus Dei 70
propria; est de fide definitum in Concil. Later. & ratio patens est, quia solus Deus est immutabilis, actus purus, summè simplex, independens.

Sed obiic. dantur propositiones æternæ veritatis v. g. Homo est animal rationale, & similes, ergo æternitas non est propria solius Dei? Resp. istas propositiones dici æternæ veritatis non secundùm se, & propriam existentiam, quam non habent nisi in individuo mutabili, & variabili, sed quatenùs talis veritas descendit à prima, & summa, & infinita veritate divina; sic negatur consequentia.

Ex dictis sequitur primò æternitatem propriam Dei simul esse & longissimam, & brevissimam: longissimam virtute, & coextensione, qua infinitis temporum spatiis se æquat: brevissimam, quia in puncto temporis habet omnia, quæ per infinitum tempus habere potest; & ideò sicut tempus est nunc volans, & semper fluens per aliud, & aliud; ita æternitas est nunc stans, in quo omnia sunt simul, & semper in eodem consistunt statu, & sub ipsa volant omnia tempora, & prætereuntibus aliis succedunt alia, & omnis creata natura suos accessus, & recessus patitur amissis antiquis, nova acquirens: secundò discrimen patet inter durationem Dei, & creaturarum, nam duratio Dei immunis est à principio, & fine: tempus, & temporalia habent utrumque. Æviterna habent principium, non finem, sed tamen cum successione, ut à nobis demonstrabitur in tractatu de mensura Angelorum: Patet tertiò, æternitatem nil entitatis sive realis, sive formalis addere ad divinam simplicitatem, & immutabilitatem, nisi applicationem ad durationem Dei, cum nihil aliud sit, nisi immutabilitas divina quoad durationem.

Appendix,

Appendix, & applicatio mystica ad meditantes, & orantes.

SEraph. Doct. habet in secunda parte suorum opusculorum tractatum egregium de septem itineribus æternitatis, in quo dirigit animam per viam meditationis, & contemplationis, ut se transferat ad possessionem Dei summi, & æterni; invitatque nos ad percipiendos fructus hujus sacræ Theologiæ scholasticæ per viam mysticam; quorum primus est recognitio, simulque gratulatio, quam debet excitare in se anima cum Deo, quòd in se, & ex se sit immutabilis, infinitus, & æternus. Gratulandum est Patri, quòd sit fons divinitatis, & processionum divinarum, quòd talem, & tantum generet Filium, quòd tantum spiraverit amorem, quòd hos produxerit nón à centum, vel mille annis, sed ex omni æternitate, & in omnem æternitatem producat: Filio item, quòd tanti Patris sit Filius, quòd omnium bonorum Patris in solidum sit particeps, quòd una cum Patre sit fons Spiritus Sancti, quòd hæc bona habeat ex omni æternitate in omnem æternitatem: Pari ratione gratulandum est Spiritui Sancto.

Et hinc secundus fructus est maximum gaudium, quod ex tanti boni expectatione certa nascitur; cum enim consideramus totum illud bonum Dei æternum, nostrum esse nobis promissum, & à nobis in æternum, & totum simul possidendum, non possumus non maximo gaudio affici: & quamvis non fuerimus ab æterno, tamen possidentes Deum æternum, fruemur in eo etiam æternitate, quatenùs in immensum illud pelagus nos ipsos immergemus; ibi possidebimus divitias infinitas infinitis sæcula non paulatim, sed affatim accumulatas, & omnibus simul fruentes.

Et hinc tertius fructus, nempe maximus timor æternæ damnationis, quia in hac est infiniti, & æterni illius boni jactura, & summi, æternique tormenti perpessio: nullum malum pœnale majus, graviusque & acerbius animo concipi potest: æternus carcer, æternæ tenebræ, æterna sitis, æternus vermis, æternus fœtor, æternus horror, æternus luctus, æterna comploratio, & quidquid malorum cogitari potest, ibi erit; & æternum erit. O ô quis æternitatem in istis omnibus considerans non exhorrescat? quis mundi vanitatem, divitias, voluptates, honores ad momentum captare velit cum tanto æternorum malorum periculo?

Et hinc quartò oritur contemptus mundi: qui enim æterna considerat, clarè videt, quàm parvi, & nullis momenti sint omnia temporalia, si cum æternis comparentur? nam quidquid transit, hoc ipso, quo desiit, perinde est, ac si numquàm fuerit: ô æternitas: abyssus gaudii Sanctis, abyssus miseriarum, & dolorum impiis; sicut enim omne bonum facis infinitè melius, & optabilius, ita omne malum efficis infinitè pejus, & molestius: ô æternitas: tu omnem superbiam retundis, omnem duritiem frangis, omnem animositatem reprimis, omnes peccatores perturbas, omnes pios in afflictione recreas, & ineffabili gaudio perfundis: ô æternitas: hæc semper menti nostræ obversetur in intimis sensibus inhæreat, & omnium nostrarum actionum, & totius vitæ regula sit. Amen.

QVÆSTIO VII.

De Dei immensitate.

1. SUppon. quòd ex summa simplicitate actuali- 72
tate, & infinitate Dei oritur immutabilitas, tùm in ordine ad essentiam, tùm ad durationem, tùm ad locum; & quia æternitas explicata est per ordinem ad tempus, sic & immensitas per ordinem ad locum explicanda: Et licèt ea vi hujus nominis significetur id, quod non habet mensuram, tamen communiter sumitur pro modo, quo Deus est illimitatus secundùm præsentiam ad res, seu secundùm existentiam in rebus, quam appellant ubiquitatem, licèt in rigore non sint unum, & idem, quia ubiquitas ut actus secundus sequitur ex immensitate, ut ex actu primo, hæc enim dicit præsentiam aptitudinalem, illa actualem. Hic autem supponimus immensitatem Dei esse vel modum intrinsecum, vel attributum Dei positivum dicens præsentialitatem ad omnes res, & loca, & ideò idem est ac immutabilitas, & infinitas, solúmque addit respectum rationis ad locum, vel rem: De ista immensitate videbimus in quonam sit ipsius ratio formalis, & quomodo Deus se habeat sua præsentia ad loca, & res: pro solutione igitur &c.

Notan. 1. quòd dum quæritur quænam sit ratio formalis divinæ præsentiæ ad res, potest tripliciter intelligi, nempe quænam sit ratio probans à priori talem præsentiam: 2. quænam sit ratio à posteriori: 3. quænam sit ratio ex connexis, & concomitantibus: In qua D. Th. & Thomistæ dicunt rationem à priori esse divinam operationem, vel omnipotentiam; per quam velut à priori probatur ejus præsentialitas in rebus, ex hoc, quòd ratio præsentialitatis in entibus spiritualibus est ipsa operatio; & multò magis in Deo, ut patet in creatione rerum, ad quas extendit suam præsentiam per operationem creationis, cum priùs essent nihil: Alii dicunt posse probari tantùm divina immensitate per locum à concomitantibus, nempè ex identificatione omnipotentiæ divinæ cum immensitate, & existentia, & virtute, & operatione, hinc inferunt Dei præsentiam ex omnipotentiam, & ex immensitate tamquam duobus attributis identificatis: Alii etiam id probant, quia volunt præsentiam Dei esse conditionem prærequisitam, vel saltem concomitantem ad agendum in tali loco, & hinc inferunt præsentialitatem inferri à posteriori, tamquam demonstrationem conditionis per effectum ab illa pendentem. Scotus verò, & sequaces, & alii etiam extranei negant bene demonstrari Dei præsentiam in rebus ex operationibus; & hinc Seraph. Doct. trahitur ab istis DD. ad suam uniuscujusque partem, qui tamen admittit utroque modo probari Dei ubiquitatem, à priori quidem per intimitatia existentiæ præsentiam, & à posteriori per operationem.

Not. 2. quòd quando quæritur, An Deus sit in omnibus rebus, ly (in) potest intelligi prout dicit solam indistantiam, scilicet præsentiam puram; vel prout addit etiam consistentiam in loco, sive definitivo modo, sive circumscriptivo: Quæstio movetur primo modo, nam aliis duobus convenit Angelis, & corporibus non Deo. *sic S. Bon. l. 1. d. 37. p. 1. q. 1. & p. 2. q. 1. ad 1.*

3. Not. quòd ut magis explicet Seraph. Doct.

immensita

immensitatem Dei, proponit, & solvit varias quæstiones in ordine ad existentiam Dei in omnibus rebus, & ad locum, quas in hac unica quæstione per plures conclusiones ressolvemus brevitatis majoris causa: His positis.

73 1. Concl. Deus est in omnibus rebus. Conclusio est de fide, & eruitur ex pluribus locis Sacræ Scripturæ, ut ex Ps. 138. *si ascendero in Cœlum tu illic es &c.* & Hier. c. 23. *Cœlum & terram ego impleo*; & Act. *cap. 7. Non enim longè est ab unoquoque nostrum, in ipso enim vivimus, &c.* & idem asserunt omnes SS. Patres, ut videre est apud Seraph. Doct. *d. 37. per totam*, & Gaudentium, aliosque sacros Theologos.

Prob. autem ratione à Seraph desumpta ex parte Dei: primò is, qui habet substantiam illimitatam, & immensam, estque immutabilis, est in omnibus rebus; talis est Deus, ergo. Major probatur ex summa simplicitate, qui enim est simplicissimus, & sua virtus, is est illimitatus, & immensus, & simul idem cum sua virtute, substantia, & operatione; talis est Deus, ergo ubique ex immensitate, & in omnibus rebus.

Hic autem nota Seraph. Doct. probare immensitatem, & præsentiam Dei ad omnes res à prio,i, scilicet ex simplicitate divina, & tangere etiam rationem à posteriori ex virtute divina operante in rebus, quatenùs ob simplicitatem est sua virtus, & operatio.

Prob. 2. ex parte rerum, scilicet ex dependentia & indigentia rerum quia enim creaturæ pendent à Deo tùm in fieri, tùm in esse, tum in conservari, ergo indigent Dei præsentia ad fieri, ad esse, ad conservari.

Prob. 3. ex immutabilitate Dei: si enim Deus non esset immensus, ob idque non in omnibus rebus, ergo posset mutari, & acquirere per motum localem novam præsentiam: consequens est impossibile, ergo.

Obiic. 1. Ens, quod est cum cæteris impermixtum, non est in eis: Deus est ens impermixtum, est enim summa lux non permixta cum obscuritate, & tenebra, & varietate, quæ sunt in creatura, ergo non est in omnibus rebus. Resp. aliquid potest alteri uniri tribus modis. 1. Secundùm præsentiam tantùm, ut lux in aëre: 2. secundùm dependentiam etiam ut anima corpori: 3. cum concomitantia etiam, ut aqua permiscetur vino, oleum oleo: 1. modo importatur perfectio: 2. modo perfectio cum imperfectione. 3. modo cum majori etiam imperfectione, ob permixtionem qualitatum; Deus est tantùm primo modo, hinc negatur major si sumitur primo modo, & hinc negatur consequentia.

Obiic. 2. Quantò motor magis distat à mobili, tantò sufficientius movet, unde anima sufficientius movet corpus, quàm forma materiam, & intelligentia plusquam anima, sed Deus est motor sufficientissimus, ergo summe distans à rebus. Resp. disting. de distantia: alia est distantia corporea, & præsentialitatis, alia est distantia dicens independentiam, de prima falsa est major, quia movens, & motum debent esse simul ex Arist. *7. phisic.* 1. undè in corporeis distantia obest, non juvat: secunda verò prodest, quantò enim motor est magis independens, eò sufficientius movet, sic anima perfectius movet corpus, quàm forma corporea, & magis Angelus; Deus autem est omninò independens, ideò perfectissime movet, nec hinc infertur propositum, sed oppositum, scilicet ex tali independentia infertur summa simplicitas, infinitas, & immensitas.

Obiic. 3. Quantò aliqua virtus est magis unita, tantò est fortior, sicque minus diffusa; sed virtus Dei est infinita, ergo infinitè non diffusa in res alias. Resp. esse veram majorem de virtute in ordine ad subjectum, in quo est, per accidens verò extendi ad objectum magis elongatum à subjecto, ad quod minus est activa, ut patet in calore, in igne, ubi magis viget, quàm in aqua: & quia virtus divina est in substantia simplicissima, ob idque idem cum ea, & infinita, ideò per se est virtuosissima in quocumque objecto, & re, quia divina essentia ubique est centrum totius potentiæ, ut dixit Trismegistus.

Obiic. 4. quia sequeretur Deum esse minoris efficaciæ, si exigeretur ejus præsentia in passum, & rem; cum agens creatum possit agere in distans & facere rem non amplius ipso indigentem. Resp. hoc argumentum laborare æquivocatione, nam Deus est præsens agendo, non quia substantia ejus sit simpliciter necessaria ad agendum, magis quàm ens creatum, sed ob sui simplicitatem & infinitatem; & quia creatura est dependens ab ipso; agens enim creatum cum sit finitum, nec potest esse ubicumque operatur, & cum non possit in totum effectum, sed solùm in formam, neque effectus pendet ab illo omninò, sed eget alio conservante, ideò stat ipso absente; sed omnes res pendent à Deo in fieri, in esse, & in conservari, ideò non est simile de Deo, & agente creato: undè cum dicimus ad Dei virtutem, præsentiam, & operationem esse necessariam ipsam coexistentiam, & præsentiam substantiæ, id non est ex consequentia formali, quasi non posset aliàs agere per se Deus in distans plusquàm agens creatum, sed veluti consequentia materiali, scilicet quia virtus, & actio Dei est ipsemet Deus, & idem formalissimè cum substantia divina, hinc impossibile est, quòd extendat virtutem sine substantia, tùm etiam ex parte creaturæ, quæ sine tali præsentia non potest habere esse, vel conservari, ut dictum est, quod non evenit in agente creato ob suam imperfectionem.

Ex quibus patet qualem vim habeat fundamentum Thomistarum sustinentium, Deum esse in rebus per operationem, desumptum ex Arist. supra cit. quòd omne agens debet esse conjunctum, & simul cum passo; quæ propositio universaliter est vera, sed tamen ex consequentia materiali, non formali, id est hæc proximitas, & unio per operationem non est ratio formalis, & à priori talis præsentiæ, sed tantùm à posteriori, & maximè in Deo, in quo non differt substantia, & virtus; sed in creatura potest verificari hæc præsentia solùm etiam quoad virtutem, per quam agens dicitur præsens passo: & ad id de creatione, ex qua infertur præsentia in re creata ex operatione, resp. inferri à posteriori, priùs enim natura intelligitur ejus substantia, & coexistentia substantiæ.

2 Concl. Deus est ubique. Ut autem intelligatur 74
sensus hujus conclusionis, quæ est de fide, & expressa pluribus locis S Scripturæ, ut Hier. 23. Cœlum, & terram ego impleo, & ex omnibus Sanctis Patribus.

Not. quòd ly (in) scilicet an Deus sit in omni loco, & ubique hic terminus, in, & ubique est locale adverbium, potestque sumi ita ut locatum sit in loco definitivè, id est, ita ut sit in hoc loco, non in altero, ut anima est in corpore, & Angelus in suo loco, & dicitur esse definitivè in loco; vel circumscriptivè, ita ut totum sit in toto & pars in parte loci, & non extra locum, & quia locatum comparatur ad locum quadrupliciter, vel ut contentum ad continens,

tinens, vel ut mensuratum ad mensuram, vel ut conservatum ad locum conservantem, vel ut terminatum ad terminantem: locus enim continet, ut vas, mensurat, ut quantitas; salvat, ut natura; & terminat ut finis: Deus autem nullo ex his modis est ubique, & in omni loco, & rebus, scilicet nec definitivè, nec circumscriptivè, cum sit omninò independens, illimitatus, & immensus.

Dicimus ergo, quòd Deus est ubique modo extraordinario, & excellentissimo; & supereminenti, independenti, & ratio est, quia Deus est illimitatus, infinitus, & immensus & sua virtute omnia conservans, & hoc intimè penetrando res, ac ita sustentando, ut Deo concursum suum suspendente, res in nihilum abirent: Ex quibus sequitur, quòd Deus sit ubique illimitato, & immenso modo.

Q. 1. quid sit ista ubiquitas? Resp. ex Seraph Doct. *l. 1 d. 37. dub. 4 p. 1.* hunc modum partim intelligi quoad substantiam, scilicet Deum esse præsentem secundùm substantiam omnibus rebus, & locis, sed tamen quoad modum esse inintelligibilem, & inexplicabilem; posse autem aliqualiter intelligi (ait Seraph. Doct.) similitudine radii existentis in luto, & attingentis fœces, absque eo quod illis coinquinetur. Addit Seraph Doct. *l. 1 d. 37. a. 1 q. 1* Esse ubique convenire soli Deo, quia solus Deus est immensus; explicat hoc tali pacto. Deus dicitur esse ubique, ita quòd ex parte Dei intelligitur identitas, & totalitas; ex parte loci pluralitas, & universalitas, per conditionem identitatis, qua ubique est idem, excluditur universale, quod fundamentaliter est in omnibus singularibus, non tamen idem, quia natura illa universalis est contracta ad individua, & ita numericè est distincta in individuis, sed Deus est idem numero in omnibus locis: per conditionem totalitatis, scilicet non solùm est idem, sed totus in omnibus locis, quia est simplicissimus, per quod excluditur numerus, quia numerus est in omnibus numeratis, sed non totus, quia secundùm unam partem est in una, & secundùm aliam in alia: per conditionem ex parte loci pluralitatis locorum excluditur anima, quæ licèt sit in pluribus locis, & partibus, tamen ut unitis, non discontinuatis. Deus autem est in omnibus locis idem, & totus in omnibus locis tam unitis, quàm discontinuatis: per aliam conditionem ex parte loci universalitatis excluditur corpus Christi in Sacramento, quod licèt in pluribus sit hostiis, non tamen est in omnibus locis, sicut Deus, & si essent infinita loca in eis esset non ratione immensitatis, sed ratione existentiæ in Sacramento, ideoque limitato modo.

Ex infertur solutio alterius quæsiti propositi à Seraph. Doct. *p a p 1*, An Deus sit localis cum sit in loco? Resp. enim Deum non esse in loco localem, idest definitum à loco; sed ita esse totum in loco, ut etiam totus sit extra ipsum ob suam immensitatem, & simplicitatem, undè est totus in loco, non totaliter.

Obiic. 1. Vox si daretur tam grandis, ut extenderetur per totum mundum, tunc esset tota ubique, & eadem: Resp. neg. assumptum: vox enim multiplicatur per aërem, & ad aures pervenit per species intentionales multiplicantes vocem pro multitudine audientium; unde negatur quòd sit tota ubique, & capax ubique essendi eadem omninò una.

Obiic. 2. Divinitas, & humanitas Christi sunt unitæ indissolubili, & perpetuo vinculo, ergo ubi est divinitas, ibi erit humanitas: Resp. Corpus Christi inadæquare deitatem, cui unitur, ut patet in genere, & in specie, non enim animalitas est ubicumque est, homo, licèt in homine sint unita, tùm etiam, quia dato, quòd crearet corpus, vel spiritum replens totum mundum, tamen hoc esset ei per accidens, non ratione immensitatis, quæ est solius Dei propria.

Q. 2. An esse ubique conveniat Deo ab æterno, an ex tempore tantùm? Resp. Seraph. Doct. *ibid. a. 2. q. 1.* quòd si, ly, ubique, intelligitur in ordine ad divinam immensitatem absolutè, Deo competit ab æterno, quia per ipsam est præsens omni ei, quod est, sive sibi, sive alii, sic enim idem est esse ubique, & esse Deum immensum: si verò sumitur prout connotat res creatas, sic ei convenit solùm à principio temporis: ratio primæ partis est ejusdem, quia immensitas, quæ dicit præsentiam quoad habitum, & in actu primo, competit ab intrinseco Deo, ergo ratio secundæ partis est, quia esse ubique in actu secundo, supponit ubi, quod solùm fuit ex tempore, ergo. Ex quibus patet, quòd licèt Deus dicatur esse in omni loco, tamen non potest dici propriè localis, ut supra dictum est, idest subjectus conditionibus loci, cùm sit superexcedenter, & independenter in loco, ob idque nec subjectus mutationi locali nec per se, nec per accidens. *V.S.Bon.d.37.p.2 q.1. a & 2.*

Q. 3. An Deus sit in spatiis imaginariis? Resp. hanc 75
quæstionem esse potius de nomine, quàm de re, quam tamen Seraph. *cit p. 2. a. 1. quæst.* solvit dicens, quòd asserere Deum esse extrà mundum, ut dixit S. Gregor. ly, extra, potest dicere situm, & locum, vel excessum, & superexcellentiam divinæ immensitatis: primo modo non potest dici esse extra mundum, cum ibi non adsit locus, vel situs: secundo modo verum est, quòd ejus immensitas superexcedit omnem locum, nec ad illum arctatur, sic dicebat D. Gregor. Deus est extra omnia non exclusus, quia non distat, & intra omnia non inclusus, quia non arctatur, quia est immensus omninò in seipso, quia extra ipsum non potest cogitari aliquod ita immensum, sicut Deus in seipso; ideoque concluditur, quòd ista spatia imaginaria, super quæ aliqui tot imaginationes, & imaginaria excogitant, ut probent esse aliquid, sunt purum nihil, & ideò in ventum evanescunt tot concertationes; quomodo enim potest dici Deus verè esse in spatiis imaginariis, quæ sunt purum nihil, cum inexistentia sit relatio realis exigens extrema realia? Dices: istud spatium non est purum nihil, cum adsit non repugnantia ad esse aliquid. Resp. neg. assumptum; nec enim est velut substantia, vel accidens; non repugnantia est enim potentia, quæ exigit subjectum sicut accidens, negatio enim, & privatio realis exigunt subjectum reale: Vide dicta à nobis de motu in vacuo in Phisica &c.

3. Concl. Deus est in omnibus rebus per essentiam, 76
præsentiam, & potentiam *S. Bon. l. 1 d. 17 p. 1. a 3. q 2.*

Not. quòd aliqui DD. volunt, quòd esse per essentiam, est attingere omnia sua essentia: per præsentiam operari in omnia; & per potentiã posse omnia in omnibus sic Alens. aliiq; pauci, quos Seraph. Doct. refellit.

Alii plurimi volunt esse in rebus per essentiam, esse per essentiam à rebus non divisam: per præsentiam: omnia cognoscere: per potentiam attingere omnes operationes. *Sic D. Th. & Thomistæ.*

Seraph Doct. vult, quòd Deus sit per essentiam, scilicet compenetrativè in omnibus rebus: per præsentiam, quia non distat ab ulla re; & per potentiam, quia omnibus rebus influit: *sic Seraph. D. cit & in Corp. l. 1. c. 15.* Probatur autem hæc conclusio, & talis modus *ex Ps. 138. Quo ibo à spiritu tuo, &c. si ascendero in Cœlum, tu illic es.* Ecce Deus per essentiam: *Si descendero in infernum, ades.* Ecce Deus per præsentiã. *Si habitavero, &c. deducet me dextera tua.* Ecce per potentiam.

Probatur. Aliquid, cum dicitur esse in aliquo: hoc potest esse vel secundùm præsentialitatis indistantiam, ut dicitur contentum in continente, aqua in vase: sic intelligitur Deum esse in rebus per præsentiam. Vel

secundum virtutis influentiam, ut motor in mobili, sic intelligitur esse per potentiam: vel intelligitur secundùm intimitatis existentiam, ut illud, quod est intra continens, ut anima in corpore, & sic per essentiam. Et quia istæ conditiones sunt modorum essendi in alio, & de se important additionem quoad modum, & rationem intelligendi, ideò tali ordine exprimuntur. 1. secundùm præsentiam. 2. secundùm potentiam. 3. secundùm essentiam gradatim procedendo ad perfectiorem modum, licèt in Deo dicant æqualiter perfectionem sine nævo imperfectionis: 1. ponitur præsentialitas pura sine operatione. 2. cum operatione. 3. secundùm intimitatem substantiæ: Et hinc per hos tres modos non ponuntur omnes modi, quibus Deus unitur rebus, sed illi tantùm, quibus ipse Deus est in rebus.

Dices: ultra istos tres modos adsunt alii plures modi essendi Deum in rebus, ut esse per gratiam in justis, per gloriam in Beatis, per unionem in Christo, ergo talis triplex enumeratio non est sufficiens: Resp. per istos tres modos per præsentiam potentiam, & essentiam enumerari modos essendi Dei in rebus, alii autem sunt modi effectuum, quos Deus producit in rebus: aliqui enim effectus comparantur ad Deum per modum exeuntis, sicque considerantur effectus naturales rerum; alii per modum redeuntis scilicet ad Deum, sicque sunt effectus gratuiti in ordine ad gratiam, & gloriam; alii per modum pervenientis, & insidentiæ, & unionis & hic est humanitatis Christi unitæ verbo: Alii etiam plures modi assignantur horum effectuum. & modorum à Seraph. Doct. *in Compend. Theol. l. 1. c. 17.*

Ex quibus patet Deum secundùm illos tres modos essendi in rebus esse uniformiter in rebus omnibus, quia sumuntur ex parte Dei, qui est ens simplicissimum, & actualissimum: si verò comparentur effectus divini in rebus inter se, tũc dicitur Deus esse uniformiter in rebus, quia aliqua plus recipiunt, alia minus.

Q. An Deus sit in Diabolo? Resp. Seraph. Doct. *dub. 6.* quòd Diabolus si sumitur ut spiritus, & ens naturale, est in eo Deus, si ut Diabolus, sicut & peccator, sic propriè non est in eo, quia hoc sonat in contumeliam, & deformitatem, verumtamen, quòd in peccatoribus Christianis dicitur esse per cognitionem gratuitã procedentẽ à fide, non per charitatem.

Applicatio mystica ad meditantes, & contemplativos.

77 EX ductrina à Seraph. Doct. tradita de immensitate divina offertur nobis oceanus vastissimus, in quem intrantes contemplativi percipere possunt thesauros margaritarum cœlestium, simulque se immergere in mare dulcissimum suavitatis præsentiæ divinæ: Quærit D. Basilius cur inveniuntur tot homines fideles, credentes, & per fidem Deum agnoscentes, & tamen malè viventes, ac si essent infideles, imò pejores multoties ipsis infidelibus, & respondet hoc totum provenire ex defectu exercitii præsentiæ Dei, quod per considerationem hujus divini attributi immensitatis Dei oculis fidelium exhibetur; & è contra unde est, quòd inter fideles aliqui sunt, licèt pauci, qui passibus giganteis ad montem perfectionis potiùs volare, quàm incedere videntur, hoc evenit, ex continuato exercitio hujus divinæ præsentiæ. Ecce ô Patres, & Fratres dilectissimi quid vobis faciendum post notitiam, quam vobis ingerit hæc sacra Theologia de immensitate Dei: cum enim fides nos doceat nos in Deo vivere, moveri, & esse etiam dictat primò nos in ipso vivere, moveri, & esse non solùm tamquam in causa efficiente, sed tamquam in sede, fundo, & basi nos capiente, sustentante, conservante, & undique ambiente: & ex alia parte Deum, in nobis esse præsentem, & intimè penetrantem intra nos magis, quàm simus nobis ipsis nos præsentes, & intra nos: nam totus est præsens, & intimus cuilibet particulæ, & indivisibili puncto rei, ipsa verò res non est singulis partibus suis præsens tota, nec una præsens est alteri intimè.

2. Fides nobis dictat nobilitatem, & eminentiam præsentiæ Dei in creatura, nempe etiamsi Deus omnibus rebus sit intimè præsens, easque suo substantifico influxu tangat, & conservet, ab illis tamen non potest tangi, ac perinde nec inquinari, cum in seipsum, & supra omne creatum collectus infinitè distet à creatura, & firmissimè in sua puritate subsistens, ab omnibus segregatus, unde simul & conjunctissimus est & remotissimus, præsentissimus, & sejunctissimus, unitissimus, seu collectissimus, & diffusissimus; & quamvis infinitis modis per suos influxus & seipso ad creaturas condescendat, manet tamen in sua altitudine, & immobili identitate stabiliter fixus, ut ait S. Dionisius.

3. Fides dictat nos posse Deum in omnibus rebus intueri, non solum, ut ait S. Bon. ut in effectu, vestigio, ac imagine, sed etiam ut ibi reipsa latentem, occultatum, & veluti sipario quodam creatæ naturæ velatum; sunt enim omnia creata veluti tenuia integumenta magnum illud arcanum, & sanctum sanctorum velantia: Amove ô anima cortinas, & vide quid intus lateat, illud nudum, & purum intuere oculo mentis tuæ.

4. Transfer mentem ad aliud mirabile arcanum; & intuere omnia in Deo veluti quasi compenetrata, intuere inquam nos in hoc oceano divinitatis vivere, moveri, & esse; nos inquam veluti, absorptos veluti parvulam stillam in mari magnitudinis, & immensitatis divinæ, & tamen nec ista adspicimus, sed ad vana, & caduca convertimur, ô miseri homines, qui vivunt dormientes occupati in tam profundo somno oblivionis, & inconsiderationis.

5. Ex hac consideratione fides nobis dictat maximum nos debere concipere gaudium, quod tantum thesaurum intra nos nimirum in anima, in corde, in omnibus viribus, in omnibus corporis partibus habemus, nempè Deum ipsum Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum cum tota sapientia, bonitate, omnibusque perfectionibus, & divitiis suis, nosque simul tanto bono circumdatos, præsertim cum & bonorum ipsius capaces simus, & ipse propensissima voluntate in nos excupiat diffundere, si nos ad excipiendum præferamus idoneos: & quis hæc considerans non gaudebit, non exultabit, non in laudes divinas prorumpet, omni timore extraneo depulso!

6 Ex his considerationibus discamus quomodo debemus semper tamquam in præsentia Dei cum magna reverentia versari, cum sit verè nobis præsentissimos, omnes nostras cogitationes intuens, omnes effectus pervidens, omnium corda, & renes perscrutans, & expeditam habens omnipotentiam suam ad nos æterna pœna subito mactandos, si eum fuerimus ausi offendere, & æterna gloria ditandos, si ipsum timeamus, ipsique serviamus: Et hinc omnes cogitationes nostras, quas extrorsum per creaturas dispersas habemus, revocare debemus, easque ad nosmetipsos convertere, deinde in fundum animæ descendere ibidem hoc immensum arcanum reperturi, & cum ipso colloqui, tractare, & negotiari salutem nostram: ô dulcissime mi Deus, verè magnus, & laudabilis nimis converte, obsecro, cor meum ad te introrsum in fundum animæ meæ, ubi silente creaturarum strepitu, & importunarum cogitationum cessante tumultu, tecum commorer, te semper præ-

sentem

ſcutem cernam, te amem, & venerer, & vocem tuam audiam, tibi miſeriaa exilii mei exponam, & ſolatium apud te ſolùm inveniam. Amen. Vide opuſculum, cui tit. Chriſtianus interior in primo, & tertio tomo prælo datum à P. Joanne Franciſco Argentano Capucino, qui ſublimiſſimè, & piiſſimè hanc materiam tractat. De variis moribus myſticis Dei, & Domini Jeſu Chriſti ad noſtram ſalutem aſſumptis, *Vide S. Bon. in Comp. Theol. lib.1. cap.19.*

DISPVTATIO IV.

De incomprehenſibilitate Dei, ejus cognitione, & viſione.

IMMENSITATEM divinam, ejuſque infinitatem ſupra explicavimus per exiſtentiam Dei in rebus; nunc magis patefacienda eſt ex incomprehenſibilitate cognitionis ſuæ naturæ, de qua erit tota iſta diſputatio, qua occaſione agemus de modo, quo nos finito modo poſſumus Deum cognoſcere, ipſumque videre, & perfrui: Circa quam materiam Seraph. Doct. lib.1. diſt.3. p.1. art.1. per tres quæſtiones ſuccosè, & breviter concludit omnia ad ipſam ſpectantia, quæ à D. Th. aliiſque Theologis fuſiori calamo pertractantur: Tria enim de cognitione Dei occurrunt diſputanda: primum eſt ex parte cognoſcibilis objecti, & potentiæ cognoſcentis: ſecundum ex parte medii ad cognitionem hanc neceſſarii: tertium in quo ſtatu contingat nobis Deum videre, ſcilicet an ſolùm in patria, an etiam in hoc ſæculo: de primo agit in prima quæſtione, an Deus ſit à nobis cognoſcibilis; de ſecundo quærit in ſecunda quæſtione, an ſit cognoſcibilis per creaturas; de tertio in tertia quæſtione, an cognitio Dei per creaturas homini convenia: quantùm ad omnem ſtatum: ſed quia iſtæ tres quæſtiones involuunt omnia, quæ fusè ab aliis pertractantur in materia de viſione Dei; hinc eadem & nos enodabimus hoc ordine: primo diſputando de poſſibilitate, & quidditate viſionis Dei. 2. de cauſis talis viſionis, ſcilicet de intellectu, & ſpecie intelligibili, & lumine gloriæ. 3. de objecto beatifico. 4. de conſequentibus talem viſionem.

QUÆSTIO I.

Vtrum Deus ſit cognoſcibilis à creatura rationali. S. Bon. lib.1. diſt.3. cit. & lib.3. diſt. 14. quæſt.3.

79 VT ſummariè perſtringamus ea, quæ tradit Seraph. Doctor in hac quæſtione.

1. Suppon. quòd titulus quæſtionis poteſt intelligi de multiplici cognitione ex parte noſtra, nempè vel de ſenſitiva, vel de intellectiva; & hæc vel de naturali, vel ſupernaturali; item vel de apprehenſiva, imperfectaque, vel de comprehenſiva, totalique; item ex parte Dei de cognitione quoad ſi eſt, vel ad quoad quid ſit; & hoc vel quoad prædicata communia Dei, ut unus eſt; vel etiam quoad perſonalia prout eſt trinus: item vel ſecundùm ſe totum, vel ſecundùm partem tantùm, quæ omnia in hac, & ſequentibus quæſtionibus exagitabuntur.

Suppon. 2. quatuor requiri ad cognitionem: primum eſt proportio convenientiæ, ſeu aſſimilativa inter potentiam, & objectum; quæ proportio alia eſt æquiparantiæ, & entitativa; alia eſt ſolùm intentionalis, & hæc 2. eſt, quæ requiritur ad cognitionem: ſecondùm eſt unio potentiæ cum objecto non materialis, ſed intentionalis per ſpeciem: tertium eſt judicium, quod conſequitur: quartum eſt informatio intellectus facta per ſpeciem expreſſam, vel objectum cognitum: quorum aliqua important imperfectionem, ob idque in viſione Dei non omnes æquè conveniunt, ut in ſequentibus patebit. His poſitis, &c.

Unica concl. Deus de ſe eſt cognoſcibilis à nobis cognitione apprehenſiva, non autem comprehenſiva, ſeu ut loquitur Seraph. Doct. ſecundùm incluſionem totalitatis: & hoc tùm pro ſtatu viæ per cognitionem naturalem, tùm ſupernaturalem, tùm pro ſtatu patriæ per cognitionem glorioſam, ſeu per deiformitatem gloriæ: omittitur autem quæſtio de cognitione ſenſitiva, an poſſit Deus videri oculo corporeo, quia infrà fusè examinabitur. 80
Concluſio eſt de fide, & determinata in pluribus Conciliis, & expreſſa à S. Scriptura plurimis locis, & à SS. Patribus, & præcipuè à S. Bon. hic contra Armenos, & Græcos, qui negabant Deum per ſe poſſe à nobis videri, nec etiam in patria, vel tantùm à nobis poſſe videri quamdam ſpeciem, vel imaginem ſimilitudinariam Dei: De hac veritate Seraph. Doct. affert plures textus clariſſimos S. Scripturæ, tùm ad Pſal.134. *ibi: ſatiabor cum apparuerit gloria tua*: tùm in 1. Joan. *cap.3. ibi videbimus eum ſicuti eſt*; & 1. *Cor. cap.13. Videmus nunc per ſpeculum, &c.* ſic in *op. de dono fortit. cap.3. de dono intell. cap.7. de dono ſap. cap.11. Diet. tit.10. c.4. & 10. in ſpec. B. Virg. in fine medit. aliiſque pluribus locis.*

Concluſio hæc habet tres partes; prima de cognoſcibilitate Dei in communi. 2. de incomprehenſibilitate Dei. 3. de cognitione intuitiva, & abſtractiva. Probatur autem prima pars à Seraph. Doct. Lux de ſe eſt viſibilis; ſed Deus eſt ſumma lux, ergo & viſibilis: Nota autem, quòd nomen lucis Deo tribuitur, non quòd ſit qualitas ſenſibilis viſibilis, id enim dicit imperfectionem, ſed qua-

E 2 tenùs

tenùs dicit manifestationem, & diffusionem, hoc enim est perfectionis maximæ, quia diffunditur, & se diffundendo omnia visibilia manifestat; & ob hanc proprietatem Deus à S. Ioanne pluriès, & in sacra Scriptura Deus dicitur lux, quia sui cognitionem diffundit, & se manifestat nobis.

Probatur 2. ex hoc, quòd anima rationalis est Dei imago, & ob hanc rationem est Dei capax per cognitionem, & amorem.

Probatur 3. sicut se habet simpliciter potentia ad totam latitudinem objecti, ita se habet perfectius ad id, quòd magis habet rationem objecti, & tantò magis est ei unibilis, quantò magis participat rationem objecti, sed objectum intellectus est ens, ut verum in tota latitudine, ergo quod magis habet rationem entis, & veritatis est magis cognoscibile; talis est Deus, est enim, ut dictum est, summa lux seipsum perfectissimè manifestans; prima, & summa veritas, à qua omnis creatura participat rationem veritatis, ergo. Arriaga conatur infirmare hanc rationem concedendo totum de cognitione abstractiva, non de intuitiva; sed contra, quia ratio convincit de utraque, sed magis de intuitiva, quæ debetur intellectui de se expedito.

Probatur 4. objectum proprium per se præsens est aptum, ut perfectius, & verius cognoscatur, quàm objectum præsens tantùm per speciem, & similitudinem; sed Deus est objectum proprium intellectus, & per se præsens, ergo aptior ut videatur.

Probatur 5. sicut se habet bonitas summa ad dilectionem, ita veritas summa ad cognitionem, sed summa bonitas est amabilis ab affectu, ergo & summa veritas cognoscibilis ab intellectu. Probatur 6. unumquodque efficacius potest in illud objectum, ad quod naturaliter habet appetitum, sed intellectus noster habet appetitum naturalem ad videndum Deum, ergo: Mai. est Arist. 1. *Celi cap 50. & 59.* min. probatur, Homo naturaliter appetit beatitudinem eamque appetit veram in communi (de quo in sequenti quæstione) sed hæc consistit in visione, & amore Dei, ergo.

Probatur 2. pars: Comprehensio totalis exigit virtutem infinitam objecti infiniti, & proportionem entitativam æqualitatis, sed quilibet intellectus creatus est finitus, ergo non potest Deum cognoscere comprehensivè, & totaliter; subsumo sed cognitio apprehensiva exigit solùm proportionem convenientiæ, ut potentiæ ad actum, & effectus ad causam, & hæc habetur ab intellectu, vel per receptionem speciei, vel notitiæ infusæ, & speciei expressæ, ergo hac tantùm cognitione potest Deus videri à nobis.

Probatur 3. pars: primò de cognitione naturali pro statu viæ, quia Philosophi Gentiles solo lumine naturali cognoverunt primam causam, licèt cognitione imperfectissimâ. 2. de cognitione supernaturali, abstractiva tamen per lumen fidei; & intuitiva in patria per lumen gloriæ, ut in sequentibus patebit suo loco; ergo vera conclusio.

Contra hanc conclusionem primò possunt obiici plures textus S. Scripturæ expressè dicentes, Deum non posse à nobis videri, ut ad Rom. *cap. 1. Ratio substantiæ Dei latet omnem creaturam*; & 1. *Ioan. cap. 3. Deum nemo vidit unquam, sed nec videre potest, &c.* & alios consimiles: item & plures SS. Patres negantes, Deum posse à nobis videri, sic Chrysostomus, Hieron. Ambros. uterque, Cirillus, &c. aliique plures apud Suar. Vasquez & Gaudentium.

Pro responsione Not. quòd inter omnes Theologos tractatores hanc materiam, & examinantes sensus SS. Patrum, solus Vasquez, nimis audacter eos adnumerat ens inter Hæreticos Armenos, & Græcos negantes possibilitatem visionis Dei, undè etiam cum nausea reiicitur ab omnibus Theologis, & meritò; quia citati textus, & SS. Patres intelligi debent, ut advertit Seraph. Doct. vel de comprehensione totali Dei, hæc enim est impossibilis in creatura, vel de cognitione naturali intuitiva, vel pro statu, vel de corporea: undè advertit Seraph. Doct. quòd in examine dictorum sanctorum Patrum oportet notare qua occasione talia dixerint, sæpè enim volentes refutare aliquem errorem Hæreticorum se ad aliud extremum declinaverunt, ut fortius eos convincerent. *V. de S. Bon. lib. 1. dist. 3. quæst. 5. & præcipue lib. 2. dist. 23. art. 2. q. 3. corp. & dist. 33. art. 3. quæst. 1. ad 1.* Vbi docet qua modestia, integritate, & charitate interpretanda sint dicta Sanctorum Patrum.

Obiic. 2. Inter finitum, quale est Deus, & fi- 81
nitum, quale est intellectus creatus nulla est proportio, ergo infinitum non potest capi à finito, sed Deus est infinitus, ergo. Nec valet si dicas sufficere proportionem convenientiæ, & assimilationis, nec necessarium esse entitativam, quæ requiritur in comprehensione totali, Non valet, inquam, quia plus distat verum increatum ab intellectu creato, quàm quodlibet intelligibile, & spirituale à sensu, sed sensus non potest percipere intelligibile, & spirituale, ergo multò minus intellectus creatus objectum infinitum. Resp. (admissa responsione in arguendo data) quòd vera est major instantiæ de distantia entitativa, non de intelligibili: ad min. resp. primò negando minorem, ut probabitur suo loco: at pro nunc concessa minori, negatur paritas majoris de sensu, & intellectu; nam sensus objectum est limitatum ad sensibilia tantùm, non intellectus, cujus objectum est ens intelligibile in tota latitudine sua, undè negatur consequentia.

Instabis: si in ratione entitativa admittitur improportio inter ens increatum, & intellectum creatum, ergo & in ratione intelligibilitatis debet admitti: Probatur consequentia, quia ex ratione essendi, & entitativa oritur ratio cognoscibilitatis; sicut enim res se habet ad esse, ità & ad cognosci, ergo si est improportio in prima ratione, erit & in secunda, ergo si magis distat entitativè objectum increatum ab intellectu creato, quàm objectum spirituale à sensu, sequitur quòd si oculus non potest ferri in objectum spirituale, multò minus intellectus in Deum.

Resp. neg. consequentiam, ad probationem resp. ex Seraph. Doct. *lib. 1. dist. 36. art. 2. quæst. 3. ad 3. & lib. 3. dist. 18. art. 1. quæst. 3 ad 3. & serm. 1. Hexaem.* ens posse sumi materialiter, & nudè; potest & sumi formaliter prout fundat rationem cognoscibilitatis, quatenùs verum est; primo modo est infinita distantia inter Deum, & intellectum, & major quàm inter oculum, & objectum spirituale, imò etiam inter cognoscens creatum, & cognoscibile loquendo de comprehensiva cognitione, ut patebit in sequenti quæstione laterali.

Non secundo modo loquendo de apprehensiva cognitione; undè illa propositio; sic se habet res ad cognosci, sicut ad esse; verificatur de re, & ente prout fundat rationem veritatis cognoscibilitatem, non materialiter, & entitativè ut notanter advertit S. Bon. *lib. 1. dist. 36. art. 2. quæst. 2. ad 2.* sensus enim est quod eadem sunt principia essendi,

&

& cognoſcendi, vel ſecundùm ſe, vel ſecundùm ſimilitudinem, nam eadem ſunt quidem principia eſſendi, & cognoſcendi, non tamen eodem modo, quia ad eſſe conferunt per ſeipſa, non verò ad cognitionem, niſi per ſimilitudinem, & ſpeciem, & tali pacto cognitio infiniti non debet creſcere ad proportionem mathematicam, ſed ſecundùm rationem capacitatis potentiæ, apprehendentis, non comprehendentis, quæ cum ſit finita, etiam finito modo apprehendit infinitum totum quidem quia ſimplex, ſed non totaliter.

Obiic. 3. Ad cognitionem requiritur unio per receptionem cognoſcibilis in cognoſcente, ſed infinitum non poteſt capi à finito, ergo impoſſibile eſt cognoſci: Reſp. Seraph. Doct. conced. majorem quoad receptionem intentionalem, neg. quoad entitativam: Cælum enim cum videtur non recipitur materiali modo; loquendo autem de infinito cognito hoc recipitur intentionaliter in potentia cognoſcente non detentivo, vel contentivo modo, id eſt, ſecundùm ſuam totalitatem, ſed quidem totus Deus, non totaliter, ideſt non quantùm intelligibilis eſt, ſed ſecundùm capacitatem recipientis, quia non poteſt comprehendi.

Obiic. 4. Ad cognitionem requiritur judicium, & per conſequens omne judicans habet poſſe ſuprà judicatum, ſed finitum non habet ullum poſſe ſuper infinitum, ergo nec judicium poteſt ferre: Reſp. Seraph. Doctor, quòd judicium duplex eſt; aliud diſcretivum, aliud approbativum, vel reprobativum: in primo judicatur de re an ſit vera, an non; in ſecundo judicatur per leges, an ſit bona, an mala; major eſt vera de judicio approbativo; falſa de diſcretivo; minor eſt vera itidem eodem modo; ſic negatur conſequentia.

Et ſi quæras qualiter poſſit finitum ſuper infinitum etiam diſcretivè, & cognoſcitivè, cum excedatur infinito modo? Reſp. S. Bon. ſublimiſſimè *lib. 1. diſt. 14. art. 1. quæſt. 3. ad ult.* quòd anima in cognoſcendo Deum plus eſt in ſuſcipiendo, quàm in agendo; imò omnis anima reſpectu Dei ſe habet in ratione paſſivi, nec dicitur potentia cognitiva activè, ſed dicit paſſionem, ut docet Ariſt. 1. met. cont. 17. Ideò cum intelligit Deum, non agit anima in Deum, ſed Deus influit in animam, in qua influentia Deus condeſcendit per gratiam, ideſt per medium ſupernaturale, per quod anima elevatur, & efficitur deiformis, quæ deiformitas eſt diſpoſitio reddens oculum animæ aptum ad videndum Deum, non quia faciat proportionabilem quantitatem, & entitativam, ſed qualitativam, & aſſimilativam, per quod redditur intelligens: Et ſi inſtes. Id licet ſit verum, tamen etiam anima cum tali paſſivitate, & receptibilitate eſt activa in Deum, ſed hoc videtur impoſſibile, ergo. Reſp. quòd actio potentiæ cognoſcentis non agit per aliquam influentiam, & impreſſionem in Deum, ſed ſolùm per quamdam extenſionem, & protenſionem ad objectum ſe habet, ſicut patet in amando, amor enim tendit in amatum tali protenſione abſque influentia ulla in ipſum: in qua protenſione anima judicat plus de ſeipſa, quàm de objecto, ſcilicet judicat ſe attingere ſummam illam veritatem, ſicque ſimul judicat de ſeipſo vidente, ſimulque attingit objectum cognitum, & cum talis attingentia cauſetur à divino lumine recepto in anima, hinc plus eſt paſſio, quàm actio.

Obiic. 5. In cognitione informatur intellectus à cognito, vel immediatè ab ipſo cognito, vel per ſpeciem, ſed Deus neutro modo poteſt informare intellectum, ergo Probatur minor, nam major eſt clara; non ſeipſo, quia nullius poteſt eſſe forma; non per ſpeciem, quia ſpecies eſt ſpiritualior ipſo objecto, ſed nihil eſt Deo purius, & ſpiritualius, ergo nec per ſpeciem poteſt cognoſci: Reſp. majorem eſſe veram de objecto cognito finito, & creato, falſam de Deo cognito; in ſui enim cognitione cum ſit præſens immediatè animæ, ipſam non informat nec ſeipſo, nec ſpecie abſtracta, ſed quia ei ſit præſens ut ſumma veritas, & lux imprimens in ea notitiam actualem ſui, quæ eſt Deo inferior, ſed ipſa anima ſuperior, quia facit eam meliorem; & hinc patet diſcrimen inter cognitionem, quam habet anima de Deo, & de objecto finito; nam in cognitione rei finitæ, & creatæ intellectus, qui de ſe eſt veluti tabula raſa, & indifferens, indiget determinari, & ejus activitas compleri in actu primo, & hoc per modum principii formalis, & hoc fit mediante abſtracta ſpecie gerente vices objecti; qua ſpecie informatus intellectus, & completus ſimul cum ipſa ſpecificatur ad talem, & talem cognitionem objecti: In Dei cognitione verò non informatur intellectus ſpeciei abſtracta Dei, ſed lumine gloriæ, quo Deus ad ipſum condeſcendit; & quod in ipſum influit; & cum Deus ſit immediatè præſens intellectui ut ſumma veritas objectiva, in eo imprimitur notitia de Deo, qua perficitur intellectus, ſimulque attingit ipſum objectum totum, quia eſt ſimplex; ſed non totaliter, quia eſt infinitum.

Quæſtio lateralis.

CUm S. Bon. in reſp. ad 1. dicat intellectum 82
creatum non poſſe Deum comprehendere, ſed tantùm apprehendere; cur Beati dicuntur comprehenſores? & quid eſt iſta comprehenſio Beatorum?

Hæc quæſtio à nobis in tract. de anima fuit propoſita, & ſummariè ſoluta, nunc autem, quia hic eſt proprius locus, & valdè inſervit ad alia infra tractandi, hinc fuſiùs examinanda.

Primò igitur ſuppon. quòd nomen comprehenſionis deſumitur à comprehenſione corporum, quando ſcilicet unum corpus in altero ita adæquatè eſt comprehenſum, ut nihil contenti ſit extra continens, ut aqua in vaſe, pomum in manu; hinc tranſlativè dicitur intellectus comprehendere objectum ſua cognitione, quando totum illud objectum totaliter attingit ſecundùm omnes gradus intelligibilitatis.

Suppon. 1. quòd hæc comprehenſio eſt duplex; alia, quæ opponitur inſequutioni, ſic comprehenſor opponitur viatori; & talis eſt viſio Beatorum, qui ideò dicuntur comprehenſores, quia non amplius ſicut viatores inſequuntur, quærunt, & tendunt ad Dei poſſeſſionem; quia eam plenè poſſident: & hæc comprehenſio numeratur inter dotes animæ, diciturque tentio, correſpondens ſpei, quam in hac vita habuerunt: Alia eſt, quæ importat incluſionem totalitatis, ſcilicet ut cognitio adæquet totam intelligibilitatem objecti, ita ut infinitum cognitum reddatur finitum non quidem poſitivè, ſed negativè, ita ut extra non excedatur aliquid objecti cogniti, quod non ſit cognitum: *Sic S. Bon. lib. 3. diſt. 14. cit.* De prima loquuntur Theologi, dum appellant Beatos comprehenſores: de ſecunda loquuntur cum Seraph. Doct. hîc, dum dicunt creaturam non poſſe comprehendere Deum; & circa hanc ſecundam digladiantur Theologi in quonam conſiſtat: ex ipſius enim explicatione dependet explicatio incomprehenſibilitatis Dei.

83 Aliqui enim volunt requiri ad comprehensionem cognitionem objecti secundùm omnes formalitates in ipso repertas tàm quoad prædicata extrinseca, quàm intrinseca, tàm formali, quàm virtualia, & eminentialia, undè requiritur etiam cognitio habitudinis ad omnes creaturas, imò & ipsarum creaturarum possibilium, sic Thomistæ cum Suar. Vasq. aliisque. Alii ex opposito negant esse necessariam horum omnium cognitionem, sed sufficere cognitionem objecti secundùm sua prædicata intrinseca primi modi secundùm omnem modum cognoscibilitatis, sic Scotistæ communiter, qui tenent Verbum produci ex sola cognitione divinæ essentiæ præcise sumptæ, non autem divinarum personarum, hancque cognitionem volunt esse comprehensivam, & perfectissimam: Alii dicunt requiri cognitionem prædicatorum non solùm primi modi, sed etiam secundi, & etiam extrinsecorum, sic Meldula cum aliquibus aliis de an. *dist.6. num.328.*

Seraph. Doct. *lib.1. dist.3. & lib.3. dist.14. cit.* succosè, & paucis, sed plenissimis verbis explicat cognitionis comprehensivæ naturam, dicens quòd ex parte potentiæ requiritur proportio æqualitatis entitativæ inter potentiam, & objectum, & consequenter quando objectum est infinitum, etiam in potentia requiritur infinitas: ex parte verò objecti cogniti requiritur ut plenè attingatur secundùm omnes formalitates, & prædicata singula, & quòd attingatur totaliter, idest secundùm omnes gradus intelligibilitatis tàm omnium prædicatorum formalium, quàm virtualium, & eminentialium: & quia nullus intellectus creatus potest hanc totalitatem infinitam in se claudere, hinc nec comprehendere: Et hinc patet Seraph. Doct. se tenere cum opinione Thomistarum, licèt etiam plures Scotistæ in hoc conveniant, ut Mastrius.

Vasquez *dist.53. num.5.* insurgit contra dictum Seraph. Doct. supra allatum de conditione infinitatis requisitæ ex parte objecti, dicens quòd nescit capere cur ad comprehensionem requiratur infinitas entitativa ex parte cognoscentis, cum proportio inter cognoscens, & cognoscibile requiratur tantùm in ratione cognoscibilitatis, non in ratione intitatis veluti materialis: sed decipitur Vasquez, dum putat Seraph. Doct. exigere æqualitatem inter cognoscens, & cognoscibile secundùm entitatem directè, & præcisè, & formaliter; hæc enim non est mens Seraph. Doct. ut patet ex textu *lib.1. dist.3. quæst.1. ad p.1. & 3. lib.3. dist.14. cit.* sed proportionem exigit in ratione cognoscentis, & cognoscibilis, quæ in apprehensiva cognitione sufficit ut adsit aliqua assimilatio vel per speciem, vel per lumen, vel per notitiam infusam, & hæc non opponitur rationi creaturæ: at in comprehensiva cognitione non sic, hæc enim non potest esse nobilior intellectu cognoscente, nec intellectus ipsa essentia, a qua emanat, & cum creatura sit finitæ essentiæ, & finiti intellectus non potest habere cognitionem infinitam.

Et si quæras cur requiratur cognitio infinita? Resp. quia in tantùm aliquid est cognoscibile, in quantum est ens verum, ex hoc enim oritur cognoscibilitas, ergo ens ex se infinitum, & summa, & infinita veritas est infinitè cognoscibilis, adeòque & postulat cognitionem infinitam. Hanc doctrinam notavit acutissimè P. Gaudentius hic *dist. 1. quæst.1 num 386 ex Seraph. Doct.l.3.d.14. art.1.quæst.3.& a r.2.quæst.3.*

Ratio autem potissima quare hæc cognitio comprehensiva non potest communicari creaturæ, nec etiam animæ Christi, Ex Seraph. Doct. cit. est, quia cognitio comprehensiva debet adæquari rei cognitæ: item cognitio non debet excedere potentiam cognoscentem, nec potentia substantiam cognoscentis, sed substantia creata est finita, sicut & potentia, & virtus, ergo non potest adæquari cognitioni infinitæ, qualis est comprehensiva, hæc enim debet adæquare totum cognoscibile omnimodè: Dices. Deus secundùm opinionem probabilem plurium Doctorum potest creare animam, & intellectum infinitum, ergo tunc poterit comprehendere Deum: Resp. neg. assumptum; & dato etiam, negatur consequentia ob improportionem, quæ est in essentia, potentia, & virtute creaturæ cum divina, quam numquàm potest adæquare in omni genere cognoscibilitatis.

QVÆSTIO II.

An Deus clarè visus sit finis naturalis hominis: Ubi de supernaturalitate visionis Beatæ.

Seraph. Doct. *in p. dist.3. quæst.1. in ultimo fundamento*, dixit hominem naturaliter inclinare in Dei cognitionem, & fruitionem; hinc meritò ad elucidandam hanc doctrinam, proponitur hæc quæstio, cum sit fundamentum ducens in cognitionem aliarum veritatum, quæ in sequentibus tradentur. 84

Pro explicatione tituli advert. quæstionem non procedere de cognitione abstractiva Dei, nam certum est naturaliter posse per creaturas cognosci, & supernaturaliter per fidem, ut supra notatum est; sed quæstio procedit de intuitiva, clara, & beata; an scilicet naturaliter, vel supernaturaliter tantùm sit finis hominis.

1. Opinio est D. Thomæ, & sequacium sustinentium Deum clarè visum, seu habitudinem quocumque modo sumptam, scilicet respectu intellectus, & voluntatis esse finem solùm supernaturalem, ita ut non possit appetitus naturaliter appetere beatitudinem, visionem, & fruitionem Dei: Ad hanc sententiam trahitur Seraph. Doct. à Patre Gaudentio, & Trigosio, sed tamen immeritò, ut mox patebit.

2. Opinio est Scoti, & sequacium, beatitudinem quoad naturalem inclinationem esse finem naturalem hominis; quoad attingentiam verò, & assequutionem esse supernaturalem.

3. Opinio est Seraph. Doct. parum distans à secunda, qui sustinet beatitudinem in communi, & in confuso esse finem naturalem hominis, non solùm secundùm inclinationem, sed etiam secundùm actum aliquem elicitum: in particulari verò, & distinctè esse finem supernaturalem: Pro solutione, &c.

1. Not. ex S. Bon. *lib.2. dist.23. dub.3. & d.38. dub.1. & dist.39. art.2. quæst.1. & 2. & lib.1. dist.8. art.1. quæst.2. & lib.4. dist.49. art.1. quæst.2. & serm 4. & 5. Hexaem.* quòd sicut in nobis adest lumen innatum, imperfectum tamen dirigens intellectum in cognitionem Dei quoad si est, sic & adest quoddam pondus, & inclinatio naturalis regitiva, & dirigens appetitum in desiderium beatitudinis propriæ in communi, qui actus cum sine naturaliter imperfecti, indigent etiam majori lumine, scilicet fide ad hoc, ut reducantur ad perfectionem, & quia anima deficit in cognitione Dei

quoad

quoad quid sit, non enim talis cognitio potest haberi nisi supernaturali auxilio, hinc in cognitione, & appetitu, & inquisitione beatitudinis sæpè sæpiùs intervenit error, & hinc quoad actum elicitum, & efficacem respectu beatitudinis in particulari, & Dei requiritur auxilium supernaturale.

85 Not. 2. quòd maxima controversia est in scholis, in quonam consistat supernaturalitas actuus, & visionis beatæ: Thomistæ enim confundunt cum capacitate subjecti exigentiam naturæ, & dicunt illud esse supernaturale, quod sit suprà talem capacitatem naturalem, sivè respectu subjecti, & formæ, & actus, sivè respectu agentis; undè supernaturalitas sumitur tùm ex parte subjecti incapacis actus supernaturalis in tota serie naturæ, tùm ex parte agentis supernaturalis solùm valentis introducere talem formam, & actum: sic ea P. Gaudentio nostro, qui citat plurimos Thomistas q. 9. dist. 11.

Scotistæ verò recognoscunt discrimen inter capacitatem subjecti, & exigentiam naturæ; nam capacitas subjecti respectu cujuscumque formæ sivè naturalis, sivè supernaturalis, est vel naturalis, vel violenta, vel neutra: neutra autem est, si subjectum est indifferens ad hanc, vel illam formam: violenta, si contra naturam subjecti introducitur, ut jactus lapidis sursum: naturalis, si est secundùm naturam ipsius: Ad hoc autem, ut supernaturaliter forma, vel actus infundatur in subjecto, requiritur ut talis collatio sit supra exigentiam debitam tali naturæ; hæc autem exigentia addit ad capacitatem passivam naturæ virtutem productivam talis formæ naturaliter exactæ, sivè postea proveniat hæc forma ab agente extrinseco V. G. à Deo, ab Angelo, à Dæmone, sivè à principiis intrinsecis subjecti tamquam quid necessarium ad esse, vel ad conservari talis subjecti in suo statu naturali; quo pacto concursus Dei generalis debitus rebus dicitur naturalis; exigitur enim ab ipsis, ut conserventur in suo statu naturali; dum autem deficit talis forma producenda per virtutem activam agentis, tunc dicitur esse subjectum in statu violento, ut motus lapidis in altum; quando verò inducitur actus, vel forma supra exigentiam talis naturæ, tunc dicitur supernaturalis, quia non est debita tali subjecto, & qua carens non dicitur esse in statu violento. Ex quibus infertur, quòd excessus, qui requiritur supra exigentiam naturæ ad supernaturalitatem constituendam non respicit exigentiam sumptam pro sola capacitate, & inclinatione subjecti in formam utcumque sibi convenientem, sed ut conjunctam habet aliquam activitatem, vel dispositionem naturalem, ratione cujus ex sua naturali constitutione sibi talis forma, vel perfectio debetur, ut fit, & conservetur in suo statu naturali; Id explicatur hoc exemplo: Anima nostra inclinationem naturalem habet ad gratiam, & gloriam, aliaque dona supernaturalia, ut maximas perfectiones, non tamen illa exigit ita, ut per eorum carentiam ponatur in statu violento: Hinc Deus cùm ea confert, dicitur omninò ea conferre supra debitum naturæ, atque ideò tales perfectiones dicuntur supernaturales, & talis supernaturalitas explicatur per ordinem ad agens; undè ad supernaturalitatem cum capacitate subjecti, & exigentia naturæ involvunt respectum ad agens supernaturale: & hinc est, quòd hæc quæstio reducitur ferè ad quid nominis. Thomistæ enim dicunt supernaturalitatem involvere duplicem respectum, scilicet ad subjecti exigentiam, & ad virtutem productivam formæ supernaturalis, vel naturalis, sed modo supernaturali, ut visus datus cæco: Idem & Scotistæ ex Meldula dist. 6. num. 66. & 71.

Not. 3. quòd Seraph. Doct. parum, vel nihil recedit à superiori doctrina, licèt P. Gaudentius conetur totis viribus ostendere maximum discrimen inter sententiam S. Bon. & Scotistarum, sed frustrà. Seraph. Doct. igitur lib. . dist. 42. art. 2. quæst. 4. & lib. 2. dist. 18. art. 1. quæst. 2. ad 5. docet, quòd potentia passiva creaturæ, si dicit ordinem ad actum, quem potest viribus naturæ habere, tunc dicitur potentia simpliciter; scilicet naturalis absolutè; si verò ad actum, quem solùm per potentiam divinam potest habere, dicitur potentia secundùm quid, & obedientiæ, & supernaturalis, ut de trunco fieri vitulum, & de mortuo fieri vivum, & de peccatore justum: Addit lib. 2. dist. 19. art. 1. quæst. 1. corp. & ad 4. Cum dicitur homo est beatificabilis, duo tanguntur nempè aptitudo, & dispositio proxima secundùm primam rationem, scilicet aptitudinem, homo habet aptitudinem secundùm naturam suam, & à sua natura, quia naturaliter creatus est ad beatitudinem, & naturaliter habet aptitudinem, & appetitum, licèt remotum ad beatitudinem; prout verò importat dispositionem proximam, per quam quis venit ad beatitudinem, sivè sufficientem ordinem ad actum, sic inest homini non per naturam, sed per gratiam, & hoc dicitur possibile absolutè supernaturaliter per ordinem ad agens supernaturale, ut notat l. c. d. 42. cit. præcipuè ad ult. ubi affert exemplum de cæco, in quo cùm non sit potestas naturalis ad videndum, adest tamen potestas naturalis ad recipiendum, sed per ordinem ad agens superioris ordinis valens dare ei visum: Ex quibus patet, quòd doctrina Seraph. Doct. est ipsissima, licèt diversis terminis, tradita à Scoto, quidquid in contrarium conetur P. Gaudentius, licèt alias doctissimus. His positis.

1. concl. Visio Dei clara, & beatitudo in communi est finis naturalis hominis, non solùm in ordine ad appetitum innatum, sed & elicitum licèt imperfectum, & inefficacem. *Est S. Bon. lib. 4 d. 43. quæst 5. ad 6. & d. 49. art. 2. quæst. 2. & lib 2. dist. 19. art. 1. quæst. 1. corp. & dist. 12. dub 3. & dist. 38. & 39. cit. in primo fundamento.* Et clarè *lib. 1. dist. 3. art. 1. quæst. 3. cit. dist. 8. art. 2. quæst. 1. ad arg.* Antequam probetur hæc conclusio advert. quòd discrimen inter nos, & Thomistas est, quòd Thomistæ non distinguunt exigentiam propriè dictam ab inclinatione naturali, sed eas invicem confundunt, quod falsum est: nam inclinatio naturæ purè sumpta dicit puram, & simplicem subjecti capacitatem in ordine ad formam sibi convenientem, & consentaneam, ita tamen ut sine ea existens non esset in statu violento, estque quid indifferens ad agens, nempè ita ut vel eam propriis viribus comparari possit, vel alterius agentis naturalis, vel virtute solùm superioris agentis, & speciali auxilio utentis: Exigentia verò naturæ propriè sumpta est ipsa inclinatio, seu appetitus cum suis dispositionibus, ut notat Seraph. Doct. lib. 2. dist. 39. art. 3. quæst. 1. corp. & ad 4. importat talem, ac tantam subjecti inclinationem in formam sibi convenientem, ut illa carente esset in statu violento, & ideò supernaturalitas supra exigentiam naturæ requirit, ut formam, quam appetit, solus agens supernaturalis eam possit inducere: Discrimen verò S. Bon. cum Scotistis est, quòd cùm ipsi admittant hanc inclinationem

clinationem naturalem ad formas supernaturales, non tamen admittunt actum elicitum imperfectum ad ipsas consequendas.

Probatur autem primò ex D. Aug. *lib.3. de Trinit. cap.3. & 10.* & in *Psal.113. cont.1.* dicente, quòd omnes cupimus esse Beati, & appetimus beatitudinem, licèt in particulari aliqui nesciant quid sit.

Probatur 2. de appetitu innato. Omnis potentia naturalis ad formam vel est naturalis, vel violenta, vel neutra; sed appetitus ad beatitudinem in communi non est violentus, vel neuter, cùm sit perfectio animæ maxima, ergo naturalis; tùm quia omnis potentia naturaliter inclinat ad suum objectum primarium, ergo & intellectus ad summum verum, & voluntas ad summum bonum.

Probatur 3. de appetitu elicito; quia appetitus non solùm dicit passivitatem, & pondus, sed & habet connaturaliter vim licèt imperfectam activam sequentem lumen innatum ostendens proprium bonum, &c. ergo. Tùm etiam quia quidquid appetit naturaliter homo, potest, si habet, cognitionem, etiam actum elicitum producere in ordine ad illum, sed homo naturaliter appetit totam perfectionem possibilem, ergo & ad illam tendere potest actu elicito. *Sic S. Bon. lib 2. dist.38. & 39. cit.*

Hinc sequitur, quòd licèt homo actu inefficaci, & imperfecto possit naturaliter beatitudinem in communi appetere, & conquirere, actu tamen efficaci, perfecto, & absoluto non potest absque auxilio supernaturali, & multò minùs assequi sicut non potest solis viribus naturæ credere, & sperare in Deum.

Antequam ad solutionem objectionum in contrarium deveniam, sese mihi offert P. Gaudentius noster, qui *in tract.3. dist.11. quæst.9.* totus est ad impugnandam supernaturalitatem Scoti supra allatam, ex eo quòd vult Seraph. Doct. stare cum sententiis Thomistarum, in quo, pace tanti viri, verè allucinatur. Et deinde *in tomo 4. in part.2. tr. dist.2. quæst.22.* proponit hanc quæstionem nostram, an beatitudo supernaturalis sit naturaliter appetita; & in sequenti quæstione, an detur appetitus elicitus beatitudinis supernaturalis: in quibus resolvit, quòd loquendo de beatitudine naturali, homo habet appetitum naturalem, & etiam elicitum naturalem, non verò ad beatitudinem supernaturalem, sed totum esse supernaturalem: In qua responsione pugnat cum seipso, & cum sententia vera S. Bon. quem trahit etiam violenter ad partem Thomistarum, uti sæpè hoc ei evenit, cujus causam credo esse, quia primum lac ebibit è fonte P. Theodori Bergomensis (fatetur enim se fuisse ejus discipulum) qui in suo tomo de Deo uno, & Trino, quem conficere intendit in via S. Bon. ferè semper trahit invitum, & violenter S. Bon. ad partes Thomistarum, quod infortunium etiam cadit apud plures alios se profitentes sectatores doctrinæ Seraph & præcipuè P. Trigosium, Lingonensem, Bauduuum, qui, ut notat P. Veliensis, imbibiti à juventute in doctrina S. Thomæ eamdem etiam sectati sunt in commentando S. Bonaventuram, quodque quàm alienum sit à veritate patet percurrenti scripta Scoti, & S. Bon. nam luce clariùs est præcipuas doctrinas suas Scotum sumpsisse è fonte S Bon. in quo à juventute enutritus fuerat in Religione; quia tunc temporis jussu plurium Capitulorum Generalium Lectores tenebantur solùm scripta S. Bon. in scholis studentibus dictare, ut patet ex Chronicis, de quo alias in præludiis nostræ Philosophiæ egimus; & ideò pertrahendo S Bon. ad partes Thomistarum non sectatores, sed adversarios Seraph. Doct. se ostendunt: Et P. Gaudentius, licèt non tam frequens sit in hoc, tamen etiam ipse incidit sæpe in hoc extremum, ut patet etiam in hac quæstione, dum admittit appetitum naturalem ad beatitudinem (addit ipse suo marte) naturalem, quod non facit Seraph. Doct. lib.4. dist.49. cit. sed talibus terminis proponit quæstionem; An homo naturaliter appetat beatitudinem; ubi patenter in solutione quæstionis intelligit de bono, & summa perfectione spectante ad intellectum, & voluntatem, & animam, qua indiget, & quæ ei est necessaria ad satiandam suam indigentiam; & respondet affirmativè, quod & facit Scotus contra Thomistas. Hæc dicta volo solùm, ut cum in sequentibus occurret mihi contrarium esse sensui ejusdem Patris, non miretur Lector, & sciat causam talis concertationis solùm esse ob zelum doctrinæ Seraph. & ut integra, & sacratecta pateseat, absque eo quòd ad partes vel Thomistarum, vel Scotistarum pertrahatur violenter.

Obiic. 1. Natura solùm tribuit appetitum ad 88
convenientia, & proportionata viribus suis, vel ad quæ viribus suis potest pervenire, sed tota natura non potest suis viribus perducere ad beatam visionem, ergo nec ei appetitum tribuit; confirmatur, quia finis, & media debent esse proportionata, ergo & appetitus, & actus ad gloriam: Confirmatur 2. quia natura non deficit in necessariis, ergo quando tribuit appetitum ad aliquid, non deficit ei tribuendo necessaria media ad consecutionem talis finis; sed nullum medium ad consequendam beatitudinem est à natura, ergo nec appetitus. Resp. primò, si istæ rationes valent, destruunt veritatem sententiæ adversariorum admittentium appetitum naturalem, & elicitum ad beatitudinem naturalem, quæ beatitudo licèt ab eis appelletur naturalis entitativè, id tamen non tollit, quòd, licèt objectivè sit naturalis, prout scilicet objicitur tali appetitui, tamen quoad attingentiam non sit supernaturalis: quid enim est beatitudo naturalis? hæc est summa perfectio, qua indiget homo in communi per lumen innatum cognita, & etiam, ut notat Seraph. Doct. acquisitum ex propria indigentia, & experientia, qua cognoscit ista caduca, & creata non posse satiare hunc appetitum, undè inhiat naturaliter ad summum bonum, sicque istæ rationes, in quibus P. Gaudentius cum suis Thomistis facit tantam vim, pugnant contra ipsos, sed his omissis. Resp. directè ad majorem primi argumenti: Natura non tribuit appetitum ad ea, quæ viribus suis non potest pertingere, negatur absolutè; nam in cæco est appetitus videndi, & tamen non potest suis viribus id assequi; & anima separata appetit resurrectionem corporis, quæ exigit potentiam supernaturalem; ratio quare natura ordinat naturaliter hominem ad perfectionem, quæ extra vires suas est, quia cùm sit subjectum compositum ex materia, & forma, sic & Angelus, & anima ratione materiæ habet potentiam, & appetitum ad formam quamcumque valentem perficere seipsam, & compositum, etiamsi non adsit virtus ipsam consequendi; sufficit autem ne sit frustra, ut in tota latitudine agentium aliquod agens sivè naturale, sivè supernaturale sit, valens eam inducere: hæcque est doctrina Scoti quæst. 1. prol. fundata super principia Seraph. Doct. *Ex l.2.d.19. art.1.*

art.1. q.2. ad 5. Ad id, quòd finis, & media debent proportionari, hoc verum eſt quoad aſſecutionem, non quoad puram inclinationem: & ratio eſt, quia finis hominis excedit incomparabiliter media, ideò ad aſſecutionem indiget adjutorio ſuperiori; ſic Seraph. Doct. cit. Et ad id, quòd potentia, & actus debent proportionari. Reſp. Seraph. Doct. *l.3 d.12. a.2.q.1 ad 1. & 2.* Potentia, & actus debent proportionari, quando potentia habet ordinationem ad actum, ſcilicet ordinata ſit ad ejus aſſequutionem: falſum verò eſt, quando dicit ſolùm naturalem aptitudinem, quia poteſt impediri per oppoſitum ejus; ſic greſſibilis habens truncatos pedes habet inclinationem ad gradiendum, & cæcus ad videndum, nec tamen poſſunt id aſſequi; ſic etiam damnati (ait Seraph. Doct.) habent appetitum ad merendum, & ad beatitudinem, & tamen non poſſunt ipſam aſſequi ob carentiam mediorum; undè proportionantur potentia, & actus in ratione perfectibilis, & perfectivi, ratione aptitudinis naturalis, non verò in cæteris, & in ordine ad agens, & ad virtutem activam, quæ ſit clauſa in ſphæra naturæ; & per hæc ſatisfactum eſt ſecundæ confirmationi; nam non ſequitur, quòd natura deficiat in neceſſariis (ait Seraph Doct. cit.) cùm in tota latitudine agentium adſit agens ſupernaturale valens talem inclinationem perducere ad complementum; quod agens reſpicit potentiam obedientialem creaturæ, quæ eſt naturalis, eſt enim ipſa entitas creaturæ.

89 Inſtas. Si natura habet appetitum naturalem ad viſionem beatam, ergo illi eſt debita, ergo non erit ſupra exigentiam ipſius, & ſupernaturalis? Reſp. neg. conſequentiam ex doctrina Seraph. Doct. *l.2. d.19.a.3.q.1 ad 4.& d.28.a.1.q.1. ad 3.* nam appetitui de ſe purè conſiderato non debetur perfectio, ad quam ordinatur, niſi ſit indutus diſpoſitionibus neceſſariis, & perfectè completus; tunc enim debetur ei perfectio appetita, quæ à Seraph. Doct. *l.1.d.6.q. corp.* appellatur neceſſitas exigentiæ, ita ut deficiente forma dicatur in ſtatu violento, non ſic in anima etiam diſpoſita ad gratiam, hæc enim deficiente non ponitur in ſtatu violento, quia ei debetur ſolùm ex divina liberalitate, & ſupernaturaliter, ut materia purè conſiderata, tunc cum ſit indifferens ad omnes formas tam naturales, quàm ſupernaturales; ſic eſt in potentia obedientiali ad eas ſicut placuerit Deo.

Inſtat hic P. Gaudentius *tom.1 diſt.11. quæſt.9. num.124.* & hanc rationem appellat firmiſſimum fundamentum contra noſtram concluſionem: Natura omnium rerum eſt determinata, ergo & potentia materiæ ſolùm eſt determinata ad formas, quæ naturaliter ſunt de complemento univerſi: Probatur conſequentia quia alioquin Deus diſſet Deus materiæ potentiam fruſtrà, ſi ad alias formas excedentes naturam dediſſet potentiam, quod eſt abſurdum: Reſp. hanc rationem, eſſe contra principia Seraphici, qui ob id recognoſcit in omnibus ſubſtantiis etiam ſpiritualibus compoſitionem ex materia ob capacitatem, quam habent ad quaſcumque formas non ſolùm complentes univerſum, ſed etiam ad ipſius ſubverſionem facientes; quo pacto ſpiritus eſt capax pœnarum ignis inferni, &c. hinc reſp. tranſeat antecedens, ad conſequens ergo & materia eſt determinata; diſtinguo; eſt determinata ſecundùm ſuam naturam, quæ determinatio eſt capacitas, & ſimul indeterminatio, & indifferentia ad omnes formas receptibiles; hæc eſt ipſius determinatio, ſcilicet natura, & proprietas, ſicque corruunt aliæ ſequelæ, quas infert ex hoc.

Urget iterùm P. Gaudentius *ibid.n.129.* Dicat mihi Scotus, quæ potentia eſt naturalis in Virgine Maria ut in concipiendo Deum hominem permaneat intemerata poſt partum? & reſpondet ſibi: Nulla ſanè; nam neque materia, neque forma, neque quantitas aſſidet, aut eſt receptiva naturaliter talis perfectionis: At abſque eo quòd ſibi reſponderet, poterat recurrere ad Seraph. Doct. qui meliùs, & adæquatè reſpondiſſet tali pacto. Si quæris de potentia paſſiva, hæc eſt potentia ſimpliciter paſſiva receptiva talis modi generandi: ſi quæris de activa obedientiali, hæc in Virgine dicitur potentia ſecundùm quid, quæ reſpectu Dei eſt potentia ſimpliciter; unde ſi ex parte materiæ, & ſubjecti conſideratur talis perfectio, hæc eſt ſimpliciter naturalis, ſi in ordine ad agens eſt ſupernaturalis quoad modum; ſic ex Seraph. Doct *l.1.d.48. ſupra cit* Et ſi ulteriùs quæras ad quid talis inclinatio in appetitu naturali Mariæ gignendi filium hominem ſine læſione virginitatis, cùm hoc ſit contra naturam. Reſp. S. Bon *op. Brevil.p.4.c.4.* ſic inter alia dicens, quia completio debuit eſſe in conceptu; cùm ex quatuor modis producendi hominē præceſſiſſent tres, primus nec de viro, nec de muliere ſic Adam habuit eſſe; ſecundus de viro ſine muliere, ſic Eva de coſta viri; tertius de viro, & muliere, ut in omnibus hominibus concupiſcibiliter natis, decuit ad complementum univerſi quartum modum introduci, qui ſcilicet eſſet de muliere ſine viri ſemine, & cum integritate virginali per virtutem ſummi operatoris; & quia completio debuit eſſe in virtute, hinc eſt, quod in tali conceptione filii Dei, & modo concipiendi concurrit virtus innata Virginis, virtus infuſa, & virtus increata; prima materiam præparavit; ſecunda purificando ſegregavit; & tertia ſubitò perfecit, quod non poterat à virtute creata fieri, &c. Hæc S. Bon. qui *l.1.d.18.a.1.q.1.in corp.& ad 5.* dicit hoc factum eſſe contra naturam, ideſt contra ſolitum curſum naturæ per potentiam obedientialem. *Vide l.3.d.1. art.1. quæſt.2. ad 9. & diſt.12. art.3. quæſt 5. ad 3.*

Inſtat iterùm. Hæc potentia obedientialis ſupernaturalis eſt, quia ad finem ſupernaturalem, ergo. Reſp. paſſivam eſſe naturalem ex parte creaturæ, & activam incoactivè; eſſe verò ſupernaturalem per ordinem ad agens ſupernaturale complens opus; ſic negatur conſequentia, ratio eſt, quia ut ſuſè explicavimus in Phiſica *lib.2. tract.3. quæſt.10. num 434. ad 44.* potentia paſſiva creaturæ, cum ſit ratione materiæ, eſt eadem entitas creaturæ, prout eſt receptiva cujuſcumque formæ, diciturque obedientialis per ordinem ad virtutem ſuperiorem valentem informare illam potentiam paſſivam per formam non exigitam in ordine naturali, vel a modo naturali. Activa verò ſupponitur in ipſo ſubjecto ſaltem inchoata cum ordine ad agens valens elevare illam ad agendum aliquid non exigitum à natura; ſicque talis potentia dicit duplicem reſpectum, ſcilicet ad ſubjectum, cujus eſt, & ad agens ſuperioris ordinis, ex qua duplici ratione oritur ſupernaturalitas, ut dictum eſt.

2. concl. Viſio clara Dei quoad attingentiam eſt finis ſupernaturalis, & ſecundùm modum, & ſecundùm ſubſtantiam; eſt communis omnium Theologorum, uno excepto Durando, de qua opinione in ſequentibus quæſtionibus de lumine gloriæ erit propria expenſio, & ſequitur ex dictis: Illud enim eſt ſupernaturale ſecundùm ſuam ſpecificam rationem, quod ita excedit naturam creatam, ut nulla ratione poſſit illi eſſe debitum naturaliter, nec poteſt ſuis viribus naturalibus aſſequi; ſed talis eſt viſio Dei clara, ergo; minor probatur, primò ex D. Auguſtino de prædeſtinatione 90

stinatione Sanctorum c. 5 qui sic dicit, posse habere fidem, & charitatem est naturæ hominum (ecce auctoritas S. Augustini confirmans supra positam conclusionem) actu verò habere est fidelium. Idem & docet Concil. Trid. de justificatione: Probatur 1. quia beata visio est per condescensionem bonitatis divinæ, & ab ejus mera voluntate pendens, ut ait S. Bon. *l. 2. d. 3. p. 2. a. 1. q. 2. & l. 3. d. 14. a. 2. q. 1. ad 4. & lib. . d. 45. a. 2. q. 1. ad* 2. *&* 3. ergo cum non sit attingibilis per virtutem naturæ sequitur, quòd sit supra exigentiam, & activitatem ipsius, sed hæc conclusio magis patebit in sequentibus, &c.

Objiciunt Thomistæ cum Auversa, Ariaga, Gaudentio, & aliis: Idem formalissimè est capacitas passiva subjecti, & exigentia naturæ; utrumque enim dicit quod est intra sphæram virium naturæ; ergo naturalitas, & supernaturalitas desumi debet per rationem passivam subjecti, & non per ordinem ad agens; alioquin potentia obedientialis non differret à naturali, quæ dicit ordinem ad agens Resp. neg. antecedens; nam ut notat Seraph. Doct. *l. 1. d. 6. cit.* subjectum sumptum cum suis dispositionibus ad formam importat necessitatem exigentiæ, scilicet illi debetur talis forma, eo quòd subjectum non sumitur merè passivè, sed cum activitate, & per ordinem ad agens naturale, & principale, & instrumentale dispositivum: sumptum autem nudè ratione passivitatis dicitur merè naturale, sicut & appetitus ejus ad quamcumque formam, hinc sequitur, quòd supernaturalitas desumitur per ordinem ad agens, sicut & naturalitas per ordinem ad dispositiones, ergo supposita capacitate naturali, si forma habet introduci supra exigentiam naturæ erit supernaturalis, & per hoc patet etiam qualiter distinguatur potentia naturalis ab obedientiali, illa enim dicit ordinem ad formam perficientem, ista ad agens superioris ordinis. Dices si supernaturalitas desumitur in subjecto per ordinem ad agens supernaturale, ergo quidquid producit Deus erit supernaturale, quod est absurdum, & falsum; Resp. disting. consequens; si quod producitur à Deo est tali subjecto debitum intra suum ordinem, nego, si supra exigentiam talis naturæ concedò, in primo statu Deus dicitur administrator naturæ, in secundo collator gratiæ, & donorum supernaturalium.

Dices iterum; ordo quem importat subjectum, vel forma ad agens est quid posteriùs, & consequens ad esse absolutum ipsius subjecti, ergo præintelligitur in eo supernaturalitas ergo formalitas supernaturalitatis non habet desumi ab isto ordine. Resp. Meldula *d. 6. v. 5.* concedendo totum, sed tamen cum non habeantur differentiæ constituentes naturalitatem, & supernaturalitatem nisi à posteriori, ideò rectè explicantur per ordinem, vel ad capacitatem subjecti, scilicet naturalitas, vel per ordinem ad agens, scilicet supernaturalitas.

Ex supra traditis proclivè valdè est diligenti Deum transire à scholastica concertatione ad mysticam considerationem; Cùm enim omnes naturaliter appetant beatitudinem, multi tamen in hoc decipiuntur, quia ipsam collocant vel in divitiis, vel in honoribus, vel in voluptatibus carnalibus, in quibus non solùm non inveniunt quod desiderant, & quærunt, sed potius miserias, & calamitates, quia in solo Deo nostro ultimo fine, & summo bono invenitur, in quo anima plenè satiatur, ejusque interminata capacitas repletur; ad hanc igitur solam tendamus acquirendam beatitudinem postpositis omnibus rebus terrenis. *De quo vide S. Bon. in solil. cap. 4.*

De causis efficientibus visionem beatam.

QUÆSTIO III.

Quid sit lumen gloriæ; & an sit absolutè necessarium ad divinam visionem.

Cum visio beata sit supernaturalis, & supra exigentiam totius naturæ, & ob id excedens vires naturales intellectus creati: omnes Catholici Theologi in hoc conveniunt, aliquod auxilium supernaturale requiri coadjuvans intellectum ad eliciendam visionem intuitivam Dei, quod & fuit determinatum in Concil. Vienn. sub Clemente V. contra Beguardos, & Beguinas, qui dicebant naturam intellectualem de se esse beatam, nec indigere lumine gloriæ ipsam elevante; Discrepant tamen Doctores, quodnam sit tale auxilium supernaturale, an sit lumen, & qualitas habitualis infusa in intellectu, an sit tantùm concursus specialis Dei per modum auxilii actualis, & transeuntis, an aliquid aliud? 91

1. Op. fuit Joannis Ripæ Beatos videre Deum per visionem, & sapientiam increatam; hanc refert, & rejicit S. Bon. *lib. 3. dist. 14. art. 1. quæst. 1.* tamquam contrariam rationi, & sensui omnium SS. DD.

2. Op. est Durandi, qui admittit quidem in visione beata supernaturalitatem, sed hanc ait consistere in hoc, quòd cùm nos non possimus cognoscere naturaliter, nisi mediis Phantasmatibus, & creaturis, Deus à Beatis aufert hæc duo impedimenta secundùm ordinem gratiæ, nec aliquid aliud ipsis est necessarium, nisi quòd Deus immediatè, & intuitivè se illis objiciat; & quia hæc remotio est quid supernaturale, hinc & à nota hæresis communiter eximitur ab aliis Theologis; notatur tamen communiter hæc opinio proxima hæresi Beguardorum, & ferè temeraria cùm sit contra communem omnium Doctorum sententiam.

3. Op. est Nominalium, qui admittunt tantùm illustrationem quamdam actualem in intellectu, non per modum habitus, sed per modum concursus actualis: divisi sunt inter se; alii enim dicunt infundi in intellectu visionem, absque eo quòd intellectus recipiat à se ipso operatum, & hæc est opinio Ochami: Alii dicunt Deum concurrere concursu speciali per modum actus transeuntis cum intellectu ad visionem beatam, & hanc probabilem existimat Scotus; & secundùm omnes catholica est, nec aliquid continet contra fidem; sic apud Meldulam *dist. 6.* & P. Gaudentium nostrum *q. 10. tom. 1. dist. 11.*

4. Op. est communissima D. Thomæ, Scoti, S. Bon. & omnium sequacium, & omnium scholarum, demptis Nominalibus. De facto requiri lumen habituale, de possibili verò sufficere auxilium actuale; de quo supra in tertia opinione: Pro solutione igitur quæstionis.

1. Not. quòd ut probatum à nobis fuit in lib. de anima tr. 2. q. 8. Actus vitales perfectos etiam ut tales posse à Deo produci sine actuali concursu vitalis potentiæ, & in ipsa infundi, & tunc verè diceretur potentia agens, sentiens, intelligens, volens; quæ intellectio non esset quidem verbum, hoc enim essentialiter dicit respectum producti ad producens, sed vera intellectio; Deus enim seipso potest, quod potest cum causa secunda in genere efficientis, in quo casu non erit actio immanens, idest non erit

producta

producta à principiò, in quo recipitur, & hæc eſt opinio Scoti, Suarez, Nominalium, aliorumque contra Thomiſtas; eſt etiam conformis ſenſui S. Bon. *ex lib.3.diſt.14.art.1. quæſt.3.ad ult.*

Not. 1. Medium cognitionis eſſe duplex, nempè quod, & quo; quod eſt medium cognitum, quo cognito inducit in alterius cognitionem, quo pacto præmiſſæ cognitæ inducunt in cognitionem concluſionis, & hoc dicitur medium quod non ultimatum (concluſio verò dicitur medium quod ultimatum) medium quo eſt id, quo mediante potentia fertur in objectum, & iſtud eſt duplex; aliud enim ſe tenet ex parte objecti ſupplens vices ejus, ſic lumen gloriæ non eſt tale medium, ſed tales ſunt ſpecies intentionales; taleque medium dicitur medium deferens, quia defert objectum ad oculum: aliud eſt, quod ſe tenet ex parte potentiæ complens efficaciam ejus ad cognoſcendum, & uniens ipſam cum objecto; & tales ſunt in ordine naturæ habitus cognitivi exercitio acquiſiti, & in ordine gratiæ habitus fidei infuſæ, taleque eſt lumen gloriæ, quo mediante intellectus elevatur ad hoc, ut tendat, & nitatur in id, quod eſt ſupra ſe, & hoc appellatur à Seraph. Doct. medium deiformans intellectum, quo proportionatur non quantitativè, ſed qualitativè, & quantùm ad ſimilitudinem, ut poſſit ipſam ſpeciem expreſſam producere circa objectum cognitum; & hinc patet, quòd lumen gloriæ neceſſarium eſt tùm ad diſponendum intellectum, ut uniri poſſit Deo, tùm ad ipſum confortandum, elevandumque, ut poſſit elicere viſionem beatam; hæcque doctrina eſt ferè communis omnium, ut patet ex tract. de intellectu, & ſpeciebus in lib de anima, eſtque Seraph. Doct. tùm *l.1. diſt.17.p.1.a.1.q.1.* ubi agit de neceſſitate habitus charitatis ad Deum amandum, currit enim eadem paritas de intellectu: tùm *l.3.d.14.q.1.& l.2.d.22. q.ult. & l.1.d.3.q.1.corp.* His poſitis.

92 1. concl. Lumen gloriæ eſt qualitas, ſeu habitus ſupernaturalis à Deo datus beatæ animæ, ut elevet, & corroboret intellectum, & ſimul cum ipſo concurrat activè ad viſionem beatam, ita quòd intellectus, & lumen non ſe habent ut cauſæ partiales, ſed totales ſubordinatæ conſtituentes unam cauſam adæquatam, & completam ad productionem viſionis beatæ, eo modo, quo ſe habent fides, & gratia ad producendos alios habitus ſupernaturales? eſt communis, & patebit infrà, eſtque Seraph. Doct. loc. cit. undè ait Seraph. Doct. *l.2.d.23.cit. ad arg.* lumen gloriæ non eſt ſpecies impreſſa Dei, vel, quod eſt idem, medium deferens; hæc enim ſe tenet ex parte objecti, lumen verò ex parte potentiæ. Hinc.

93 2. concl. Beati non vident Deum viſione increata; eſt communis cum Seraph. Doct. *l.3.diſt.14.cit.* ratio eſt, quia per viſionem tamquam per formam perficitur intellectus, ſed Deus non poteſt eſſe forma, ergo aliud requiritur creatum; valdè enim abſurdum eſſet dicere, quòd Deus ſit fides, ſpes, &c.

3. concl. Cum ad beatificam viſionem neceſſarium ſit lumen gloriæ ex determinatione Concil. Vienn. probabilius eſt aſſerere, quòd ſit qualitas creata infuſa in intellectu per modum habitus: prima pars eſt, ut dictum eſt, de fide determinata in Concil. Vienn nempe neceſſarium eſſe lumen ſupernaturale ad videndum Deum; an verò hoc lumen ſit aliquid actuale collatum à Deo, an habituale, hoc non eſt determinatum à Concilio, quòd verò ſit neceſſarium aliquod lumen ſupernaturale probatur à Seraph. Doct. ex multis auctoritatibus ſacræ Scripturæ *in op. de ſeptem gradibus contemplat.* præcipuè *1. Cor. c.13. Nos autem revelata facie Domini ſpeculantes in eamdem imaginem transformamur à claritate in claritatem:* & *Pſal.35. In lumine tuo videbimus lumen;* tùm hac potiſſima ratione, qua utitur Seraph. Doct. quia natura inferior non poteſt aſſequi id, quod eſt naturæ ſuperioris, niſi adjuvetur per accidens ſuperioris naturæ; ſic aer non poteſt illuminare, niſi illuminetur à ſole; ſed videre Deum per eſſentiam eſt proprium ſolius Dei, ergo ut homo ad iſtam viſionem pertingat, indiget aliquo lumine Dei.

2. pars concluſionis, quæ eſt de neceſſitate luminis habitualis probatur 1. quia hæc eſt communiſſima omnium ferè Theologorum, undè ab ipſa recedere eſt maximè abſonum; eſtque præcipuè Seraph. Doct. *lib.3 diſt.14.art.1 quæſt.1.& 3. ad 6. & art.2.quæſt.1 ad 4. & lib.2.diſt.13 quæſt.ult. ad ult. & diſt.3. p.2.art 1. quæſt 2. & lib.1 diſt.3.quæſt.1. & ſeq. in quibus locis Seraph. Doct.* appellat hoc lumen habituale, modò nomine deiformitatis gloriæ, modò luminis gloriæ deiformantis, modò medii diſponentis.

Prob. autem à Scoto primò. Actus ſecundus præſupponit actum primum proportionatum, & diſpoſitum, ergo actio ſupernaturalis (qualis eſt viſio beata) præſupponit eſſe ſupernaturale in cauſa, ergo & adæquatum principium in eſſe; ſed non poteſt eſſe talis in viſione intellectus, niſi per informationem luminis gloriæ, ergo lumen habituale informans intellectum eſt neceſſarium. Reſpondent Scotiſtæ defendentes ſufficere auxilium actuale ſupernaturale, quòd ſufficienter intellectus ponitur in actu primo per tale lumen actuale per modum tranſeuntis, nec requiri habituale.

Contra primò, quia actus ſecundus præſupponit in actu primo principium producens viſionem, ſed per auxilium actuale non ponitur in actu primo, ſed in ſecundo, ergo nulla reſponſio. Probatur minor; tùm quia hoc auxilium actuale non ponit potentiam in actu primo ad hoc, ut poſſit in actu ſecundo producere viſionem, ergo ut ſit in actu primo aliud debet antecedere, alioquin ſi non indigeret aliquo per modum actus primi, intellectus haberet de ſe quidquid eſt neceſſarium ad actum primum, & hoc eſt contra mentem Concilii, ergo. Reſpondent intellectum de ſe habere potentiam remotam inadæquatam, ſed fieri proximam per auxilium actuale non debitum tali naturæ; contra, quia in actu primo numquam poteſt dici cauſa adæquata, ſed tantùm in actu ſecundo; & confirmatur, quia viſio Dei eſt permanens, non tranſiens, ergo intellectus exigit habitum continuè tenentē ipſum ſuſpenſum ad viſionem illam, quæ eſt perpetua; tùm quia currit eadem paritas de habitu charitatis neceſſario ad dilectionem continuam Dei; tùm quia ut advertit S. Bon. *l.3.d.14.quæſt.1.* ad hoc, ut anima Deum videat debet in ſe immutari, & accipere conformitatem cum objecto, & ſimul diſpoſitionem, & in ſe reddi deiformis; ſed id non poteſt obtinere, niſi per aliquid de novo in ſe receptum, & hoc eſt lumen infuſum, & habituale, ergo eſt neceſſarium; tùm quia lumen gloriæ ſuccedit loco fidei infuſæ, ſed hæc eſt forma informans intellectum, ergo & lumen gloriæ ſuccedens loco illius.

Prob. 2 principaliter à S. Bon cit. Deus eſt intimus, & præſentiſſimus omni animæ, & tamen non videtur ab omnibus, ſed hoc non eſt ob diverſitatem à parte objecti, ergo eſt à parte cognoſcentis, ergo debet dari aliquod lumen, per quod hic videat, alio non vidente.

Prob. 3. à Seraph. Doct. ex inæqualitate gloriæ,

Certum est, quòd Beati inæqualiter vident Deum, & anima Christi superexcedit omnes Beatos; sed hoc non venit ex naturali intellectu, saltem solo, alioquin gloria non daretur secundùm merita, sed secundùm naturalia, quòd est hæreticum; ergo debet esse aliquod majus superadditum lumen in uno, quod non in altero, non enim potest disponi ad actus intrinsecos supernaturales, nisi in ipso intellectu superaddatur aliquod auxilium supernaturale, sed hoc est lumen, seu qualitas informans potentiam, ergo: Et confirmatur, quia elevatio talis est magis proportionata connaturali modo operandi creaturæ rationalis, ut patet in visione, in auditu, &c. in quibus superadditur species impressa potentiæ; sic in meritis superadditur charitas in anima, &c. sed quia non desunt responsiones pro defendendo necessitatem luminis per modum auxilii actualis, concludimus hanc secundam partem conclusionis esse probabiliorem: primam verò non derogare veritati fidei; hinc solùm prima ratio de actu primo, & secundo concludit, & maximè confirmata per paritatem de habitu charitatis necessario ad eliciendam fruitionem Dei etiam supposito speciali concursu Dei.

Obiicies primò. Ad hoc lumen gloriæ requiritur, ut insurgat proportio inter intellectum, & objectum, sed hoc est impossibile, ergo. Probatur minor, quia finiti ad infinitum nulla est proportio. Resp. ex Seraph. Doct. *lib.2.dist.23. quæst.ult.ad ult.* *& lib.1.dist.7.& dist.1.quæst.1. ad 1.& 2.& dist.14. cit.* conced. majorem, neg.minorem: ad probationem resp. Seraph. Doct. finiti ad infinitum nullam esse proportionem entitativam; benè autem in ratione ordinis cognoscibilis, & cognoscentis, quæ fit per qualitatem luminis gloriæ, idest, ait Seraph. Doct. per condescentionem Dei sese exhibentis intellectui per modum exemplaris, quod fit per lumen habituale.

Obiic. 2. Deus cooperatur agentibus naturalibus absque qualitate habituali infusa, ergo & simili modo agentibus supernaturalibus, non enim est major ratio de uno, quàm de altero. Resp. neg. paritatem; nam ut notat Seraph. Doct. *lib.1. dist.17. quæst.1.* natura agit tantùm ad id, quod est juxta, vel infra se, ideò non indiget collocari in actu primo, cum de se per propriam virtutem adsit, sed in visione beata, aliisque actibus supernaturalibus agit potentia ad id, quod supra se est, ideò indiget forma elevante supra se, ipsamque potentiam disponente, ut adæquatè ponatur in actu primo, undè lumen habituale est necessarium, non ut addat virtutem potentiæ ad operandum, sed ut operetur in actu secundo supernaturaliter: *Sic S. Bon. lib.1. dist.1 . quæst.1.*

Obiic. 3. Ad visionem claram Dei non est necessaria species impressa, & intelligibilis, ergo nec lumen gloriæ habituale: Probatur consequentia, quia ex parte objecti est superflua species, ergo ex parte potentiæ non erit necessarium lumen, cum sufficienter habeatur objectum potentiæ præsens succedens loco speciei, & luminis, cum sit ipsum summa lux: Resp. neg. consequentiam, & paritatem; species enim advenit loco objecti, & cum objectum sit præsentissimum, non indiget intellectus (*ait S. Bon.lib.2.dist.23. cit.*) medio deferente; sed indigentia luminis est ex parte potentiæ, ut ipsam disponat, & elevet ad posse producere actum supernaturalem; & hinc est, quòd lumen gloriæ non habet rationem speciei impressæ, sed medii disponentis potentiam ad actum primum, & secundum.

QUÆSTIO IV.

Quænam sint munera luminis gloriæ.

QUæstionis præsentis solutio maximè inservit 94
ad elucidanda ea, quæ in superioribus tradita sunt de lumine gloriæ, & supernaturalitate visionis beatæ; quæ solutio valdè redditur difficilis maximè propter multiplicem Doctorum sensum, cum ferè adnumerentur tot sententiæ, quot capita; quas tamen majoris claritatis gratia ad quatuor classes reducemus.

1. classis est Doctorum docentium lumen gloriæ esse necessarium ad disponendum intellectum ad receptionem visionis beatificæ: sunt tamen divisi inter se; alii enim volunt lumen esse veluti rationem materialem intellectui, ut possit in se recipere actum supernaturalem; tribuiturque Caietano, & aliquibus aliis Thomistis: Alii volunt lumen esse veluti subjectum proximum receptivum visionis, intellectum subjectum remotum; tribuiturque ista opinio Ricardo, aliquibusque aliis; Suarez verò *lib.2.cap.15. de attributis vult*, ut subjectum receptivum sit totum conjunctum, scilicet lumen, & intellectus.

2. Classis est eorum, qui docent lumen habituale esse necessarium ad decorem, & ornatum intellectus; actuale verò auxilium ad elicisionem visionis necessarium; sic Mairon. Bartol. aliique quam aliqui nimis audacter ausi sunt dicere hæreticam veluti sentientem cum Beguardis, quod tamen falsissimum est.

3. Classis est asserentium lumen gloriæ esse necessarium non ad recipiendam visionem, sed ad unionem formalem essentiæ divinæ cum intellectu ad instar speciei intelligibilis; sunt tamen divisi inter se, nam aliqui volunt essentiam divinam concurrere per modum speciei intelligibilis ad visionem per suam intimam præsentiam; lumen verò elevare intellectum, & unire ipsum cum objecto, & visione; sic Nazar. aliique. Alii docent lumen gloriæ supplere vices speciei intelligibilis ex parte objecti; sic Vasquez, cum quo sunt Ovied. Tatar. Poncius, qui tamen dicunt tale lumen etiam elevare intellectum ad ordinem supernaturalem. Communiter tamen Thomistæ in hoc conveniunt, quòd lumen gloriæ est necessarium ex parte potentiæ, eo quòd tribuit ipsi virtutem visivam (addit Joan. à S.Th.) scilicet in ratione supernaturalitatis, & quia hæc visio secundùm substantiam est tota supernaturalis, ideò tota ratio ipsius est lumen gloriæ. Vide Ioan. à S.Thoma *p.1.d.14.a.2.* qui fusè, & doctissimè explicat sensum D Thomæ, & Thomistarum, qui parum, vel nihil differt à cõmuniori sententia de qua infra.

4. Classis est communior, & verior S Bon. D. Thomæ, Scoti, & plurimorum docentium lumen gloriæ non quidem tribuere intellectui vim producendi actum vitalem visionis, sed tantùm sic operandi, scilicet supernaturali modo; quare duo sunt ipsius munera, primum est disponendi, & elevandi intellectum ad statum supernaturalem in actu primo. Secundum est coagendi simul cum intellectu, & comproducendi actum visionis beatæ: Pro solutione quæstionis.

1. Not. ex S.Bon. *l.2.d.23. q.ult. corp. & ad arg.* præcipuè *ad ult.& l.1.d.17.quæst.1.* quòd homo potest intelligi videre Deum per triplex medium, scilicet per medium deferens, per medium deducens, &

& per medium diſponens : medium deferens eſt ſpecies intelligibilis, quæ defert intentionaliter objectum ad potentiam, & hoc in viſione beata non concurrit, cum ſine ſpecie abſtracta videatur; abſtractivè verò per fidem poteſt admitti talis modus; medium deducens ſunt effectus, & creaturæ Dei deducentes in cognitionem Dei : medium diſponens eſt lumen gloriæ : ut autem dignoſcatur qualis ſit iſta diſpoſitio.

95 Not. 2. ex Seraph. Doct. loc. cit. quòd ſicut ad actum dilectionis divinæ & fruitionis Dei neceſſarium eſt admittere in potentia affectiva habitum charitatis elevantis ipſam, & coagentis cum ipſa, ſic & in viſione beata habituale lumen neceſſarium eſt in intellectiva; quæ neceſſitas deſumitur tùm ex parte eſſentiæ, & naturæ luminis; tùm ex parte, & indigentia potentiæ; tùm ex parte unionis & operationis : ex parte naturæ luminis, hoc enim eſt quædam influentia procedens ex ipſo fonte luminis increati totaliter ipſum intellectum abſorbens, & deiformans, & aſſimilans ipſum illi ſummæ luci, & veritati increatæ : ex parte potentiæ; quia enim ad cognitionem requiritur aſſimilatio aliqua intentionalis reſpectu objecti (ait Seraph. Doct. l. 3. d. 14. q. 1. lumen ipſum intellectum elevat, & diſponit, ita ut redundet in intellectu conformitas, & aſſimilatio in ratione lucis cum prima, & ſumma veritate, per quam conformitatem etiam inclinatur ad talem actum determinatum in objectum divinum.

Et quia talis actus viſionis beatæ ſecundùm ſubſtantiam eſt ſupernaturalis, ob idque potentia indigeat elevatione ſuprà vires naturæ, & auxilio coadjuvante ad talem actum eliciendum ſupernaturaliter, hinc lumen gloriæ utrumque facit, ſcilicet elevat, & coagit cum intellectu. Hinc eſt, quòd licèt lumen non det potentiæ vitaliter operari, dat tamen taliter operari, ſcilicet ſupernaturaliter : Ex quibus ſequitur, quòd lumen non ſe habeat ut ſpecies abſtracta, & ex parte objecti ſupplentis vices illius licèt etiam aliqualem rationem circa hoc habeat in ratione lucis aſſimilantis potentiam cum illa increata luce, & veritate, totaliter tamen ſe habet ex parte potentiæ indigentis ipſo lumine : Ex quibus etiam patet concertationem ferè reduci ad quæſtionem de nomine inter nos & Thomiſtas, & Scotiſtas, cum omnes admittant lumen gloriæ reſpicere partim potentiam, partim objectum, ſolúmque differunt in ratione principalitatis : an S. ſe teneat principaliùs ex parte potentiæ; an verò ex parte objecti.

96 Not. 3. quòd major difficultas eſt in explicando rationem vitalitatis, & ſupernaturalitatis provenientis ab intellectu, & à lumine; quia enim vitalitas actus ſola poteſt provenire à principio vitali, ſcilicet ab intellectu, & non à lumine eo quod non habet principium vitæ, & ſupernaturalitas à ſolo lumine, quia intellectus eſt totus in ſphæra naturalitatis, difficile videtur quomodo poſſint in eodem actu indiviſibili iſta duo dividi; ut autem id enodetur, advert. quòd valdè differt dicere aliquid eſſe principium elevans potentiam, & aliquid eſſe principium elicitivum actionis; verum quidem eſt, quòd lumen elevat potentiam ad ſtatum ſupernaturalem, ob idque dici poteſt cum Thomiſtis lumen eſſe totam rationem formalem conſtitutivam ex hac parte principii adæquati, ſive actus primi proximè, & adæquatè valentis elicere viſionem ſupernaturalem : principium verò activè elicitivum eſt ipſe intellectus cum lumine coagente, unde lumen eſt ratio qua : Idem lumen, & intellectus eſt ratio quod; & licèt intellectus de ſe non habeat formaliter eſſe ſupernaturale, habet tamen virtualiter ex conſortio luminis, ut patet etiam in cauſis partialibus heterogeneis, quales ſunt ſpecies intentionales, & habitus concurrentes ad actus vitales; undè cum in actu indiviſibili viſionis beatæ adſit & vitalitas, & ſupernaturalitas; iſtæ duæ rationes ſunt indiviſibiles, & inſeparabiles provenientes ab intellectu & à lumine tamquam à duabus concauſis de ſe inadæquatis, ſimulque integrantibus unicam cauſam adæquatam, ita quòd actus, ut vitalis, principaliter procedat ab intellectu, minus principaliter à lumine; & ut ſupernaturalis principaliter à lumine, minus principaliter à potentia, quæ doctrina eſt Thomiſtarum, Scotiſtarum, & D. Bon. fundataque in Philoſophica veritate, ut patet in tract. de anima, de ſpeciebus, & potentiis. His poſitis.

1. Concl. lumen gloriæ duo munera exercet in intellectu. Alterum eſt elevando ipſum ad ſtatum ſupernaturalem; alterum eſt conſtituendo ipſum in actu primo, & ſimul coagendo cum ipſo ad elicitionem viſionis beatæ : eſt S. Bon. ſupra cit. Scoti, ſequacium & plurium Thomiſtarum apud Ioan. à S. Thoma. 97

Hæc Concluſio jam ſatis probata eſt in præcedenti quæſtione, & in fundamentis proximè jactis, ſcilicet quoad elevationem, nam intellectus, ut ſit in actu primo adæquato, & completo ad eliciendam viſionem in actu ſecundò, de ſe non eſt ſufficiens, ergo indiget alia concauſa; ſed hæc eſt lumen gloriæ infuſum in intellectu : ſubſumo; ſed actus ſecundus procedit à principio in actu primo completo exiſtente, ergo viſio beata procedit & ab intellectu, & à lumine; tùm quia, ſi ad talem viſionem intellectus ſe haberet merè paſſivè, jam ille actus non eſſet vitalis, & ſi procederet activè à ſolo lumine jam careret vitalitate, ergo ab utroque.

Et confirmatur exemplo aliorum actuum ſupernaturalium v.g. charitatis, credulitatis, ſpei, &c. qui ob id indigent in potentia habitu elevante potentiam, & ſecum coagente in productione illorum, quia tales actus ſunt improportionati virtuti naturali, ergo multò magis talis elevatio, & cooperatio requiritur in viſione beata, cum totam vim naturæ magis excedat.

Obiic. 1. pro Thomiſtis. Intellectus non influit in effectum ſupernaturalem per ſuam naturalem virtutem, cum ſit illi improportionatus, ſed viſio eſt actus omnimodè ſupernaturalis, ergo tota ratio agendi adſcribi debet lumini : Confirmatur, quia ſi intellectus concurrit activè, id erit velut cauſa totalis, & hoc non ut omnes fatentur : vel ut partialis, & hoc non, quia ſequeretur debere admitti in viſione duplicem gradum, ſcilicet naturalitatis, & ſupernaturalitatis, quod eſt impoſſibile cum ſit unicus actus indiviſibilis, ergo tota ratio agendi debet tribui lumini ſoli.

Reſp. neg. antecedens. Intellectus enim per ſuam naturalem virtutem influit in actum ſupernaturalem, non præcisè ut naturalis, ſed ut elevatus, & concauſa ſimul cum lumine, quia ut ſuprà dictum eſt, licèt intellectus de ſe præcisè non habeat eſſe ſupernaturale, habet tamen virtualiter ut elevatus ex conſortio luminis, & ratio eſt, quia ſupernaturalitas viſionis non petit neceſſario omne principium ſupernaturale, id enim non eſt de ratione entis ſupernaturalis, ſed ſolùm quòd non poſſit produci abſque principio ſupernaturali, etiamſi aliud comprincipium non ſit ſupernaturale; undè

inter intellectum ut elevatum, & visionem adest proportio necessaria. Et hæc veritas potest declarari exemplo actus vitalis, qui procedit ab uno comprincipio vitali, scilicet à potentia vitali, & ab alio non vitali, scilicet à specie intelligibili, sic & dilectio Dei a voluntate, & à charitate: Ad confirmationem verò resp. intellectum concurrere, ut causam partialem, scilicet partialitate causæ, non partialitate effectus, similiter & lumen; ambæ enim integrant unam totalem causam ad eumdem effectum indivisibiliter vitalem, & supernaturalem producendum, nam ex tali consortio causa partialis virtualiter continet rationem alterius concausæ.

Instat hic Nazarius. Si intellectus concurrit ut causa partialis ad actum supernaturalem, sequitur quòd poterit augeri ejus virtus partialis, ita ut poterit de se sine lumine attingere totum effectum supernaturalem, ut patet de duobus trahentibus navem, sed hoc est falsum, & impossibile; quia dato quocumque augmento intellectus numquam potest fieri totalis causa supernaturalitatis, ergo dicendum totam activitatem provenire à lumine. Resp. neg. majorem de causis diversi ordinis, ut in nostro casu, esto quòd possit dari in causis ejusdem ordinis, ut in exemplo allato de duobus trahentibus navem; *sic Scot. l. 1. d. 3. q. 7.* ratio discriminis est, quia in effectu concurrunt diversæ rationes, quæ necessariò petunt diversas causas, ut patet in intellectu, & specie intelligibili.

Instat contra 2. Virtus partialis intellectus, & inchoata per potentiam obedientialem poterit augeri in eodem ordine à Deo, ergo nulla responsio, & sic valet consequentia supra allata.

Resp hanc instantiam excitare illam quæstionem de potentia obedientiali, An virtus activa sit in quolibet ad quodlibet, quam in Physica ex principiis Seraph. Doct. solvimus *l. 8. Phys. q. 10.* in qua diximus non quamlibet causam activam posse elevari ad quodlibet, sed tantùm ad effectus illos, ad quos habet aliquam virtutem inchoatam; & cùm effectus dicat ordinem ad suam causam, quia effectus sunt diversi quoad suam entitatem, & quoad supernaturalitatem: alii enim sunt supernaturales tantùm in genere causæ efficientis, ut est gratia, quæ datur in baptismo: alii etiam in genere causæ formalis, ut est visio beata, quæ formaliter est vitalis, vitalitas enim est veluti ejus forma; hinc ad effectus primi generis requiritur tantùm virtus in potentia elevabili in genere causæ efficientis, sic per Thomistas aqua elevatur absque addito ad producendam gratiam instrumentaliter: Ad effectus verò secundi generis requiritur in potentia elevabili virtus non solùm in genere efficientis, sed etiam formalis causæ, talisque est visio beata, quæ exigit in potentia intellectiva non solùm virtutem activam inchoatam, sed & formalem, per quam elevetur formaliter ad debitam proportionem cum objecto divino, unde sequitur, quod cùm intellectus de se non habeat vim formaliter attingendi effectum supernaturalem, nisi inchoatè, & remotè, talis virtus in suo ordine non potest unquam per quemcumque concursum potiorem pervenire ad productionem effectus supernaturalis, nisi addatur aliqua forma elevans intellectum à suo statu naturali, ut sic ex principio elevato, & elevante resultet unum principium indivisibile valens attingere effectum supernaturalem: Hæcque fusiori calamo dicta esse volumus in hac materia, ne ad ipsam redire cogamur amplius, ad evitandam nimiam prolixitatem, in quam alii Theologi incidunt excitantes propriam quæstionem de potentia obedientiali concurrente ad visionem beatam: Hinc resp. ad instantiam Nazarii neg. virtutem inchoatam, & remotam posse complere per potentiam obedientialem per aliud principium ejusdem ordinis sibi debitum, sed exigit ad talem complementum aliud principium suprà exigentiam suæ naturæ, per quod formaliter elevetur, vel per formam luminis gloriæ, vel per concursum extrinsecum potiorem Dei, qui suppleat vicem formæ supernaturalis; undè stet conclusio, quod virtus intellectus in ordine ad visionem beatam de se dicitur naturalis, inchoata, & remota, & potiùs non repugnantia, quàm propriè potentia, cùm in tali ordine numquam possit attingere talem effectum: prout tamen formaliter est elevata per potentiam obedientialem dicitur supernaturalis, & extra suum ordinem; quæ doctrina etiam potest aptari aliis potentiis in ordine ad actus supernaturales. Vide quæ dicta sunt in Phis. loc. cit.

Objic. 2. pro Ricardo. Intelligere est pati, intellectionemque recipere, cùm sit actus immanens, sed visio Dei est intellectio, ergo est pati; sed inter intellectum, & visionem beatam est improportio, ergo requiritur dispositio formalis supernaturalis per lumen gloriæ, ergo visio est quatenùs recipitur in suo principio disposito per lumen, & consequenter priùs recipitur in lumine & secundariò in intellectu tamquam in duobus comprincipiis. 98

Hæc objectio petit quæstionem agitatam in tract. de anima: An intelligere sit formaliter pati, & recipere, in qua nos ex Seraph. Doct. resolvimus *tract. 2. q. 8.* Intellectionem formaliter non consistere in receptione passiva speciei impressæ, vel expressæ, licèt non possit esse sine passione, & receptione actus immanentis; sed consistere formaliter in illa qualitate vitali, quæ dicitur verbum, seu species expressa, & per quam intellectus, qui priùs per dictionem, seu gignitionem, seu loquutionem denominabatur efficienter intelligens, nunc per istam qualitatem denominatur formaliter intelligens, eo quòd habet in se intellectionem, seu intelligentiam tamquam formam, quæ qualitas est similitudo objecti cogniti ipsum repræsentans sub ratione cogniti, & conjungens intentionaliter objectum potentiæ; hinc explicato vero sensu majoris positæ, resp. ad min. quòd improportio quidem tollitur per lumen, sed hinc non sequitur recipi visionem in lumine, cùm visio sit qualitas denominans formaliter intellectum videntem, & qua fit assimilatio, & unio cum objecto.

Objic. 3. Lumen complet efficaciam intellectus ex parte objecti; ut visionem eliciat, ergo Deum habitualiter repræsentat ad modum speciei impressæ Dei. Probatur consequentia. Visio est formalis, & expressa similitudo Dei, ergo id, quod est principium talis visionis, erit habitualiter repræsentativum Dei, sed hoc est lumen, ergo habet rationem speciei; & confirmatur, quia virtus intellectus ad videndum Deum est principalis, ob idque ex sua parte habet quidquid est necessarium ad videndum ergo deficientia ad actum secundum est ex parte objecti, sed lumen complet totum in actu primo, ergo gerit vices objecti. Resp. disting. antecedens; lumen complet efficaciam intellectus ex parte objecti, nego, ex parte intellectus, concedo; nam ipsum determinat potentiam constituendo eam in ordine agentis supernaturalis, & ad proportionem debitam ipsam reducendo, ut possit ferri in objectum; hinc negatur, intellectum habere de se virtutem videndi Deum, habet quidem

virtutem

virtutem vitalitatis actus, sed non supernaturalitatis ejusdem, ideò lumen se habet ex parte indigentiæ potentiæ, non ex parte objecti: Fallitur autem Vasquez in hoc, quòd putat lumen determinare potentiam ex parte objecti, sicut facit species repræsentando objectum potentiæ, & seipsa uniendo potentiam cum objecto; non sic lumen, quod determinat potentiam ipsam elevando, & perficiendo vires ejus, & per hoc collocando eam in statu supernaturali. Instabis Explicationem hujus sententiæ Vasquez, & adversariorum esse conformem sensui Seraph. Doct. qui *lib. 3. d. 14. q. 1. ad 1. & 4. & 5* dicit, quod lumen gloriæ reddit intellectum deiformem, & similem divinæ essentiæ; ergo in sententia Seraph. Doct. lumen se habet velut species repræsentans divinam essentiam & assimilans, & uniens potentiam cum objecto: idem & dicit *ibid. quæst. 3. ad 6.* sed tamen longe diversus est sensus Seraphici Doct. à Vasquez: nam *lib. 1. d. 3. p. 1 quæst. 1 ad ult.* negat ex parte objecti speciem impressam Dei, & admittit ex parte potentiæ lumen reddens intellectum deiformem, & similitudinem expressam Dei in eo notitiamque gignensi unde ut dicit locis cit. lumen dicitur similitudo Dei non formalis, sed effectiva, & per modum influentis, scilicet elevando potentiam ad ordinem supernaturalem, ut fiat deiformis.

Sed contra ex eodem Seraph. *l. 1. d. 3.* Divina essentia concurrit supernaturali concursu, & se præsentissimam reddens intellectui, & si hoc, ad quid inservit lumen gloriæ? Resp. necessarium esse lumen ad roborandam potentiam, cum non habeat virtutem integram circa objectum supernaturale; sicque per lumen proportionatur objecto divino præsentissimo, ut visio fiat; sicque ex parte potentiæ elevatæ per lumen, & ex parte objecti concurrentis speciali auxilio, fit ista visio.

Dices. Ex dictis sequitur, quòd intellectus sit instrumentum luminis gloriæ, quod est falsum: probatur sequela; quia in visione Dei fertur in ipsum virtute luminis; ergo est causa instrumentalis? Resp. neg. sequelam: ad probationem resp. quod intellectus non agit virtute recepta à lumine, sed virtute propria, & vitali, sed tamen elevata per potentiam obedientialem ab ipso lumine; undè hæc virtus in se dicitur naturalis prout exit à principiis naturæ, sed in actu exercito, & elevata à lumine dicitur supernaturalis.

QVÆSTIO V.

An per absolutam Dei potentiam sine lumine habituali per solum concursum specialem extrinsecum Dei terminantem in effectum, possit elicere intellectus visionem beatam?

97 THomistæ negant id posse fieri, eo quòd (aiunt) implicat contradictionem, quòd potentia eliciat actum supernaturalem sine habitu, vel alio principio intrinsecè inhærente supplente vices habitus, & activè coagente cum potentia: sic Baonez, Nazar. Ioan. à S. Thoma *d. 14. a. 5. Salmatic. &c.* sed tamen contraria opinio Scoti, & plurimorum aliorum cum S. Bon. est probabilior, & verior, imò ipsam sectantur plures Thomistæ explicantes supradictam primam opinionem esse veram de potentia Dei ordinaria, non absoluta; quòd autem hæc sit opinio clara Seraph. Doct. (quidquid in contrarium dicat P. Gaudentius noster *p. 1. tr. 1. d. 11. q. 1-2, à n. 190.*) patet ex hoc, quòd in Christo tamquam probabilem de facto existimat hanc opinionem *l. 3. d. 14. q. 1. in corp.* licèt postea oppositam de lumine habituali sustineat; si ergo de facto admittit probabiliter talem modum, multò magis de possibili.

Probatur autem communiter hoc irrefragabili argumento, & fundato in doctrina S. Bon. *l. 2. d. 42. a. 1 q. 2. & 4. & Brevil. p. 1 c. 7.* Quidquid Deus potest facere per causam secundam mediam, potest etiam immediatè se solo; id enim dicit maximam perfectionem, estque proprium divinæ omnipotentiæ etiam posse facere quod per creaturam est impossibile, in genere causæ efficientis, sed lumen habituale influit ex divina virtute in visionem divinam, ergo Deus se solo id potest sine tali habitu. Respondent Thomistæ, & cum eis P. Gaudentius cit. conced. majorem in ordine ad causalitatem efficientis causæ, non formalis, quia Deus non potest esse forma alicujus potentiæ; sed in dato casu lumen non solùm concurrit effectivè ad visionem, sed & formaliter per informationem potentiæ hanc Deus non potest supplere; sic neg. minor, & consequentia: Ratio autem hujus dicti est, quia actus vitalis non solùm procedit concurrente extrinseco auxilio Dei, sed ab intrinsecis principiis positis in actu primo, & completo, & hoc ex intrinseca ratione actus vitalis; ista autem principia sunt intellectus, & lumen informans ipsum intellectum; hæc est tota ratio Thomistarum negantium hanc possibilitatem, quæ prima facie habet multùm apparentiæ, sed minus veritatis etiam Philosophicæ.

Contra hanc responsionem insurgo: Potest Deus supplere per modum efficientiæ; quicquid efficienter provenit à causa secunda, potest & supplere per modum efficientiæ, effectus causæ, formalis, imò potest supplere in pluribus casibus causalitatem causæ, formalis, ut patet in igne, qui conservatur à forma accidentali, scilicet à calore, & tamen potest Deus ipsum ignem conservare sine calore per extrinsecum concursum; sed potissima causalitas luminis, imò ejus necessitatis ratio formalis est elevatio intellectus, & coactio cum potentia ad visionem Dei: quòd verò informet, vel non informet est quid non intrinsecum, sed veluti per accidens ad intellectum, ergo nulla responsio; major est certa; minor item patet, quia solùm ob ista duo munera admittitur lumen, scilicet ob elevationem, & concursum efficientem cum intellectu, sed istæ, sunt rationes causæ, efficientis, ergo.

Respondent in nostro casu per solum extrinsecum auxilium non elevari potentiam, sed tantùm actum, sicque semper remanet necessitas talis luminis informantis: Contra; quia per talem concursum divinæ omnipotentiæ, absque informatione potest elevari potentia, simulque actus; tùm etiam quia ad hoc admittitur hæc elevatio, ut producat actum vitalem supernaturalem: ergo dummodo actus vitalis producatur in gradu supernaturali parum refert, quòd sit elevata potentia:

Et confirmatur, quia elevatio facta per lumen habituale non est in ordine ad potentiam, cùm ipsa de se semper remaneat in suo statu naturali potētiæ, sed est per ordinē ad supernaturalitatem, actus ad quam informatio nihil confert, sed actio luminis, ergo.

Confirmatur iterùm, & magis explicatur hæc ratio: si adest repugnantia ut à Deo non possit suppleri concursus luminis solo concursu extrinseco immediato, & speciali; hæc repugnantia solùm potest inveniri in sequētibus casibus; vel enim sumitur ex vitalitate actus: vel ex supernaturalitate actus: vel ex improportione potentiæ naturalis ad supernaturalitatem, ob idque indigeat concausa supernaturali; sed ob ista capita nihil concluditur contra potentiam Dei absolutam in hac materia, ergo.

Probatur minor, nam major est adversariorum fundamentalis: non quidem repugnantia potest desumi ex vitalitate actus, quia actus visionis, quatenùs vitalis est, satis habet, ut procedat à principio vitali, & hæc vitalitas salvatur non minus cum concursu immediato Dei, quàm cum concursu luminis: ille enim concursus Dei est efficacior, quàm luminis: imò in opinione communi Deus se solo potest producere visionem, illamque infundere in intellectu, & tunc intellectus diceretur verè videns, etiamsi ipsum non produxisset ut principium vitale: sic etiam infundit inspirationes in corde; nec ad hanc vitalitatem concurrit lumen, nisi per accidens, & in obliquo; potentia enim vitalis est idem cum anima viva. Nec secundò sumitur ex supernaturalitate, ut sic, quia in nostro casu visio procedit à supernaturali principio, scilicet ab omnipotentia Dei, imò etiam admisso lumine magis supernaturalitas provenit ex speciali concursu Dei concurrentis per modum objecti, cùm magis superet Deus in ratione objecti facultatem potentiæ intellectivæ, quàm lumen gloriæ, quod est agens creatum, & hoc est, quod notat S.Bon. *lib.1.dist.3.quæst.1.& lib.3.d.14.cit.& lib.1.dist.42.cit.* nempè Deum in ratione objecti præsentissimi valentis efficaciter ipsam deificare, & deiformare per similitudinem, & notitiam sui impressam in ea: Et hoc etiam confirmatur per hoc, quòd in via multi actus supernaturales credendi, sperandi, diligendi à nobis eliciuntur sine aliquo habitu cum solo auxilio speciali, ergo etiam in patria poterunt elici; sic evenit cùm per actum dilectionis expellitur peccatum: de quo vide Vasquez *p.2. disp.203.* aliosque apud P. Gaudentium *p.2. tract.5. dist.3. quæst.2.*

Nec item ex tertio capite potest sumi repugnantia, scilicet ex improportione potentiæ naturalis ad supernaturalitatem: Probatur, quia proportionari potest per comprincipium extrinsecum, quo adjuvari potest, & suppleri defectus virtutis, qui in ea est, & per concursum specialem æquivalentem luminis concursui, non enim necesse est ad hoc, ut causa producat, ut habeat in se vim totam agendi, sed aliquam tantùm, per quam possit alterius causæ consortio attingere effectum; & si concausa sit supernaturalis, tunc causa naturalis coagens cum supernaturali attinget effectum supernaturalem.

Respondent requiri in causa naturali informationem luminis, ut actuetur in genere causæ formalis, sed hæc responsio jam confutata est; cùm solùm ad hoc requiratur lumen, ut elevet potentiam in ordine ad agendum supernaturaliter, & producendum actum supernaturalem, & ob id ut coagat cum ipsa, quòd sufficientissimè fit per concursum divinæ omnipotentiæ, & patet ex dictis, quia non ideò lumen exigitur, ut reddat potentiam supernaturalem; ipsa enim semper est naturalis essentialiter, sed ideò dicitur elevari ad coagendum cum lumine, & ad attingendam visionem Dei in genere causæ efficientis; quod totum per extrinsecum auxilium obtinere potest; ondè supponitur necessitas luminis de potentia ordinaria, quia talis modus (ut ait S.Bon.) est magis connaturalis, & proportionatus nostro naturali modo agendi, in quo præsupponitur potentia antecedenter in actu primo completo, qui modus potest etiam haberi alio modo extraordinario; & in confirmationem hujus responsionis potest redduci exemplum de gratia excitante, quæ datur per modum auxilii actualis, per quam elevatur anima ad eliciendos actus supernaturales; & tamen in sententia communi non informat voluntatem, & potentiam: ergo à simili est vera, & intelligibilis nostra responsio.

Probatur tandem ex Seraph. Doct. Plus potest facere Deus, quam nos intelligere, alioquin potentia Dei esset commensurata nostræ finitæ capacitati; nihil autem Dei potentiæ negandum est, nisi manifesta urgeat repugnantia, ut docet S. Bon. *lib.1. dist.42. & Brevil. cit.* in nostro casu autem non apparet, cùm major pars Theologorum omnium scholarum stet cum ista parte, & sententia, ut videri potest apud P. Gaud. Mastr. aliosque.

Obiic. 1. Ad hoc ut visio beata in actu secundò eliciatur debet collocari in actu primo completo, & perfecto; sed sine lumine informante intellectum non est in actu primo completo, ergo ex intrinseca ratione visionis requiritur lumen in potentia: Hoc argumentum est præcipuum fundamentum adversariorum, & affertur à S. Bon. aliis terminis *lib.3. dist.14. quæst.1.* & ob id in medium adducitur à P.Gaud. pro opinione Thomistarum, sed malè tamen abutitur dictus Auctor tali ratione contra mentem S. Bon. qui loquitur in ea quæstione de potentia ordinaria, & de facto, non de possibili, ut patet ex eo, quòd in corpore quæstionis admittit ne probabilem nostram opinionem; tùm quia Seraph. Doct. utitur hoc medio contra illos, qui dicunt animam Christi videre Deum, & omnia in verbo per medium increatum, non per creatum, ideò non facit ad rem; intendit enim probare, quòd cum de jure ordinario intellectus egeat medio disponente, hoc non potest esse verbum unitum, sed quicquid sit de hoc, redeamus ad nos: Resp. neg. majorem: sufficit enim in principio vitali virtus incompleta, & inchoata perfectibilis per aliquod coagens supernaturale, & ad hoc sufficit concursus Dei specialis. Instant: Auxilium actuale supponit necessariò potentiam elevatam, ergo per lumen infusum? Resp. neg. antecedens, sufficit enim ut elevatio fiat per aliquod auxilium non debitum potentiæ naturali quoad actum, non quoad ipsam potentiam; cùm, ut sæpè dictum est, elevatio potentiæ sit per ordinem ad actum eliciendum supernaturalem, non ad ipsam potentiam intrinsecè. 98

Instant 2. in actibus naturalibus requiritur principium completum in actu primo, ergo & in supernaturalibus. Resp. neg. consequentiam, & paritatem: nam in actibus naturalibus, quia sunt connaturales potentiæ naturali, ideò sunt proportionati ipsi, nihil aliud exigitur, non sic in supernaturalibus, nam tales actus supernaturales sunt super exigentiam potentiæ naturalis, ad quos sufficit aliqua virtus ipsos elevans suprà exigentiam potentiæ naturalis, valentis solùm in naturales actus, undè dummodò adveniat supernaturalitas actui, hoc sufficit, vel ab intrinseco, vel ab extrinseco.

Instant 3. Intellectus de se est potentia naturalis improportionata ad visionem divinam, ergo debet fieri supernaturalis proximè per aliquid sibi adveniens, & inhærens. Resp. in hoc latere maximam æquivocationem; falsum enim est intellectum per quamcumque elevationem fieri supernaturalem intrinsecè, sed tantùm extrinsecè, scilicet ex conjunctione cum principio supernaturali, ob idque elevatio potest fieri per quodcumque adjutorium non debitum tali naturæ extrinsecum; non enim est lumen, vel adjutorium adveniens, quod

videat,

videat, sed est intellectus, qui videt supra exigentiam suæ virtutis naturalis, ut adjutus ab adjutorio extrinseco.

Sed contra hanc responsionem, & explicationem insurgit gravis instantia; quia ex hac sententia sequitur, quòd actus visionis producatur ab intellectu, ut potentia naturali, & quòd visio solùm dicatur supernaturalis ex solo concursu divino extrinseco in actum ipsum, non in potentiam; sed hoc est maximum absurdum, ergo. Probatur minor; nam hac admissa doctrina sequitur, quòd visio possit dici supernaturalis, ex eo quod procedit à concursu extrinseco supernaturali, simulque naturalis ex eo, quòd procedit à potentia naturali; cum autem istæ duæ causæ sint tantùm partiales partialitate causæ, & totales totalitate effectus; ubi idque nulla pars in effectu possit assignari, quæ non procedat ab utraque indivisibiliter; ergo poterit talis actus dici totus supernaturalis, & totus non supernaturalis, sed hoc implicat ergo. Probatur consequentia, quia cum totus procedat à concursu Dei supernaturali, ex hoc capite debet dici supernaturalis; & cum totus procedat à potentia naturali poterit dici totus naturalis, & non supernaturalis, vel partim naturalis, partim supernaturalis, quod implicat in eodem actu, in quo quidquid est indivisibile est omninò unum, & idem.

Resp. ex alias traditis supra, & *in tract. de anima tr. 1. q. 1. n. 18.* quòd sicuti actus vitalis producitur à duobus principiis, scilicet à vitali potentia, & ab objecto non vitali; ab hoc enim sufficit, ut una ex concausis sit vitalis, cum in eo nullos gradus possit assignari, in quem utraque causa non influat, & ob id totus vitalis est, & debet dici; nec potest ratione principii non vitalis dici non vitalis, ratio est, quia non vitale dicit prædicatum negativum & negatio apud Logicos est malignantis naturæ, & totum destruit, quia pro omnibus distribuit; sicque actio illa simpliciter debet dici vitalis, quia ad hoc, ut diceretur non vitalis, requireretur, ut à nullo prorsus procederet principio vitali; ut verò dicatur simpliciter, & absolutè vitalis, sufficit ut ab uno procedat tantùm principio vitali; hincque S. Bon. notavit *l. 2 d. 24. p. 1. a. 2. q. 4. ad* 4. quòd licèt cognitio sit simplex, possunt tamen concurrere ad eam plures formalitates antecedentes recipientes duas concausas; non enim tanta unitas requiritur in causa, quanta in effectu, & actu, nec istæ plures formalitates tollunt simplicitatem actus; & circa hoc vide loc. cit. de anima.

Ita in proposito: Ecce naturale respectu supernaturalitatis se habet per modum prædicati negative, nam differentia ignobilior dividens tertium inducit rationem negationis respectu nobilioris, undè naturale idem significat quod non est suprà vires, & exigentiam naturæ: Esse verò supernaturale se habet ut prædicatum positivum, & idem significat, quod excedens vires, & exigentiam naturæ; itaque ut hæc propositio simpliciter verificetur, visio Dei est naturalis, deberet à solo principio naturali procedere, & excludere quodcumque principium supernaturale; quia ad hoc ut verificetur in propositione prædicatum negativum, requiritur, ut secundùm omnem partem, & secundùm omnem rationem subjecto non conveniat, sicque negatur sequela, & consequentia. V. Meldull. *d. 6. n. 78. ad 8 ?.* ubi excellentissimè hoc explicat. *Q. quodnam sit hac, quod de novo adveniret intellectui in data casu, quo per concursum extrinsecum supplerentur vices luminis?*

Resp. quòd in tali casu superveniret concursus Dei potior, & efficacior ordinario, quo absque attingentia, & informatione intellectus, elevaretur ipsius actio, & attingeretur visio superelevando eam ad statum supernaturalem; sic & Meld. *num.* 167. contra quem modum insurgit immeritò P. Gaudentius sustinens oppositam sententiam Thomistarum *in q. 11. & 12.* tamquam opinionem Seraph. D. in quo certè decipitur, licèt enim sustineat Seraph. Doct. de potentia ordinaria requiri lumen gloriæ, tamen appellat contrariam probabilem, & si de facto est probabilis, ergo de mente Seraph. Doct. de potentia absoluta Dei erit probabilissima.

QVÆSTIO VI.

An intellectus perfectior cum æquali lumine gloriæ perfectiorem eliciat visionem altero minus perfecto. Ubi de inæqualitate visionis Beatorum.

DVas partes habet hic titulus: altera est de 99
inæqualitate gloriæ beatæ, an in comprehensoribus adsit, & undè hæc proveniat: altera est, an cum æquali lumine gloriæ, & etiam meritorum, supposita inæqualitate perfectionis phisicæ intellectuum, detur æqualitas, an inæqualitas in visione.

Et quoad primam partem: certum est, & de fide non omnes in gloria fore inæquales, nec omnes æquales; & hoc est contra Iovinianum hæreticum tempore D. Hieron. & in his ultimis temporibus suscitata fuit ista hæresis à Luthero, & asseclis docentibus omnes Beatos in Cœlo esse æquales in gloria, eò quòd existimant justitiam nostram consistere non in qualitate inhærente gratiæ, charitatis, & meritorum, sed in justitia Christi extrinseca, de qua materia suo loco agetur, cum de justificatione erit sermo. Hæc autem inæqualitas in Beatis determinata est de fide in pluribus Conciliis, præcipuè in Florentino, quidquid dicat Durandus docens oppositam Ioviniani non esse hæreticam, sed tantùm minùs probabilem, quod est contra sensum omnium Sanctorum Patrum, & Theologorum; & apertè infertur hæc veritas ex pluribus locis Sacræ Scripturæ, ut *Ioa. c. 14. In domo Patris mei mansiones multæ sunt*, & Matth. *c.* 13. Ubi terra profertur dedisse fructum trigesimum, &c. & Math. c. 20. Ubi denarius datus est inæqualiter laborantibus in vinea: & *1. Cor. c.* 15. Alia claritas Solis, alia Lunæ, &c. de qua inæqualitate potest videri S. Bon. *op. de domo f. ep. c. 10. & Diat. plures sparsim, lib. 1. d. 9. q. 3. & lib. 3. d. 44. p. 1. q. 1. ad 3. & d. 49. & ser. 1.* Septuagesimæ, *in cap. 14. Ioa.* aliisque plurimis locis, & itidem Sancti Patres super ista loca.

Hujus autem inæqualitatis causa alia potest excogitari phisica, alia moralis: moralis est inæqualitas meritorum, quæ dicitur causa remota ad differentiam phisicæ causæ, & remotior ipsa gratia, remotissima ipsa Prædestinatio; & de hoc certum est de fide, ut dictum est, dari æqualitatem, vel inæqualitatem secundùm gradus meritorum: Causa verò phisica est intellectus, & lumen gloriæ, à quibus visio Beata procedit tamquam effectus realis à causa reali; de hac igitur certum est ex intensiori lumine, & perfectiori intellectu elici etiam perfectiorem actum entitativè, etiam dato quòd minus clarè videat Deum, ut evenit v. g. in aliquo Sancto habente majora merita, quàm Angelus, etiamsi Angelus perfectiorem intelle-

ctum, & clarius lumen habeat, & per consequens perfectiorem actum entitativè eliciat; ex hac enim perfectione entitativa non oritur major visio extensiva respectu plurium videndorum; & in hoc omnes Theologi conveniunt.

100 Quæstio igitur reducitur ad alteram partem similis circa perfectionem intensivam visionis respectu objecti, idest in ratione expressionis, & imaginis, an ille, qui habet æqualia merita cum altero, habet tamen perfectiorem intellectum, etiam inæquales gradus, & plus visionis eliciat, quàm ille qui habet intellectum minus perfectum, eo modo, quo quis dicitur clarius videre inæqualitate lucis, quàm alter habens debiliorem potentiam visivam. A qua quæstione facilè se extricant, qui asserunt intellectum in visione beata habere se merè passivè, undè totam inæqualitatem refundunt in Deum, vel se solo, vel mediante lumine tamquam in causam phisicam: undè tota quæstionis difficultas remanet apud admittentes activitatem in intellectu. In hac quæstione tres circumferuntur opiniones.

Prima absolutè est negativa, estque Thomistarum negantium intensionem visionis posse sumi ab intensiori perfectione naturali intellectus data paritate luminis gloriæ; cum istis adnumerat P. Gaudentius S. Doctorem.

2 Opinio admittit de possibili, negat de facto; sic Tatar. Arennus, Oviedo, & alii.

3. Admittit de possibili, & de facto; *sic Ric. l. 4. d. 49. a. 2. q 8. Dur. & plurim. Scotistæ, cum Mastrio d. 6 quæst. 7. Caietano*; inter quos ego ad numero Seraph. Doctorem, ut mox patebit. Pro solutione quæstionis.

1. Not quòd in sustinenda hac tertia opinione major difficultas est, quia cum aliquid supernaturalia præmii tribui videatur actui, vel gradui naturali intellectionis, ex hoc apparet, quòd viribus naturæ possit acquiri gloria, & quòd gloria quoad aliquem gradum tribuatur meræ naturæ, quod est incidere in hæresim Ioviniani, & Beguardorum contra determinationem Concilii Vienn. Et hine Seraph. Doct *l. 2 d. 23. q. ult* in fine adducit inter decem articulos condemnatos à facultate Parisiensi tempore magistri Guilielmi, Odonis, & Alex. de Ales nonum sequentis tenoris: Qui habet meliora naturalia plus habebit de necessitate de gratia, & gloria; & ex hac ratione P. Gaudentius trahit Seraph. Doctorem ad partem negantem Thomistarum, sed malè, ut mox patebit. Nam Seraph. Doct. *l. 2. d. 9. q 3.* quærit, An secundùm majorem capacitatem naturalium donorum dentur à Deo majora dona gratiarum? Et resp. quòd si ly (secundùm) dicat efficaciam causalitatis, sic falsum est, naturalia enim pura non sunt causa gratiæ (& hic est sensus facultatis Parisiensis;) si verò ly (secundùm) dicit dispositionem congruitatis, sic verum est: naturalia enim dona adjuta à gratia de congruo disponunt ad majorem gratiam, & gloriam; dicitur enim *Matth. cap. 25. unicuique dedit secundum propriam virtutem*; Undè Angeli cum dono gratiæ, quia habuerunt meliora naturalia, & moti sunt secundùm totum cordis conatum, plus se præparaverunt, quàm homines. Cum autem ex l. 2. d. 32. dub. 6. & ex traditis à nobis *in lib. de anima tr. 1. q. 3.* detur præcellentia, & major, minorve perfectio in animabus rationalibus secundùm dotes naturales, intra tamen latitudinem, & sphæram ejusdem speciei, per consequens dicendum est, intellectui auctori cum æquali lumine gloriæ dari copiosiorem, & intensiorem visionem, & gloriam, quam alteri non tam perfecto; quod & Richardus fidelissimus discipulus S Bon. docuit.

Not. 2. Ex traditis in Philosophia, & ex Seraph. 101
Doct. pluries, quòd habitus dati sunt potentiis non ad simpliciter operandum, sed ad facilè, & sine errore operandum; facilitas enim agendi sequitur modum essendi potentiæ, ut advertit S. Bon. *l. 3. d. 3. p. 2. a. 1. q. 3. corp.* quod potiori jure verificatur de habitibus gratuitis, qui conferunt animæ non esse primum, sed secundum, idest benè esse, & facilè, & perfectè operari ex S. Bon. *l. 2. d. 26. a. 1. q. 3. ad 5. & alibi sæpè*; ideò non destruunt, sed perficiunt naturam, ut docet *l. 3. d. 31. a. 3 q. 3. ad 8. & l. 2. d. 9. q. 3. ad 6. & d. 7. a. 1. q. 1.*

Isti enim habitus infusi complent potentiam in genere supernaturali in ordine ad operari, & simul cum ipsa concurrunt ad actus supernaturales, sicut duæ concausæ ex æquo concurrentes, & essentialiter subordinatæ producunt simul actum tam quoad substantiam, quàm quoad modum, scilicet supernaturalitatis; & cum sint subordinatæ, sequitur quod superior, quæ est potentia, non accipiat virtutem ab inferiori scilicet ab habitu, sed tantùm modum agendi, eo quia potentia utitur habitu, cum sit illimitatior, & simul cum habitu producit actum, sicque ut duæ causæ partiales integrant unam totalem causam, quæ ob id possunt elicere actum perfectiorem: quàm possit quælibet solitariè sumpta; imò simul unitæ possunt producere actum intensiorem seipsis, ut docet Scotus *l. 2. d. 37. q. 1.* ex hoc quòd ambæ, simul integrant unam causam perfectiorem, & innuit Seraph. Doct. *l. 2. d. 15. p. 1. a. 1. q. 3. in corp. & ad ult. & q. 5.* Et hinc oritur ait Seraph. Doct. *l. 2. d. 9. cit.* quòd unus habens capacitatem majorem ad beatitudinem remisso modo se disponens per gratiæ auxilium minus meretur, quàm alius habens minorem capacitatem, & æqualem gratiam cum alio magis meretur, quia operatur secundùm totum conatum suarum virium; In quo casu quis non videt vires naturæ cum suo toto conatu adhibitas auxiliante gratia magis facere ad augmentum meriti; nec per hoc incidimus in errores Pelagii, cum tales virtutes naturales operentur prout sunt adiutæ à gratia; sic & in nostro casu de perfectiori intellectu. His positis.

1. Concl. Intellectui perfectiori secundùm suas 102
puras vires naturales non debetur visio supernaturalis major altero habente debiliorem intellectum; est de fide, & fusè probatur à Seraph. Doct. *l. 2. d. 9. q.* . . & determinata est hæc veritas in Concil. Vienn. & supra satis probata est.

2. Concl. Intellectus perfectior cum æquali lumine gloriæ cum altero minus perfecto perfectiorem visionem, & intensiorem producit; infertur ex S Bon. supra cit. maximè *l. 2. d. 9 q. 3.* ubi admittit majora dona gratuita habenti dona majora naturalia prout ista, auxilio gratiæ, magis disponunt animam: & *l. 4 d. 49. part. 1. quæst. 6.* docet, quòd unus Beatus videt clariùs alio, quæ visio est à potentia naturali intellectus, & à lumine supernaturali.

Prob. ratione Scoti: Quando duplex causa concurrit unitim ad aliquem actum indivisibilem sua activitate à quacumque parte crescat activitas, crescit & perfectio actus; actus enim dependet in esse, & in fieri secundùm suam intensionem ab utraque causa, & illi proportionatur, sed intellectus, & lumen sunt duæ causæ partiales partialitate causæ, totales totalitate

totalitate effectus, ergo crescente activitate intellectu, crescere debet & intensio actus: major est nota lumine naturali, & experientia continua tùm in actibus naturalibus, ut sunt vitales provenientes ab intellectu, & specie, tùm in actibus supernaturalibus viæ, nam potentia perfectior cum æquali habitu fidei, spei, & charitatis, si operatur toto conatu perfectiorem eliciet actum, quàm potentia imperfectior, & è contra potentia imperfectior operans cum toto conatu suarum virium eliciet perfectiorem, quàm perfectior remissè operans, ergo tali conatui virium correspondet major activitas.

Nec valet si dicas (ut respondent adversarii) negando paritatem de via, & patria; nam isti duo status non mutant potentiæ naturam, nec ipsius naturalem activitatem, imò habitus illam perficiunt, ut supponit Seraph. Doct. *l.* 3 *d.* 14. *a.* 3. *q.* 1. *ad* 5. Patet etiam per hoc, quòd secundùm communiorem sensum Theologorum viro docto in patria respondet major claritas, quàm rustico, & idiotæ ex hoc, quòd habitus gratuiti, & lumen gloriæ perficiunt potentias.

Respondent plures ex adversariis, quòd licèt nostra sententia sit vera de possibili, de facto tamen non verificatur eo quia Deus suspendit suum concursum, ne in tali casu redundet intensior visio, & hoc ut æqualis visio respondeat æquali lumini.

Sed contra: tùm quia hoc est gratis dictum, nec Deus id revelavit, & ideò est responsio potiùs divinatoria; tùm quia dato, quòd non moveatur potentia liberè, posita tamen motione convenit, ut moveatur proportionatè suæ activitati, & quod Deus cooperetur tali concursui sua cooperatione debita illi, & si non cooperetur, tunc id eveniet vel violenter, vel miraculosè, sicque sine necessitate fit recursus ad miracula, quod & notavit Meldula n. 201. Respondent alii, & est communior inter Thomistas majorem esse veram, quando sunt duæ causæ cópletæ ultimò ambæ attingentes effectum; non verò quando altera est incompleta, nec attingit, nisi in quantum est ultimata, talisque est intellectus, qui eget lumine, ut sit ultimatè cópletus, & possit attingere effectum: Sed contrà, quia intellectus in suo ordine naturali habet suam virtutem, & activitatem propriá completam ad producendum actum vitalem, licèt, ut sit supernaturalis, egeat lumine cooperante, sed lumen non destruit naturá intellectus, imò eam perficit, & coadjuvat ad producédum in actu secundo activitatem potentiæ, & si non coadjuvaret, potiùs debilitaret potentiam, quàm perficeret.

Valentia, & Vasquez respondent, intellectum concurrere ut causam universalem, limitarique à lumine tamquam à causa particulari, effectum verò commensurari perfectioni causæ, particularis non universalis, patet de Sole concurrente cum causa inferiori, & individua.

Contra: quia hæc responsio est contra principia Philosophiæ: Dato enim, causam particularem determinare universalem ad effectum talem in specie, non verò quoad gradualem perfectionem, imò quò activior est sol, eò perfectior effectus à causa particulari producitur, dum ipsa sua innata virtute agit; patet hoc in intellectu, & voluntate, in visu corporali cum specie visibili, &c. nam cum æquali specie oculus clarius videt perfectior, quàm imperfectior, &c. tùm etiam quia falsum est genericam rationem effectus provenire à causa universali, & specificam à particulari, sunt enim rationes indivisibiles, & identificatæ provenientes ab utraque causa partiali, quæ sunt totales totalitate effectus.

Suarez, Bannez, Salas, aliique respondent verificari illam majorem de causis naturalibus agentibus naturaliter, non de agentibus obedientialiter; In quo casu tota virtus effectus commensuratur virtuti supernaturali elevanti potentiam obedientialem, quale est lumen gloriæ, respectu intellectus, & hinc cum sit æquale in ambobus beatis, etiam erit æqualis visio. Sed contra, quia potentia naturalis agentis est eadem entitativè cum obedientiali, nec aliud superaddit, nisi respectum ad agens supernaturale, hoc à nobis probatum est in Phisica; ergo per obedientialitatem non tollitur virtus, & activitas naturalis ad visionem, nisi superaddendo elevationem ad statum supernaturalem per concursum luminis elevantis illam actionem potentiæ naturalem ad statum supernaturalem; undè semper stat firmum, quòd visio pendet ex utriusque causæ influxu, ideoque à quolibet eorum desumi debet inæqualitas.

Amicus cum aliis respondet negando consequentiam principalis argumenti, eo quia (ait ipse) omnes intellectus concurrunt ad visionem præcisè secundùm rationem intellectivi ut sic, non ut sic intellectivi cum tali, vel tali perfectione in individuo; & cum in ratione generali intellectivi sint omnes æquales, hinc etiam & in visione habebunt æqualitatem ratione ejusdem gradualis luminis; quæ doctrina tamen non est secundùm rectam Philosophiam, & ob id sine ullo fundamento veritatis: ratio est, quia actiones sunt singularium, & individuorum, & circa singularia versantur ideò cum non possit produci visio in communi ut sic, sed solùm in individuo cum tali, vel tali perfectione individuali, ideò mensuranda est visio secundùm gradualem perfectionem cujusque actus.

Ex quibus patet quàm torqueat argumentum Scoti adversarios, qui coguntur ad ipsius solutionem abire in tot disparatas responsiones, quarum plures sunt extra chorum, & non ad rem; hocque est patens signum exilitatis adversantis opinionis.

Prob. 2. principaliter, si inæqualibus intellectibus debetur visio æqualis, hoc maximè est ob æquale lumen, sed hoc non impedit, quin fiat inæqualis visio, ergo: major est adversariorum; minor probatur; lumen non est tota ratio agendi, sed tantùm partialis, ergo talis concursus luminis non tollit concursum particularem intellectus secundùm propriam virtutem; lumen enim, & habitus non limitat, sed potiùs elevando adjuvat, & roborat vim naturalé, ergo relinquit in sua activitate potentiam:

Resp. adversarii, lumen non tollere activitatem potentiæ, sed determinare, & limitare secundùm propriam ipsius luminis activitatem, & virtutem, hinc solùm posse intellectum secundùm gradus limitationis factæ per lumen videre. Sed contra, quia hæc limitatio, seu determinatio facta à lumine non est passiva, ut evenit in materia per formam; sed est activa, & coadjuvans activitatem potentiæ, ad operandum supernaturaliter, ergo cum lumen sit ratio tantùm, cur intellectus agat supernaturaliter, non autem cur agat simpliciter vitaliter cum tali, vel tanto conatu; ergo lumen elevans non potest auferre gradus activitatis intellectus, sed tantùm ei tribuere rationem supernaturalitatis; & confirmatur à Richardo. Naturalis virtus fortior per æquale adjutorium supernaturale efficaciùs potest in actum supernaturalem, ut patet in duplici voluntate, quarum una habens æqualem charitatem cum alia, tamen operatur efficaciùs, quàm altera; sic item si darentur supernaturaliter homini leviori pennæ æqualiter ac ponderosiori, efficaciùs

volaret levior ex sua naturali virtute, quàm ponderosior, licèt posse volare excedat utriusque naturam; sic in proposito datur æquale lumen leviori, & virtuosiori, & ponderosiori, ergo virtuosior efficacius videbit.

103 Objic. 1. communi argumento Thomistarum. Perfectio effectus supernaturalis commensuranda est juxta perfectionem principii supernaturalis concurrentis ad ipsum: sed principium supernaturale est lumen æquale in ambobus intellectibus naturaliter inæqualibus, ergo effectus etiam erit æqualis: Probatur major; quia concursus Dei commensuratur lumini gloriæ, vel est ipsum lumen gloriæ; & istud est tota ratio supernaturalitatis effectus, ergo & totale principium supernaturale, ergo & effectus commensurandus est ad ipsius proportionem: Et confirmatur, quia sicut se habet simpliciter ad simpliciter, sic magis ad magis, sed lumen est causa simpliciter supernaturalitatis visionis, ergo etiam est intensionis majoris, vel minoris: Probatur minor; quia si nullo modo lumen concurreret ad visionem, intellectus nihil ageret, ergo ab ipso commensuranda est visio. Confirmatur iterùm hoc exemplo; si species intensa ut quatuor exerceat visionem ut quatuor licèt ponatur in oculo perfectiori non excedet hanc intensionem, quia effectus non potest excedere virtutem sui principii, ergo si lumen ut unum ponatur in intellectu activo ut duo non poterit excedere intensionem luminis, cum lumen sit tota ratio productionis actus supernaturalis. Resp. omnes istas instantias nihil concludere, quia supponunt id, quod est in quæstione, imò quod est falsum; supponunt enim quòd lumen sit tota ratio activitatis intellectus, quod est falsum; est quidem tota ratio supernaturalitatis, sed non activitatis, quia intellectus concurrit ut principale agens ad actum vitalem, & lumen ut minus principale, licèt è converso lumen sit causa principalis supernaturalitatis, & intellectus minus principalis, item agunt à partialitate causæ solitariè sumptæ ad totalem; aliud enim est sumere unam causam partialem de se, aliud est sumere ipsam conjunctam cum alia; verum quidem est, quòd lumen de se ut quatuor intensum non potest producere, nisi intensionem ut quatuor, sed falsum est, si sumatur cum alia concausa, quia tunc resultat causa perfectior, sic est in proposito; undè illud axioma: sicut se habet simpliciter, &c. verificatur in causis totalibus, non partialibus, & hoc est, quod asserit S. Bon. *lib.* 1. *dist.* 17. *p.* 2. *art.* 1. *quæst.* 1. *in fine corp.* loquens de pluribus luminibus in unam causam se unientibus.

Hinc negatur major absolutè principalis argumenti, vel distinguitur; perfectio effectus supernaturalis commensuranda est juxtà perfectionem principii supernaturalis, distinguo quoad supernaturalitatem concedo, & quando est principium totale adæquatum; negatur verò quando est partiale, & quoad alia prædicata ipsi extranea; hinc eodem modo distinguitur minor, & negatur consequentia, & eodem modo, & fundamento respondetur cæteris instantiis, quæ ferè semper variant in arguendo suppositionem transeuntes à partialitate causæ, ac si esset totalis, ad totalitatem effectus dependentis essentialiter à duabus causis partialibus integrantibus unam totalem, ratione cujus unionis possunt gignere effectum perfectiorem, quàm sit virtus cujuslibet sejunctim sumptæ; & eodem modo, & fundamento respondetur ad illud exemplum ab adversariis allatum, si lumen, quod est in anima Petri, poneretur in anima Beatæ Virginis, vel unius Seraphim, non amplius posset elevare visionem in Beata Virgine, quàm in Petro; respondetur enim quoad elevationem transeat, quoad intensionem negatur ob rationes adductas.

Instant iterùm: si lumen in dato casu producit simul cum intellectu actum seipso intensiorem, ergo ipsum lumen elevabitur ab intellectu supra seipsum, quod est inintelligibile: Resp. si intelligant de elevatione ad supernaturalitatem negatur sequela, si intelligant quoad intensionem actus, conceditur, & hoc ob consortium alterius concausæ, quod non potest negari in prædicato vitalitatis.

Objic. 2. principaliter, & est oppositio validior adversariorum, quia sequeretur Beatum cum æquali mensura meritorum recepturum potiorem mercedem in Cælo altero, ex hoc quòd habet perfectiorem intellectum, sed hoc est contra fidem, & determinationem Concilii Florentini, & aliorum, quia est de fide, quòd merces non datur naturæ, sed gratiæ, & meritis; sed in tali caso daretur naturæ, non meritis. 104

Et hinc Suarez, aliique notant nostram sententiam parum tutam, & parum consonam principiis fidei; in qua censura tàm audaci non effugiunt ipsi apertam notam temeritatis, vel inscitiæ, cum sit Theologorum catholicorum, & Classicorum ex omnibus scholis Scotica, & Thomistica, & valdè rationi, & principiis fidei conformis.

Sed hoc omisso; resp. concedendo sequelam majoris, negando minorem. Ad probationem resp. ex traditis supra, falsum esse excessum illius perfectionis visionis à nobis ascribi ita naturæ, ut nullo modo fundetur in gratia, nam semper supponimus donum gratiæ, qua per lumen gloriæ elevetur intellectus activitas ad statum supernaturalem, ut possit elicere simul cum lumine visionem perfectiorem, ita ut totalitas effectus ab utraque causa partiali proveniat.; ratio est, quam & suprà sæpè inculcavimus, quia potentia utitur habitu juxta conditionem propriæ activitatis, non verò habitus utitur potentia, nisi ad supernaturalitatem, undè non sequitur dari aliquem gradum visionis, qui non sit comproductus a lumine, & ob id modo supernaturali, licèt in illum fortiùs influat intellectus perfectior; & hinc talis excessus dicitur correspondere activitati potentiæ tamquam causæ principaliori, licèt etiam comproducatur à lumine, & tali pacto gloria non datur naturæ puræ, sed ut elevatæ ad statum supernaturalem.

Instant. Visio est tota merces, scilicet meritorum, & laborum; sed in hoc casu non est merces ille excessus, nisi activitatis naturalis, non autem meritorum præcedentium, quia in naturalibus nec meremur, nec demeremur: Imò è contra potest dari, quòd habens perfectiorem intellectum remissiùs agat in via, & tamen in gloria recipiat mercedem supra sua merita pauca, & parva, ergo videtur hoc contrarium principiis fidei, & valdè absonum. Resp. concedendo visionem esse totam mercedem, sed tamen non semper proprii laboris, & propriorum meritorum, ut patet in pueris baptizatis, & etiam in adultis, quoad illum gradum, qui respondet gratiæ sacramentali; ex quo deducitur opus non esse, ut tota visio respondeat solis meritis propriis ipsius Beati; sed vel propriis, vel Christi ex opere operato applicatis; & in nostro casu excessus in visione beata correspondens meliori activitati intellectus potentiæ respondet meritis Christi, quibus nobis meruit plures prædesti-

nationis

nationis effectus, inter quos à Theologia enumeratur præstantia, & subtilitas ingenii; de qua materia S. Bon. *lib. 2. dist. 4. art. 1. quæst. 2. & dist. 27. dub. 1. & Comp. Theol. lib. 5. cap. 3. & alibi sæpe*, quia est communis Theologorum; quoniam sicut Deus sua providentia eam prædestinavit, ut meliùs suæ vocationi occurreremus ad majorem gratiam, ita etiam, ut per eam elevatam à lumine gloriæ majorem haberemus visionem; sicque cum omnes prædestinationis effectus pendeant ex meritis Christi, in quo omnes Theologi conveniunt, quamvis visio major sub hac ratione mercedis non detur, datur tamen sub ratione beneficii nobis à Deo collati ex meritis Christi, ex quo fit, ut visio huic naturæ præstantiæ correspondeat, non præcisæ naturæ, ut natura est, sed ut divinitus ordinata, ut per eam supernaturaliter elevatam major conferatur visio; & per hoc patet quàm catholica sit nostra sententia, & quàm aliena à sensu hæreticorum.

Ex quibus patet solutio objectionum: Addimus, homini habenti præstantius acumen intellectus, & operanti remissè, & imperfectè, in gloria respondere ex merito de condigno proprio labori remisso minorem partem visionis ex meritis propriis, sed majorem ex meritis Christi sub ratione beneficii, ut dictum est: Ex quibus patet quàm rationabilior sit nostra sententia ex multiplici capite; tùm quia non minus quàm opposita salvat sartatecta decreta fidei; tùm quia evitat refugium ad miracula absque necessitate, quod non evenit in contraria sententia; nam si intellectus acutior non elicit proportionatam visionem, id erit vel quia Deus negabit suum concursum debitum naturæ, & gratiæ; quia in ordine naturæ connaturale est ordini rerum, ut prima causa non deneget causæ secundæ concursum consentaneum suæ activitati, & facere oppositum non est sine miraculo, & violentia, quod non admittitur sine maxima necessitate; est etiam inconveniens in ordine gratiæ, quia sicut dicitur Deus subtrahere suum concursum activitati, ne Deum videat conatu suæ activitati proportionato, ita dicitur subtrahere voluntati concursum, ne Deum diligat conatu suæ activitati proportionato; est enim par ratio de visione, & fruitione; imò est etiam majus absurdum in ordine ad augmentum gratiæ, nempè quòd aliquid diminuatur de gratia propter perfectionem voluntatis beatæ, cum ipsius augmentum cadat sub ratione meriti, sicut dicunt diminui de lumine; tùm etiam, quia Angelus æqualis meriti cum homine diceretur minus justus, & beatus, quam homo, quæ omnia sunt maxima absurda.

Tandem in calce quæstionis nolo P. Gaudentium nostrum trahere Seraph. Doct. ad partes adversariæ opinionis, utque ostendat id esse de mente Seraph. Doct. argumentis tùm ipsorum Thomistarum, tùm & ejusdem Seraphici *lib. 2. dist. 9. quæst. 3.* sed & ipse auctor laborat eadem æquivocatione, qua Thomistæ, qui, ut notatum est supra, transeunt semper à partialitate causæ solitariè sumptæ ad totalitatem effectus, ad quod violenter trahit Seraph. Doct. nam in citata quæstione, ut in primo notabili diximus, probat, quòd si loquamur de donis naturæ secundùm quòd dicunt rationem causalitatis secundùm esse naturæ, certum est non ipsis deberi dona gratiæ, & gloriæ de condigno, & in eodem sensu affert articulum Parisiensem *lib. . dist. 13. quæst. ult. in fine*: subdit Seraph. Doct. (quod & debebat advertere hic auctor) si sumuntur dona naturæ secundùm quod dicunt dispositionem congruitatis, sic dantur dona gratiæ, & gloriæ; sed quid est: prout dicunt dispositionem congruitatis? Resp. S. Bon. *lib. 1. d. 41. quæst. 1. corp. & lib. 3. dist. 4. art 1. dist. 2. quæst. 1. corp. & dist. 18. art. 5. quæst. . corp. & aliis pluribus locis*, quòd meritum de congruo non est propriè meritum, sed secundùm quid, quia fundatur solùm in benignitate, & bonitate divina, & in meritis Christi: Addit *lib. 2. dist. 27. art. 2. quæst 2. corp.* meritum congrui tripliciter potest esse; primò quando est congruitas sine dignitate, seu condignitate, ut quando peccator per bona opera facta in peccato mortali de congruo meretur primam gratiam, quia facit quod in se est (nota hic, quòd supponit illa opera facta cum adjumento gratiæ prævenientis, ut alias se explicat) secundò quando est dignitas cum indignitate, ut quando vir justus orat pro peccatore, aut est ibi dignitas cum inferioritate, & non cum æqualitate ad præmium, hoc enim est proprium meriti de condigno, ut est habens gratiam minorem per bonum usum operum meretur pervenire ad gratiæ cumulum: Hinc patet sententiam nostram hanc esse conformem doctrinæ Seraph. Doct. absque eo quod violenter pertrahatur ad aliam partem oppositam, cum se patenter declaret *lib. 2. dist. 9. quæst. 3. in corp.* in quo sensu excludit dona naturalia; Et hæc satis de lumine.

QVÆSTIO VII.

An essentia divina clarè videri possit per aliquam speciem.

ABsoluta materia de lumine gloriæ, consequenter disputandum est de specie, an scilicet de facto, an de possibili detur species impressa, vel ut 105
loquitur S. Bon. abstracta, sive expressa, quæ dicitur verbum.

Pro explicatione clariori tituli supponendum est tamquam certum de fide non dari speciem connaturalem intellectui creato clarè repræsentantem Deum per ordinem ad cognitionem, & visionem intuitivam Dei; ratio est, quam adducit Seraph. Doct. *l. 1. d. 3. p. 1. a. 1. q. 2.* quia visio clara, & intuitiva est primum præmium beatificans animam, ad quam requiritur gratuita Dei influentia superans quascumque vires totius naturæ: dixi per ordinem ad intuitivam Dei visionem, nam talis species deberet repræsentare adæquatè infinitam Dei entitatem secundùm omnes conditiones Dei infinitas, quod est impossibile in quacumque re creata: quoad abstractivam verò S. Doctor sustinet Angelis fuisse in via inditam speciem connaturalem, qua clarè viderunt Deum non intuitivo, sed abstractivo modo, quod & in solutione quæstionis examinabitur, tùm in ordine ad Angelos, tùm in ordine ad Adam in statu innocentiæ: Quæstio igitur procedit æquè de specie impressa, abstracta, & expressa, quæ dicitur verbum, an sit possibilis, an de facto detur in Beatis; & primò examinabitur quæstio circa speciem impressam, seu abstractam, postea circa expressam.

Hinc circa speciem abstractam, sive impressam clarè repræsentantem Deum. Prima op. est Vasquez dari talem speciem, eo quia vult lumen gloriæ, nihil aliud esse, nisi hanc speciem *d. 38. & 4 . c. 5.* & cum ipso aliqui alii pauci idemet sentiunt; quam opinionem supra refutavimus agentes de quidditate luminis gloriæ.

2. op. eſt Thomiſtarum negantium talem ſpeciem ſivè de facto, ſivè de poſſibili.

3. op. eſt D. Bon. Scoti, ſequacium, & plurimorum aliorum de facto ipſam negantium, ſed de poſſibili admittentium; ſic etiam Suarez. Valent. & alii ſocietatis DD.

Circa ſpeciem expreſſam eſt maxima controverſia inter omnes ſcholas, nam ipſam aliqui admittunt de facto, alii de poſſibili tantùm; alii negant; de quo infrà. Pro ſolutione quæſtionis.

1. Not. quòd ut à nobis traditum eſt in lib. de anima: multiplex genus ſpecierum intentionalium datur ad aures Seraph. Doct. Primum genus eſt ſpecierum impreſſarum, quæ à S. D. appellantur ut plurimum nomine ſpecierum abſtractarum, ſcilicet ab objecto; & iſtæ, vel verè, & realiter ſunt abſtractæ ab objecto ad potentiam, & dicuntur ab eodem *l. 2. d. 13. q. ult. ad ult.* medium deferens ſcilicet deferens ſimilitudinem objecti ad potentiam; vel ſunt immediatè infuſæ à Deo in potentia intellectiva, ut factum eſt à Deo in intellectu Angelorum, Christi, Mariæ Virginis, Adæ, & Salomonis, quibus Deus indidit, impreſſitque ſpecies omnium rerum ejuſdem rationis, & naturæ, ac ſi eas abſtraxiſſent ab objectis.

2. Genus eſt ſpecierum innatarum, & conſiſtunt in quodam lumine infuſo à Deo in anima noſtra, quo mediante anima naturaliter cognoſcit Deum eſſe; item & prima principia tam ſpeculabilia, quàm practica; item ſeipſam, & virtutes, & potentias proprias, quæ cognitio tamen valdè eſt imperfecta.

3. Genus eſt ſpecierum expreſſarum, quæ à Seraph. Doct. appellantur modò nomine ſpeciei expreſſæ, modò notitiæ impreſſæ, ſuntque ſecundùm Thomiſtas terminus cognitionis, qui dicitur verbum; ſecundùm S. Bon. & Scotum ſunt ipſa viſio, & cognitio actualis, terminuſque dictionis, qua exprimitur objectum, & per cujus receptionem fit manifeſtatio objecti ipſi potentiæ, ſimulque aſſimilatio potentiæ ad objectum; de quibus excellentiſſimè agit Seraph. Doct. *in locis à nobis cit. in lib. de anima tr. 1. q. 5. & tr. 2. q. 2.*

4. Genus ſpecierum, quæ à Seraph. Doct. appellantur objectivè, & medium deducens, ſeu quod; ſunt enim imagines, quæ cognitæ ducunt intellectum in cognitionem rei repræſentatæ, ut eſt imago, vel ſtatua Cæſaris; taleſque ſunt omnes creaturæ, quæ ut effectus Dei manuducunt mentem in Creatoris cognitionem: differunt autem iſtæ ſpecies inter ſe; nam ſpecies primi, & ſecundi generis ſe tenent magis ex parte objecti, cujus vices gerunt, tum in informando potentiam, tùm in concurrendo cum ipſa ad actus vitales: ſpecies tertii generis, ſcilicet expreſſa ſe tenet ex parte potentiæ, quia eſt ipſamet cognitio actualis, quartæ verò non habent propriè rationem ſpecierum intentionalium, cum ſint medium cognitum ut quod, aliæ verò medium ut quo; iſtæque ſcilicet creaturæ in ſtatu naturæ deſtitutæ ducunt mentem in cognitionem abſtractivam Dei valdè obſcuram, & imperfectam, ut infra ſuo loco dicetur: In ſtatu naturæ integræ ratione luminis, vel ſpeciei infuſæ in intellectu cognoſcebant Deum cognitione media inter beatam, & noſtram imperfectam, tùm mediante lumine impreſſo, tùm per effectus creaturarum; *ſic S. Bon. l. 1. d. 24. quæſt. ult. & l. 2. d. 3. part. 2. art. 2. quæſt. 2.* & hoc etiam eſt id, quod admittit Scotus volens, quòd Angeli, & homo viderent in ſtatu naturæ integræ in via Deum clarè, quod intelligendum eſt de claritate media, ut dictum eſt.

Not. 2. quòd per hoc differt medium quod, à medio quo pervenitur ad divinam cognitionem; medium quod debet priùs cognoſci, & ad hoc ut inducat in cognitionem objecti debet continere ipſum vel formaliter, vel eminenter, & virtualiter; undè eſſe, & intelligere creaturæ ducit in cognitionem entitatis, & intelligibilitatis Dei: medium quo (quales ſunt ſpecies intentionales) non eſt neceſſe, quòd contineat objectum in ſua entitate, ſed ſolùm quoad repræſentationem, & ratio eſt, quia ut notat S. Bon. *l. 1. d. 35. q. 1.* ſpecies eſt ſimilitudo objecti non per communicationem, ſeu in eſſendo, ſed per imitationem, ſeu in repræſentando, quatenùs imitatur eſſe objecti ſecundùm aliquid, non autem communicat cum eo in natura, & ob id deficit ab objecto in entitate, & cognoſcibilitate rei, cujus eſt medium; quod eſt contra Thomiſtas ſuſtinentes ſpeciem, & objectum communicare in natura cum objectu, quod eſt falſum, ut probavimus in tract. de ſpeciebus. Undè ſequitur ſpeciem, licèt ſit finita in ſe, poſſe repræſentare infinitum, cùm ſpecies mutuet ſuam perfectionem ab objecto extrinſecè, & objectivè tantùm, ſecundùm quam rationem poteſt dici infinita objectivè, ſicut dicitur viſio beata, & peccatum: ſequitur etiam, quòd inter ſpeciem, & objectum non adeſt adæquatio æqualitatis, & entitativa, ſeu quantitativa, ſed tantùm in ordine objectivo, & hoc vel quatenùs objectum eſt repræſentabile, ut in creatis v. g. in albedinis ſpecie; vel in comparatione ad virtutem potentiæ, cum qua unitur, ut eſt ſpecies albedinis in oculo cæcutiente, taliſque eſſet ſpecies Dei, ſi datur, quæ habet vim repræſentandi Deum, ſicut capax eſt noſter intellectus, quod & innuit S. Bon. *l. 1. d. 3. q. 1. ad ult.* dicens, quòd talis ſpecies inferior eſt Deo, quia eſt in natura inferiori, ſcilicet producta ſecundùm exigentiam potentiæ finitæ.

Not. 3. quòd cognitio intellectus alia eſt intuitiva, alia abſtractiva, de quibus fusè egimus *in tr. 1. de anima q. 7. n. 385. & tr. 2. q. 9. n. 570.* ubi probavimus, quòd cum intuitiva de ſe exigat objectum præſens, abſtractiva præſcindit ab objecti præſentia, quæ differentia tamen eſt accidentalis, cum ad aures Seraph. Doct. imò & ferè omnium non poſſit dari ulla cognitio, quæ non ſit abſtractiva, ideſt per ſpeciem abſtracta ab objecto; ſolùmque differunt in hoc, quòd ſpecies, in intuitiva dependet ab objecto in eſſe, & in conſervari, non verò in abſtractiva, ſed tamen utraque convenit in hoc, quòd reſpectu potentiæ, & tendentiæ in objectum habent eandem rationem, licèt quoad terminum adſit diſparitas; ideò cum abſtractivo modo utraque tendat in objectum, hinc non differunt eſſentialiter: excipitur tamen ab hoc ordine viſio beata, quæ ſine ſpecie tendit in objectum præſens. Vide in locis cit. textus Seraph. Doct. circa hanc materiam. His poſitis.

1. Concl. Nulla creatura eſt, vel dari poteſt, nec 107
ſpecies intentionalis, quæ ſit medium quod, vel quo cognoſcendi Deum diſtinctè, & quidditativè, eo modo, quo cognoſcibilis eſt. Et communis omnium; & ratio evidens eſt, quia Deus eſt ens infinitum, & infinitè perfectum; ſed omnis creatura eſt finita, ergo nec poteſt adæquare infinitatem Dei.

2. Concl. Angeli in via, & homo in ſtatu innocentiæ fuerunt præditi ſpecie impreſſa, quæ Deum diſtinctè, & quidditativè repræſentabat per cognitionem abſtractivam: Eſt Scoti: *lib. 2. d. 3.*

d. 3. quæſt. 9. §. ad quæſtionem & omnium Scotiſtarum; eſt & patenter opinio Seraph. Doct. *l. 2. d. 3. p. 2. a. 2. q. 1. ad 4. 5. & 6.* ubi loquens de Angelis dicit, quòd Deum videbant non per ſpeciem abſtractam à Dei eſſentia, nec per eſſentiam, ſcilicet clarè facie ad faciem, & entitativè, ſed per influentiam luminis connaturalis potentiæ cognoſcentis; unde nec videbant ſuò velamine ænigmatico, ut nos in via, nec facie ad faciem, ut Beati, ſed medio modo inter utrumque ſtatum, ſcilicet per ſpeculum: Idem proportionaliter dicit de homine in ſtatu innocentiæ lib. 2. d. 23. q. ult. quam vocat cognitionem contemplationis, quæ ita perfecta erat, quod medium locum tenebat inter velamen ænigmaticum, & claritatem patriæ: videbant quidem Deum, ait Seraph. Doct. non per remotionem cujuſcumque medii, ſed per remotionem velaminis, & obſcuritatis; ſic ad primum; Unde hæc cognitio abſtrahebat ab intuitiva, & præſentialitate Dei, non tamen tanta erat abſtractio, quanta hæc, quam habent viatores per fidem. Unde valde mirum eſt quomodo P. Gaudentius tam verſatus in doctrina Seraph. Doctoris tam mordicùs trahat Seraph. Doctorem ad partes Thomiſtarum contra Scotum *pr. in tr. 1. d. 11. q.* . cum patentiſſimè ſit eadem ſententia S. Bon. cum Scoto & ratio eſt, quam adducit Seraph. Doct. quia, cum Angeli, & homo in ſtatu innocentiæ tenerent medium inter Beatos, & viatores, [illegible] infectos etiam eis debebatur medium proportionatum cognoſcendi Deum tali ſtatui; unde ſequitur, quòd labor aſſumptus ab hoc authore ad rejiciendam ſpeciem Angelorum in via, tot verbis, & multiplicatione ſuperflua rationum inutilium eſt fruſtatorius, quòd magis patebit in ſequentibus; ſtat enim totus in probando talem ſpeciem neceſſariò debere eſſe intuitivam, ob idque clarè repræſentantem Deum ſecundùm totam ſuam perfectionem; ad quod reſpondetur, quòd quocumque modo eſſet vel intuitiva, vel abſtractiva ſcilicet Dei præſentis, vel ut abſentis parum refert; ſufficit ipſos habuiſſe ſpeciem proportionatam tali ſtatui, mediantem inter beatam viſionem, & noſtram viatorum; maximè quòd cognitio intuitiva, & abſtractiva ex traditis non differunt eſſentialiter, ſed accidentaliter, loquendo de cognitione viatorum.

107 3. Concl. Datur ſpecies expreſſa, ſeu verbum mentis in clara Dei viſione. Eſt S. Bon. tùm *loco cit.* tùm *l. 1. d. 3. p. 1. q. 1. ad ult.* Ubi dicit, quòd dum Deus videtur ab intellectu creato, ipſe intellectus informatur quadam notitia, quæ eſt ſimilitudo quædam non abſtracta, ſed impreſſa, Deo inferior, quia eſt in natura inferiori, & anima ſuperior, quia facit animam meliorem, & beatam, citatque ibidem S. Auguſtinum id clarè aſſerentem; idem habet *l. 3. d. 14. q. 3.* loquens de viſione animæ Chriſti. Concluſio ab omnibus Catholicis tenetur, licèt adſit diſcrepantia in modo loquendi, & explicandi hanc ſpeciem expreſſam. Scotus enim negat poſſe in rigore dici verbum, ex eo quod non ſit naturaliter, & neceſſariò genita, ſed per concurſum liberum divinæ voluntatis, & eſſentiæ, quæ eſt objectum voluntarium, qua conditione excepta, fatetur in reliquis habere conditiones notitiæ, & ſimilitudinis realis naturalis objecti divini; quod ſtidem tradidit priùs Seraph. Doct. *l. 3. d. 14. a. 1. quæſt. 1. ad 4.* Thomiſtæ verò, licèt negent verbum propriè in cognitione intuitiva Dei, admittunt tamen Beatos cognoſcere Deum actu perfecto, ob idque & eſſe terminum hujus cognitionis; undè licèt ſuſtineant verbum eſſe ipſam cognitionem, & intellectionem, non tamen negare poſſunt terminum talis cognitionis: & cùm ad partes Thomiſtarum trahatur violenter S. Bon. à Trigoſ & Coriol. patet eorum hallucinatio; quod & notat P. Gaudentius cit.

Nam S. Bon. & Scotus ſuſtinent verbum non ipſam intellectionem, ſed qualitatem, ſeu notitiam per intellectionem expreſſam, ut dictum eſt in notabili primo, & fuſius agetur infra de verbo divino: quod verò producatur à Beatis verbum in viſione divina docent multi Sancti Patres, ut D. Auguſtinus, Anſelmus, &c. *ex S. Bon lib. 1. d. 3. cit. & d. 17. p. 1. q. 2.* Probatur autem hæc ineluctabili ratione, *l. 1. d. 3. & l. 3. d. 14. q. 1. in fund.* ſi in cognitione beata non formaretur verbum, ſequeretur Beatos formaliter beari per viſionem increatam, ſed hoc eſt abſonum, nec valdè tutum, ut advertit Seraph. Doct. *l. 3 d. 14 cit.* ergo.

Prob. ſequela majoris. Impoſſibile eſt intellectum conſtitui formaliter actu videntem ſine forma creata, cujus effectus formalis ſit conſtituere intelligentem, ſed forma illa eſſentialiter non eſt Deus, nec poteſt eſſe; ergo eſt quid creatum; ſubſumo, ſed aliud non poteſt eſſe præter verbum, ſcilicet qualitas producta ab intellectu, & informans illum, & ex vi ſuæ informationis faciens illi actualiter præſentem rem intellectam, & hoc eſt formaliter verbum, ergo. Confirmatur, quia ſicut ſapientia, qua formaliter eſt beatus ſapiens, non eſt ipſe Deus, ſed quid creatum, ergo & notitia, qua eſt formaliter videns.

Obiic. 1. Si daretur talis ſpecies expreſſa, quæ 108 ſit verbum, ſequeretur intellectionem immediatè terminari ad verbum, & mediatè ad divinam eſſentiam, ſicque immediatè non videretur Deus, quod eſt incidere in errorem Armenorum. Reſp. mentem immediatè uniri divinæ eſſentiæ primò per actum; intellectionis, mox verbo ut quo immediatè unitam objecto permanenter, non enim verbum primò cognitum eſt, ſicque negatur ultima ſequela.

Obiic. 2. In creatis intelligibilibus ponitur verbum, ut ſuppleatur abſentia objecti, vel ejus improportio. In divinis verò ponitur verbum non ob hanc neceſſitatem, ſed ob fæcunditatem naturæ divinæ; ſed in viſione beata nulla adeſt neceſſitas ejus, cum objectum ſit præſentiſſimum, & de ſe immediatè intelligibile, ergo. Reſp. in Creaturis verbum eſſe neceſſarium ex parte objecti non ob neceſſitates allatas, ſed propter imperfectionem potentiæ, quæ quatenùs potentialis eſt, eget forma à ſe producta, & quatenùs eſt cognoſcitiva eget forma repræſentativa, & hæc eſt verbum, ſic negatur minor, & conſequentia; *ſic S. Bon. l. 3. d. 14. cit.*

Obiic. 3. Species expreſſa eſt quid finitum, objectum infinitum, ergo non poteſt exprimere in eſſe intentionali perfectionem objecti, ſicut eſt neceſſe in viſione beata. Reſp. ex traditis in ſundamento ſecundo, negando conſequentiam; nam talis ſpecies exprimit quidem objectum infinitum, ſed finito modo ſecundùm capacitatem potentiæ finitæ, ſufficit enim hæc adæquatio objectiva, undè poteſt dici infinita objectivè, ut dicitur viſio beata & peccatum, non entitativè, ut ſæpè alias dictum eſt ex S. Bon. Imò ſi hæc ratio valeret, ſequeretur etiam non poſſe dari viſionem beatam.

4. Concl. In Beatis non datur ſpecies abſtracta, 109 ſeu ut alii loquuntur impreſſa ab objecto, poteſt tamen dari de abſoluta Dei potentia; Eſt S. Bon. *l. 1. d. 3. p. 1. q. 1. & p. 2. a. 1. q. 1. ad 4* qui licèt admittat ſpeciem

ſpeciem expreſſam, ſeu verbum, ſeu notitiam impreſſam, non tamen ſpeciem abſtractam, eo quia non eſt neceſſaria; unde infertur de facto ipſam negare rem de poſſibili; ſic P. Theodorus Bergom. Coriol. Gaudentius in comment. ſupra D. Bon. quamvis à P. Trigoſio de more pertrahatur ad partem Thomiſtarum etiam violenter, qui negant hanc ſpeciem & de facto, & de poſſibili. Eſt & Scoti, & ferè omnium ſcholarum communis, exceptis aliquibus tùm Thomiſtis, tùm etiam aliis paucis extra hanc ſcholam, ut videre eſt apud P. Gaudentium *d.* 1 . *q.* 3.

Probatur autem prima pars ex fundamento Seraph. Doct. Ideò ponitur ſpecies abſtracta, ut gerat vices objecti ſimul concurrendo cum potentia ad intellectionem; ſed in viſione Dei clara hæc eſt fruſtatoria, ergo cum ſine neceſſitate non debeat admitti, & nulla ſit neceſſitas, non datur; major eſt certa in Philoſophia; minor probatur; Deus exercet perfectiſſimè omnia talis ſpeciei munera neceſſaria. Probatur 1. Species actuat intellectum per inhærentiam; 2. repræſentat objectum ſicut eſt; 3. concurrit ad intellectionem effectivè; 4 facit ut intellectus ſit in actu primo, ſcilicet unitus cum objecto per aſſimilationem, ſed Deus actuat intellectum, non quidem per inhærentiam, cum non ſit accidens, ſed ſeipſum uniendo immediatè per intimam præſentialitatem, ſicque ſe repræſentat immediatè intellectui, & deinde concurrit cum illo ſimul cum lumine infuſo ad actum viſionis, per quam fit Beatus ſimilis ſibi, ut ipſum videat ſicuti eſt; ergo alia ſpecies eſt ſuperflua.

Et ſi quæras, qualis ſit iſta unio inter intellectum Beati, & Deum? Reſp. S. Bon. *l.* 2. *d.* 16. *a.* 1. *q.* 1. *ad* 2. *&* *l.* 3. *d.* 14. *a.* 1. *q.* 3. *ad* 2. *&* 3. hanc eſſe conjunctionem non duorum in tertio, ſed ſecundùm ordinem, ſcilicet duorum principiorum, quæ in agendo alterum alteri ſubordinatur, ſimulque per ſimilitudinem uniuntur ad efficiendum eumdem actum; Et ſi dicas quando ſpecies, & potentia uniuntur, id fit per informationem, quam Deus non admittit; hoc non valet, quia informatio potentiæ per ſpeciem eſt per accidens tali unioni, & hoc eſt, quia ſpecies, cum ſit accidens, exigit ſubjectum in quo, ſed tamen prout eſt concauſa cum potentia præciſè non dicit talem informationem, ſed tantùm ordinem; at in viſione beata dum adeſt ipſum objectum intimè præſens in ratione objecti, & veri, & concurrens ad modum concauſæ efficientis, informatio eſt ſuperflua, & ſine hac fit unio.

Prob. 2. pars quoad poſſibilitatem, datur ſpecies expreſſa Dei actu ipſum repræſentans, ergo à fortiori poteſt dari impreſſa, ſeu abſtracta, quæ repræſentet in actu primo, & in habitu. Probatur ſequela, quia ſpecies expreſſa eſt formalis Dei, ipſumque immediatius attingens, multò magis poteſt dari ſpecies abſtracta, quæ eſt ſimilitudo Dei tantùm virtualis; Et hoc eſt argumentum Scoti, quod valdè torquet Thomiſtas, & adverſarios, qui ideò ut ſatisfaciant vi ipſius coguntur incedere in diverſas vias, itaut quot capita ferè tot ſint diverſæ reſponſiones, quod maximum ſignum eſt exilitatis hujus adverſæ ſententiæ: Hinc.

Alii reſpondent negando paritatem ex hoc, quòd ſpecies expreſſa de ſe non exigit eſſe immaterialiorem objecto ſicut ſpecies abſtracta; quæ ratio eſt nulla, id enim eſt per accidens ſpeciei; ut patet in Angelo per ſpeciem cognoſcente alium Angelum, tùm etiam quia id dicitur de ſpeciebus rerum ſenſibilium, non ſpiritualium.

Alii negant paritatem ex hoc, quòd ſpecies expreſſa producitur ab intellectu creato, ob idque eſt finita, at ſpecies impreſſa, ſeu abſtracta debet naturaliter produci à Deo, ob idque debet eſſe infinita, quæ reſponſio frivola eſt, cum omnis productio ad extra ſit à Dei libera voluntate: Alii reſpondent diſparitatem eſſe, quia ſpecies expreſſa non eſt principium efficiens beatitudinem, ſed reddens beatum formaliter, ſicut deberet eſſe ſpecies abſtracta, quod eſt impoſſibile, cum ſolus Deus poſſit facere beatum quæ reſponſio eſt etiam frivola, nam nobis ſufficit, quòd non adſit repugnantia; nec ulla repugnantia: ex hoc ſequitur, nempè quòd Beatus fiat à Deo mediante inſtrumento creato, ſicut concurrit etiam lumen, & potentia, quæ omnia magis patebunt, in reſponſione ad objectiones adverſariorum. Not. autem hic, quòd Thomiſtæ procedunt in hac materia ſecundùm ſua principia, ſuſtinent enim ſpeciem, & objectum debere eſſe ejuſdem naturæ, & contrarietatis, quod nos refutavimus in lib. de anima ſuo loco.

Obiic. contra primam concluſionem. Datur 110
ſpecies ut quo repræſentans Deum clarè, & diſtinctè, ergo poteſt dari medium quod, nulla enim eſt repugnantia, quòd Deus non poſſit producere creaturam, qua cognita cognoſcatur diſtinctè Deus, & repræſentet ſimul perfectiones infinitas Dei; ſic etiam anima continet imaginem repræſentantem Deum unum, & trinum.

Reſp. neg. paritatem; ratio diſparitatis eſt, quia cognitio per ſpeciem eſt ratio ut quo; ſcilicet qua mediante intellectus immediatè fertur in Deum; non ſic medium cognitum ut quod, quia potiùs impediret cognitionem immediatam, & intuitivam Dei, faceretque ſolùm abſtractivam cognitionem: ratio eſt, quia medium quod continet ut effectus virtualiter cauſæ virtualitatem, ideò parit cognitionem tantùm confuſam, & imperfectam: medium quo, ſcilicet ſpecies intentionalis, cum ſit imago repræſentativa objecti, & ratio quâ potentia fertur in objectum, continet perfectiones objecti repræſentativo, & aſſimilativo modo; undè medium cognitum & movet, & terminat potentiam, ejuſque cognitionem: medium quo tantùm movet, facitque terminare cognitionem objecti immediatè.

Obiic. contra ſecundam concluſionem. In Angelis, & primo homine nulla eſt neceſſitas ſpeciei impreſſæ. Probatur, quia Angelus per naturam eſt ſpeculum clarum ipſius ſuperni luminis, quod ſemper de ſe, & naturaliter ſuper ſplendet ſpeculo intellectuali; ſic & ſpeculum mundum ſuſcipit per naturam ſolis radios, ergo & Angelus, ergo non indigebat ſpeciei, eoque maximè quia Deus erat ipſi intimè præſens; ſic & anima Adæ pura, & ſancta non habens ullam obſcuritatem.

Reſp. ad hæc, & ſimilia argumenta ex S. Bon. *l.* 2. *d.* 3. *p.* 2. *a.* 2. *q.* 1. *&* *d.* 24. *q. ult.* quòd Angeli indigebant ſpecie propter eminentiam improportionatam, & de ſe inacceſſibilem ſummæ, & infinitæ lucis, ideò ſine condeſcenſione gratuita Dei non poterant tàm altè ſe elevare ſine medio gratuito; nec valet paritas de Sole, quia Sol naturaliter influit, ſicut & ſpeculum ſuſcipit naturaliter non ſic in divina cognitione, cum Deus ſit objectum voluntarium, & ſuperexcedens omnem naturam.

Inſtant. Per hanc ſpeciem cognoſcebant Angeli, & hoc vel intuitivè, vel abſtractivè; non primum, quia hæc propria, eſt Beatorum, nec ſecundùm,

quia

quia Deum habebant intimè præsentem, ergo nullo modo, vel tantùm naturali sua virtute Deum cognoscebant absque media specie.

Resp. utroque modo ipsos cognovisse Deum, sed tamen illa species præscindebat & ab intuitiva, & ab abstractiva, quia Deus condescendebat influentia gratuita, & media inter gloriosam cognitionem, & nostram viatorum, sic negatur consequentia.

Objic. contra tertiam conclusionem. Si datur species expressa, ista debet continere in esse intentionali, quod continet in esse reali ipsum objectum ad hoc, ut totum objectum perfectè cognoscatur, sed hoc est impossibile, cum ista species sit quid finitum, ergo.

Resp. si hoc argumentum aliquid concluderet, tolleretur de medio visio Dei in Beatis; nam tam species expressa, quàm visio debet exprimere, & declarare potentiæ objectum in esse intentionali secundùm omnem perfectionem; quam in esse reali habet, & quælibet cognitio est tantæ perfectionis in suo ordine intentionali, quantæ est objectum in esse reali, quia quælibet cognitio in perfectione specificatur à suo objecto formali præsenti, & primario; ergo si hoc repugnat visioni beatæ in ratione speciei expressæ, repugnabit & in ratione cognitionis claræ; ergo sicut potest dari visio finita rei infinitæ, sic & in speciei expressa currit paritas; certum est enim, & de fide Beatos videre clarè Deum, & tamen eorum visio est finita, & cum tali finitate habet adæquationem cum objecto infinito in ordine repræsentativo, licèt non in esse reali, nec est necesse, quòd ipsa specie sit infinita nisi objectivè, & ratio est, quia ubi receptum dependet à recipiente, ut est in casu nostro ad modum recipientis, etiam secondùm capacitatem potentiæ, ob idque finito modo infunditur in potentia species objecti infiniti; *Sic docet S. Bon. lib. 1. dist. 37. part. 1. art. 3. quæst. 1. ad ult. & part. 2. dub. 4. & dist. 3. quæst. 3. ad arg. & dist. 35. quæst. 1. corp. & ad arg. & dist. 39. quæst. 1. ad 4. & l. 2 dist. 2. p. 2. art. 2. quæst. 3. ad 4. & dist. 3. quæst 2. & dist. 23. quæst. ult.*

Contra quartam conclusionem de specie abstracta, seu impressa, quòd de facto in Beatis non datur, sed tantùm de possibili.

Primò objicit Amicus. Ferrar. cum aliis; implicat dari speciem expressam Dei, ergo & impressam, ratio sequelæ est, quia species impressa ordinatur ad expressam, ergo si hæc implicat, & illa, sed quia antecedens jam explosum est supra, & etiam ipsos Thomistas urget, cum & ipsi de fide teneantur admittere visionem beatam; & cum sit par ratio de specie expressa, & de visione beata, utraque enim habet repræsentare divinam essentiam infinitam; hinc hac omissa, quæ nihil concludit.

Objic. 2. si datur species impressa, hæc deberet esse infinita, sed non potest esse infinita, ergo non est possibilis: Probatur major; quia species impressa se tenet ex parte objecti supplens ejus vices, & ipsum repræsentans, sicuti est à parte rei; sed objectum est infinitum, ergo & species talis deberet esse; & confirmatur, quia talis species produceretur à Deo non liberè, sed naturaliter, ne naturalis ejus imago, quia oriretur ab essentia, ut essentia est, non ut volens, ob idque antecedens liberam determinationem voluntatis, & dato etiam, quòd liberè produceretur, adhuc tamen naturaliter repræsentaret divinam essentiam, ut naturalis ejus imago, quod exigit infinitatem in repræsentando, quæ cum implicent contradictionem sequitur impossibilitas talis speciei: Et confirmatur iterùm, quia species admittitur ad reddendum objectum actu intelligibile, & ut fiat præsens secundùm sui similitudinem potentiæ, & ob id ad supplendam improportionem objecti, quæ respectu Dei sunt omninò superflua, cum sit purissima lux de se intelligibilis, & intimè præsens potentiæ, sequitur superfluitas, & obid indecentia talis speciei.

Ad istas objectiones, instantiasvè breviter resp. negando talem speciem fore infinitam si daretur, nisi repræsentativè, seu objectivè; ratio est, quia falsum est gigni naturaliter, & necessariò, ut dicunt falsò adversarii, quia cum sit creatura, opusque ad extra, non produceretur immediatè ab essentia, sed mediante voluntate divina, quæ Deo est præcisa ratio agendi ad extra, ut notavit Scotus quod lib 14. & prius Seraph. Doct. & cum sit ad extra etiam finito modo produceretur, & produceretur ad proportionem potentiæ recipientis finitæ, esto quòd in tali casu naturaliter repræsentaret divinam essentiam, sed modo finito; undè adæquatio talis speciei ad essentiam infinitam non erit simpliciter, sed secundùm quid infinita, scilicet objectivè tantùm, & ut intelligibilis est essentia ab intellectu finito.

Et ad ultimam confirmationem conceditur non esse necessariam de facto talem speciem, sed ob id posteà non negatur possibilitas, ex hoc quòd, licèt essentia divina de se sit intelligibilis actu intrinsecè, hoc tamen non impedit, quin etiam possit fieri intelligibilis ab intrinseco per talem speciem, &c. quod etiam patet in Beatis, in quibus Deus per lumen gloriæ, & speciem vult fieri actu intelligibilis, &c. Imò ex hac ratione ultima posset ad hominem concludi contra objicientes, quòd Deus clarè potest videri ab intellectu creato absque lumine gloriæ. &c. Deus enim in se est purissima lux se diffundens ubique, & intimè præsens potentiæ, ergo nihil aliud secundùm ipsos requiritur, & si aliud requiritur v. g. lumen, & species expressa, ergo non implicat ex parte divinæ potentiæ productio etiam speciei impressæ, cum id non deroget Deo, nec intellectui.

Objiciunt 3. multa absurda, quæ sequerentur ex specie impressa Dei, si daretur. Et primò quia sequeretur per hanc speciem posse videri Deum naturaliter, distinctè, & clarè, quia ista species esset distincta, & perfecta Dei similitudo, in qua reluceret Deus, imò idea Dei; sic etiam quòd daretur imago Dei perfectior homine, & Angelo; tùm etiam quia talis imago gereret vices objecti, sicque Deus posset illi communicare rationem primi intelligibilis, quod est incommunicabile, quæ omnia sunt maxima absurda, ergo non est possibilis.

Resp. has instantias esse frivolas, & contra principia Philosophiæ: species enim impressa non est quæ videtur, hæc formaliter repræsentat objectum, sed efficienter, & virtualiter, undè in ipsa visa non potest videri Deus, sed tantùm mediante ipsa; & si ipsa videretur non ut imago formalis Dei, sed videretur talis qualitas, qua mediante videtur objectum: Et ad id de Idea, & imagine respondetur talem speciem non esse imaginem in essendo, sicut & Angelus, & homo, sed in repræsentando efficienter, & virtualiter Deum: Ad aliud quòd posset communicari tali speciei ratio primi intelligibilis, quod est Deus; Resp. neg. sequelam; nam species gerit vices objecti in ratione movendi, non terminandi, sicut est in primo intelligibili independenter à quocumque alio.

Objectiones, quæ contra primam partem quartæ conclusionis possunt fieri, nempè de facto debere admitti speciem abstractam, seu impressam in Beatis, sunt sequentes.

Objic. primò ex 2. Corr. cap.5. tunc per fidem ambulamus, non per speciem, hæc enim est propria Beatorum, ergo species datur in Beatis de facto.

Resp. per, ly, speciem Apostolum non intelligere speciem impressam, seu abstractam, sed ut docent cum S. Bon. Patres pulchritudinem faciei divinæ, clarè, & distinctè.

111 Objic. 2 quia visio beatifica debet fieri modo connaturaliori, quem assignare possimus, & hac de causa etiam supra diximus visionem beatam exigere de facto lumen gloriæ habituale informans intellectum, qui modus est connaturalior in actibus vitalibus; sed connaturalis modus operandi intellectus est media speciei impressa objecti repræsentativi, ergo de facto tali modo fit visio beata. Resp. Meldula *dist.6. num* 35. *&* 43. negando majorem in cognitione intuitiva, in qua non est necessaria species; sed quia hæc responsio est contra principia Seraphica; quæ tradidimus de anima *tract.*1 *quæst.*7. *&* *tract.*2. *quæst* 2. *&* 9. ubi diximus omnem cognitionem sivè intuitivam, sivè abstractivam fieri per speciem abstractam ab objecto, & obid illas non differre essentialiter, sed accidentaliter. Hinc consequenter ad principia Seraphica primò negamus, talem modum esse connaturaliorem, scilicet per informationem speciei in intellectu, sed esse unionem objecti cum potentia tamquam comprincipii efficientis, & motivi, & licèt in via fiat per informationem objecti cum potentia mediante specie impressa in qua potentia, quæ de se est tabula rasa; id fit per accidens eò quia objectum immediatè non potest uniri ipsi potentiæ; At in patria non tali modo fit unio, ubi Deus supplet istas indigentias sua intima præsentalitate absque informatione, sed per solam assistentiam, unionemque in ratione cognoscibilis, per quod ponitur intellectus sufficientissimè in actu primo, concurrentè etiam ad hoc aliqualiter lumine gloriæ, & id posteà perfectè complente specie expressa: Et hac eadem doctrina potest respondert omnibus objectionibus in contrarium adducendis ex indigentia intellectus in ordine ad istam speciem; & eò magis quia in tantum species pro statu isto admittitur informans intellectum, quatenus est accidens indigens subjecto in quo, sed hæc informatio est accidentalis speciei, quia ejus munus per se est esse solùm objecti similitudinem virtualem, & in genere causæ efficientis, non autem formalis, & quatenus est principium constituens intellectum in actu primo, & completo ad efficiendam actualem repræsentationem.

Q. an data ista specie impressa in intellectu Beatorum visio fieret intuitiva, an abstractiva? Respondent Meldula, & Scotistæ, quòd esset abstractiva; *Sic Meldula dist.6. num.*34. eò quia implicat quòd per speciem impressam fiat cognitio intuitiva; sed tamen non ex traditis ex Seraph. Doct. de anima locis cit. ibidem respondemus fore intuitivam, cum pro statu isto omnis cognitio fiat per speciem diffusam ab objecto, & receptam in potentia, & talem speciem esse indifferentem ad utramque cognitionem.

Sed antequam hæc tractatio de speciebus compleatur, unum hic addendum existimo necessarium, nam alibi forsan aptior locus, & occasio non exhibebitur. Et hoc est, quòd P. Gaudentius commentator Seraph. Doct. & verè doctissimus sæpè testificat hic præcipuè *dist.*11. *quæst.*3. *num.*4. *&* *quæst.*6. *num.*77. & ex profosso *in tomo* 3. *tract.* 9. *dist.*4 *quæst.*10. speciem impressam non coagere cum potentia in productione actus cognitionis, sed solùm perficere seipsa veluti idolo objecti ipsam potentiam, & tunc potentiam positam in actu primo seipsam solam agere, & producere actum cognitionis; quod intendit, & conatur demonstrare esse ad mentem Seraph. Doct. tùm ex *lib.*2.*d.*23. *art.*2. *quæst.*1. *ad ult.* seu potiùs *in fine corp. & d.*24. *part.*1. *quæst. ult. in corp. & ad ult. & lib.*4. *dist* 49. *part.*1. *quæst. ult. corp. & Centil. part.*3. *sect.*3. *& in Comp. lib* 2. *cap.*45. sed pace doctissimi viri dico S. Bon. in iisdem locis nullo modo agere de hac materia, an scilicet species coagat cum potentia; solúmque habetur textus D. Augustini dicentis, quòd anima seipsam movet, quando est posita in actu perfecto, & completo, occasione ab exteriori, scilicet ab objecto accepta, & informando seipsam magis agit in objectum, quàm objectum agat in ipsam: Ex quo textu maximè sæpè repetito infert hic author speciem nihil agere, nisi informando potentiam; sed tamen non solùm ex hoc textu, sed ex aliis ab ipso adductis, & aliis mox adducendis potiùs oppositum infertur, dum dicit D. Augustinus, & cum eo Seraph. Doct. quòd anima seipsam movet, benè dicit, quia anima est principale agens se movens; dicit autem seipsam movet, nota quòd non dicit seipsam solùm, &c. imò addens; Anima seipsam movet occasione ab exteriori accepta, & informando seipsam magis agit in objectum, quàm agatur ab objecto (nota comparationem) si magis agat in objectum, quàm ab objecto agatur, ergo actionem aliquam minus principalem recognoscit in objecto mediante specie, *sic lib.*2. *dist.*23. *art.*2. *quæst.*1. *corp.* Addimus *ex lib.*2. *dist.*3. *part.*2. *art.*2. *quæst.*1. *corp.* quòd intellectus Angelicus repletus speciebus rerum omnium, per illas posset omnia cognoscere sine receptione, quia tunc intellectus est perfectè in actu, ergo si per illas potest cognoscere, ergo per illas effectivè adjuvari potest; & eò magis probatur ex hoc, quod adducit dictus P. Gaudentius, scilicet species se habere ad cognitionem materialiter tantùm, & circa ipsas animam se exercere veluti circa materiam; quodque gratis, & sine fundamento dicitur: quomodo enim species se habet circa animam materialiter, sic species actuat ipsam potentiam se habentem ad illam potentialiter, & ideò ab ipsa veluti forma actuatur perfectissimè, ait Seraph. Doct. proximè citatus. Resp. quòd circa speciem potentia se exercet velut circa materiam; sed quid in speciem operatur anima? est ne ipsa species medium quod? hoc non potest dici, quia est medium quo anima fertur in objectum, & ob id habet rationem non materiæ, sed actu non solùm actuantis potentiam, sed actus per modum efficientis, & coagentis, mediante quo coagit potentia in animam: sed vide quæ à nobis dicta sunt in Philosophia *part.*3. *tract.*2. *q.*5. *n.*369. *& quæst.*-. *à num.*387. *ad* 390. quæ omittimus, ne actum agamus iterùm.

QUÆSTIO VIII.

An poſſit divina eſſentia videri ob oculo corporeo beato..

112 PAgani credentes Deos corporeos, conſequenter dixerunt, videri oculo corporeo; Eundem errorem ebiberunt Antropomorphitæ: imò Vaſquez de more ſuo, & malo genio *diſt.* 40. hunc errorem S Auguſtino ferè inurit. 2 a. de civitate Dei, *cap.* 19. & hinc contra ipſum latrant Calviniſtæ, ſed tamen falſiſſimum eſt, S.Auguſtinum hoc aſſeruiſſe, imò oppoſitum, undè negat oculis corporeis Beatos viſuros ſpiritualia, ſed tantùm oculis mentis, & ſi aliquando viſionem Dei videtur attribuiſſe oculis, id intelligendum eſt de oculis mentis, & ſi expreſſè aliquando dicitur à Sanctis etiam oculis corporeis, id intelligendum, quòd Sancti videbant oculis corporeis non in ſe, quia ſpiritus eſt, ſed per creaturas ſublimes, non in ænigmate, uti etiam loquitur S. Bon *lib.* 1. *diſt.* 3. *quæſt.* 3. *& lib* 2. *diſt.* 2. *art.* 2. *quæſt.* 3. *Vide S. Auguſtinum Ep.* 6. *&* 111. *&* 132.

Quæſtio igitur hæc tripartita eſt. Primò an de facto Beati oculis corporeis videant Deum. 2. an dato, quòd de facto non videant, ut communiter ferè omnes Theologi ſequunt, an de poſſibili, ſcilicet per abſolutam Dei potentiam poſſit id fieri. 3. an admitti poſſit poſſibilitas ſine læſione fidei.

Nos autem in hac quæſtione duplici via procedemus: prima eſt ſequendo communiorem negantium id fieri, vel poſſe fieri: ſecundò problematicè ſequemur oppoſitam, & hoc ad magis magnificandam multiplicem divinam omnipotentiam.

Prima igitur opinio in quæſtione de poſſibilitate eſt negativa, & ferè communis. 2. eſt affirmativa, eſtque paucorum, ut Salas, aliique pauci. Prò ſolutione, &c.

Primò ſuppon. ex traditis de potentia obedientiali in Phiſica, quòd illa potentia activa eſt tantùm elevabilis ad effectum ſupernaturalem, quæ habet ſuum eſſe activum, naturale radicale, & inchoatum in ordine ad tale objectum, ità quòd tale objectum contineatur intra ſphæram ſuam objectivam ſecundùm naturalem inclinationem, licèt poſteà non poſſit viribus propriis ipſum attingere.

2. Suppon. ex traditis in Philoſophia de anima, quòd ſicut ſe habet intelligibilitas ad ens verum, ita ſenſibilitas ad ens ſenſibile; ſunt enim affectiones entis vel ut veri, vel ut ſenſibilis: ſenſibilitas verò poteſt ſumi vel formaliter, vel fundamentaliter: primò modo dicit aptitudinem formalem, & poſitivam objecti per ordinem ad potentiam ſenſitivam mediam inter vegetabile, & rationale: ſecundò modo dicit radicem talis aptitudinis, ſcilicet quatenus in materia inſunt diſpoſitiones propriæ ad formam, & accidentia ſenſibilia: Ad rationem autem ſenſibilitatis objectivæ requiritur, quòd ſit ens reale, corporeum, ſeu quantum, ſingulare, & accidentale, ideò ens ſupernaturale eſt extra ſphæram objectivam ſenſuum, & ratio eſt, quia potentia ſenſitiva integratur ſimul cum organo quantitativo, extenſo, & materiali; & hinc eſt, quòd ſenſus non poteſt abſtrahere à quantitate, extenſione, & ſenſibilitate, quæ omnia notavit Seraph. Doct. *lib.* 2. *diſt.* 8. *part.* 1. *dub.* 3. *& lib.* 4. *diſt.* 10. *part.* 2. *art.* 2. *quæſt.* 1. *&* 5. de quibus vide in noſtra Philoſophia *tract.* 1. *de anima, quæſt.* *& tract.* 3. *quæſt* 2. Cum autem adſit proportio inter potentiam ſenſitivam, & objectum ſenſibile, hinc ſequitur, quòd intra ſphæram objectivam potentiæ ſenſitivæ contineatur tantùm ens corporeum, materiale, & extenſum, & per conſequens etiam dignoſci poteſt diſcrimen inter potentiam ſenſitivam, & intellectivam; nam potentia intellectiva eſt indeterminata habens pro objecto quodcumque ens verum: at ſenſitiva eſt determinata, & limitata ad objectum tantùm extenſum, & ſenſibile; & hinc Seraph. Doct. *lib.* 1. *d.* 3. *p.* 1. *q.* 1. *ad* 3. notat, quòd major diſtantia, & improportio in ratione cognoſcibilitatis eſt inter intellectum, & potentiam ſenſitivam, quàm inter intellectum finitum, & objectum infinitum, & Deum, & per conſequens inter ens verum, & ſenſibile, quàm inter Deum, & intellectum. His notatis.

1. concl. Deum videri non poſſe oculis corporeis ſecundùm legem ordinariam eſſe aſſertionem omnibus orthodoxis certam ſecundùm fidem; ſic docent S. Bon. *lib.* 1. *diſt.* 3. *art.* 1. *quæſt.* 3. *ad arg.* & communiter Theologi, ut videri eſt apud P. Gaudentium. Trigoſ. Valentiam, alioſque omnes, quod probatur communiter ex pluribus locis ſacræ Scripturæ, in quibus Deus dicitur inviſibilis, & in quibus debent ſumi verba propriè ut ſonant, ſic habetur *Exod.* 33. *Deut.* 4. *Ioan.* 1. *ad Rom. cap.* 1. 1. *ad Cor* 2. quæ & alia plura ſimilia explicantur à SS. Patribus, & præcipuè à D. Auguſt. loc. cit. de inviſibilitate in ordine ad oculos corporeos; & hæc unica ratione, quæ eſt S. Bon cit. D Thomæ, & communis aliorum; Potentiæ non poſſunt ſe extendere ultra ſphæram ſui objecti, ergo potentiæ ſenſitivæ non poſſunt ſe extendere ultra ſphæram ſenſationis, & ſenſibilis objecti, ſed Deus eſt omninò incorporeus, ſpiritus enim purus eſt *ex Ioan. cap.* 1. ergo: Probatur minor, ſi eſſet corporeus, eſſet & potentialis, & imperfectus, nec totus in toto, &c. ergo. Nota autem, quòd invenitur Tertullianus dixiſſe, Deum eſſe corpus, ſed tamen explicatur à pluribus Doct. ſumere tale nomen contra rem inanem, & vacuam, de quo videri poteſt Pamellius, Cerda, &c.

2. concl. Implicat contradictionem, quòd Deus poſſit videri oculis corporeis, eſt ferè communis, paucis aliquibus exceptis; & hoc eſt, quia hæc aſſertio habet fundamentum in pluribus textibus ſacræ Scripturæ dictantibus Deum eſſe inviſibilem modo ſupra allato in prima concluſione: Probatur etiam eadem ratione qua ſupra; nempè quia implicat, quòd aliqua potentia ſenſitiva ſit talis, & feratur extra ſphæram proprii objecti, & ob id extra ſphæram ſenſibilitatis, & corporeitatis, eſt enim & ipſa compoſita ex corporeitate, & ſpiritualitate, ſeu potiùs ſenſibilitate animæ, alioquin eſſet potentia ſenſitiva, & ſimul ſpiritualis, ergo; tùm quia nulla potentia poteſt elevari ad effectum ſupernaturalem, niſi habeat virtutem ſaltem inchoatam proportionatam ad talem effectum, ſed nulla potentia ſenſitiva, cum ſit corporea, habet virtutem ullam in ordine ad viſionem, aliumque actum ſpiritualem, ergo. Min. ex traditis fundamentis patet. 113

Objic. 1. ex Job 42. Videbo in carne mea Deum meum, &c. aliique textus ſimiles poſſent afferri, quibus omnibus reſpondetur; Job intelligi debere de viſione ſpirituali animæ poſt aſſumptionem corporis, vel de Chriſti humanitate, vel textus à SS. Patribus interpretantur de viſione mentis.

Obiic. 2. Plus diſtat ens infinitum ab intellectu finito, quàm ſenſus ab objecto ſpirituali, quia utrumque eſt finitum, ſed intellectus elevatur ad videndum Deum, ergo multò magis oculus corporeus; Nec valet ſi dlcas, id eſſe verum in ratione entitatis, non cognoſcibilitatis, quia ens ſummum verum continetur ſub latitudine potentiæ intellectivæ, non ſic ens ſpirituale ſub latitudine potentiæ corporeæ: Hæc reſponſio eſt S. Bon. & communis; non valet, inquam, quia intelligibilitas fundatur in ratione entis, quia ſicut ſe habet res ad eſſe, ita & ad cognoſci; ergo ſi ſummè diſtat in ratione entis, etiam diſtabit in ratione intelligibilitatis; ſed tamen, hoc non obſtante, elevatur ad videndum Deum intellectus, ergo & ſenſus, &c.

Reſp. admiſſa reſponſione in opponendo, neg. paritatem de intellectu, & ſenſu, nam licèt ſit major diſtantia in ratione entitativa, non tamen oppoſitio ulla in ratione objectiva, ſicut inter ſenſum, & objectum ſpirituale..

Obiic. 3. Subſtantia ſpiritualis informat corpus, ergo & accidens ſpirituale, ſcilicet viſio beata poterit informare ſenſum corporeum, & eò maximè quia nulla implicantia eſt, quòd Deus non poſſit creare viſionem, ipſamque infundere in oculo; tùm etiam quia ignis poteſt agere in animam, ergo non adeſt implicantia inter iſta. Reſp. 1. negando paritatem de anima, & viſione beata; diſparitas eſt, quia anima independenter, cum ſit per ſe ſubſiſtens, informat corpus, non ſic viſio beata, quæ debet informare oculum corporeum dependenter ab ipſo, tùm in eſſe, tùm in operari, hinc tantùm ſe extendere poteſt ad corpus. Ad id de creatione viſionis factæ à Deo, & infuſæ in oculo reſpondetur, quòd in tali caſu viſio non eſſet à principio vitali, aliud enim eſt videre, aliud habere formam viſionis; videre enim eſt actus potentiæ, qui debet ipſi proportionari: Ad id de igne reſpondetur id fieri efficienter, non per modum formæ, &c.

Q. in quo ſtatu ſit hæc concluſio, ſcilicet an ſit de fide, an in ſtatu opinionis meræ: Aliqui reſpondent eſſe proximam articulis fidei; ſed tamen probabilior & communior eſt negativa: non deſunt enim plures Theologi oppoſitam ſtatuentes; & hinc problematicè procedendo, etiam ſecundùm principia Seraph. Doct. ſuſtinemus oppoſitam concluſionem.

113 3. Concl. Probabile eſt non implicare contradictionem de potentia abſoluta Dei poſſe oculum corporeum elevari ad videndum Deum clarè; *Sic Valent. t. 1 q. 12 p 8. §.* ſed quæret aliquis, &c. licèt Caſpenſis noſter ipſum in contrariam partem adducat, imò ipſum adducit quaſi aſſerentem contrariam negantem eſſe de fide, in quo ipſe Valentia ſe declarat, dicens, eſſe de fide, vel proximum fidei de lege ordinaria; & in hoc eodem ſenſu ſumendi etiam ſunt S. Bon. aliique Patres, qui non diſputant de poſſibilitate, ſed de actu de lege ordinaria, ut rectè notavit P. Benedictus à S. Jacobo in ſuo curſu Theologico. Pro ſtabilienda hac opinione.

1 Not. quòd quælibet potentia ſenſitiva non eſt ſimplex, ſed quid complexum ex virtute animæ, & organo, quod & explicat S Bon. *l. 2. d. 8. p. 1. q. ult.* ita quòd portio principalis ſe tenet ex parte animæ, minùs principalis, & inſtrumentaria ex parte organi; cum enim virtus animæ ſenſitiva ſit organica, hinc indiget organo, per quod exerceat ſuas operationes, ſcilicet in corpore, & cum corpore; undè organum ſe habet ut cauſa inſtrumentalis activa: Cum autem ex traditis *in lib. de anima ex Seraph. Doct. tr. 1. q. 4. num.* 184. quælibet anima ſit ſpiritualis, & realiter diſtincta à corpore, & corporeitate, ſpiritualitas tamen major, & purior competit animæ rationali, ipſiuſque potentiis, quæ cum ipſa identificantur realiter, diſtinctæ tamen formaliter, hinc etiam & potentiæ ſenſitivæ ejuſdem animæ ſunt entitativè ſpirituales, licèt in operari dependeant ab organo corporeo, quod & evenit ipſi animæ, dum eſt in corpore; utrumque patet (ait Seraph. Doct. *l. 2. d. 8 p. 1 a. 1. q. 1.*) per hoc, quòd anima dum eſt in corpore clauſo oculo non poteſt videre; quando eſt ſeparata poteſt exercere opera ſenſitivæ, ſed mediante intellectiva potentia, quatenus eſt identificata cum aliis potentiis, & ut ipſis eminentior eſt, *ſic ex Seraph. Doct. l. 2. d. 13. a. 1. q. 2. fund. 3. & lib. 1. d. 8. p. 2. q. 3. ad 1 & l. 2 d. 31. a. q. 1. ad 3. & d. 19. a. 1. q. 2. ad 3. & l. 4. d. 50. p. 2. a. 1. q 1. & 1. ad 3.*

2. Not. quòd ad hoc, ut objectum totaliter adæquet potentiam, neceſſe eſt, ut circumplectatur totam activitatem potentiæ, ita ut non habeat ordinem ad aliud: cum autem in potentia ſenſitiva animæ rationalis adſit ratio ſpiritualitatis potior, & minus principalis corporea, ſequitur, quòd v. g. color non eſt objectum adæquatum, & adæquatè complectens totam activitatem potentiæ, niſi pro ſtatu iſto, & curſu ordinario, non autem ſi conſideretur abſolutè, & ſecundùm ſe.

3. Not. ex traditis in Phiſica de potentia obedientiali, quòd in ſententia S. Doct. adeſt in qualibet creatura compoſita ex materia, & forma, ratione materiæ potentia paſſiva ſaltem inchoata, & indifferens ad quamlibet formam, eò quia omnes formæ conveniunt in ratione proxima actus reſpectu talis formæ, quæ potentialitas, licèt limitetur aliqualiter per adventum hujus, vel illius formæ, non tamen taliter, quin eſſentialiter remaneat radicaliter cum ſua indifferentia ad omnes alias, quod fusè in Philoſophia, tùm in Phiſica, tùm in qu. de compoſitione animæ rationalis à nobis tractatum eſt, hinc ſequitur, quòd ratione hujus potentialitatis, quodlibet ſubjectum ex potentia obedientiali capax eſt cujuſcumque formæ, ſic ſpiritus formæ corporeæ, ſic corpus formæ ſpiritualis, & hinc ex principiis Seraphicis auferitur difficultas, quàm tanti faciunt Theologi negantes, oculum corporeum poſſe elevari ad viſionem Dei; & hoc ratione, ſuſceptibilitatis ipſius viſionis beatæ in potentia ſenſitiva; & multò magis loquendo de potentia activa talis potentiæ, quæ cum ſit principaliùs ſpiritualis identificata cum potentia intellectiva, ob idque in genere cognitivo inchoata, ideò nulla repugnantia evidens poteſt aſſignari, quin poſſit informari aliquo lumine ſupernaturali, ſicque elevari, & eò magis quia ut notat Seraph. Doct. *l. 2. d* 28. *dub.* 1. habitus, qui de ſurſum eſt, per hoc differt ab habitu naturali acquiſito, quòd naturalis ſolùm dat faciliter operari potentiæ, & ſupernaturalis dependet quidem aliqualiter à ſubjecto, in quo eſt, ſed magis ab eo, à quo eſt, & talis habitus habet potentiam nobilitare ipſamque movere, & ſupra ſe elevare ratione illius, à quo procedit, ex qua doctrina ſequitur quòd tale lumen poterit oculum elevare ad producendam viſionem ſpiritualem beatam: His præjactis fundamentis, quæ ſecundùm principia Seraph. Doct. ſunt irrefragabilia.

Prob. 1. noſtra Concluſio. Ubicumque adeſt potentia inchoata, licèt incompleta, ejuſdem ordinis

ad effectum, illa potest elevari per virtutem obedientialem Dei ad complementum, & ad producendum talem effectum; sed in potentia sensitiva adest hæc potentia inchoata ejusdem ordinis in ordine cognitivo, ad completam, & summam cognitionem, ergo potest elevari: Adversarii negant minorem; sed probatur minor. In oculo corporeo adest virtus animæ spiritualis inchoata, & identificata cum intellectiva, & talis virtus est in ordine cognitivo, scilicet ad cognitionem sensitivam naturalem, ergo potest elevari ad cognitionem superiorem, quæ est visio beata.

Prob. 2. destruendo omnes implicantias adductas ab Adversariis: Tota contradictio reducitur ad hoc quòd implicat, potentiam ferri extra rationem objecti; potentia autem est corporea, & objectum spiritnale, ergo visio spiritualis est extra rationem potentiæ hujus corporeæ, sed hæc ratio est nulla, ergo falsa implicatio adducta.

Prob. minor. Potentia visiva nec est adæquatè corporea, sed principaliter spiritualis, & est in ordine cognitivo, licèt in inferiori gradu cognoscibilitatis, ergo per objectum purè corporeum non circumplectitur tota ejus latitudo, ergo cum adhuc alia potentialitas remaneat explenda, etiam expleta per objectum purè corporeum, poterit in suo ordine compleri per agens supernaturale, & per formam purè spiritualem, quæ est visio beata: Et confirmatur tùm ex virtute ignis purè corporea, quæ in suo ordine agendi in spiritum est tantùm inchoata, & incompleta, & ideò est elevabilis & de facto elevatur ad agendum in purum spiritum; ergo à simili, imo à fortiori & potentia spiritualis absque eò quòd impediatur ab alligatione cum organo poterit in oculo elevari ad visionem beatam: sic & in opinione Thomistarum aqua purè corporea elevatur ad producendam instrumentaliter gratiam spiritualem; cur idem à fortiori non poterit fieri in oculo corporeo, constante virtute spirituali animæ? Nec valet responsio, quam afferunt, nempè Ignem torquere ratione apprehensionis, quia ut probabitur ex Seraph. Doct. suo loco verè, & phisicè ut elevatus à divina virtute torquet, & in sententia omnium à Deo potest elevari ad phisicè torquendum: Addunt non valere paritatem, eò quia visio est actus vitalis dependens essentialiter à principio vitali; sic Caspens. aliique.

Quæ responsio nihil concludit contra objectionem: dicimus enim actum visionis esse vitalem productum à potentia sensitiva elevata, tùm etiam quia, ut probavimus *in tra. l. 2. de anim. q. 8. n. § 64.* Potest Deus imprimere visionem in oculo corporeo, cum in eo adsit capacitas ex prædictis fundamentis, & tunc verè potentia tali visione vitaliter attingeret objectum, licèt non esset producta ab oculo.

Confirmatur iterùm. Anima rationalis informat corpus purè materiale, & extensum; ergo à fortiori visio spiritualis poterit informare oculum seu potiùs potentiam sensitivam. Respondent negando paritatem, eò quia anima informat corpus independenter ab ipso, non sic accidens, quod dependet à corpore in esse, in fieri, & in operari; quæ responsio est vana; nam etiam anima informans corpus dependet in operari ab ipso corpore, & tamen nemo negat posse videre clarè Deum cum ista dependentia; tùm etiam quia potest Deus facere eamdem animam rationalem dependentem à corpore, cum non adsit ulla repugnantia, & tamen posset Deum videre; tùm etiam quia talis dependentia est respectu ipsius visionis à subjecto, quæ dependentia non impedit, quin possit ferri in objectum spiritnale, & simul subjectari in ente corporeo, vel etiam in ipsa potentia sensitiva, quæ est realiter distincta, ad id enim nulla potest afferri repugnantia in ordine ad divinam omnipotentiam: sic etiam ignis capax est virtutis spiritualis ad torquendas animas immissæ à Deo secundùm opinionem multorum Theologorum; *sic & docet S. Bon. l. 4. d. 12. p. 1. a. 2. q. 1. corp.* in rebus benedictis v.g. olei, aquæ, &c. immittitur à Deo qualitas spiritualis, ipsas res sanctificans &c.

Obiic. 1. Objectum oculi est quid corporeum, ergo non potest in ens spirituale purum. Resp. de facto, & de potentia ordinaria conced. antecedens; est quidem objectum potentiæ sensitivæ, sed inadæquatum; ut in fundamentis dictum est.

Obiic. 2. Si visio beata recipitur in organo, idest vel tota in toto, & tota in qualibet parte, vel pars in parte; non primum, quia debet recipi ad modum recipientis, scilicet extenso modo; nec secundùm, quia est indivisibilis, ergo nullo modo. Resp. posse ex potentia Dei absoluta recipi utroque modo, sicut potest facere, quòd corpus totum sit in toto, & totum in qualibet parte, nec in ullo ex prædictis modis adest repugnantia respectu divinæ omnipotentiæ. Hinc concludimus hanc opinionem esse probabilem, & catholicam de possibilitate, licèt quoad actum non admittatur; & magis magnificare divinam omnipotentiam, quæ plus potest facere, quàm nos cogitare.

QVÆSTIO IX.

De objecto divinæ visionis, quid, & quotuplex: Ubi de felicitate Beatorum ex visione Mariæ Virginis gloriosissimæ.

DUplicem partem continet hic titulus, nempè 114
quodnam sit objectum visionis beatæ, & quotuplex.

1. Concl. Certum est, & de fide, Deum solùm esse objectum attingentiæ in divina visione; & ratio est, quam adducit S. Bon. *l. 4. d. 49. q. 1.* quia solus Deus potest satiare appetitum interminatum animæ nostræ, cum ipse solus sit prima, & summa veritas, omnem aliam exprimens; & summum bonum, ultimusque finis creaturarum, idque est verum de objecto quod, scilicet motivo, & terminativo; nam objectum; quo, est ipsa Dei influentia, seu lumen gloriæ cum visione, & fruitione importante statum omnium bonòrum aggregatione perfectum, & in hac parte nulla est controversia.

2. Concl. Quia duplex datur objectum, ait S. Bon. *l. 1. d. 13. a. 1. q. 1. ad* 1. & cum eo Scotus; aliud enim est per se formale, & primum; aliud non per se primum: primum habet rationem motivi, & terminativi plenè: secundum habet rationem terminativi tantùm, & si habet rationem motivi, id est ratione primi formalis. Hinc dicimus, quòd primarium objectum divinæ visionis est essentia divina prout est summa, & prima veritas, primum, & summum bonum, ultimusque finis creaturæ rationalis, cujus virtute cætera, quæ insunt in Deo intelliguntur secundariò, ut sunt attributa, relationes, & creaturæ; ratio evidens est, quia cum omnes perfectiones divinæ emanent à fonte primario essentiæ divinæ, sequitur, quòd in illas feratur intellectus secundariò.

Dices Attributa divina formaliter cum essentia divina identificantur, ergo spectant ad objectum primarium: Resp. transeat antecedens, negatur consequentia, quod & melius patebit in sequentibus quæstionibus.

Quæstio Lateralis. Pro applicatione mystica hujus materiæ ad excitandam animam ad dilectionem Christi, & Mariæ.

115 *AN possit dari creatura tam perfecta, ut possit beatificare animam?* Vel dato per impossibile, quòd Deus non posset videri, ut falsò aliqui Hæretici dixerunt. An posset beatificari anima ex visione alicujus creaturæ? Et quia inter omnes creaturas supereminet anima Christi, & iodè Beata Virgo Maria: quæritur an utriusque visio possit beare. Cui quæstioni.

1. Resp. impossibile esse, quòd ulla creatura quantumcumque perfecta possit beatificare animam nostram, quia semper est bonum finitum, & limitatum & appetitus noster est interminatus, igitur solùm bonum infinitum id potest, ut supra ex Seraph. Doct. probatum est.

2. Resp. quòd sicut duplici via incedunt Theologi circa mensuram gloriæ; Alii enim sustinent Deum, sicut punit citra condignum, sic ex sua liberalitate præmiare supra condignum: Alii communius docent & præmiare secundùm mensuram meritorum de condigno, & punire secundùm demeritorum mensuram, sic duplici via in resolutione hujus conclusionis respondendum: nam in sententia asserentium Deum præmiare supra condignum, data impossibilitate visionis Dei, cum super omnes Beatos, & Angelos magis accedat ad Dei beatitudinem anima Christi, & post ipsum Beatæ Virginis in data casu cum bearet infra Deum, ejus visio esset de condigno: In altera verò opinione visio animæ Christi, & Beatæ Virginis propius bearet Cœlicolas ad condignitatem, licèt infra ipsam, quàm visio cujuscumque alterius Beati. Hinc notat S.Bon. *l.3.d.14 dub.3.* quòd anima Christi est speculum clarissimum, non quidem simpliciter, quia id competit solùm essentiæ divinæ, sed respectu aliarum creaturarum, inter quas Christus, & Beata Virgo tenent principatum; ideò divina essentia dicitur lux prima, & summa, Christus, & Beata Virgo dicuntur duo luminaria purissima secundaria, & hoc quia super omnes creaturas magis accedunt ad summum lucis æternæ: Et ad hanc excellentiam visionis Mariæ, & redundantiam fœlicitatis derivantis in Beatos ex visione Mariæ Virginis faciunt mirabiliter ea, quæ tradit Seraph.Doct. *op. spec. B. Virg. lect.6.* Gloriosum Mariæ privilegium est ait Seraph.Doct.) quòd post Deum major gloria nostra, majus nostrum gaudium est de Maria; summa gloria nostra est post Dominum Mariam videri, ipsi adhærere, & in ejus protectionis munimine demorari: & *ibid. lect.3* Sol illuminans est Maria, quia gloria Domini plenum est opus ejus; hoc opus, scilicet Maria sicut plenum fuit gratia in mundo, sic plenum est gloria Domini in Cœlo; sic ergo illuminans est Maria in gloria sua, rutilans per omnia respicit, quia per omnes Angelos, & per omnes Sanctos gloriæ suæ illuminationem extendit; & quid mirum si Mariæ præsentia totum illuminat Cœlum, quæ etiam totum illustrat orbem? Quæ omnia notata sunt ad excitandum affectum Lectorum erga Virginem Mariam, & ad ipsius magnificentiam, & laudem. De hac quæstione, vide Vegam in sua Theologia Mariana *num.* 1881. ubi elucidat hanc quæstionem ad gloriam Mariæ Virginis. *V. S. Bon. in Solil. c.4.*

QVÆSTIO X.

An Beati, qui vident Deum, videant omnia, quæ sunt formaliter in Deo: & quæstio proponitur tum de facto, tum de possibili? An scilicet visio divina possit esse præcisiva?

QUæstio igitur procedit in duplici sensu: primus est, An de facto videntes divinam essentiam, videant etiam actu omnia, quæ sunt formaliter in Deo, idest attributa omnia, & divinas personas, & an in hoc detur inæqualitas in Beatis: secundus, An de possibili quia possit esse Beatus videndo distinctè divinam essentiam, non visis personis, vel attributis. 116

Quoad primam partem; Certum est de fide omnes Beatos videre Deum unum, & Trinum, ob idque & attributa, & relationes, & personas; idque est definitum in Concil. Florent. & ratio est, quia Beati vident Deum sicuti est, ut dicit S.Ioan. tum quia intellectus est potentia non libera, sed naturalis, ob idque agit quantum potest, ergo si objectum se illi manifestat sicuti est, scilicet totum, potentia necessariò in ipsum fertur; Et in hac parte nulla est controversia inter Theologos, & Sanctos Doctores.

Solùmque in hac prima parte potest controverti, An Beati in essentia divina videant omnia attributa, an aliqua tantùm, & an ea videant ut plura infinita: In qua controversia aliqui contendunt non omnia attributa videri, eò quòd omnia per se sunt infinita quoad entitatem, & quoad numerum, ideò ad hoc exigitur infinita virtus intellectus: citatur à Suarez pro hac sententia Seraph. Doct. & Richardus, sed malè, & falsò, sic Suarez *l.2. de attributis negat c.22.* Alii fatentur Beatos videre omnia attributa, non tamen omnem modum cujusque. Alii fatentur Beatos videre omnia attributa, quæ sunt objectum necessarium perfectæ beatitudinis, tamen ex vi solius visionis hoc non esse necessarium, sed posse unum attributum sine aliis videri, cum distinguantur inter se formaliter; sic Scotus, & sequaces, & alii extra ipsorum scholam apud Mastrium *d.6. quæst.8.* sed hæc opinio expendetur infra in secunda parte quæstionis. Seraph. Doct. *l.3. d.14. a.1. q.2. & l.4 d.4 q.6. & alibi sæpè:* D.Thomas, & communiter plurimi alii Theologi docent omnes videntes Deum necessariò videre omnem perfectionem essentialem formaliter in eo existentem, & ob id omnia etiam attributa, quæ sunt de constitutione essentiali essentiæ divinæ, & unum formaliter cum ea; ratio verò à priori (præscindendo à distinctione, vel non distinctione formali, & à possibilitate) quia visio Dei terminat ad essentiam divinam ut existentem in se, ergo ut includentem omnes formalitates existentes eadem existentia, tùm ex unitate simplicissima id infertur, ergo visio divina terminat ad illud totum simplicissimum, & infinitum, & ut continens simplicissimè omnia attributa.

Dices. Si hoc est verum, ergo omnes Beati erunt æquales in gloria, cum æqualiter ferantur in divinam essentiam simplicissimam, & complectentem omnia attributa, consequens est falsum, ergo. Resp. neg. sequelam majoris, quia inæqualis erit secundùm

ſecundùm diverſitatem meritorum ex majori, vel minori lumine, & interiori, vel minus interiori viſione divinæ eſſentiæ.

Dices 2. quia ſequeretur Deum poſſe comprehendi à Beatis, cum omnes videant infinitum, &c. Reſp. negando conſequentiam; vident totum, ſed non totaliter; vel ut dicit Richardus, & S. Bon. videtur eſſentia divina tota cum omnibus perfectionibus, quia ſimplex, ſed non totaliter, quia non videtur ea omni claritate quâ videri poteſt.

117 Solvitur ſecunda pars de poſſibili: An ſcilicet poſſit videri eſſentia divina non viſis attributis, vel perſonis, vel relationibus. In qua.

Prima opinio eſt Scoti *lib.1. diſt.1. quæſt.2. & l.4. diſt.49. quæſt.4.* omniumque Scotiſtarum apud Meldulam *diſt.6. quæſt.8.* qui citat plures alios ex exteris, aſſerentium Deum poſſe oſtendere Beatis eſſentiam divinam non oſtenſis attributis, & perſonis.

2. Opinio eſt omninò negativa, eſtque Thomiſtarum ferè omnium, & etiam aliorum negantium poſſe præſcindi in viſione beata perſonas, & attributa ab eſſentia divina. Cum iſta ſecunda ſententia ſtat Seraph. Doct. qui tamen etiam ab ipſa differt ſuſtinens poſſe præſcindi ab eſſentia divina attributa vel omnia, vel aliqua, & etiam ea, quæ propriè ſunt de objecto ſecundario, & dicentia relationem rationis ad creaturas, vel ideas; non autem relationes reales, vel perſonas divinas. Pro ſolutione quæſtionis.

1. Not. quòd cum ſit de eſſentia viſionis beatæ videre Deum, ſeu divinam eſſentiam ſicut eſt in ſe: Quæſtio eſt quid ſignificat, ly, ſicut eſt in ſe, præciſè ſumptum; nam poteſt ſumi prout eſt in ſe, ſcilicet à parte rei, vel prout eſt objectum eſſentiale viſionis beatæ in ratione cognoſcibilis, ſcilicet quatenus involuit omnia eſſentialia prædicata ſpectantia ad quidditatem eſſentialem Dei: primo modo comprehendit & abſoluta, & relationes, & productiones, & rationes exemplares, & ideales, & reſpectus omnes rationis ad creaturas; & hoc modo certum eſt non eſſe objectum viſionis beatæ, quia, ut notat Seraph. Doct. *lib.1. diſt.14. art.1. quæſt.1. ad 4. art.2. per tot.* multa ex his latent intellectui beato, patet quidem Deus ad intuendum, ſed latet ad comprehendendum: ſed ſecundo modo dicitur objectum viſionis beatæ; ſed hîc inſurgit difficultas, an tali pacto involvat relationes, & perſonalitates; negant Scotiſtæ, affirmant Thomiſtæ. Seraph. Doct. *lib.1. diſt.2. art.1. quæſt.3. fund. ult. & lib.3. diſt.14. art.2. quæſt.3. ad 5.* dicit, quòd cognitio cujuſlibet perſonæ eſt de eſſentia, & ſubſtantia viſionis beatificæ, rationemque reddit, quia ſumma veritas, & ſumma bonitas, quæ eſt ſubſtantiale præmium, eſt in qualibet perſona; undè ex hac ratione infert quòd, cum ſit de quidditate divinæ eſſentiæ communicabilitas & communitas eſſentialis in tribus perſonis, neceſſariò etiam involvatur in cognitione beatifica talis communicatio: Et hinc eruitur diſcrimen, quod eſt inter unionem hypoſtaticam, & unionem divini objecti cum intellectu beato; quia unio hypoſtatica præciſè ſumpta dicit ordinem ſolùm ad perſonam; at unio beata dicit ordinem ad eſſentiam communem tribus perſonis: hanc doctrinam tradit ſubtiliſſimè Seraph. Doct. *lib.3. diſt.1. art.1. quæſt.2.* ubi dicit, quòd creatura poteſt comparari ad Creatorem vel ſecundùm ſuſceptibilem alicujus complexionis, vel ſecundùm relationis habitudinem: prima comparatio neceſſariò reſpicit tres perſonas indiſtinctim, & indiviſim, pro eò quòd eſt in eis una perfectio eſſentialis: comparatio verò relativa poteſt eſſe reſpectu alicujus perſonæ determinatæ, & diſtinctæ, pro eò quòd iſtæ perſonæ relationibus diſtinguuntur: ſimiliter Deus dupliciter habet comparari ad creaturam, vel in ratione principii cauſantis, vel in ratione ſuppoſiti ſuſtentificantis: in prima comparatione neceſſariò ſibi communicant tres perſonæ, pro eò quòd in Deo eſt unica natura, & unica virtus operativa, licet in tribus, per quam Deus creaturarum eſt cauſa: ſecunda verò comparatio poteſt reſpicere aliquam perſonam diſtinctè, pro eo quod & ſi una perſona conveniat cum altera in natura, & ejus virtute, diſtinguitur tamen ab alia in ſuppoſito, & perſonali proprietate; hinc eſt diſcrimen, & diſparitas inter unionem viſionis beatæ, & hypoſtaticam; nam viſio fit ſecundùm eſſentialia communia tribus perſonis; unio ſecundùm proprietates perſonales; & hinc corruit argumentum Scotiſtarum, quod tanti faciunt intendentes probare poſſibilitatem viſionis beatæ circa eſſentiam abſque perſonis, ut infra patebit. His poſitis.

Prob. prima pars: quia de facto Beatus videt totum Deum, ſed non totaliter, ergo aliquid de divinitate ratione modi & totalitatem reſpiciens latet: Addimus tamen, quòd talis latentia non officit beatæ viſioni, quia hæc eſſentialiter fertur in totum Deum, ejuſque exiſtentiam, & perfectiones ad ipſam ſpectantes, licèt, quia infinitæ ſunt, non comprehendantur totaliter; undè latet ejus infinitas, & profunditas ratione modi adæquantis.

Prob. 2. pars: ſi in viſione beata fieret præciſio eſſentiæ divinæ à perſonis divinis, eſſet viſio, & non eſſet; ergo implicat contradictionem, eſſet viſio ex ſuppoſitione, non eſſet, quia non eſſet objecti proprii, & primarii beatitudinis. Probatur, quia objectum primarium eſt eſſentia divina ſecundùm prædicata quidditativa, ſed inter iſta eſt eſſentia divina communicabilis, & communis tribus perſonis divinis, id enim eſt de perfectione abſoluta ipſius; ergo implicat videre eſſentiam divinam, & non perſonas.

Prob. 2. ex eo, quod dixit Chriſtus Philippo Joan. cap.14 Philippe: qui videt me, videt & Patrem meum? Nec valet reſponſio Scotiſtarum, Chriſtum loqui vel de notitia hujus ſtatus mortalis, vel uti de facto eſt in Patria, non de poſſibili; non valet inquam, quia ſecundùm communiorem interpretationem Sanctorum Patrum, ibi loquitur Chriſtus de viſione beata volens elevare diſcipulum ad cognitionem illius veritatis à notitia, quam habebat per fidem, tum quia id infert formali conſequentia, qui videt Patrem, videt & Filium conſequentia, & connexione neceſſaria.

Prob. 3. quia Beati in viſione beata feruntur in objectum ſimpliciſſimum abſque ulla diſtinctione reali, vel formali, vel ſimpliciſſimum, cui omnia prædicata quidditativa identificantur ſimpliciſſimo modo, & hoc cognitione intuitiva, in qua non poteſt admitti pars viſa, & pars non viſa, cum totus Deus neceſſariò videatur, ergo.

Prob. 4. Immenſitas eſt attributum Dei, ergo Beatus poterit videre eſſentiam ſine hoc attributo; & ſi hoc, ergo videbit Deum vel ut præſentem, vel ut abſentem? ut præſentem oportet reſpondere, cum ſit viſio intuitiva, & ſi hoc, vel ut præſentem limitatum, & limitatè, vel ut illimitatum, & illimitatè, non primum; quia non eſſet viſio beata; & ſi ſecundum ergo videbit immenſitatem, ſicque videbit Deum, & non videbit.

Objic.

118 Objic. primò cum Scoto. Divina essentia communicatur relationibus, ergo & in visione beata poterit communicari essentia sine relationum communicatione; sic & unio humanitatis in Christo terminat ad personam Verbi, & non ad essentiam, ergo à fortiori idem poterit visio beata; patet consequentia, & paritas, quia, quod assumitur in antecedente minus videtur posse inesse, cum videatur inducere in Deo diversitatem aliquam intrinsecam, & visio solùm extrinsecam, ergo multò magis in visione poterit inesse ista dispar communicatio. Huic objectioni omnes conclamant negando consequentiam, & paritatem; & licèt variæ disparitates à variis assignentur, tamen in hac ferè omnes conveniunt, licèt diversis terminis, quam & tradit Seraph. cit. in fund. supra tradito; nempè disparitatem esse ex natura diversa unionis beatæ visionis, & productionis personarum, unionisque hypostaticæ, nam visio essentialiter terminat ad id, quod est essentiæ, & commune tribus personis: productiones verò personales, & unio hypostatica terminant essentialiter ad id, quod est communicabile, & intrinsecè distinctum realiter, uti sunt personæ divinæ; sic admisso antecedente negatur consequentia.

Et licèt Meldula dicat nos petere principium in hac responsione, cum hic quæratur ratio, cur essentia communicetur non communicatis relationibus, & cur visio non possit communicari tali modo, & cum præcisione; hoc tamen est falsum, cum adferamus rationem disparitatis à priori dicendo, quòd ideò non potest fieri visio cum præcisione dicta, potest autem fieri unio, quia id petit natura visionis, & natura productionum, ratio est, quia, ut in simili docet S. Bon. in primis est status *lib. 1. dist. 13. quæst. 1.* nempè quia de natura visionis beatæ est, quòd terminet ad essentiam ut existentem, & quia ejus existentia est essentialiter cum communicatione essentiali tribus personis, hinc nec potest in tali intuitiva cognitione fieri præcisio; objectum enim divinæ visionis est summè simplex (ait Seraph. Doct. *lib. 1. dist. 8. part. 1. quæst. 1. ad arg.* summè simplex non potest rectè intelligi, nisi ut summè actuale, & diffusum, & communicatum tribus, adeóque quòd intelligere hoc summè simplex abstractum à tribus, non illud intelligit simpliciùs: vide ibid. & quia de natura productionis divinæ est quòd sit distinctio inter producens, & productum, hinc, &c. ratio verò hujus asserti aliqualiter adducitur à Seraph. Doct. *lib. 1. dist. 28. dub. 1.* quia intuitivè non potest intelligi aliquid sine eo, quod ei est ratio intelligendi, & essentialis; sed de ratione essentiæ divinæ, & ejus existentiæ est communicatio actualis, & communitas ipsius in tribus personis, hinc oritur talis repugnantia, &c.

Et si instes: Si natura visionis est quòd terminet ad essentiam ut existentem, ergo potest præscindi à relationibus, quæ indè consequuntur, cum terminatio visionis ad personas sit secundaria, & consequens solùm. Resp. ex Seraph. Doct. neg. consequentiam, ratio est, quia ipsa essentia divina, ut existens, dicit essentialiter actualem communicationem tribus personis; hinc necessariò debet involui in visione illa summa veritas, & in unione summa bonitas existens in tribus, & ob id & visio personarum: Nec valet effugium Scotistarum, quòd priùs natura intelligitur in se antequam intelligatur communicata: non valet inquam, quia falsum est hoc; nam in se intelligitur in primo signo communis, & communicabilis; & si velis, quòd hæc communicatio intelligatur etiam in secundo signo, hoc non officit, quia tam in primo signo, quàm in secundo intelligitur, quòd est de quidditate essentiæ divinæ; ista enim signa sunt solùm secundùm nostrum concipiendi modum, non secundùm rem, ut sæpè notat S. Bon. & præcipuè *lib. 1. dist. 2. art. 1. quæst. 3. fund. ult. lib. 3. dist. 14. a. 1. quæst. 3. ad ult.*

Objic. 2. Beatus videt aliquas ideas, & non omnes, ergo multò magis potest videre divinam essentiam absque personis, ideæ enim spectant ad essentialia, personæ ad notionalia. Resp. primò si argumentum aliquid valeret, inferretur quòd de facto Beatus non videat omnes personas, cum de facto non videat omnes ideas: Resp. 2. neg. paritatem. Resp. 3. negando Beatum non videre omnes ideas prout sumuntur secundùm se, ratio est, quia, ut ait S. Bon. acutissimè *lib. 1. dist. 14. art. 1. quæst. 2. ad 3.* Beatus attingit totum simplicissimum, id est non secundùm partem, & partem, id enim repugnat summè simplici; sed quia est infinitum, totum attingitur, non totaliter, id est non circumscribitur à visione Beati; sed quia ideæ dicunt respectum rationis, & connotant ex consequenti creaturas, quæ sunt extra Deum, quam relationem ad extrà non important notiones, & relationes, quia involvuntur in intrinseca ratione objecti, ut dictum est in fundamento; hinc ideæ secundùm istos respectus extrinsecos distinctionem sortiuntur, ob id non est necesse, quòd si una videatur, alia etiam videatur ob istam distinctionem extraneam ad distincta objecta creata.

QVÆSTIO XI.

An, & quomodo Beati videant creaturas in Deo.

IN hac quæstione, ut certa ab incertis separemos, primò suppon. cùm omni caterva Theologorum Beatos videre in Verbo creaturas secundùm esse, quod habent eminenter in Deo, sic enim (ut ait S. Bon. *lib. 1. dist. 36. art. 2. quæst. 1. & 2.*) nihil aliud sunt, quàm ipsemet Deus, quod enim factum est in ipso vita erat, *ait S. Ioan. cap. 1.* 118

Sed quæstio procedit de creaturis secundùm esse proprium, & formale involutum cum imperfectionibus creaturarum, an videantur à Beatis in Deo, vel in Verbo, & quomodo: Nota autem quando dicitur creaturas videri in Verbo, non sumi hic Verbum prò secunda persona Trinitatis, sed per appropriationem, quia, quæ spectant ad intellectum, appropriantur Verbo, quod per intellectum procedit; undè idem est dicere: an creaturæ videantur in Verbo; ac in essentia divina.

2. Suppon. duobus modis posse cognosci unum in alio: primò causaliter; secundò formaliter. Causaliter cognoscitur unum in alio, quando cognito objecto primario per unum actum, descenditur consequenter ad cognitionem alterius per alium actum, & hæc cognitio est medii ut quod: formaliter verò est, quando uno actu, uno lumine, una cognitione cognoscitur utrumque, & hoc, vel proximè & immediatè, vel remotè, & radicaliter: primò, & immediatè est, quando cognitio unius involuit immediatè cognitionem alterius: secundò remotè, & radicaliter est, quando remotè, scilicet ex cognitione illius medii devenitur connaturaliter in

in cognitionem alterius, nam quidem necessariò, sed contingenter.

Quæstio igitur procedit primò an creaturæ in Deo à Beatis cognoscantur causaliter, an formaliter. Causaliter sustinent Nominales cum Vasquez, qui ut sibi fulcimentum tutiùs provideat, citat pro se S. Bon. & Scotum, sed immeritò, & falsò, ut mox patebit, quòd, & advertunt Suarez, Caspens. aliique plures.

Cognitio verò formalis remota sustinetur ab Amico, & aliquibus aliis.

Cognitio formalis proxima, & absoluta sustinetur à D. Thoma, & sequacibus; à Scoto, D. Bon. & ferè ab omnibus, diversificant tamen in modo, quod tamen non advertit P. Gandentius *q.* 23 sed omnes supra cit. simul aggerat, & tali pacto sustinet hanc sententiam, in qua tamen est maxima varietas: Nam Thomistæ docent, Beatos videre creaturas in Deo, ut in causa, scilicet quatenùs in ipso continentur virtualiter: Addunt alii, ut in ipso continentur eminenter; quatenus scilicet cognoscendo Deum ut omnipotentem eis propalat plures vel pauciores effectus ejusdem, ut ab ipso productos, vel producibiles, & ut contentos in ipsa causa tantùm virtualiter; sicque cognita causa perfectissimè talis cognitio ducit in cognitionem creaturarum, quas pro libito Deus Beatis ostendit. Seraph. Doct. verò vult creaturas cognosci in Verbo ut in speculo non per speculum, & hoc eodem actu, quo vident Beati Verbum, seu divinam essentiam, quia hæc est exemplar repræsentans omnes creaturas, seu per Ideas tamquam per rationem cognoscendi eas repræsentantem; nempè quatenùs divina essentia est prima, & summa veritas repræsentans seipsam, & omnem aliam veritatem naturaliter, & propriè, hocque pro libito divinæ voluntatis; *sic S. Bon. l. 1. d. 39. q. 1. & seq & d. 35. q. 1 in fine corp. & expressissimè l. 3. d. 14 a. 2. q. 1. 2. & 3.* in referendo tertiam opinionem, *& ad 9. in fine, & l. 2. d. 4 a. 2. q. 1. & 2. & in Comp. Theol. l. 7. cap. 26.* Et hæc sententia est etiam Scoti, & sequacium. Pro solutione, &c.

116 1. Not. Quòd tota difficultas in hac quæstione est in explicando quomodo ex vi visionis divinæ essentiæ, ducatur intellectus Beati in cognitionem creaturarum, idest an contineantur in essentia divina, & quomodo, ita ut ad cognitionem ipsius cognoscantur eodem actu creaturæ.

Thomistæ asserunt ut dictum est, hoc provenire, quia creaturæ continentur virtualiter, & eminenter in essentia divina, ut in causa; sicque confundunt in unum continentiam virtualem, & eminentialem; quæ rationes tamen sunt diversæ, licèt possint pro hac parte sustineri ex hoc, quòd creaturæ continentur in causa virtualiter, simulque eminentialiter, scilicet ademta quacumque imperfectione. Scotus verò *l. 1. d. 35.* & ipsam sumpsit à Seraph. Doct. *l. 1. d. 35. a. 2. q. 1.* notat quòd duplex est continentia eminentialis in essentia divina, altera in essendo, altera in cognoscendo: prima est, qua continentur in Deo secundùm id, quòd dicunt perfectionem, & ideò non finito, sed infinito modo, & seclusa omni imperfectione, ob idque solùm secundùm assimilationem extra genus sic *d.* 26. q. ult. idest secundùm rationes transcendentales præscindentes ab infinitate, & finitate, ut est ratio entis, substantiæ, &c. sapientiæ, bonitatis: hæc autem continentia eminentialis non sufficit, ut sit ratio cognoscendi creaturam quoad omnes suas formalitates etiam in individuo, quatenus scilicet continent finitatem in seipsis, ideò requiritur alia continentia, quæ sit ratio cognoscendi omnes rationes creaturæ; & si quæras qualis sit, attende ad sequentem auream doctrinam Seraph. Doct.

Not. 2. Ex eodem Seraph. Doct. cit. quòd cum 117
quæcumque res sit ratio intelligendi seipsam propriè intellectui ex hoc, quòd in se est vera, quæ ratio dicit perfectionem, sed in creatis admixta est cum imperfectione, quia solùm habet vim pariendi sui, & non alterius objecti notitiam; hinc transferenda est hæc perfectio in essentiam divinam sine tali imperfectione, & limitatione ex hoc, quòd essentia divina est objectum intellectui divini sublata omni imperfectione, & limitatione; ex quo sequitur, quòd ipsa poterit parere notitiam sui, & cujuscumque entis ab ipsa promanantis, & dependentis, sive imperfecti, sive simplicis, sive compositi, & hoc ratione entitatis existentis secundùm assimilationem in Deo *l. 1. d. 36. quæst. ult.* & hinc optimè dixit Seraph. Doct. cit quod divina essentia est, in qua res sunt triplici modo, scilicet, ut in causa producente, ut in fine conservante, & ut in exemplari: primo modo sunt in ejus virtute; secundo modo sunt in seipsis ad extra, quatenus à Deo conservantur; tertio modo, ut in speculo repræsentante ipsas; & quia ut notat S. Bon. *l. 3. d. 14. a. 2. q. 1. ad* 4. ipsum exemplar nihil aliud est, nisi veritas æterna, quæ est ratio cognoscendi alia: summa inquam veritas, & prima omnem aliam veritatem exprimens; hinc est, quòd divina essentia est ratio illimitata intelligendi quodcumque creatum quoad omnia prædicata etiam in individuo: illimitata inquam ratio intelligendi omnia entia; naturalis quidem quoad omnia possibilia, quia antecedit decretum divinæ voluntatis: prout verò supponit decretum divinæ voluntatis est ratio intelligendi determinata futura; & quia ratio hæc in Beatis intelligendi creaturas est actio Dei ad extra, hinc etiam subjacet divinæ voluntati ostendenti Beato plura, vel pauciora secundùm beneplacitum suum, ut notat S. Bon. *l. 3. d.* 4. *a. 2. q. 1. ad* 4. Hinc patet quomodo eadem divina essentia visa à Beatu est ratio cognoscendi creaturas non quidem illimitato modo ut facit intellectus divinus, sed limitato modo, nec omninò naturaliter, sed secundùm libitum suæ divinæ voluntatis, cum sit objectum voluntarium divinæ visionis: Patet etiam in quo sensu dixit Seraph. Doct. *l. 1 d. 3. q. 2. & l. 3. d. 14. a. 2. q. 1. corp. & ad arg.* Beatum videre creaturas in verbo, ut in speculo, quòd explicat *ibid. ad* 3. nempè in hoc sensu, v. g. si in speculo non differret similitudo rei ab ipsa forma speculi, non aggeneraretur duplex similitudo scilicet rei, & speculi, sic divina essentia est speculum, in quo non differt essentia, & similitudo expressiva, hinc percipiendo ipsam percipiuntur & cætera in eo relucentia; & hoc est, quia idem lumen, quod habilitat animam ad videndum divinam essentiam, habilitat & ad videnda alia, quia per id intellectus fit conformis divinæ luci, quæ simul etiam est exemplar &c. hanc eamdem doctrinam alibi tradit Seraph. Doct. *l. 1. d. 39. q 1. ad 3 & 4. & a. 2. q. 1. ad 1. & d. 35.* loquens de Idæis.

Not. 3. Duplicem cognitionem rerum à Theo- 118
logis in Beatis recognosci cum Seraph. Doct. *l. 2. d. 4. a. 3. quæst. 1. & 2. & l. 3. d. 14. a. 1. quæst. 1. fund. 1. & a. 3. quæst. 1. corp. Comp. Theol. l. 7. cap. 26.* Aliam vocant vespertinam, aliam matutinam: matutina est rerum, quas cognoscunt in Verbo: vesper-

tina est, qua cognoscunt res in seipsis per proprias species, vel inditas in ipsorum intellectu, ut in Christo, Beata Virgine, & Angelis, vel jam in via acquisitas: prima dicitur matutina, quia est perfectior vespertina, quia Beati perfectiùs cognoscunt res in Verbo, quàm in seipsis, ut advertit Seraph. Doct. *l*. 3. *d*. 14. *a*. 2 *q*. 1 *ad* 5.

Aliam autem recognoscunt cognitionem in Beatis, quam appellant meridianam, estque essentialis respectu objecti primarii, nempè essentiæ divinæ: cognitionem autem rerum in proprio genere appellant vespertinam, quia est creaturæ, quæ secundùm se est veluti tenebra, vel vergens in tenebras, si non ordinetur in Deum: aliam matutinam, quia consurgit, & excitat ad Dei cognitionem, & ad divinas laudes. *Sic S. Bon. l. 2. d. 4. citat.*

123 Not. 4. Quòd disquirunt Theologi, An Beati videant creaturas non solùm existentes, scilicet vel aliquas, vel omnes secundùm beneplacitum Dei, sed etiam possibiles, & istas omnes infinitas: in qua prima opinio negat esse possibile, quòd Beatus videat omnes, cum sint infinitæ; alii admittunt, ut Scotistæ, aliique. P. Gaudentius *q*. 24. dicit, quòd Seraph. Doct. negat id esse possibile, & ipsum trahit ad partes Thomistarum, sed revera Seraph. Doct. oppositum docet *l*. 4. *dist*. 14. *art*. 2. *quæst*. 3. nempè animam Christi actu non videre omnia possibilia, sed tantùm habitu, qood est idem ac dicere, ipsum habere facultatem in actu primo se extendendi ad cognitionem omnium possibilium: Ut autem id intelligatur sciendum, & supponendum, quòd intellectio, cum sit actus vitalis indivisibilis, & ens per se unum, de principali dicit qualitatem absolutam (ut dictum est in superioribus, & in tract. de anima) qua intentionaliter intellectus informatus assimilatur, vitaliterque unitur objecto; de connotato autem dicit respectum attingentiæ objecti, qui respectus cum sit transcendentalis, si est ad objectum primarium, identificatur realiter cum eodem actu, si verò est respectus ad objecta secundaria, quales sunt creaturæ, tunc est veluti per accidens ipsi actui essentiali gloriæ, & veluti ex consequenti; *sic S. Bon. l*. 3. *dist*. 14. *art*. 2. *quæst*. 2 *ad ult*. & *quæst*. 3. *corp*. & ideò talis respectus distinguitur realiter ab ipso actu, quia sine illo potest stare, quare idem actus essentialis gloriæ potest absque variatione intensiva repræsentare modo plura, modo pauciora per additionem, vel detractionem realium respectivum repræsentationis, & attingentiæ ad objecta secundaria per revelationem divinæ voluntatis factam in essentia, & hoc est, quod dicit S. Bon. *ibid. quæst*. 3. *in fine corp*. & *ad* 8. quòd ille habitus (intellige & de actu) quo anima Christi cognoscere potest infinita est finitus, licèt habeat respectum ad infinita; Infinitas enim respectuum non ponit infinitatem actualem, sicut non ponit comparationem realem, cum sint de connotato tantùm, ut dictum est, quæ multiplicatio respectuum venit ex voluntate speculi sibi uniti, ergo talis additio est extrinseca, ob idque nec variat essentialiter actum, sicut variaret, si adderentur gradus intensionis, ut dictum est in præcedenti quæstione: Eamdem doctrinam tradit & Scotus *lib*. 3. *dist*. 14. *quæst*. 2. §. si primus modus, &c. His positis.

124 1. Concl. Beati ex vi visionis divinæ essentiæ possunt videre creaturas, est communis Theologorum, exceptis Nominalibus sustinentibus videri creaturas à Beatis tantùm per proprias species, vel per revelationes factas in proprio genere: est Seraph. Doct. *lib*. 3. *distinct*. 14. *art*. 2. *quæst*. 1. *seq*. Probatur, quia Deus sua scientia cognoscendo propriam essentiam cognoscit creaturas non exeundo extra se, ut probatur à Seraph. Doct. *lib*. 1. *distinct*. 35. & *distinct*. 39. & suo loco probabitur; sed potest elevare intellectum creatum ad participationem illius scientiæ; nec ulla implicantia in contrarium potest afferri, ergo, quod magis patebit in sequentibus conclusionibus, ubi objectiones in contrarium solventur.

2. Concl. Beati non vident creaturas per actum visionis in essentia divina, ut in causa efficiente: est S. Bon. cit. & Scoti, & sequacium contra Thomistas; est etiam contra P. Gaud. *quæst*. 24. *num*. 317. *seq*. ubi citat S. Bon. sed malè. Antequam autem probetur hæc conclusio, supponendum est quod fusiùs traditum est à nobis in Metaphisica *quæst*. 7. quòd potentia alia est activa dicens ordinem ad actum; alia passiva, & hæc dividitur in subjectivam, objectivam, & logicam: prima est, qua subjectum est capax formæ: secunda quatenus aliquid potest esse terminus potentiæ productivæ, potestque produci à causa; primæ correspondet forma, seu actus formalis; secundæ respondet actus entitativus, & existentialis, quatenus potest poni extra suas causas, & hoc modo possibile dicitur simpliciter, qood potest produci per potentiam naturalem; vel possibile secundùm quid per ordinem tantùm ad potentiam supernaturalem, & dicitur communiter obedientialis: Datur & tertia potentia, quæ communi vocabulo à Scotistis, & Thomistis dicitur potentia Logica, & est non repugnantia rei, quatenus in compositione, & propositione prædicatum non repugnat subjecto; à Seraph. Doct. dicitur potentia simpliciter, & hæc præscindit à potentia activa, & passiva, subjectiva, & objectiva, ut docet S. Bon. *lib*. 1. *dist*. 42. *art*. 2. *quæst*. 4. præcipuè *ad* 2. & 4. & *op. Itin. ment. cap*. 3. Undè ait omne verum potest esse verum antequam sit, quia nulla est repugnantia ad esse; hæc connexio terminorum venit non ab existentia rei in anima, sed ab exemplaritate divina cognoscente talem veritatem, secundùm quàm res habent aptitudinem, & hæc est ipsissima doctrina Scoti, & Scotistarum; Undè infertur, quòd hæc potentia logica, quæ est terminus possibilitatis rerum antecedit omnipotentiam divinam, quia inest principiativè ex exemplaritate intellectus divini cognoscentis, & exprimentis omnem veritatem, & completivè, formaliterque ex rationibus formalibus ipsarum rerum: supposita hac doctrina, quæ est communis etiam apud Thomistas, ut patet ex Ioan. à S. Thoma *p*. 1. *d*. 18. licèt afferat aliquale discrimen in ejus explicatione.

Prob. 1. Quia essentia divina præintelligitur ad omnipotentiam divinam secundùm nostrum modum intelligendi, ergo creaturæ non videntur in sua causa, seu omnipotentia divina; probatur consequentia, quia, licèt res secundùm possibilitatem phisicam, & objectivam habeant esse possibile ab omnipotentia divina, non tamen secundùm potentiam logicam, quæ antecedit ordine naturæ ad ipsam omnipotentiam, quia hæc non potest in impossibile, sed in possibile, ergo hoc possibile præsuponitur, sed hæc potentia

logica

logica est objectum simplicis intelligentiæ, ergo non potest hæc possibilitas derivari & cognosci formaliter in sua causa, & omnipotentia divina: Confirmatur quia potentia logica præscindit ab omni causalitate, ideóque, est quid absolutum: objectiva verò est respectiva ad agens, ergo ut absolutum præcedit respectivum; ergo possibilitas rerum præcisè non cognoscitur in omnipotentia:

Prob.2. Esse virtuale, quod habet creatura in sua causa non distinguitur ab entitate causæ, ergo, ut sic, non potest ex cognitione causæ cognosci effectus secundùm suum esse formale; nam res prout sunt in Deo, ut in producente, nihil sui sunt omninò in Deo, nec vita, nec aliquid aliud, ut acutissimè notat S Bon *lib* 1. *d*. 36. *art*.2. *quæst*.1. in corp. & hinc addit *lib*. . *dist* 39. *quæst*.2. *ad* 5. quòd non est bona illatio, & formalis, & per locum intrinsecum, Deus est omnipotens, ergo est omnisciens; vel, ut dicit Vasquez, non ideò scit Deus creaturas, quia est omnipotens, sed potiùs è contra, ideò est omnipotens, quia est omnis sciens, scilicet, quia ab intellectu proponuntur sibi creaturæ, ut logicè possibiles.

Et quia hæc argumenta maximè urgent Thomistas: Joan. à S. Thoma *part*.1. *quæst*.12. *art*.3. in fine advertit ipsos dicentes videri creaturas in sua causa, non sumere pro causa præcisè attributum omnipotentiæ, sed sumere alia simul, ut intellectum, sapientiam, &c. Undè data hac moderatione reducitur ad quæstionem ferè de nomine.

Obiic.1. Ex D. August. *lib*.83. *quæst* 86. dicente Deum nihil extra se intueri, sed in se tamquam in causa. Idem & habet D. Dyonis. *de div. nom. cap*. 7. quas auctoritates valdè exagerant Arriaga, Fasolus, aliique Thomistæ. Resp. Idem & dicere Seraph. Doct. sed postea se explicat de quali causa intelligendum sit hoc dictum: notat autem *lib*.1. *dist*.39. *quæst*.1. *ad* 3. quòd duplex est esse rei, scilicet in se, & in sua causa exemplari, & de hoc secundo modo verum est, & loquuntur sancti, & non quatenus virtualiter continentur in sua causa, sic enim præcisè nullam repræsentationem habent; undè licèt possit supponi fundamentaliter continentia virtualis rerum in sua causa, tamen hæc non est immediata ratio cognoscendi, formalisque; sed tantùm exemplaritas, seu prima, & summa veritas, & in hoc etiam hallucinatus est P. Gaudentius, non advertens Seraph. Doct. loqui cum D. Augustino de causa exemplari, ideoque non vocat, trahit Seraph. Doct. ad partes Thomistarum.

Obiic 2. Cognitio perfecta causæ ducit in cognitionem effectus, ergo. Probatur antecedens, quia cognita causa perfectè cognoscitur relatio, quam habet ad effectum, ergo & effectus. Resp. disting. antecedens utriusque argumenti, cognitio causæ ducit in cognitionem effectus, intuitivam nego, abstractivam concedo, & confusam; hinc negatur consequentia, & si loquitur de causa exemplari conceditur totum.

125 3. Concl. Creaturæ à Beatis videntur in Verbo, seu in essentia divina ut in primo objecto naturaliter exprimente omnes creaturas, & omnem veritatem participatam, licèt respectu Beatorum exprimantur, seu ostendantur tantùm secundùm beneplacitum divinæ voluntatis, & hoc eodem actu; quo vident divinam essentiam.

Explicatur hæc conclusio, simulque probatur; Quia essentia divina est prima, & summa veritas omnem aliam exprimens; hinc cum ipsa sit de se motiva intellectus divini, & creati, habet & repræsentare omnem aliam veritatem, ob idque & omnes creaturas secundùm suam propriam, & veram entitatem; intellectui quidem divino naturaliter, Beatis verò voluntariè repræsentat non esse formale rerum, quod habent in se, sed esse objectivum, cui respondet in re propria natura, & existentia rerum vel actualis, vel possibilis; & hinc Seraph. Doct. appellat divinam essentiam, prout est objectum divinæ visionis, modò nomine causæ exemplaris, modò nomine speculi, modò speciei repræsentativæ creaturarum: dicitur autem speculum, quia sicut hoc visum est causa videndi alia, sic divina essentia visa est causa repræsentativa creaturarum, sed differt postea à speculo, quòd alio actu videtur speculum, alio imago repræsentata in speculo; sed Beatis uno, & eodem actu repræsentat Deum, & creaturas, & in Beatis est speculum voluntarium respectu divinæ voluntatis ostendentis objecta secundaria pro libito.

Dicitur & species repræsentativa rerum, quatenus est prima, & summa veritas exprimens se, & omnem veritatem, & ut visam habet movere intellectum ad cognitionem: Et si quæras quid sit summa, & prima veritas, & cur dicatur causa exemplaris? Resp. Seraph Doct. *loc. cit. lib*. 3. *dist* 14. & *lib*. . *dist*. 8. *p* 1. *art*. 1. *quæst* 1. quòd veritas est id, quod est, potestque comparari ad subjectum in quo est, sicque est indivisio actus, & intellectus, prout est in actu: item ad principium, quod repræsentat, estque id, quod est: item ad intellectum, quem excitat; sicque divina essentia est objectum primarium expressivum intellectui ejusdem essentiæ, & quia est infinitè repræsentativa, & manifestativa, hinc & simul manifestat omnem aliam veritatem ab ipsa descendentem, & in ipsa expressam, & ipsam ab alia distinguit; & in hoc sensu divina essentia dicitur causa exemplaris, scilicet ratio cognoscendi & ipsam essentiam, & alia; & hinc dixit S. Anselm. quòd omnia sunt vera illa prima, & summa veritate, idest nata se exprimere expressione illius summæ veritatis, & luminis, quod participant: Et hinc patet quàm adæquatè Seraph. Doct. super omnes alios Doctores explicet quænam sit intellectui Beato ratio formalis cognoscendi simul essentiam divinam, & creaturas in ipsa expressas; & probatur etiam quia essentia divina eminentissimè continet omne esse creatum, ergo & continet eminenter rationem formalem cognoscendi ipsas res, ergo & est ratio motiva intellectus ad cognoscendum perfectissimè omnia alia; tùm quia exercet eminentissimè omnia munera speciei impressæ, remotis tamen imperfectionibus, quatenus est ratio cognoscendi ipsam essentiam, & omnia alia in ipsa contenta.

Quòd verò eodem actu videantur Verbum, & creaturæ (estque secunda pars conclusionis) id patenter asserit S. Augustin. super Gen. allatus à S Bon. *lib*. 3. *d*. 14. *art*. 2 *quæst*. 1. tùm quia Verbum est exemplar, ergo cognoscuntur res à Beatis eadem cognitione, qua Verbum; probatur consequentia, quia Verbum, seu divina essentia est sufficiens ratio cognoscendi exemplar cum sit prima veritas,

ſed cognoſcere rationem formalem ſufficientem alterius nihil aliud eſt, niſi cognoſcere ipſam rem, eadem enim eſt cognitio utriuſque ergo.

Dices: etiam, ſpecies eſt ratio cognoſcendi objectum, & tamen ſi habeo cognoſcere ſpeciem, ipſam cognoſcam alia cognitione ab objecti cognitione. Sed contra; quia Verbum, ſeu eſſentia divina eſt objectum cognitum, ſimulque ratio cognoſcendi ut exemplar, ergo non eſt par ratio de ſpecie; tùm quia melius cognoſcitur res in divino exemplari, quàm cognoſcatur in proprio genere, & melius exprimitur per divinum exemplar, quàm per ſimilitudinem, & ſpeciem propriam; ſed eodem & actu cognoſcitur ſimilitudo rei, & ipſa res, ergo & in Verbo; tùm quia ſi ſimilitudo objecti in ſpeculo nullo modo differret ab ipſo, eadem cognitione cognoſceretur utrumque, ſed in Verbo non differt ſimilitudo rei ab ipſo, ipſum enim eſt ſimul objectum, & exemplar, & ratio cognoſcendi; tùm quia ſi Beatus videret res in Verbo per alium actum, vel habitum, aliamque ſimilitudinem, qua cognoſcat ipſum Verbum; aut illa ſimilitudo eſſet una, aut multiplex; non una, quia unaquæque res creata habet ſpeciem ſibi propriam in genere creaturæ, nec multiplex; probatur, quia cognitio talis multiplex aliarum rerum à Verbo eſſet de complemento gloriæ, ſed hoc eſt impoſſibile; ſequela patet, quia intellectus poſſet compleri per alia à Verbo, & ab ipſo Verbo independenter: minor probatur, quia in uno, non in multis eſt ſtatus, unio, & quies in gloria. ergo dicendum eſt, quòd ſimul eodem actu videantur divina eſſentia, & creaturæ; ſic concludit Seraph. Doct. *lib. 3. diſt. 24. art. 2. quæſt. 1. & 1.*

126 Objic. 1. Impoſſibile eſt intellectum aliquid cognoſcere, niſi priùs informetur ſimilitudine aliqua objecti, ſed eſſentia divina non poteſt eſſe forma intellectus, nec ſui ſpeciem immittit, ut ſupra probatum eſt, nec res viſæ immittunt ſui ſpeciem ad intellectum, ergo nec ex viſione eſſentiæ Beatus cognoſcere poterit alias res; & confirmatur, quia eſſentia divina eſt primarium objectum intellectus, aliæ res ſecundarium, ergo ad hoc ut ſe extendat ad ipſas aliquid aliud requiritur præter actum viſionis in Verbo. Ad hanc, & ad ſimiles objectiones, quas congerit contra ſuam concluſionem Seraph Doct. cit. reſp. quòd eſſentia divina eſt prima, & ſumma lux, & veritas, & per conſequens cauſa exemplaris omnem veritatem exprimens, & hæ duæ rationes ſunt unum, & idem formaliter ſola comparatione diverſæ; ideóque cum per lumen gloriæ fiat intellectus conformis illi ſummæ luci, & veritati, quæ eſt ratio expreſſiva omnis veritatis, ideò ipſi eſt & ratio cognoſcendi alia; per idem enim quòd divina eſſentia eſt lux, & ſumma veritas eſt etiam exemplar omnis alterius veritatis in ipſa relucentis, & expreſſæ; hinc ſequitur. quòd intellectus videns divinam eſſentiam non indiget alio lumine, &c.

Objic. 2. Eſſentia divina ut prima, & ſumma veritas eſt ens abſolutum in ſe, ergo non refertur ad aliud, ſed intellectus fertur in ipſam ut in tale ens abſolutum, ergo per talem actum non poteſt ferri, & extendi in alia objecta per eundem actum. Reſp. conced. majorem, diſtinguendo minorem; intellectus fertur in eſſentiam divinam, ut in ſe eſt tale ens abſolutum, ut in primarium objectum concedo; ſed quia prout eſt talis prima, & ſumma veritas involuit ſecundariò reſpectum ad omnem aliam veritatem ex ipſa dependentem, & originatam, & in ipſa expreſſam, hinc etiam eſt ratio exemplaris cognoſcendi alia, ideò de connotato involuit reſpectum ad alia.

Objic. 3. Intellectus Beati eſt ſimplex, & finitus, ergo ubi ſe convertit, id facit totaliter, ergo ſi ſe convertit ad unum, ſcilicet ad eſſentiam divinam, impoſſibile eſt, quòd ſimul ſe convertat ad plura, & diſparata. Reſp. S. Bon. *lib. 3. diſt. 14. art. 2. quæſt. 2. ad arg.* concedendo antecedens, & negando conſequentiam, cum enim in converſione ad eſſentiam divinam per lumen gloriæ dilatetur intellectus beatus ita ut converſione ad illud verum, quod eſt ratio cognoſcendi, alia in ipſo reluceant, hinc Verbum divinum ducit in multa cognoſcibilia, prout tale eſt.

Objic. 4. ſequeretur, quòd Beatus haberet cogitationes volubiles, ſi poſſet ſe ſimul, & ſemel convertere ad plura, & etiam pro libito modò ad unam rem, modò ad aliam, ſed talis volubilitas eſt contra rationem formalem gloriæ Beatorum, ut dicit S. Auguſtinus cit. à S. Bon. ergo. Reſp. concedendo majorem, & diſtinguendo minorem. Volubilitas eſt contra rationem formalem gloriæ in iis, quæ ſpectant primò ad primarium objectum, & ad eſſentialia gloriæ, concedo; in iis, quæ ſunt accidentalia gloriæ, nego; ad rationem enim gloriæ eſſentialis requiritur, ut intellectus feratur in ſummum verum, non in omne verum.

Dices, ergo ſi poteſt eſſe volubilitas ad varia objecta, variabuntur actus intellectus, ſicque non eodem actu, quo cognoſcit Beatus Verbum cognoſcet alia. Reſp. negando ſequelam, variatio enim non eſt ex parte actus, ſed ex parte terminationis circa objecta ſecundaria, & accidentalia gloriæ; ratio hujus dicti eſt, quam innuimus in ultimo fundamento, quia perfectio entitativa actus, & virtus repræſentativa rerum differunt, nam prima conſiſtit in intenſione actus ex tot, & tot gradibus; ſecunda in majori, vel minori claritate per ordinem ad latitudinem extenſivam, & objectivam, quæ ſi eſt ad objectum primarium identificatur cum actu; ſi ad ſecundaria eſt ei accidentalis. Sic S. Bon. *lib. 3. cit. quæſt. 2.*

Objic pro Thomiſtis. Si intellectus Beatus cognoſcit res poſſibiles non in cauſa, & omnipotentia divina, ſed in ſeipſis ſecundùm eſſe, quod antecedenter habent ſecundùm potentiam logicam, ergo non cognoſcit eas in Verbo, ſicque per actum diverſum à viſione beata eſſentiæ, & ſic habebunt eſſe ab æterno, quæ omnia ſunt falſa ex traditis. Reſp. cognoſcere Beatum res poſſibiles ſecundùm proprium eſſe terminativè tantùm, non motivè, ex hoc quòd eas cognoſcit ſecundùm eſſe objectivum, quod relucet in prima, & ſumma veritate, quod eſſe objectivum dicit præſentiam rerum objectivam, non exiſtentialem in proprio genere, &c. ſic negatur conſequentia.

4. Concl. Beati de facto vident creaturas in numero finito, de poſſibili infinitas. Eſt S Bon. *l. 3. diſt. 14. art. 2. quæſt. 3.* qui hoc privilegium admittit in anima Chriſti, licèt ad oppoſitum Thomiſtarum pertrahatur violenter à P. Gaudentio *q. 14.* Eſt & Scoti, Alberti M. Alenſis, & plurimorum. Ne autem fiat æquivocatio in doctrina Seraphici Doct advert. quòd in loco cit. admittit in anima Chriſti cognitionem poſſibilium infinitarum quoad habitum, ſcilicet in actu primo, non quoad actum, & ibid. in corpore explicat, quòd loquendo de cognitione actuali non omnia cognoſcit unitim, ſicut cognoſcit Deus, quia ad hoc requiritur virtus infinita: loquendo verò de habituali, ſic anima Chriſti cognoſcit omnia, quæ cognoſcit Ver- 127

bum

bum actu, scilicet cum sit in actu primo per lumen gloriæ perfectissimum potest ad omnia successivè se extendere, nec ad id requiritur infinita virtus, sed sufficit finita habens tamen respectum ad infinita; infinitas enim respectuum non exigit virtutem infinitam, nec ponit infinitatem actualem. Ad actualem enim considerationem, & cognitionem infinitorum requiritur actualis comprehensio infinita; ad habitualem nequaquam, quia finito modo, & non comprehensivo, & successivè ad illa objecta secundaria potest se extendere eo lumine perfectissimo: Cum igitur ex hac possibilitate non inferatur infinitas in intellectu vidente, sequitur, quòd ad id nulla est implicantia, nec ex parte ipsius, nec ex parte Dei volentis ipsa revelare; ut patebit ex solutione objectionum.

Objic. 1. quia sequeretur, quòd Deus posset comprehendi; probatur sequela, quia cognito toto producibili cum adæquata connexione ad suum productivum, hoc comprehenditur, ergo cognitis infinitis possibilibus comprehenderetur Deus ea valens producere, quia ut arguit S.Bon. contra se, quicquid scitur scientis comprehensione finitur. Resp. S.Bon. ad 1. negando sequelam majoris. Ad probat. Resp. cognito toto producibili actu, transeat; habitu, & aptitudine, & successivè, nego. Addit S.Bon. nec etiam conceditur de omni actuali consideratione, sed tantùm de ea, quæ est per comprehensionem: sed quid sibi vult S. Doct. in hac brevi responsione, & quid est ista comprehensio? sed nota: Ad comprehensionem perfectam, ut in superioribus etiam dictum est, requiritur primò, ut nihil lateat de iis, quæ formaliter insunt in objecto: secundò, ut attingat potentia ipsum objectum, & omnia ejusdem objecti secundùm omnes gradus intelligibilitatis, totaque exhauriatur: tertiò, ut hæc attingentia fiat ex vi perfectionis actus, & non aliundè; undè anima Christi videns in Verbo omnia, videt ea ex vi visionis essentiæ, & ob id non exhaurit totam intelligibilitatem objecti, quia non adest adæquatio, & commensuratio entitativa actus ad objectum, vel, ut alii dicunt, adæquatio aritmetica, scilicet æqualis inter cognoscentem, & cognitum, sed tantùm geometrica, idest secundùm proportionem virtutis; nec enim est necessarium, quòd inter potentiam, actum, & objectum in genere cognitivo adsit talis entitativa proportio; sic enim, nec anima posset videre Deum, in quo genere semper actus deficit à perfectione objecti; undè in nostro casu crescit quidem infinitas extrinseca objectorum, & respectuum, qui fundantur in qualitate absoluta visionis, non intrinseca; non enim quodlibet objectum terminans exigit specialem virtutem in potentia, sed eadem est, licèt aucta in Christo ad omnia objecta; quare concluditur, quòd in tali infinitate objectorum, quæ est tantùm sincathegorematica, nulla est repugnantia, quin possint videri omnia possibilia habitualiter, ut dicit Seraph. Doct. & etiam actualiter. Et hæc est ipsissima doctrina, quam tradit Scotus ex Meld. *dist.6. à num.252.*

128 Objic. 2. Cognitio debet adæquari rei cognitæ, prout cognita est; similiter debet adæquari potentiæ, & potentia substantiæ, ita ut ipsam non excedat improportionabiliter; sed finiti ad infinitum nulla est proportio; & visio animæ est finita, sicut potentia, & substantia animæ, objecta verò possibilia sunt actu infinita, ergo non potest in ipsa tendere. Hoc argumentum ponitur à S.Bon. contra suam conclusionem *dist.14. art.2. quæst.3. in 2. arg. ad oppos.* quo etiam utitur P. Gaud. ad probandam conclusionem, quam ipse sustinet, quæ est manifestè contraria menti Seraphici Doct. qui respondet concedendo totum de notitia comprehensiva actuali, negando de non comprehensiva, & habituali, ad hanc enim requiritur proportio solùm ordinis, & geometrica, non entitativa, & aritmetica, ut dictum est.

Instabis cum eodem P. Gaud. ex S. Bon. *ibid. arg.3. ad oppos.* Anima quæcumque, etiam Christi, est finita, & ejus virtus, ergo non potest tendere ad infinita, quia si tanta virtus requiritur ad unum, & major ad plura, ergo & infinita ad finita: Huic argumento varii variè respondent, quibus omissis respondet Seraph. Doct. notans, quòd in cognitione sunt tria consideranda: primum est ratio cognoscendi, quæ est ipsum Verbum. 2. habitus ipse, scilicet lumen secundùm substantiam habitus. 3. respectus illius habitus ad cognoscibile. Hinc resp. concedendo cognitionem esse finitam, lumen item finitum, sed rationem cognoscendi esse infinitam, scilicet ipsam summam veritatem, & causatu exemplarem exprimentem infinita, per quam rationem fundantur infiniti respectus in illa qualitate informante intellectum; & per hanc additionem respectuum infinitorum nulla infinitas ponitur intrinsecè in anima; undè ille excessus majoris, & minoris perfectionis desumitur ex ipsa ratione cognoscendi, quæ est infinita; & confirmatur magis ex responsione ad 5. etiamsi anima beata cognosceret omnia, quæ à Verbo cognoscuntur, numquàm tamen ei æquatur in cognitione, quia quodlibet cognoscibile est finitum, & cum multa etiam infinita finita non possint constituere infinitum entitativè, &c. hinc nulla est implicantia.

Objic. 3. quantò plura cognoscimus, tantò major virtus, & conatus est necessarius; undè attentio circa plura, & plura semper infirmatur juxta illam maximam, pluribus intentus minor est ad singulas sensus: at virtus intellectus creati, & luminis est finita, ergo non potest se extendere simul in infinita; & fundatur hoc argumentum in alia maxima, quòd excellens sensibile corrumpit sensum, ergo idem proportionaliter dicendum de intellectu: hoc argumento utitur P Gaudentius etiam contra mentem Seraph. Doct. cui occurrendum primò ex doctrina dignissima, quam tradit *lib.1. dist.1. art.3. quæst.1. ad 2.* & innuit etiam *lib.4. dist.49. p.2. art.3.* per totum exponens illam maximam, excellens sensibile corrumpit sensum, dicens id verificari de potentia sensitiva, non de intellectiva præcisè, & hoc ex triplici ratione: una est ex parte virtutis apprehensivæ, alia ex parte objecti, tertia ex parte modi apprehendendi: & primò ex parte virtutis apprehensivæ sensus potest corrumpi, non intellectus, quia sensus dependet ab organo, cujus medietas, & harmonia corrumpitur per contrarium, & per excellens: intellectus maximè separatus non dependet ab organo, ideò non tristatur in excellenti: secundò ex parte objecti; objectum enim sensus solùm extra excitat, ideò excellens corrumpit; sed excellens objectum juvat, & confortat intellectum, quia influentia talis cognoscibilis procedit ab intimis, & intrat ipsam potentiam: tertiò ex parte modi apprehendendi, sensus enim tendit ad extra, sicque dispergitur exteriùs, nec fortificatur interiùs, ideò debilitatur; sed objectum intellectus, cum sit intimum ipsi intellectui, in ejus perceptione virtus non dispergitur, sed colligitur, & quantò virtus est magis unita, tantò fit fortior.

Et si id dicitur de cognitione naturali, multò

magis de beata, in qua ait Seraph. Doct. *l.4. d.49. part.2. art.3. quæst.2 ad 3. & lib.3. dist.14. art.2. quæst.1. ad 1. & 4. & quæst.3.* formatur intellectus ab ipsa influentia luminis æterni, per quam efficitur deiformis, & conformis ipsi Verbo, quod est ratio cognoscendi ipsum Verbum, & alia à Verbo relucentia in ipso, quia ipsum Verbum est similitudo, & exemplar omnium, ideò non oportet dari illi novum habitum, vel virtutem, hinc eodem actu, quo cognoscit Verbum, & alia à Verbo magis unitur, non dispergitur, quia continuè est in uno, & fertur in alia propter illud unum, in quo repræsentantur, ideò potest in ista ferri, modò in unum, modo in aliud, sicque illa dispersio, & debilitas in attentione potest verificari de intellectu alligato corpori, & Phantasmatibus, non de intellectu separato, & Beato; Et hinc concludit *ibid. quæst.3. Seraph. Doct.* quòd ex tali positione non ponitur infinitas actualis in ipso habitu, vel in potentia cognoscente, sed solùm in ratione cognoscendi, quod est ipsum Verbum, vel in comparatione habitus cognoscendi ad ipsa cognoscibilia, quæ est infinitas extrinseca, & solùm sincathegorematica, & hunc modum recognoscit in anima Christi, propter auctoritates Sanctorum, tùm etiam propter reverentiam Jesu Christi, cujus animæ, quantumcumque sapientiæ, & gloriæ possumus. Debemus attribuere, & supra etiam quàm intelligimus ad ipsius reverentiam, & honorem.

129 5. concl. Beati possunt videre suam propriam visionem. Hæc conclusio spectat ad præcedentem, cum enim sustineant omnia possibilia posse videri de potentia Dei absoluta, & non solùm existentia, sequitur, quòd etiam possunt cognoscere propriam cognitionem. Ante probationem notandum, quòd disquirunt hîc Theologi, an visio beata sit recta, & simul reflexa; sensus est non de reflexione virtuali, certum enim est potentiam vitalem tendentem in objectum sensibiliter experiri suo actu percipere objectum, & non per alium actum, quia sic processus esset in infinitum, sicque dicitur virtualiter percipere suum proprium actum non ut quod, & non per modum objecti percepti, sed ut quo, idest tamquam illud, quo cognoscit objectum: neque movetur quæstio, an per alium actum possit percipere, seu attingere objectum; id enim certum est posse fieri; sed quæstio est: an visio, qua Beatus tendit in objectum, possit esse formaliter, & expresse reflexa, ita ut ipsam per modum objecti secundarii percipiat eo modo, quo percipit in Verbo alia objecta secundaria: Partem negantem amplectuntur plures Scotistæ apud Meld. *num.266.* Affirmantem alii, ut Suarez *part.1. l.2. de visione. cap.18. Araga Lu;it. Ovied. &c.* Seraph. Doct. *lib.1. dist.17. part.1. art.1. quæst.2. ad ult. & l.2. dist.27. art.2. quæst.1. ad ult.* concedit potentias non alligatas materiæ, seu organo posse supra seipsas reflecti, quod à fortiori admittendum est in visione beata, non in ordine ad objectum motivum, idem enim actus non potest esse objectum, ut quod, sui motivum, quia esset ante seipsum, & non esset; sed ut terminativum cognoscendi se cognoscere eodem ipso actu formaliter, & expresse, & eo maximè, quia, cùm & ipse actus reluceat ut objectum secundarium in Verbo, potest etiam repræsentari eidem actui.

Dices ratio formaliter ut quo non potest simul, & semel esse ratio objectiva ut quod, ergo falsa conclusio. Prob. antec. quia objectum quod debet saltem natura esse priùs ipso actu; tùm quia objectum realiter distinguitur à ratione ut quo, cum dicant relationem realem inter se, sic unio non dicitur uniri, sed ipsa ratio, ut quo fit unio, nec ubi dicitur in loco, nec productio produci, alioquin daretur processus in infinitum, ergo. Resp. *ex doctrina Seraph. Doct. in loco cit.* concedendo totum in actibus, in quibus plenè importatur relatio, & ordo & motio, sic meritum non potest cadere sub ratione meriti in eodem actu, non verò in actibus potentiarum, quæ sunt super se reflexivæ, prout objectum est tantùm terminativum, sic dilectio dicitur amari ab ipsam producente, & magis posteà in visione beata, quæ dum elicitur jam invenitur relucens in Verbo divino.

6. concl. Beati vident in Verbo omnia mysteria 130
fidei præterita, quorum fidem habuerunt in via, non autem futura saltem omnia; est communis, & Seraph. Doct. *lib.3. dist.31. art.2. quæst.1. & 2. & dist.36. quæst.1. ad 1. aliisque pluribus locis;* & D. Thomæ. qui docent evacuari fidem, & spem, aliasque virtutes in gloria in eo, quod est imperfectionis, & succedere dotes gloriæ, & præcipuè, quia visio clara succedit fidei, tùm quia Theologia nostra subalternatur aliqualiter Theologiæ Beatorum, ergo clarè vident ea, quæ obscurè videbant in via; & ista: vel secundùm omnes conditiones particulares, ut est virginitas Mariæ, Incarnatio Verbi, & similes: vel in communi tantùm, non secundùm individualitatem particularem, ut est multiplicatio præsentiæ Christi in omnibus hostiis, &c. secunda pars verò de mysteriis fidei futuris etiam patet ex hoc, quòd dies judicii nulli Beato revelatus est, ut dixit Christus, & patet etiam in Dan. *c.10.* ubi unus Angelus volebat eripere populum Israeliticum, alter resistebat.

7. concl. Beati in Verbo vident omnia, quæ ad complementum sui status sive naturalis, sive supernaturalis spectant, eisque sunt ad id debita; ratio est, quia beatitudo perfectè satiat omnem appetitum naturalem rationabilem, & complet ea, quæ conveniunt statui uniuscujusque & in hoc conveniunt omnes Theologi, estque id valdè rationabile, & proportionatum tali statui, undè non evacuabuntur habitus scientiarum, quos in via habuerunt, sed hi perficientur quoad se, & quoad usum, *lib.3. dist.31. art 2. quæst 3. corp.* Ex quo principio inferuntur sequentia Corrularia.

Primum est, quòd quælibet mens beata in Ver- 131
bo contemplatur universam mundi machinam, omnia genera, & species, ex quibus coalescit; undè S. Augustinus docet Angelos videre omnia opera sex dierum; tùm quia Beatus habet capacitatem, & ob id desiderium hæc omnia sciendi, ergo conveniens est ad summam ipsorum felicitatem, ut tale desiderium impleatur; ideò concludunt Theologi apud Suarez *lib.2. de visione, cap.28* ex D. Thoma dari, & concedi visionem in Beatis omnium specierum (licet non omnium individuorum, cum multa sint impertinentia ad statum ipsorum) quæ factæ sunt, & simul ordinem universi, & etiam aliquarum, quæ faciendæ sunt ex speciali privilegio, imò, & aliquarum possibilium; omnia enim subjecit sub pedibus hominis, & creavit, & creat propter homines. *Vide S. Bon. in Diat. sal. tit.10 cap.8.* Secundum est, quòd Beati vident in Verbo etiam multa futura, prout Deus sibi complacet illis revelare; sic notat S. Bon. lib. 3. dist. 14. art. 2. quæst. 2. & 3. Angelis Deum revelare successivè multa, quæ priùs ignorabant; nec enim talis ignoratio officit perfectioni beatitudinis essentialis; imò addimus Beatos transire à consideratione unius objecti secundarii ad aliud; talis enim volubilitas non officit

beatitudini

beatitudini essentiali, & hoc fit absque variatione ejusdem actus immutati, quo Beatus fertur in objectum primarium. S. Bon. *cit. quæst.2. ad 1. & serm. de S.Michaele, & aliis, de Angelis.*

Tertium. Beati vident in Verbo actus liberos, & contingentia facta hominum spectantia ad ipsorum statum: sic Theol. apud Suarez *cap.12.*quod, & insinuat S.Bon. *in op. de dono sap. cap 8 9.& 10.* & determinatum fuit in Concil. Sennon. Ista autem: vel spectant ad convenienter exercendum suas actiones, & ministeria, ut est in Angelis Custodibus, in Protectoribus locorum, & personarum: vel spectant ad illos, quorum in hac vita habuerunt curam, uti sunt Fundatores Religionum, parentes, & etiam conjuncti sanguine, affinitate, educatione, instructione spirituali, ut sunt Parochi; & explicat Sancta Ecclesia in octava Sanctorum omnium: Et hinc audiunt & vident in illo summo exemplari orationes, suspiria, desideria, & vota devotorum, quæ omnia spectant ad complectam ipsorum beatitudinem, & perfectionem. *Vide Seraph. Doct. lib.4.dist.45. art.3. per totum*, ubi tractat de invocatione, & intercessione Sanctorum; *& lib.3. dist.31.art.3. quæst.1. in fund.* Ad ipsos item spectat salus, & incolumitas Ecclesiæ, cum sint membra ei suis; de quo vide S. Bon. *de dono sap. cap.10.* Vide etiam P. Gaudentium nostrum *d.11. quæst.21.* ista optimè ex Seraph. Doct. disserentem.

Appendix continens solutionem succinctam plurium perfectionum gloriæ Beatæ Virg. Mariæ per varia quæsita.

HUcusque de gloria, & visione beatifica communi omnium Beatorum, & Angelorum disseruimus, sed sublimiora excogitanda sunt de gloria Mariæ, unde Seraph. Doct. *in op. spec. Beatæ Virg. cap.9.* super illa Dei Verba Job *cap.38. Numquid ostendisti auroræ locum suum*, dicit in persona Dei. Non ad te pertinet (idest ô homo, ô Doctor, ô Angele) ostendere auroræ Mariæ locum suum in Cælo, sed ad me, idest ad Deum; benè autem dicit suum, quasi appropriando, & discernendo illum ab aliis Sanctorum locis; hinc etiam legitur *3.Reg. cap.8.* Intulerunt Sacerdotes arcam fœderis Domini in locum suum; hic certè locus est super omnia loca Angelorum. In quibus verbis dat intelligere primò, quòd tanta est gloria Mariæ, ut solus Deus eam explicare valeat, ac locum sublimem, ad quem conscendit, ostendere. 2. quòd locus proprius Beatæ Virginis foret Cælum, non mundus, atque adeò dum terras incoleret, violentiam pateretur, donec in Cælum Empireum locum suum transferretur tamquam centrum, & connaturalem sibi locum: hinc pro modulo nostro tenuissimo aliquas prærogativas gloriæ Marianæ, ex Sanctis Patribus, & præcipuè ex Seraph. Doct. enodabimus ad excitandam magis, & magis devotionem nostrorum confratrum.

Quæritur ergo primò: An visio beatifica Beatæ Virginis omnium hominum, & Angelorum visiones simul sumptas antecedat. Resp. primò quoad perfectionem intensivam in opinione Sanctorum Doctorum, & nostra, ut suo loco probabitur, asserentium gratiam Mariæ sublimius specie differre à gratiæ omnium Sanctorum, & Angelorum, quòd visio Mariæ beatifica est perfectior in intensione, & claritate, quàm in omnibus hominibus, & Angelis simul sumptis: ratio est, quia ipsa est mater naturalis, illi filii adoptivi, ergo ipsi major hæreditas fuit collata; est ergo major, quæ de potentia ordinaria esse potest in creatura pura, licèt de absoluta potentia major dari possit; undè Seraph. Doct. *in spec. cap.5.* super illa verba Eccli. *cap 1. Altitudinem Cæli, latitudinem terræ, & profundum abyssi quis dimensus est*, id asserit, quod dictum est. Cælum inquam Maria est super omnes Cælos, & Sanctos, & Angelos. *Vide S. Petr. Dam. serm. de Assumpt. & Nativ. Virg.* Ex hoc magis verificatur etiam sumendo gloriam Mariæ intra eamdem speciem visionis aliorum, quodque confirmatur ex amore, quo Deus fertur in Mariam, quam longè majori amore prosequitur, quàm reliquos omnes electos, ut notat S. Bon. *in spec. cap.6. & 7.* ex S. Augustino, Anselmo, &c.

Resp. 2. & sequitur ex dictis. Virginem Mariam plures eminentias, & perfectiones videre in Deo, perfectiori item, & nobiliori modo tendendi, quàm omnes electi simul. ita ut, tàm ex parte actus, quàm ex parte objecti visi, & ex modo perfectiori tradendi in objectum sit visio Beatæ Virginis longè nobilior, ac perfectior, quàm reliquarum omnium visionum perfectiones, si in unam perfectionem, & beatitudinem coalescerent, & ratio est, quia hæc perfectio competit ad munus, & dignitatem Matris Dei, ac Imperatricis utriusque naturæ Angelicæ & humanæ; & ideò si totam cælestem curiam hinc contemplêris, illinc solùm Deiparam, haud dubio majus, & admirabilius gloriæ, ac pulchritudinis spectaculum consurget in una videnda Maria, quàm in universa cælestis curiæ cohorte, dempto Christo. *Vide quæ suprà tradita sunt ex Seraph. Doct. ad finem quæst.9. de hac eminentia gloriæ Mariæ.*

Q. 2. circa visionem creaturarum in Verbo quid Mariæ concessum fit à Deo? Resp. quòd consequenter ad supra tradita Maria videt in Verbo scientia visionis omnia, quæ Christus videt; Christo autem hoc privilegium debetur tanquam debitum unioni hypostaticæ; Mariæ verò tamquam debitum dono maternitatis: Idque est conforme sensui Seraph Doct. ex supradictis, & fusè probat Suarez *3.p. tom.2. in 3.p. dist.10.* & D. Thomas *ib.d.art.3.* & Salazar in Prov *cap 8. num.177.* & Vega *n.1870.* qui tamen à nobis dissidet in hoc, quod supponit ista non videri à Maria eodem actu, quo videt Verbum, quod est falsum, ut supra probabimus: Addimus, quòd idem privilegium concessum est Mariæ, ut Matri, quoad visionem possibilium, quod concessum est Christo, scilicet quatenus in habitu, non in actu omnia ista videat, ut probat S.Bon. de Christo *lib.3.dist.14.art.2. quæst.3.*

Q. 3. An Beata Virgo Maria specialem Chorum in Cælo constituat superiorem omnibus Beatorum Choris? Resp. sunt in Cælo varii sine Chori, sinus, & mansiones secundùm id, quod dixit Christus *Joan. cap.14.* Et hinc aliqui Doctores asserunt Abraham constituere Chorum, in quo recepit omnes credentes electos in lege veteri: Adam alium pro electis in lege naturæ; Fundatores Religionum alios sinus, in quibus recipiunt suos clientes, & filios: Hoc magis dicendum de Maria Virgine, nempè cum ejus dignitas in gradibus & meritorum, & status sit super omnes Sanctos, & Angelos altioris ordinis, congruum valdè est ipsam constituere Chorum ab aliis distinctum, qui simul connexus sit cum Choro Filii, licèt cum aliqua inferioritate; ipsorumque locum esse super altam Empyrei convexam

super-

præcipuè *lib.4. dist.49 part.1. quæst.5.* & aliis Doctoribus. In illis actibus essentialiter consistit beatitudo, quibus immediatè attingitur finis, qui, idest Deus in ratione objecti beatifici; sed actus intellectus, & voluntatis sunt hujusmodi, ergo. Major est certa; nam ad beatitudinem requiritur necessariò finis, qui, estque Deus, & divina essentia, & finis, quo; minor probatur, quia uterque actus habet pro immediato Deum per essentiam suam ut est in seipso; ergo attingentia vitalis objecti, ut est in se, est necessaria, sed per visionem, & amorem habetur solùm talis attingentia, ergo.

Resp. communiter, quòd voluntas attingit quidem Deum per amorem, sed ut visum antecedenter per intellectum; ideò licèt concurrat amor, & consequenter fruitio, id est ea consequenti ad visionem tamquam ad rationem formalem, qua:

Contra. Ratio beatificans objectivè animam est ipsa divinitas immediatè, & per se, sed si id el esset, ut visa, beatificatio voluntatis adveniret ei, non immediatè à Deitate, sed ab illa denominatione extrinseca, ut visa, vel ea respectu rationis, sed hoc est impossibile, ergo.

Probatur minor, quia tunc perfectè habetur beatitudo, quando objectum perfectè habetur, & possidetur, ergo hæc possessio solùm potest haberi iis actibus, quibus objectum aptum est teneri, ergo non solùm per actum intellectus, sed etiam voluntatis potest haberi.

Confirmatur. Quia Dei visio non perfectè complet beatitudinem, ergo aliud requiritur. Prob. antec. quia tunc beatitudo perfecta habetur, quando nihil ulterius relinquitur appetendum, sed data visione beata, adhuc voluntas est inquieta, donec suum objectum assequatur, ergo una sine altera non sufficit.

Prob. 2. à S.Bon. Gloria totum perficit, quod gratia disponebat, sed gratia disponit animam, ut rationalem, ob idque actus potentiarum animæ, ergo & gloria; tùm quia anima beatificatur, ut est imago Dei, & capax Dei, sed est tàlis per intellectum, & voluntatem, ergo.

134 Objic. primò. Visio est tota merces, ut ait Glossa in illud *Psal.4. ostendam illi salutare meum*; ergo tota consistit in visione. Resp. primò quòd etiam alibi, & ab aliis Sanctis dicitur, quòd fruitio est tota merces; item & tentio, undè ista dicuntur per connexionem, & concomitantiam, ex Seraph. Doct. *lib.2. d.4 dub.1.* ideò quod est omnium attribuitur uni; qui enim perfectè videt, perfectè amat, & habet: Notat autem Seraph. Doct. *lib.4. dist.49. cit.* quòd magis expressè attribuitur visioni, quia expressius in visione distinguitur status patriæ à statu viæ; non sic in dilectione, quia utrobique est dilectio, sed in patria est visio, non in via, sed credulitas de non viso.

Objic. 2. In tantùm beatificatur anima, in quantum objectivè fit Deus ibi præsens, & unitus, sed id fit per intellectum, non per voluntatem, quæ potiùs extra se exit, ergo. Resp. neg. min. præcise; nam Deus dum attingitur tàm per intellectum, quàm per voluntatem fit præsens potentiæ, imò fortiùs per actum voluntatis fit magis unitus.

Objic. 3. Beatitudo objectiva est una simplicissimè, quæ est Deus, ergo, & formalis debet sic illi esse proportionata, ergo non potest consistere in duabus potentiis. Resp. neg. consequentiam, & paritatem; Verum est quidem, quòd objectum est unum, & simplex formaliter, sed tamen multiplex virtualiter, scilicet ens verum, & ens bonum, & secundùm hanc duplicem rationem etiam attingi debet ab anima per unicam possessionem, quæ est ratio propriè respondens unitati objecti, & ideò nihil præjudicat tali unitati duplex, seu multiplex actus potentiarum unitim tendentium ad unicam possessionem objecti; unicam, inquam, unitate totalitatis admittentis aggregationem plurium actuum in unum habentium unitatem ordinis, quo ordinantur ad perfectionem unius substantiæ, scilicet animæ, cum qua identificantur, & ad attingendum idem objectum sub ratione beatificantis ut verum, & summum bonum vel unica possessione in eadem anima.

Objic. 4. Potentiæ animæ distinguuntur inter se, & ab anima formaliter, ergo non possunt uniri ut sic distinctæ in eodem objecto ad unicam beatitudinem. Resp. neg. antecedens; distinguendo consequens ex S. Bon. *lib.4. dist.49. part.1. quæst.4.* non uniuntur potentiæ secundùm quod considerantur sejunctim secundùm proprios actus, concedo: secundùm quod conformantur, & continuantur ad animam unam per deiformitatem nego: sic enim una gratia, & gloria inest in pluribus potentiis.

Dices: lumen gloriæ habilitat tantùm intellectum, non voluntatem ad attingendum objectum beatificum, ergo solùm inest in intellectu. Resp. distinguendo antecedens; lumen gloriæ habilitat intellectum ad sistendum solùm in visione nego, ad disponendum, ut formetur beatitudo in charitate consummata concedo, cui ideò datur etiam charitas, sic negatur consequentia.

Contra instabis: Accidens numeratur per subjectum proprium, sed gloria, & beatitudo creata & accidens, ergo debet numerari per subjectum; sed in hac opinione S. Doct. duo sunt subjecta, scilicet intellectus, & voluntas, ergo in quolibet Beato erit duplex beatitudo; sed hoc est contra rationem objecti beatificantis, quod est unum, & sub ratione unius beatificat. ergo malè ponitur in duabus potentiis. Resp. S. Bon. *lib.2. dist.26. a.1. quæst.5. in corp. & ad 5.* distinguendo majorem: Accidens numeratur per subjectum, quando ea, quæ subjiciuntur diversa sunt, & subjiciuntur, ut diversa; quando verò subjiciuntur per eamdem naturam, non sequitur diversitas, & numeratio accidentis; sic & gratia, & gloria est in potentiis animæ in quantùm continuantur, & idem sunt, & unum sunt cum anima, & comparantur ad idem objectum unum; sic & una sanitas dicitur in omnibus membris, quia est in ipsis secundùm quod, ad unam originem, & complexionem reducuntur, hinc negatur consequentia de duplici beatitudine & ratione subjecti, & ratione objecti.

Appendix mystica.

Ex quibus traditis infertur hæc veritas catho- 135
lica, & applicabilis ad mysticam considerationem ex Seraph. Doct. *l.1. d.1. a.3. q.2.* quòd licèt dentur bona creata, quibus homo potest licitè frui, suntque tantùm bona spiritualia, ut gratia, virtutes, dona Spiritus sancti, beatitudines, in quibus anima se habet exerceri cum delectatione, non autem alia bona temporalia, quæ sunt vana veluti somnia; tamen loquendo de fruitione perfecta, quæ dicit motum animæ cum delectatione, & quietatione, solo Deo anima potest verè frui,

& ratio prima est, quia nihil potest animam sufficienter satiare, nisi bonum, ad quod est nata, & creata, & hoc est summum bonum, quod est superiùs anima, & bonum infinitum, quod excedit vires animæ: cognitio enim animæ rationalis est cognitio non arctata, quia est ad omne ens verum, ergo non impletur nisi in cognoscibili continente in se omnia cognoscibilia, & quo cognito omnia cognoscuntur; similiter voluntas est nata diligere omne bonum, ergo sufficienter non impletur, nisi bono, quod est summum, & omne bonum, & omnia in omnibus. 2. ratio est, quia nihil sufficienter finit animam, nisi summum bonum, quia ad hoc, ut finiatur, necesse est ipsam finiri secundùm existimationem, alioquin non esset beata, nisi se existimaret beatam; existimatio autem supergreditur omne finitum, quia omni finito potest majus aliquid cogitari, ad quod affectio potest se extendere; ergo ut finiatur, requiritur, ut io solùm summum, infinitumque bonum ferantur. 3. ratio est perfecta delectatio, ad quam concurrit delectabile, & conjonctio ejus cum eo, quod delectationem habet; delectatio autem omnis animæ est in ratione pulchri, & boni, & quia solus Deus est bonitas, & pulchritudo, ideò solo ipso fruendum est. 4. ratio, est conjunctio animæ cum objecto delectabili, solusque Deus perfectè propter summam simplicitatem, & infinitatem illabitur animæ, ita quòd secundùm veritatem est in anima, & animæ intimior, quàm sibi, ita ut in ipso totaliter absorbeatur, ut jam capacitas ejus impleatur. Igitur dum sumus in hoc mortali corpore cæteris omnibus rejectis per fidem ad Deum intelligendum per cognitionem feramur, & per charitatem, & amorem ipsi perfectè uniamur, ut hinc post hanc vitam ad beatitudinem animæ, & potentiarum sublevemur.

De consequentibus Beatitudinem.

Ea, quæ consequuntur Beatitudinem, sunt in quadruplici genere: vel enim respiciunt intellectum, & visionem beatam: vel voluntatem, & fruitionem: vel totam animam: vel corpus.

Primò igitur explicabuntur ea, quæ respiciunt intellectum, & visionem.

QUÆSTIO XIII.

Quænam spectantia ad visionem evacuabuntur in gloria, & quænam remanebunt?

136 PRima concl. Fides in patria nullo modo remanebit, nec in habitu, nec in actu; est S. Bon. *l. 3. d. 31. a. 1. q. 1. & 2.* est & Scoti, & communis ferè omnium; contra aliquos, qui sustinent evacuari in eo, quod sonat imperfectionem, non verò in lumine, quod perfectionem importat. Probatur ergo primò *ex 1. Cor. c. 13. Cum venerit, quod perfectum est, evacuabitur quod ex parte est*, sed fides est cognitio ex parte, quia est per speculum, & in ænigmate, quia est argumentum non apparentium, ergo non stabit cum clara visione, quæ est in speculo, & in Verbo: tùm quia fides imperatur à voluntate, visio præcedit imperium omne voluntatis, ergo: tùm quia cognitio ænigmatica pugnat cum clara visione, ergo.

Objic. 1. Fides est virtus Theologica, ob idque perfectior Cardinalibus, & perficiens intellectum, ergo cum dicat perfectionem majorem, & tamen Cardinales non evacuantur, ut infra patebit, ergo nec fides. Resp. fidem esse virtutem perficientem intellectum, non absolutè, sed secundùm statum imperfectum viæ, in quo statu potest aberrare à veritate, & captivari in via; virtutes autem Cardinales perficiunt secundùm actum principaliorem animam in ordine ad omnem statum; sic negatur consequentia, & paritas.

Objic. 2. Fides est fundamentum rerum sperandarum, cum sit illuminatio mentis ad videndum Deum; sed gloria adveniente non destruitur fundamentum spiritualis ædificii, sed potiùs perficitur, & stabilitur, ergo. Resp. quòd est fundamentum rerum sperandarum solùm secundùm statum viæ, quia illuminat mentem ad videndum Deum non simpliciter, sed per speculum, & ænigmaticè; hinc fides evacuatur in patria, non propter fundamenti destructionem, sed propter stabilioris constructionem, non propter luminis privationem, sed propter luminis perfectionem, quæ excludit specularem, & imperfectam cognitionem.

Objic. 3. Fides facit assentiri primæ veritati propter se, & super omnia, & velle credere, & velle credidisse, sed ejusdem est habitus credere, & velle credidisse; sed in patria Beatus assentitur primæ veritati propter se, & super omnia, & vult credidisse Deo, ergo. Resp. quòd fides est assensus primæ veritati non visæ imperatus à voluntate, quæ non sunt in patria, sed à virtute excellentiori.

Objic. 4. Plus repugnat habitus fidei peccato, quàm lumini gloriæ, sed fides stat cum peccato, ergo magis cum gloria. Resp. negando antecedens, quia fides stat cum peccato, &c.

Objic. 5. Visio fidei est in creatura, ergo est vespertina; sed in gloria cognitio vespertina stat cum matutina, & gloriosa, ergo & fides. Resp. negando majorem; visio Dei per fidem est per creaturam, & speculum; sed visio vespertina est visio Dei in creatura, hæc immediatè habetur, illa mediante creatura.

Objic. 6. Lumen lumini non repugnat, ergo nec lumen fidei lumini gloriæ. Resp. concedendo antecedens, si sumatur præcisè lumen, sed negatur, si sumatur secundùm aliquam imperfectionem annexam necessariò, nempè ænigmatis.

2. concl. Spes omnis evacuatur in gloria. Est S. Bon. *l. 3. cit.* ratio est, quia spes essentialiter dicit inhiationem, expectationem, & desiderium de acquirendo bono absente, &c. sed totum hoc tollitur per omnimodam acquisitionem, & quietationem, ergo.

Objic. *ex Sap. 3.* dici spem Beatorum immortalitate plenam, ergo. Resp. ly, spem, sumi pro re sperata, & termino spei; & si objicias: dici in Christi persona, *In te Domine speravi, &c.* Resp. 1. ibi loqui in persona membrorum. Resp. 2. & si dicatur in persona Christi non loqui de objecto proprio spei, scilicet de præmio æterno, sed sumi pro objecto aliquod aliud beneficium. v. g. resurrectionem corporis, clarificationem nominis, &c. Et si adhuc instes. Angelos desiderare aspicere in faciem ejus. Resp. hoc desiderium non esse de re acquirenda, sed de continuatione rei possessæ: & si animæ beatæ expectant resurrectionem corporum, hæc expectatio non est beatitudinis essentialis, sed accidentalis; & hæc est sine inhiatione, & imperfectione, &c.

3. concl. In Beatis manent dona Spiritus sancti, ut sapientia, intellectus, scientia, & consi- 137

lium

lium, & alia etiam, quæ respiciunt voluntatem; est communis, & patet de Christo, Isa. & aliis locis Scripturæ.

4. concl. In patria non manet Prophetia eorum, quæ important longitudinem assequutionis, & absconsionem, quia ista repugnant cum beata gloria; remanet quoad ea, quæ dicunt evidentiam veritatum revelatarum. Est etiam communis, &c.

5. concl. Nostra Theologia non manet in patria, quia est de credibili, sed fides ibi evacuatur, ergo & Theologia viatorum, cui perfectissima succedit.

6. concl. Extra, vel ultra visionem beatam erit in Beatis alia scientia rerum divinarum in proprio genere, quæ dicitur vespertina, vel etiam abstractiva, quia Beatis multa de novo revelantur secundùm dispositionem voluntariam Dei, quod supponit Seraph. Doct. *lib. 3. dist. 14. art. 2. quæst. 3. & alibi sæpè.*

7. concl. Scientiæ naturales ablatis imperfectionibus in via acquisitæ remanent in patria; Est S. Bon. *lib. 3. dist. 31. art. 2. quæst. 3.* dicentis remanere quoad habitum, sed quoad usum mutari, & quoad modum omninò evacuari: habitus enim scientiæ non corrumpitur, nisi ob corruptionem à parte scibilis, aut à parte medii, aut ob oblivionem, quæ in patria non adsunt.

8. concl. Quilibet Beatus habebit omnes scientias naturales cum omni perfectione connaturali, & proportionata proprio intellectui, etiamsi in via eas non acquisierit; ratio est, quia status gloriæ est cum omnibus bonis satiantibus omnem appetitum: Addimus tamen, quòd in Beatis erit nescientia rerum, quæ non debentur illi statui, quæ tamen non potest dici propriè ignorantia privativa, vel error.

Quæres ad quid remanet in patria habitus scientiarum acquisitarum in via, si cuicunque Beato erit talis cognitio? Resp. quòd in Beatis habentibus habitum acquisitum erit perfectior scientia, & omnium objectorum talium scientiarum, quod non erit in quolibet alio Beato, sed tantùm eorum, quæ spectant ad perfectionem sui status.

QUÆSTIO XIV.

De consequentibus beatam visionem de quibus sit.

138 PRima conclusio. Stante beata visione Beatus potest de potentia absoluta Dei cessare à fruitione, non autem de potentia ordinaria: ratio primæ partis, quia Deus data visione potest retrahere suum concursum voluntati ad talem actum, nec est ulla implicantia; imò aliqui Doctores tenent de facto in Passione Christi cessasse non visionem, sed talem fruitionem, licèt communis id neget, quia nulla est implicantia inter fruitionem, & tristitiam respectu diversorum in eadem anima: Ratio secundæ partis est, quia Deus à Beatis videtur ut summum verum, & verum bonum, sed talis visio necessariò trahit secum voluntatem ad ipsius amorem; sic enim voluntas operatur ut natura, non quidem coactè quasi ab intrinseco coacta, sed tantùm inevitabiliter seipsam simul determinando; de quo alias erit sermo; & actum est à nobis in tract. de anima, & de libertate voluntatis.

5. concl. Beati non possunt peccare; est communis, & colligitur ex pluribus locis sacræ Scripturæ: ratio est ait S Bon. *lib. 2. d. 7. p. 1. quæst. 1.* quia Deus decrevit non concurrere ad opus malum; cum sint extra statum merendi, vel demerendi: tùm quia ex D. Thoma. Ex vi beatitudinis Beati diligunt Deum super omnia, nec possunt cessare à tali dilectione. Ergo.

3. concl. In Beatis erunt virtutes morales acquisitæ in via, etiam cum aliquali ipsarum usu ablatis imperfectionibus, & quæ in via non fuerunt acquisitæ, infundentur in eis perfectissimo modo; ista enim competunt perfectioni talis status, sicut & complementum omnium desideriorum.

Pro consequentibus beatam visionem quoad animam.

SUppon. primò, quòd ut supra dictum est, in Beatis præter essentialem beatitudinem datur etiam accidentalis: Essentialis, si sumitur objectivè, est ipse Deus, qui solus est ultimus finis satiare valens omnem appetitum animæ: si formaliter, est actio vitalis intellectus, & voluntatis, quatenus fertur in Deum vitaliter per visionem, amorem, & tentionem, quæ dicuntur dotes animæ beatæ essentiales: Accidentalis verò & gaudium Beati, quod ipsi redundat ex objecto extra Deum, sed tamen ad Deum ordinatum, v. g. ex conversione peccatoris, &c. ex salvatione animæ, ex augmento numeri Beatorum, & hæc consistit in dotibus, Aureolis, & fructibus. *Sic S. Bon. lib. 4. dist. 49. part. 1. art. 1. qu. 1. & deinceps, & lib. 2. dist. 40. art. 2. quæst. 1. ad 1. & art. 3. quæst. 3. ad ult.* 139

Suppon. 2. Dotem sumi primò communiter pro qualibet perfectione, & ornamento hominis in via, ut est bonum ingenium, bona indoles. Secundò strictiùs (ut notat S. Bon. *in Comp. Theol. lib. 7. cap. 24.*) pro dote, quæ fœminæ datur in Matrimonio. Cum enim fiunt sponsalia donatur sponsæ arrha; cum verò contrahitur solemniter, & in domum sponsi introducitur, constituitur illi dos vel à Patre sponsæ, vel à sponso, si sponsa sit pauper, de qua possit sustentari: Eodem modo evenit in desponsatione Christi cum anima, de qua 2. *Cor. cap. 11. & Apoc. cap. 21.* Nam Deus liberalissimus in hac vita confert dona similia arrhæ, idest dona Spiritus sancti, qui est pignus hæreditatis nostræ; at postea in ingressu animæ in Cælum tunc fit matrimonium solemne, traditque ei dotem, aureolas, & fructus; sed advertendum, quòd dos potest sumi in ordine ad animam, vel in ordine ad totum conjunctum: primo modo spectat dos ad gloriam essentialem, sicut dos assignatur sponsæ pro sua sustentatione: secundo modo ad gloriam accidentalem, quia spectat ad animam, & corpus, sicut sponsæ ad dotem essentialem superadduntur ornamenta, vestes, aliaque similia ad matrimonii solatium. His positis, &c.

1. concl. Tres dantur dotes animæ ingredienti in Cælum; suntque visio, dilectio, & comprehensio. Visio respondet fidei habitæ in via, consecutio, seu comprehensio spei tamquam terminus ipsius: dilectio, seu tentio amori, tamquam ejus quies: Gratia verò, & charitas non numerantur inter dotes, quia ex se abstrahunt à statu viæ, & patriæ

patriæ, & quia in illis consistit substantiale vinculum illius desponsationis, quod perficitur mutuo consensu Dei, & animæ, suntque divitiæ, quibus ornata sponsa sponso traditur. Unde istæ dotes consideratæ prout versantur circa objectum increatum sunt essentiales gloriæ: in comparatione verò ad virtutes Theologicas sunt accidentales; accidentaliter enim dicuntur termini virtutum Theologicarum.

141 2. concl. Ad gloriam substantialem spectat aurea corona; ad accidentalem privilegiatam spectant aureolæ, & fructus beatitudinis. Est S. Bon. *lib.2. d.40.a.1.q.1.ad 1.& q.4.ad ult.& l.4. d.24.p.2.dub.5. & Comp. Theol. l.7. c.29. & seq.*

Nota autem, quòd hoc nomen aurea, & aureola sumptum est, ait S. Bon. *ex cap.25. Exod.* quia super mensam propositionis erat appensa corona aurea, & hæc significabat coronam gloriæ substantialem Beatis paratam in Cælo: super hanc erat alia corona minor, quæ dicebatur aureola, & hæc significabat gloriam accidentalem, sed tamen privilegiatam, quia non omnis gloria accidentalis est aureola, sed è converso omnis aureola est gloria accidentalis, sed cum additione alicujus perfectionis gaudii de bini operationibus singularis pretii, quibus homo degens in hac vita reportat triumphum de mundo, de Diabolo, & de carne: de mundo Martyres; de Diabolo Doctores, Prælati boni Prædicatores, Confessarii, Parochi, Casuistæ, Lectores Theologiæ; defendentes verbo, & opere gregem ab incursionibus luporum infernalium; De carne Virgines corpore, & mente: Notat autem Seraph. Doct. *l.4. d.33. a.3. q.3. ad arg.* quòd incorruptio corporis est veluti materiale, mentis verò est formale; unde qui perdit utramque integritatem perdit aureolam, non verò qui perdit invitè integritatem corporis; sed qui perdit tantùm integritatem mentis per mala desideria, potest recuperare, quod perditum est per contritionem, sed tamen numquam ad tantam gloriam, quæ datur virginibus puris; & hinc etiam patet, quàm paucis, imò paucissimi adulti perveniant ad hanc aureolam.

Nota 2. fructus beatitudinis assignari loco redditum bonæ culturæ propriæ carnis; unde virginibus ratione decoris debetur aureola; ratione perfectionis debetur fructus centesimus, viduis sexagesimus, & conjugatis fructus trigesimus, qui fructus sunt præmia accidentalia, & debentur peculiaribus personis, quæ germinaverunt in carne spiritualiter, & fructificaverunt peculiari modo ex auditione verbi Dei. *Vide S. Bon. loc. cit. Suarez. P.Gaud.p.2. tr.1.d.2 q.16. & deincep.*

QUÆSTIO XV.

De consequentibus visionem beatam animæ in corpore.

Circa hanc materiam, quæritur primò: *An gloria corporis sit de substantia beatitudinis; & an beatitudo sit major post Resurrectionem.* Ante omnia supponendum tamquam de fide primò animas nunc in Cælo esse beatas etiam à corpore separatas: secundò per unionem cum corpore in resurrectione etiam fore homines beatos, idque probatur ex multis locis sacræ Scripturæ, quæ brevitatis causa omitto; de quibus possunt videri Suarez. P. Gaudentius *tom.4. tract. de Beatitudine.*

Primò respondet S. Bon. *l.4. d.49 p.2. quæst.1.* quòd resurrectio corporum Beatorum ipsa perficit, & quoad ætatem perfectam, & quoad floriditatem, pulchritudinem magnam, incolumitatem perfectam, & omnes res urgent in proprio sexu, cum sexus fæmineus sit natura integra, non imperfecta, & faciens ad universi pulchritudinem; licèt enim mulier dicatur ab Aristotele Mas occasionatus, id tamen dicitur, quia est debilioris naturæ viro, & quia natura perfectiorem effectum intendit producere, tamen non per hoc stat, quin intendat generare mulierem ob rectum ordinem universi. *Vide S. Bon. l.2. d.20. a.1. q.6. ad 1. & seq. & l.3. d.12. a.3. q.1. fund. & l.4. d.44 p.1. dub.1.* Et licèt aliqui ausi sint dicere, quod mulieres resurgent in sexu virili, tamen hæc assertio communiter judicatur à Theologis, & à S. Congregatione declarata temeraria; de quo Alph. de Castro, Suarez. Salas, aliique.

Resp. 2. quòd licèt quoad substantiam resurrectio corporis non conferat animæ gloriam essentialem, tamen eam auget aliqualiter tùm extensivè, tùm intensive, scilicet, tùm quia ampliatur magis in anima, tùm quia removet appetitum, & aliqualem anxietatem, quam priùs habebat ad proprium corpus, sicque removendo talem anxietatem dicitur ex consequenti augere intensivè aliqualiter. Vide S Bon. *l.4. cit.* & 1. Gaud. *q.1c.* qui acutè, & solidè defendit. S Doct. sententiam ab omnibus imposturis aliquorum.

Q. 2. An gloria corporis sit à gloria animæ? Resp. quòd, cum gloria corporis insit ex dotibus gloriosis, hæc gloria potest considerari quoad dispositiones, quæ sunt qualitates ipsius absolutæ, istæ dantur à Deo immediatè per suam supernam influentiam in ejus reformatione; si verò considerentur quoad consummationem, & totalem perfectionem derivant in corpus per redundantiam influxus, quem anima unita immittit in corpus; ratio est, quia tales qualitates sunt propriæ corporis, & in corpore; quod verò redundat per communicationem in aliud remanet in eo, & solum influxum immittit; hinc sequitur, quòd si Deus separaret animam beatam à corpore, remanerent quidem in corpore illæ qualitates, sed non in tanta perfectione, sicut cum erat unita. *Vide S. Bon. l.4. d.49. a. q.2. P. Gaudentium, q 25.*

Q. 3. quæ, & quot erunt dotes corporis gloriosi? 142
Resp. à Theologis assignari communiter quatuor dotes, nempè impassibilitatem, agilitatem, claritatem, & subtilitatem; & inferuntur ex pluribus textibus S. Scripturæ, & præcipuè *ex Sap. cap.5.* ex illis verbis: *Fulgebunt* (ecce claritas) *Iusti* (ecce impassibilitas, quia justitia perpetua est in præmio consummata) *tamquam scintillæ* (ecce subtilitas) *discurrent* (ecce agilitas) affertque S. Bon. alias auctoritates, tùm in lap. cit. tùm in Comp. Theol. alibique passim. Probat autem Seraph. Doct. *l.4 d.49.p.2 a.1 q.1.* hunc numerum dotium, primò ex causa finali: secundò ex efficiente: tertiò ex causa formali: quartò ex materiali, ut videri potest in cit. loco, ubi acutissimè id probat, & infrà innuemus. Addimus ex Seraph. Doct ibid. quòd dotes corporis erunt in omnibus corporibus Beatorum, sed inæquales, non quidem per contrariam mixtionem, quia à se excludent omnia ipsis contraria, sed per majorem, vel minorem accessum ad summum, & participationem formæ talium qualitatum in his, quæ sunt capacia, quia, ut ait Apostolus, alia

claritas

claritas Solis, alia Lunæ, alia Stellarum, tùm quia correspondebunt dotibus animæ, quæ sunt inæquales, ergo.

Q. 4. Undè oriantur istæ dotes? Resp. 1. Quoad impassibilitatem, quòd Hæretici dixerunt corpora gloriosa futura esse non ex elementari, sed ex cœlesti materia, ad quam assertionem Ariaga attraxit invitum Alex. Alensem, quam & ipse appellat insanam, sed tamen contra sensum Irrefragabilis Doct. & Seraph. Doct. ista temerè audet, cum nec talem insaniam somniaverint. *Vide S. Bon. l. 1. d. 1 a. 2. per totum, & l. 3. d. 2. a. 1. q. 1* ubi solvie mirabiliter hanc difficultatem contra Hæreticos.

Resp. 2. Quòd circa causam talis impassibilitatis varii varia dixerunt, nempè vel quia in corpore humano adest quædam lux cœlestis similis Empyreo salvans ipsum ab omni passibilitate vel id provenire ex peculiari Dei providentia, vel ex informatione perfecta animæ, ejusque dominio super corpus, vel quia à corpore glorificato ablatæ sunt qualitates elementares inter se pugnantes, vel redactæ ad pondus proportionatum æquale. Seraph. autem Doct. *l. 4. d. 49. p. 2. a. 1. quæst. 1. & a. 1. quæst. 1.* docet corpora glorificata fore impassibilia, ab intrinseco, & hoc ob temperiei qualitatem datam eis, & provenientem ex perfectissima informatione animæ, ex cujus unione, & informatione pacificabitur pugna interna elementorum, ne unum possit prædominari alteri, secundùm quàm informationem omnis appetitus elementorum satiabitur, & quietabitur, ut evenit in Cœlis, & per quam anima perfectè præsidet corpori; & quia removebuntur omnia extrinseca violenta contra ipsa, sicque nec ab aqua, nec ab igne, nec ab alia causa extranea poterunt lædi.

Resp. 3. Quoad claritatem, quòd per lucem in ipso existentem, & simul ex anima redundantem in corpora, ab eis auferetur omnis opacitas terrea, eruntque clarissima, non tamen diaphana, ut voluit Suarez cum Thomistis, eo quòd corpora erunt clara, simul & colorata, color autem impedit perspicuitatem. Vide P. Gaudent. *p. 1. q. 19. tom. 4.* ubi fusè, & doctissimè hanc materiam tractat, & doctrinam Seraphicam ab impulsuris aliorum defendit. Addit S. Bon. quòd corpora beata erunt lucidiora semprepliciter hoc sole materiali. *Vide Comp. Theol. l. 7. c. ult.*

Resp. 4. Quoad agilitatem, istam dotem corpori glorioso provenire, tùm ex aliqua qualitate indita divinitus disponente, tùm ex animæ operatione complente; quæ qualitas reddit corpus perfectè subjectum animæ, & dispositum ad quemcumque motum qui motus non fiet in instanti, sed repentè, & veluti in momento, idest brevissimo tempore contra Suarez *Vide S. Bon. lib. 4. dist. 49. part. 2. & P. Gaud.*

Resp. 5. Quoad subtilitatem; hanc esse quamdam qualitatem inditam à Deo in corpore glorioso, qua auferetur crassities, ut possit pervadere aliud corpus, & vincere extendendo crassitiem aliorum corporum non gloriosorum ad quam concurrit & virtus animæ, & Deus suo concursu ad reprimendam resistentiam alterius corporis: de hac materia quæ est difficilis valdè, *vide S. Bon. lib. 4. d. 49 p. 2. & P. Gaud. cit.*

Q. 5. An actus omnium sensuum futuri sint in Beatis

Resp. 1 Organa sensuum non modò mansura, sed perficienda in Beatis, deformitatesque auferendas, non verò in damnatis, qui resurgent cum suis deformitatibus, quas in via habuerunt: ratio autem est, quia corpora beata habebunt dotes, & gratias superadditas; sic S. Bon. *l. 4. d. 44. p. 1. a. 1. q. 1. & 2.* sic etiam mansuræ sunt omnes potentiæ vegetativæ, & sensitivæ, quia ad perfectionem hominis faciunt; sicut etiam exercitium actuum animæ sentientis, non verò vegetantis erit in corporibus; ratio discriminis est, quia actus animæ sentientis sunt immanentes, vegetantis verò sunt transeuntes; primi faciunt ad hominis perfectionem per se; secundi per accidens, scilicet tantùm ad conservationem individui, & speciei, quæ ratio cessat in patria: tùm etiam quia actus appetitus sensitivi possunt versari circa objectum honestum, ut amor, & voluptas; non verò vegetantes.

Resp. 1. Directè dubio proposito, quòd in sensuum exercitio, ubi est imperfectio in actibus isti non erunt in gloria, sicque per solam redundantiam delectationis in corpus ex anima præmiabuntur; ubi verò non intervenit imperfectio, isti remanebunt; & hinc sequitur quòd sensus gustandi non erit in gloria ob imperfectionem conjunctam ratione status, objectum enim ejus est sapor, qui est qualitas in corpore mixto gustabili ordinata ad vitæ conservationem, idèò cessabit in patria; nec item est ibi medium sensationis gustus, quod est caro spongiosa linguæ, & palatus cum apertione potorum, &c. Item nec sensus odoratus ibi erit; quòd probatur, tùm ratione objecti, tùm medii: Objectum enim est odor, qui est qualitas secunda resultans in mixtis è temperamento primarium qualitatum, in quo siccum comprehendit, & superat humidum, attemperata à calore externo, à quo sic humidum resolvitur, & attenuatur, ut à sicco comprehendatur, quæ in patria non possunt esse: medium etiam ibi deest, scilicet aër deferens ipsum odorem. Certum autem est sensum visus, & tactus habituros esse suos actus, quia eorum objectum est qualitas absoluta, nempè lux; & color; & durum, molle, asperum, leve, solidum, liquidum, &c. quæ erunt in corporibus Beatis.

De auditu, & loquela dubitat S. Bon. ideoque problematicus est; sed valdè probabile est ibi adesse & auditum, & loquelam, & cantus, & sonus, de quibus *vide l. 4. d. 49. p. 1. a. 1. q. 5. ad ult. & p. 2. a 3. q. 1 Diæt. sal. tit. 8. c. 1. & l. 2. d 1. p. 1. dub. 1. & op. Solil. cap. 4. & ser. 5. & 7. de Apostol. Vide item P. Gaud. loc. cit.* qui fusè ista differit.

QUÆSTIO XVI.

An in statu viæ aliquis viator possit clarè videre Deum. Idque præcipuè quæritur de Maria Virgine: *An aliquando viderit divinam essentiam, & hoc an per modum transeuntis, an per modum permanentis.*

PRo Coronide hujus tractatus de visione beata hanc notanter reservavimus quæstionem, ut ipsius solutionis occasione finem imponeremus huic Disputationi in laudibus, & præexcellentiis Mariæ Virginis, à Deo ipsi concessis, dum in hac vita mortali degeret. 144

Quæstio hæc non proponitur de Christo; est enim de fide ipsum ex speciali privilegio fuisse viatorem, & comprehensorem; sed de aliis viatoribus puris creaturis, & præcipuè de B. V. Maria. In qua primò certum est, Deum posse elevare viatorem ad beatam visionem, sicut id fuit concessum animæ Christi. Certum est secundò nullum viato-

tem de lege ordinaria posse videre Deum; & hoc est de fide contra Anomæos, & Beguardos, adest enim ait S.Bon. *l.2 d.23.a.2.q.3 & l.3.d.14.q.1.* nimis grandis improportio inter nostros sensus, & potentias obæsas & obtusas, & dependentes à Phantasmatibus, & illud objectum infinitum.

Quæstio igitur est: *An ex speciali privilegio aliquando concessum fuerit alicui viatori.* Prima opinio negat absolutè, estque plurium SS.PP. & Scholasticorum, inter quos adnumeratur Seraph. Doct. *loc.cit. & ser 9* Hex.

2. Op. est affirmativa, quòd de facto ostensa fuerit visio clara Moysi, Paulo, Adæ, &c. & de Beata Virgine id major pars Theologorum asserit, quos citat P.Gaud. *in p 1.d.11.q.28.* contra quam mordicùs sustinet negantem cum Seraph.Doct. Nos autem ad gloriam Beatæ Virginis hanc amplectimur tamquam probabiliorem etiam de mente ejusdem Seraph. Doct. quidquid sit de aliis viatoribus. Pro solutione, &c.

1. Not. quòd triplex beatitudo in universum potest assignari Alia naturalis; alia supernaturalis viæ, alia patriæ. Prima ponitur ab Aristotele *l.10.eth c.7. & l.7.Polit cap.1.* consistens in actione, & contemplatione intellectus, & in actibus amicitiæ, & amoris cum Deo ut prima causa: hancque multi Theologi recognoscunt in Angelis, dum erant viatores, & in Adam in statu innocentiæ, quam mediam appellant inter obscuram per fidem, & beatam per lumen gloriæ, de qua agetur *l.2. sent. & S.Bon.l.2.d.4.a.1.q.1. & d.23. q.ult.* & valdè differt ab Aristotelica; nam Aristoteles carens lumine fidei erravit collocando in hac etiam bona fortunæ, & transitoria, quæ non ad beatitudinem, sed potiùs ad miseriam conferunt: Aliam etiam assignavit impiissimus Mahometes consistentem in bonis fortunæ & voluptatibus carnis, & hæc est fallax, & falsa, quam promittit Diabolus suis faciens per hanc miserimos suos sequaces; de qua agit S.Bon. *in proœm. Eccle. ser.1. & 4. de uno Mart. ser.7. de Apostol. ser.4. de Trinit. & l.2.d.38.q.1.ad 1.*

2. Beatitudo supernaturalis viæ est consistens in summa cognitione, & charitate erga Deum, habetque plures gradus, quorum summus consistit in intima unione Dei cum anima. diciturque experimentalis, seu sapientialis, & à D. Dyon. docta ignorantia, in quo statu anima plus agitur, quàm agat; de qua S.Bon. *l.1.d.3.p.2.a.2.quæst.2. & 6. & d.23.q.ult. & l.3.d.24.dub.4. & ser.2. Hexaem. & in op. de septem grad. contempl. & in Itiner. mentis c 1. seq. & præcipuè c. ult. & op. de Mystica Theol.* hancque vult S.Doct. *l.3. d.23. cit. & d.8. p.1. dub.2.* fuisse concessam Paulo, & Moysi; nec de hac est quæstio; sed de tertia supernaturali, nempè de visione clara, & fruitione summa Dei.

145 Not. 1. quòd duplex est gratia cum gloria, & visione beata: alia consummata, estque (ait S Bon. *ser.2. Hexaem. §. Tertius fructus*) gloria cum septem dotibus, quarum tres sunt animæ, nempè visio, tentio, & fruitio; quatuor corporis, de quibus supra actum est: Alia non consummata, estque animæ gloria, sed non ultimata, nempè cum passibilitate, mortalitate, fide, potentia merendi, &c. ut fuit aliqua ex parte in Christo, & etiam aliqualiter, differenti tamen modò, in D. Paulo, si verum est, quòd raptus fuerit ad claram Dei visionem.

Not. 3. totam repugnantiam excogitabilem compossibilitatis visionis claræ cum statu viæ posse reduci ad hæc capita: prima est dependentia animæ existentis in corpore mortali, in operari à Phantasmatibus, & sensibus, & consequenter videtur implicantia, quòd intellectus possit intuitivè ferri in objectum divinum immediatè.

2. Est subjectio peccabilitati proximæ: 3. implicantia visionis beatæ cum merito, quod est proprium viatorum: 4. ob repugnantiam cum libertate, est enim determinatum de fide contra Jansenistas ab Innocentio X. & Alexandro VII. non sufficere ad meritum libertatem à coactione, sed requiri libertatem à necessitate, quæ cum absit in visione beata, hinc, &c. 5. quia Viator cum visione beata non operaretur cum metu propriæ salutis, quod est proprium viatorum: 6. ob repugnantiam gloriæ cum gratia non consummata, & cum habitu fidei: S.verò Doct *l.2.d 14.a.2 q.3. & d.3.p.2. a.2. q.2. ad 5.* reducit has implicantias ad impeccabilitatem, ad necessitatem operandi Beatorum, ad ablationem libertatis, ad velamen carnis admittentis solùm cognitionem abstractivam de Deo, & ad rationem status viæ, & patriæ essentialiter differentium: hinc quotiescumque ostenderetur has implicantias nihil obstare visioni beatæ non consummatæ, rectè sine scrupulo poterit admitti visio beata in statu viæ.

Not 4. Et suppon. ex traditis sæpè ab Angelico Doct. & aliis Sanctis PP. & DD. & præcipuè à S.Bon. *in op spec. Beata, Virg. prol. & ser.1. de Beata Virg. alibique passim*, quòd quæcumque laudes de Maria prædicantur semper sunt inferiores suis eminentissimis meritis; & quia ideò ratione doni maternitatis divinæ omnes laudes, & perfectiones communicabiles puræ creaturæ sunt de ipsa prædicandæ dummodò non excedant statum puræ creaturæ; sicut enim id dicendum est de Christo ratione unionis hypostaticæ, sic & suo modo de Maria ratione maternitatis Dei: Et hinc sequitur alia prærogativa quam firmissimè tenent ferè omnes SS.DD.& PP. ex D.Ansel. apud Veg. *n.566.* nempè quotiescumque aliqua perfectio negatur cæteris hominibus v.g. præservatio à peccato ex textu Apostoli ad Rom. omnes homines in Adam peccasse, excipienda est Beata Virgo Maria; ex hoc, quòd ipsa non lege naturæ aliorum obstricta fuit, cum ut Mater Dei, super naturam aliorum evecta fuerit: Et hinc non rectè, & consequenter infertur ex hoc, quòd aliqui Sancti, ut S.Bon. negaverint visionem claram datam fuisse Moysi, & Paulo, vel aliis hominibus, intendant per hoc includere in hac negativa etiam Beatam Virginem Mariam, sed mensurandam esse regula valdè differenti aliorum, & eorum sensum inquirendum ex aliis eorum dictis, & laudibus Mariæ Virgini attributis, ut manifestè apparebit in doctrina S. Doct. His positis, &c.

1. Concl. Utraque opinio circa elevationem 146
Moysis, & D. Pauli ad claram visionem Dei, negativa, & affirmativa ad aures Seraph. Doct. est probabilis, quidquid in contrarium conatur P.Gaudentius *quæst. 28 nam l. 2.d.23.q.ult. & in corp.* habet hæc verba: Undè si quæ auctoritates dicere inveniuntur, quòd Deus in præsenti ab homine videtur, & cernitur, non sunt intelligendæ, quòd videatur in sua essentia, sed quòd in aliquo effectu inferiori cognoscitur, nisi fortassis in his, qui rapiuntur, sicut credimus fuisse in Paulo, qui specialitate privilegii statum viatorum superegrediuntur, nec ibi aliquid agunt, sed solùm, aguntur: Undè patet, quando negat aliquem vidisse Deum intuitivè, se loqui præcisa specialitate privilegii elevantis supra statum viatorum. Idem & in ser.9. Hexaem. ubi admittit in Paulo visionem puram

intellectua

intellectualem propriam mentium Angelicarum. Idem & *l. 3. d. 14. a. 2. q. 5. in ult. argum.* Aliis autem locis docet istos Sanctus vidisse Deum non facie ad faciem, sed per altissimam contemplationem: *sic l. 2. d. 8. p. 1. dub. 2. op. Itin. mentis c. ult. op. de septem grad. contempl. & op. Myst. Theol.* undè utraque pars est probabilis ad aures Seraph. Doct.

Negativa autem prob. ex pluribus textibus S. Script. indicantibus, Deum in hac vita non posse videri: tùm quia visio est tota merces, ergo reddit hominem impeccabilem, & debet esse intuitiva: tùm quia aufert fidem ab homine; qui enim vidit Romam, non ampliùs credit.

Affirmativa probatur ex aliis textibus Sacræ Scripturæ, sic Paulus dixit se raptum fuisse ad tertium Cœlum, idest ad Empyreum (hoc enim ad aures Seraph. Doct. est tertium Cœlum) primum aëreum, secundum firmamentum, tertium Empyreum, ut à nobis dictum est in Philos. in tract. de cœlesti natura. Ex hoc autem nulla implicantia sequitur: tùm quia magis magnificatur munificentia Dei, nec absurda allata sequuntur, nempè impeccabilitas, & deperditio fidei, hæc enim consequuntur ad claram, & consummatam visionem Dei, non ad non consummatam.

147 2. Concl. B. V. Maria in via aliquando vidit ex speciali privilegio clarè divinam essentiam: Hæc conclusio debet esse omnium, qui idem concedunt D. Paulo; & cum Seraph. Doct. probabiliter istis Sanctis ipsam admittat, ob idque à fortiori est ejusdem Seraph. Doct. & plurimorum Theologorum, quos latè, & fusè referunt Recupitus, Ribas, Suarez, Salas, aliique apud P. Gaud. cit. licèt ipse addat *n. 398.* tot Doctores classicos, & eximios id asserere non solidè, sed immeritò, imò ipse cum aliis magis non solidè negat.

Prob. ex Suar. *l. 2. de Beatit. l. 12. q. 8. a. 4.* Visio beata formaliter sanctificat animam, ipsamque magis Deo unit, redditque gratiorem, & ipsa transacta magis excitat ad amorem Dei, & puritatem cordis, quàm quæcumque alia gratia, ergo ista fuit concessa Beatæ Virgini. Antecedens est omnium commune, quod S. Doct. etiam notat *ser. 2. Hexaem.* ubi dicit, quòd gratia habet triplicem gradum, alia est curans à peccato, alia corroborans, estque in augmento ejus per Sacramenta, alia consummans, & complens totaliter hominem in Cœlo, per totalem deiformationem. *Idem & ser. 1. de S. Barth.* & fusè, & sublimissimè id docet *l. 2. d. 27. a. 1. q. 2.*

Idem præcipuè docent de Beata Virgine Suar. Torres. Granado. Ouvied. aliique plures, qui unanimiter in formis sanctificantibus animam hunc ordinem recognoscunt, in infimo loco gratiam, secundò superius maternitatem divinam, & tertiò, supremoque loco beatitudinem.

Nos verò ex nostris principiis, quæ alibi tradentur etiam ad aures S. Doct. qui *l. 3. d. 2. a. 2. quæst. 1. ad 4. & d. 4. a. 2. q. 3. arg. ult. & q. 2. corp.* in eodem ordine collocat unionem hypostaticam, & maternitatem Mariæ in ratione merendi, undè inferiorem locum præbet gratiæ viæ, medium beatitudini, & supremum unioni hypostaticæ, & consequenter, quia maternitas Dei est immediatè spectans ad ordinem unionis hypostaticæ, licèt secundariò, hinc dicimus quòd in Maria primo, & supremo loco ponitur maternitas, quæ est sanctitas formalis eminentissima, & formalissimo modo sanctificans subjectum, in quo est, cui debentur tamquam proprietates consequentes gloriæ, & gratiæ plenitudo, omniaque dona spiritualia communicabilia puræ creaturæ: de qua materia fusè à nobis agetur suo loco *in 2. & 3. sent.* Hinc, dato hoc antecedenti. Consequentia prob. quia nulla aptior creatura potest dari ad divinam maternitatem Beata Virgine, ut rectè docent SS. DD. & communiter Theol. cum S. Bon. *l. 1. d. 57. p. 2. q. 4. & ser. 1. & 2. de B. V.* asserente, quòd in ipsa repleta est tota capacitas ad gratiam puræ creaturæ, sed si Maria non haberet in via hanc visionem potuisset dari alia creatura aptior ergo. Et confirmatur ex S. Thoma *3. p. quæst. 27. a. 1.* rectè majora in quovis genere gratiæ privilegia deferenda sunt Matri Dei, quàm servis.

Prob. 2. quia nulla adferri potest implicantia, ut in sequenti conclusione probabitur, sed quod non repugnat fidei, & pietati secundùm regulam D. Thomæ, & S. Bon. & communem Theologorum ex Vega in Theol. Mariana *n. 1856. & deinceps*, debet rationabiliter dici de Maria, ergo: tùm quia quod Christus habet per naturam, hoc concessum est Mariæ per gratiam, dempta unione hypostatica, sed visio beata concessa est Christo in via, ergo: tùm quia cognitio, quæ à Deo tribuitur in hoc statu communi viæ, est semper cum aliqua obscuritate, & imperfectione (hinc autem admittit Seraph. Doct. in primo hòmine in statu innocentiæ, & in Angelis in via cognitionem perfectionem proximam cognitioni Beatorum, ut probat *l. 2. d. 4. & 23.*) ergo ut hæc imperfectio deesset in Virgine, & super Angelos, & primum hominem elevaretur in perfectione viæ debet dari visio clara saltem per modum transeuntis. Et in confirmatione hujus congruitatis docent Theologi de Christo ad majorem perfectionem recognoscendam in ipso, in eliciendo actus meritorios usum fuisse semper, vel scientia beata, vel abstractiva à beata procedente, per quod salvatur actum minimum Christi fuisse magis meritorum quocumque alio creaturæ ferventiori; sed hæc superexcellentia in actibus Beatæ Virginis prædicatur à SS. PP. ergo & eadem radix, cum hoc discrimine tamen, quòd Christus nobis, non sibi merebatur, B. Virgo autem sibi, & nobis. Et hinc Plures gravissimi Theologi, & Patres apud Salas, de conceptione *c. 32.* Caspensem, Suar. *d. 19. sect. 4.* Vegam in Theologia Mariana à *num. 1857. & deinceps* docent Mariam in instanti suæ conceptionis fuisse elevatam ad beatam, & claram visionem Dei; alii addunt in puncto Incarnationis Verbi, & in die resurrectionis Christi.

QVÆSTIO XVII.

An Deus cognoscatur per creaturas.

E Cœlis ad terram invitamur à Seraph. Doct. 148
nempe à cognitione intuitiva Beatorum ad abstractivam Viatorum: Sanctus enim Doct. post enodatam primam partem spectantem ad cognitionem Dei, quatenus à Beatis cognoscitur intuitivè in creaturis ideatis in essentia divina, & etiam in proprio genere, transit ad enodandum modum, quo cognoscitur per creaturas; & quæstio procedit pro omni statu & innocentiæ, & naturæ lapsæ, & beatæ; Pro cujus solutione.

1. Not. quòd hîc quæritur de cognitione Dei non quoad nomen tantùm, sed quoad quidditatem; & hoc non tantùm in ordine ad si est, sed etiam ad quid est, & sub forma propria, an sub rationibus universalibus, de quibus Seraph. Doct. *lib. 1. d. 8. art. 1. quæst. 2.*

2. Not. quòd in creatura proprietates, seu prædicata

dicata sunt duplicis generis, nempe vel transcendentales, quæ dicunt perfectionem ut sic, ut ens, substantia, verum, bunum, &c. vel particulares, & individuales, & istæ cum perfectione involvunt imperfectionem, quod & advertit hîc Seraph. Doct. *l. 1 d. 1. p. 1. a. 1. q. 2. ad* 1. Per creaturas isto secundo modo non potest perveniri ad cognitionem Dei per prædicanonem positivam, quia attribueretur Deo quod est imperfectionis v. g. esse corporeum, limitatum, &c. sed tantùm per negationem. Primo modo verò secundùm conditiones perfectionis non potest deveniri in cogoitionem Dei sistendo in eis velut in pictura de se considerata; quia sic essent via ad errorem, sed tantùm, ut in eis relucet imago aliqua Dei, & hoc per elevationem ad superexcellentiam divinam, v.g. summum ens, summum verum, summum bonum.

3. Not. quòd cognoscere Deum in creatura est cognitio intuitiva, ut in naturalibus cognoscitur conclusio in præmissis, & in conclusione Dei ipse cognoscitur à Beatis in creatura per influentiam divinam in ipsa, & hæc est propria Beatorum; cognitio per creaturam est cognitio abstractiva, reique veluti absentis, scilicet vel per vestigium, vel per imaginem discursivo modo.

4. Not. ex Seraph. Doct. *l. 1. d. 3. q. 2. ad ult.* quòd omnes creaturæ repræsentant Deum aliquo modo, sed tamen differenti, aliquæ enim ut umbra, aliæ ut vestigium, aliæ ut imago: umbra enim repræsentat corpus, sed confusè, sic creaturæ repræsentant Deum confusè, quatenus repræsentant Deum ut causam indeterminatè in genere; aliæ ut vestigium, hoc enim expressiùs quàm umbra repræsentat, v.g. in nive repræsentat hominem secundùm articulos, & musculus, sic creaturæ repræsentant Deum prout est ipsarum causa efficiens, exemplaris, & finalis, & ob id Deum omnipotentem, unum, verum, sapientem, bonum, &c in quo & unitatem Dei repræsentant, & aliquo modo imperfecto Trinitatem secundùm appropriata, nempe Patrem sub ratione potentiæ, Filium sub ratione sapientiæ, & Spiritum Sanctum sub ratione bonitatis: Aliæ verò creaturæ nobiliores sunt, quæ repræsentant distinctè secundùm propria Trinitatem sub ratione imaginis, quatenus habent essentiam in tribus potentiis, memoriam, qua repræsentatur Pater; intellectum, quo repræsentatur Filius sapientia genita; & voluntatem, qua repræsentatur Spiritus Sanctus, & talis est anima nostra, & Angelus; hæ sunt creaturæ, quæ nobilissimè in eo cæteris præcellunt, quia cæteræ referuntur ad Deum tanquam effectus ad causam, ad modum, quo umbra respicit corpus in confusu, & vestigium pedem expressiùs; at verò anima, & Angelus ultra ista referuntur ad Deum, ut objectum in se clarè expressum cui uniri per cognitionem, & amorem appetunt, in quo etiam divinas exprimunt emanationes, scilicet per actus potentiarum, dum enim intelligunt concipiunt verbum expressivum objecti, quo concepto prorumpunt ad ejus amorem: sic S. Bon. cit. & cum ipso P. Gaud. *quæst* 29. de qua expressione imaginis redibit aliàs sermo. His positis.

1. Concl. Deus est cognoscibilis à nobis per creaturas; est S. Bon. cit. & communis Et prob. primò
14 ex Sap. c. 13. *A magnitudine speciei, & creatura cognoscibiliter poterit Creator horum videri*: Vide eumdem S. Doct. in comment. super hunc locum, ubi probat mundum esse veluti librum aureis litteris excisum, in quo legitur gloria Conditoris. Secundo, quia effectus manifestat causam, & fabrefacta indicant artificem; effectus autem continentur in causa, nemo enim dat quod non habet, ergo omnis creatura, quia continet aliquas perfectiones, repræsentat perfectiones primæ causæ. Et hinc Philosophi Gentiles descenderunt in cognitionem existentiæ primæ causæ ex existentia effectuum, quia nihil potest se producere; in cognitionem sapientiæ ex ordine, & ornatu universi; providentiæ ex assistentia; potentiæ ex conservatione rerum; sic Trismegistus, Cicero, Aristoteles, Plato, aliique.

Addit tamen S. Bon. quòd non possumus cognoscere Deum perfectè secundùm suam quidditatem, quia finiti ad infinitum nulla est proportio, tùm ob modum imperfectum nostræ cognitionis, dum sumus in via, ubi dependet homo à sensibilibus, & phantasmatibus.

Objic. 1. ex Sap. c. 14. *Creaturæ factæ sunt in descipulam pedibus insipientium.* ergo sunt via ad errorem. Resp. Seraph. Doct. quòd id verificatur apud insipientes, qui sistunt in cognitione creaturarum, & amore, absque eo quòd eleventur in Deum, uti faciunt sapientes.

Objic. 2. Creaturæ sunt tenebræ nullam habentes convenientiam cum illa summa luce, ergo. Resp. imò ex hac tenebrositate possumus per remotionem duci in cognitionem summæ lucis, adest enim convenientia non univocationis, sed ordinis, ut effectus ad causam, & imago ad exemplar.

2. Concl. Quilibet Viator, sive in statu innocen- 150
tiæ, sive naturæ lapsæ potest Deum cognoscere per creaturas, sed differenti modo, non verò Beatus.

Prima pars de statu innocentiæ prob. à S. Doct. *l. 2. d. 23. q. ult.* In illo statu, quia nullum erat impedimentum peccati, homo cognoscebat clarè Deum abstractivo modo, seu per modum contemplationis altissimæ mediæ inter nostrum statum, & Beatorum: 2. pars de viatoribus in statu peccati supra probata est. 3. pars de Beatis patet ex suprà traditis, quia Beati non indigent scala ascendendi in Deum, sed immediatè vident Deum, & creaturas eas referendo in Deum, & per eas Deum laudando. Vide S. Bon cit &c.

Quæres, quomodo homo pervenit per cognitionem creaturarum in cognitionem Dei, nempe quali specie, an per species creaturarum cognoscatur Deus secundariò, an verò ex pluribus speciebus producatur una species immediatè repræsentans Deum? Resp. hoc secundum asserere D. Thomam *p. 1. q. 1 s. a. 2. ad* 2 S. Bon verò *l. 1. d. 3. q. 1. ad* 1. & 2. asserit nos cognoscere creaturam in se per propriam speciem innatam de qua alium actum est, & secundariò duci per eam veluti per scalam in Deum.

Q. 2. An cognitio Dei per creaturas, seu per rationem naturalem sit certior, quàm cognitio per fidem, ratio dubitandi est, quia illa est evidens, ista per ænigma, & obscura.

Resp. juxta tradita in Quæst procem. An Theologia sit scientia: quòd certior, imò evidentior est cognitio per fidem, quàm per scientiam naturalem; sic Seraph. Doct. *l. 3. d. 23. quæst* 4. ratio est, quia per fidem habetur cognitio indubitabilis, & per lumen æternæ veritatis, quæ conditio deficit in scientia naturali.

QVÆSTIO XVIII.

De ineffabilitate Dei; seu de nominibus Dei.

160 Quia res nominamus eodem modo, quo cognoscimus; hinc pro complemento hujus disputationis de cognoscibilitate Dei, superest explicare, quænam sit ineffabilitas Dei, & quomodo possit nominari à nobis, scilicet, an per nomina propria, an per translativa, & an importent relationem realem, vel rationis, & an ab æterno, vel ex tempore? de quibus agit S.Doct. *lib.* 1. *d.* 22. *per tot.* Hinc.

1. Suppon. quòd, cum nominare sit exprimere rem verbo sive mentali, sive vocali, quæstio procedit non de mentali, supra enim actum est de cognitione Dei, sed de vocali, quod est signum exprimens verbum interius, quod à Seraph. Doct. hic appellatur notitia expressa.

2. Suppon. quòd quæstio non procedit de effabilitate comprehensiva, & totali Dei quidditatem exprimente; sic enim non est effabilis, nisi à seipso, & hoc est de fide determinatum in Concilio Later. cap. Firmiter; & ratio est (ait S. Doct.) quia nos effari non possumus, nisi quod cognoscimus, sed nostra cognitio de Deo est semiplena, ergo.

3. Suppon. ex S. Doct. cit. quòd nomen significat substantiam cum qualitate, idest rem per modum stantis, & quiescentis, & verbum per modum actus, & fluxus; hinc in ipso nomine communiter differunt quod, & quo, v. g. homo est quod; humanitas est quo: quæ rationes aliquando sunt distinctæ in re nominata, ut album; aliquando non sunt distinctæ, sed distinctio stat tantùm ex parte intellectus; & hinc oriuntur tot modi grammaticales, v.g. vel exprimitur res per modum simplicis, & in abstracto, ut albedo, humanitas: vel per modum compositi, & concreti, ut album, homo: vel per genus masculinum, vel fœmininum, aliosque modos, qui modi, cum non sint in Deo, nos per ea, quæ videmus in creaturis, Deum nominamus, ad ipsum transferentes ea, quæ dicunt perfectionem, & removemus ea, quæ imperfectionem sonant, undè diversitas stat, vel ex parte modi significandi, vel ex parte intellectus nostri.

4. Suppon. relationem realem aliam esse mutuam, ut Patris ad Filium ex parte utriusque extremi; aliam non mutuam sed tantùm realem ex parte unius extremi, & ratione ex parte alterius, ut scientia ad scibile, creatura ad Creatorem; undè ex parte extremi non realiter relati fit denominatio ab extrinseco, ut in Deo denominatio Domini, de qua in Logica actum est de relat. *quæst.* 2. *&* 3.

5. Suppon. quæstionem maximam esse inter Theologos, & etiam Philos. an nomen possit imponi ab aliquo ita, ut plus ex natura sua significet, quàm sit cognitio imponentis; quæ quæstio dependet à traditis in Logica à nobis *tract.* 3. *quæst.* 1. *de univers. ad* 2. *notab. & tract.* 8. *quæst.* 2. *&* 3. ubi solvitur illa quæstio: an vox, seu nomen immediatè, & principaliter significet conceptum formalem intellectus, & mediatè conceptum objectivum, & secundariò formalem: Ubi Thomistæ volunt significare de sua prima ratione utrumque, sed principalius res, minus principaliter conceptum formalem intellectus, sic Joan. à S. Thoma in Logica *p.* 1. *q.* 1. *a.* 5.

Scotus è contra vult per se, & immediatè significare res, non verò conceptum formalem, nisi fortè per accidens, & conceptum ipsum significare easdem res, sed cum subordinatione, quatenus, scilicet, voces subordinantur conceptibus, tamquam signa posteriora prioribus, nam intellectus vocibus, & conceptibus utitur ad significandas res.

Seraph. Doct *lib.* 1. *dist.* 22. *art.* 1. *quæst.* 1. *ad* 4. *& quæst.* 2. *& lib.* 4 *dist.* 3. *part.* 2. *art.* 1. *quæst.* 2. *ad* 3. *&* 4. *& lib.* 1. *dist.* 26. *art.* 1. *quæst.* 1. *ad* 1. *& lib.* 2. *dist.* 9. *quæst.* 4. *& lib.* 3. *dist.* 18. *dub.* 2. *&* 3. *& lib.* 1. *dist* 38. *art.* 2 *quæst.* 2. *corp.* notat quòd in nomine sunt tria, scilicet vox, significatio, & ratio innotescendi, vel significandi, quæ omnia immediatè rem significant; sed ratio innotescendi est ipsa institutio facta ab intellectu cum fundamento ad exprimendam rem, ergo & vox, & conceptus immediatè significant rem, sed nomen dependet ex sua institutione ab ipso conceptu instituentis, ut patet ex ipsa impositione nominum facta ab Adam, ergo nomina subordinantur conceptibus, ut signa posteriora prioribus, ergo ad nomina necessariò præcedere debet cognitio instituentis; non enim primario exprimere possumus ea, quæ ignoramus; & sicut res cognoscitur; sic ab intellectu concipiente nominatur; *sic lib.* 1 *dist.* 22. *quæst.* 1. *& lib.* 2. *dist.* 1. *part.* 2. *quæst. ult. in fine*; hinc solùm Deum nominare possumus ad proportionem cognitionis nostræ contra Scotum; sic vox principaliter significat res, & cum subordinetur conceptui, significat etiam ipsum conceptum, à quo oritur ratio innotescendi, & exprimendi; ratio est, quia homines volentes exprimere suum conceptum circa res, nominibus usi sunt ad id exequendum; & hinc orta est impositio nominum exprimentium simul conceptum & loco rerum subrogatum ad ipsas exprimendas; & hinc sequitur, quòd ad proportionem cognotionis etiam currit impositio nominis. His positis.

1. Concl. Deus est nominabilis à nobis imperfecto modo, & solùm ad mensuram nostræ cognitionis; est S. Doct. *lib.* 1 *dist.* 22. *quæst.* 2. D. Thomæ communisque omnium quoad primam partem, & quoad secundam partem est contra Scotum. 161
1. Pars patet quia à nobis cognoscitur imperfecto modo, & ut dicit S. Bon. semipleno, ergo etiam tali imperfectione nominabilis; nominis enim ratio innotescendi venit ex cognitione imponentis; tùm etiam, quia nomina quibus Deum exprimimus in via sunt desumpta ex creaturis; sed ista involvunt in exprimente compositionem ex quo, & quod, est ex tertio fundamento, ergo imperfecto modo ipsum exprimunt.

2. Pars remanet etiam probata contra Scotum ex ultimo fundamento, nam nomen imponitur præcisè ad exprimendam rem, & simul conceptum imponentis, ergo non potest superare cognitionem ipsius.

Objic. 1. Inter nomen, & rem debet esse proportio, sed Deus est infinitus, & nomina sunt quid finitum, ergo à nobis non potest nominari. Resp. distinguendo majorem; debet esse proportio inter nomen, & rem, ut sic, nego; ut tali modo cognitam concedo. Ad minorem, Deus non cognoscitur à nobis nisi finito modo, licèt ut infinitus, &c. sicque potest à nobis nominari: Instas:

ergo per tale nomen attribuitur Deo, quod in ipso enim est: Resp. negando consequentiam, tribuitur quidem Deo quod verè in eo est, sed cum imperfectione non in Deum resultante, sed in nostro tantùm intellectu remanente.

Objic. 2. contra secundam partem ex Scoto, Arriaga, Vasquez. Nomen impositum de se potest habere majorem latitudinem ultra cognitionem imponentis, & maximè apud audientem v.g. Angelum, & ipsum Deum, ergo potest excedere cognitionem imponentis. Resp. transeat antecedens; sed tamen negatur consequentia, ratio est, quia ratio innotescendi in nomine (ait S. Bon.) est mensura expressionis nominis, & hæc est cognitio, & conceptus expressibilis imponentis, & si ultra extenditur id est per accidens; oritur enim nomen à vera significatione objecti noti ipsi imponenti, &c.

2. Concl. Deus potest sibi imponere nomen comprehensivè exprimens sibi seipsum, non autem creaturis. Prima pars est contra Suarez, & Bannez, & probatur; quia ejus cognitio, est comprehensiva, ergo potest nomen sibi imponere proportionatum; tum quia, ut docet S. Bon. solus Deus exprimit sibi verbum adæquatè. Prob. secunda pars ex supra traditis, quia nulla creatura potest Deum comprehendere, ergo neque ejus nomen. Dices; in Sacra Scriptura multa nomina sibi imposita sunt ab ipso, sed hoc est ad ipsum notificandum qualis est, ergo potest quidditativè nominari. Resp. esse imposita quidem à Deo, sed ad usum viatorum, sic secundùm nostrum modum limitatum cognoscendi.

3. Concl. Nomen, potest sumi, vel pro ipsa re nominata, vel pro ipso nomine significante, vel pro ipso notamine, seu ratione nominandi: si primo modo scilicet pro ipsa re nominata, sic est secundùm unam rationem unum nomen Dei: si secundùm aliam, scilicet personaliter, est multiplex; primo modo sic essentialiter est unus Deus, & omnia unum: si secundo modo, scilicet personaliter, sic plura nomina habet: Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus: si verò sumitur pro ipso nomine pro voce significante, sic habet plura nomina, aliaque essentialia, & absoluta, alia relativa, ut de se patet: si tertio modo pro ipsa ratione nominandi, sic ex parte Dei est unum nomen, quia unica est ratio: si ex parte effectuum, sic diversa nomina habet, & hæc vel propria, vel translativa, & metaphorica: Propria sunt, quæ vel essentiam, vel quæ sunt essentialia Deo significant, quæ significatio, vel est per positionem, ut dicitur Creator, Dominus, causa prima, vel remotionem, ut incomprehensibilis, infinitus, &c. vel per excellentiam perfectionum, quas videmus in creaturis, & in Deum transferimus sine imperfectione, ut esse vivere, sapientia, &c. & spectant (ait S. Dyon.) ad unitam, & propriam Theologiam: Translatitia, & metaphorica, quæ important aliquam similitudinem proprietatis, ut Agnus, Leo, Petra, &c. & ista spectant ad symbolicam Theologiam.

162 Ut autem omnia ista, quæ sunt communia Theologiæ intelligantur, notat Seraph. Doct. *lib. 1. dist. 22. quæst. 3.* quòd quædam sunt nomina, quæ significant rem, cujus oppositum est in creatura, ut immensus, æternus, & similia, & ista sunt propria; quædam significant rem, cujus veritas est in Deo, & similitudo in creatura, ut potentia, sapientia, voluntas, & ista transferuntur à creaturis ad Deum non secundùm rem, sed secundùm impositionem, quia priùs imposita creaturis, quàm Deo, licèt sint priùs in Deo; quædam sunt, quæ significant rem, cujus veritas est in creatura, & consimilis proprietas in Deo, ut lapis, leo; res enim significata est in creatura, sed similitudo proprietatis est in Deo, ut stabilitas, fortitudo, & ista sunt propriè translativa.

Ex qua doctrina inferuntur sequentes regulæ. 1. Illa nomina, quæ in suo formali significato dicunt solam imperfectionem, ut esse creatum, finitum, dependens, non conveniunt Deo, nec propriè, nec translativè. 2. Illa, quæ significant exclusionem imperfectionis, ut immensus, infinitus, soli Deo conveniunt: 3. Illa, quæ important perfectionem in gradu incompossibili creaturæ, ut omnipotens, omnisciens, soli Deo competunt. 4. Illa, quæ in suo formali significato important perfectionem, licèt in conceptu generico admittant imperfectionem, ut esse sapientem, bonum, verum Deo propriè conveniunt, licèt quoad modum significandi non conveniunt, verbi gratia abstracta, & concreta, quia significant aliquam differentiam. 5. Illa, quæ important perfectionem, quæ secundùm rem, & modum significandi conveniunt creaturis, ut leo, Agnus, &c. conveniunt Deo metaphoricè, & propriè creaturis.

Quæres, quænam nomina sunt magis propria Dei? Resp. ex Seraph. Doct. *lib. 1. dist. 2. dub. 4. & dist. 34. quæst. 1. ad 2.* quòd primarium nomen Dei est (qui est, vel: ego sum, qui sum) quia significat entitatem Dei in omnimoda perfectione, & absolutione: sic & in Itiner. mentis *cap. 5. & 6. & ser. 1. 2. 9. & 10. Hexaem. & op. Princip. S. Script. & Comp. Theol. lib. 1. cap. 23.* ubi super omnes S. Doct. istud explicat. Nomen autem (Deus) est relativum significans naturam Dei, ejusque operationes in creaturis: Deus enim dicitur ab Ethein, idest ardens; vel à Thein, idest fovere; vel à Theaste, idest videre. *Vide lib. 1. dist. 2. dub. 3. & d. 18. quæst. 6. & dist. 23. art. 1. quæst. 2. & 3. & dist. 36. dub. 1.* De nomine Dei Tetragrammaton, & Jehova. *Vide Abul. in cap. 6. Exod. quæst. 1. & Clem. Alex. aliosque apud Trigos. hic.*

4. Concl. Nomina plura dicuntur de Deo ex tem- 163
pore, non per essentiam, vel inhærentiam, sed, vel per unionem, vel causam, quæ de principali dicunt essentiam; de connotato dicunt effectum in creatura, & hoc: vel secundùm habitum, idest in actu primo, ut Dominus; misericors: vel secundùm actum, ut Dominator, Creator; & probatur, quia hæc competunt Deo actualiter tantùm per effectum in creaturis, ergo ex tempore, nec aliquid ponunt temporale in Deo, sed in creatura; undè ista ex parte Dei important relationem rationis, ex parte creaturæ realem; ratio est, quia ista nomina v.g. Dominus, Creator, important de principali divinam essentiam simplicissimam, & infinitam, & incapacem additionis; de connotato verò terminum actionis, qui est creatura, in qua fundatur relatio ad Deum.

Objic. 1. ex D. August. Deus in tempore incœpit esse Dominus realiter, & Creator, nullo cogitante intellectu, ergo refertur ad creaturas relatione reali. Resp. distinguendo antecedens, Deus in tempore incæpit esse Dominus, & Creator, per mutationem factam in ipso, nego; in creatura concedo: ratio est, quia Deus agit per essentiam, & seipso, non media actione à se distincta, & ideò ante creaturam est Dominus in habitu, & Creator, agens verò actu seipso tunc insurgit de novo creatura, in qua fundatur relatio realis ad suam causam.

Contra. Pater seipso generat Filium, & inde resultat relatio realis, ergo nulla responsio; si enim seipso

ſeipſo erat, ergo poteſt etiam inſurgere relatio realis. Reſp. conced. antecedens, & negando conſequentiam, & paritatem; ratio diſparitatis eſt, quia Pater generando conſtituitur Pater, & dicit ordinem originis ad Filium; at creando non conſtituitur Creator, & Dominus, cum ipſius eſſet in ſeipſo, & creando ſeipſo nihil additur Deo, cum ſit ſua actio.

Contrà. Inter cauſam, & effectum redundat relatio realis, ergo inter Deum,& creaturam? Reſp. S. Bon. *l.1. d.8. p.1. a.2. q.1. ad 3. & 4. & diſt.30. quæſt. ult. ad ult.* concedendo antecedens in creatis, eò quod mediat actio inter cauſam, & effectum, ſuper quam fundatur relatio, cum Deus ſit ſua actio, hinc & ab æterno eſt Deus, Dominus, & Creator, ſcilicet in habitu, & cum agit, tunc actui conjungitur voluntas Dei pro tempore, quo vult abſque mutatione ipſius, ſed tantùm creaturæ. Et ſi intelligitur in Deo relatio, hæc eſt rationis tantùm fundata in relatione reali creaturæ, vel in ipſa ut termino actionis divinæ. *Vide S.Bon.l.1.d.8.& 3.cit. Et P.Gava.Trigoſ.in hunc loc.*

DISPVTATIO V.

De ſcientia divina.

HActenùs determinatum eſt de iis, quæ ad divinam pertinent ſubſtantiam; conſequenter procedendum eſt ad eorum conſiderationem, quæ ſpectant ad ipſius operationem; quoniam verò operatio Dei alia eſt immanens in operante, ut intellectio, & volitio, & hæc eſt, vel eſſentialis, vel notionalis; alia extra pertranſiens, illaque eſt prior iſta; hinc remiſſa conſideratione actuum immanentium notionalium ad tractatum de SS. Trinitate; hic ſolùm agemus de eſſentialibus, & primò de ſcientia Dei; ſecundò de voluntate, & volitione; & tertio loco agemus de actibus potentiæ extra prodeuntibus in effectus creatos. In hac diſputatione diſſeremus ad mentem S. Doct. de ſcientia divina, in qua primò conſiderabimus ſcientiam Dei in ſe. 2. rationes cognoſcendi, ſcilicet ideas. Et 3. objectum divinæ eſſentiæ.

QVÆSTIO I.

An Deus habeat ſcientiam propriè.

164 SEraph. Doct. in terminis non exagitat hanc quæſtionem, ſed plurimis in locis, & præcipuè *in Comp. Theol. l.1. cap.29.* ſupponit ipſam eſſe in Deo; ſed tamen notandum, quòd aliter erit in Deo, aliter in nobis; in nobis enim eſt accidens reale ſuperadditum cum multis imperfectionibus; in Deo verò eſt idem formaliſſimè cum divina eſſentia, ut ſupra agentes de attributis divinis docuimus. Hinc.

Prima concluſio. In Deo eſt perfectiſſima ſcientia certa, & evidens; eſt S. Bon. *l.1. d.39. art.1. q.1. & 2. & Comp. Theol. cit. & Brevil. l.1.* & aliis plurimis locis, & communis, & de fide; quia in S. Scriptura prædicatur hæc ſcientia in Deo, cui omnia ſunt nuda, & aperta. *Vide in loc. cit.* varios textus clariſſimos: & patet etiam ratione, quia hæc eſt maxima perfectio, ergo in Deo adeſt; tùm quia ſubſtantia quò magis independens à materia corporea, eò ſpiritualior, & ob id eſt perfectiùs cognoſcitiva, ſed Deus eſt hujuſmodi, ergo. Quòd verò ſit perfectiſſima patet, quia eſt idem formaliſſimè cum eſſentia divina, & ſemper in actu, ergo. Sic Seraph Doct. *l.1. d.27. p.2 a.1. q.4. ad arg.* Hic autem diſquirunt multi Theologi, an intellectualitas ſit ultima ratio conſtitutiva Dei; ſed quia de hac materia in ſuperioribus egimus *diſp.1. de quidditate Dei*; hinc ipſam omittimus.

Addimus, quòd licèt ſcientia Dei in ſe ſit una, ſortitur tamen varia nomina ſecundùm varia objecta; quia in ordine ad merè poſſibilia dicitur ſcientia ſimplicis intelligantiæ; in ordine futurorum dicitur ſcientia viſionis, in ordine ad conditionata, quæ numquam erunt dicitur ſcientia media, quæ diverſitas quidem non eſt in Deo, ſed penès terminos; de quibus infra ſuo loco.

QUÆSTIO II.

De ſcientia divina quantùm ad rationes cognoſcendi; An ſint Ideæ in Deo, quid ſint, & an plures. S. Bon. l.1. d.35.

PRimò ſuppon. quòd ratio cognoſcendi aliquid, poteſt ſumi vel ex parte intellectus, vel ex parte objecti: ex parte intellectus divini certum eſt ait S. Doct. *in Brevil. p.1. cap.8. & l.1. d.37. q.1. fund.4. & q.2. in corp.* eſſe perfectionem divini intellectus, qui eſt ſumma lux omnia comprehendens, intuenſque perfectiſſimè, de qua ratione alibi redibit ſermo: ex parte objecti eſſe ideas, in quibus omnia videt,& has certum eſt dari in Deo; ſed quia dupliciter aliquid poteſt eſſe in mente divina, nempè, vel ut objectum ſecundùm eſſe objectivum, vel ut actus intelligendi in cognoſcente, ſecundùm eſſe formale: rurſùs; hoc eſſe objectivum, vel eſt ut objecti primarii, vel ut ſecundarii; controvertitur in hac quæſtione cui iſtarum magis propriè conveniat nomen ideæ. 165

Prima opinio eſt Suarez in Metaph. *d.25. ſect.5.* Vaſq. *d.71. cap.2.* aliorumque ſuſtinentium, eſſentiam divinam eſſe ideam prout eſt cognitio, ſeu verbum, ſeu ſimilitudo, ſeu ſpecies expreſſa creaturarum, ſeu actus intelligendi, conceptuſque formalis

malis in mente artificis: Vaſq. verò in artifice creato admittit ideam eſſe conceptum objectivum, non verò in Deo, eo quòd conceptus artificis creati confusè repræſentat opus futurum; In Deo verò repræſentatur diſtinctè, ideò per hoc exemplar formale intellectus divini ſit perfectè opus externum; Iſtique auctores omnes conantur trahere Seraph. Doct. ad ſuas partes, violenter tamen, ut mox apparebit.

2. op. eſt D. Thomæ, & ſequacium apud P. Gaud. *d.* 24. *quæſt.* 2. Maſtr. alioſque ſuſtinentium ideam eſſe ipſam divinam eſſentiam, non ſic præcisè conſideratam prout abſtrahit à continentia eminentiali creaturarum, ſed prout continet illas eminenter, & virtualiter per modum cauſæ æquivocæ, & prout cognita directè ab intellectu divino ſub diverſis reſpectibus imitabilitatis à creaturis, ſic D. Thomas *part.* 1. *quæſt.* 15. *art.* 2. *& ibid.* ſui ſectatores. Sic & Caſpenſ. noſter *diſt.* 12. Trigoſ. qui citat etiam S. Doct. pro hac ſententia; ſic etiam P. Gaud. *num.* 2. *& diſt.* 13. *quæſt.* 4. trahentes S. Doct. licèt invitum, ad partes Thomiſtar.

3. Sententia eſt Scoti, & ſequacium ſuſtinentium, ideam eſſe ipſas creaturas præcognitas ut factibilea, prout tamen tantùm objectivè continentur in divina intelligentia tamquam reales conceptus objectivi, ſic apud Meldulam *d.* 3. *n.* 49. ſic & Nominales, alique.

Hic autem aliqui Thomiſtæ de hac Scoti ſententia malè ſentiunt ipſi impingentes convenire cum errore Viclephi dicentis creaturas ab æterno fuiſſe in Deo, & fuiſſe Deum. Suarez tamen Viclephum excuſat dicens ipſum id aſſeruiſſe ex ignorantia exiſtentiæ creaturarum, dicendo creaturas ſecundùm ſe eſſe in Deo abſque eo, quòd explicaverit talem exiſtentiam eſſe tantùm objectivam; ſed quidquid de Hæretico. Certum eſt Scotum catholicè loqui; docuit enim creaturas à Deo cognitas ſecundùm eſſe poſſibile proprium eſſe ideas, quod eſſe ab æterno habent in ſeipſis quidem formaliter, non tamen à ſeipſis, ſed principiativè ab intellectu divino, & hoc Scotus appellat eſſe diminutum, & ſecundùm quid, & ab intellectu divino productum, ut illud diſtinguat ab eſſe reali ſimpliciter, quod poſtea in tempore recipiunt per veram, & phiſicam productionem, & appellat hoc eſſe diminutum etiam eſſe cognitum, non quidem quid medium inter ens rationis, & reale, ut falsò impingunt aliqui Thomiſtæ; non enim ut ſic eſt ens rationis materiale, & derelictum, vel ſola extrinſeca denominatio ex terminatione divinæ cognitionis in creaturis derelicta, ſed quia illud eſſe poſſibile creaturarum non ſimpliciter, & abſolutè ſumptum, ſed quatenus ſubſtat divinæ intelligentiæ, & ex ejus terminatione denominatur à paſſiva cognitione cognitum, ſicut paries denominatur à viſione viſus; hinc dicit ideas eſſe ipſas creaturas quatenus habent hoc eſſe poſſibile, & quatenus præcognoſcuntur ut factibiles à Deo, & ut tales diſtinguuntur realiter diſtinctione potentiali ab eſſentia divina. *Vide Meldul d.* 5. *num.* 52. ùndè hæc opinio eſt catholica, nec aliquid abſonum à fide continet.

4. Sententia eſt Seraph. Doct. qui diſcrepat à ſenſu Thomiſtar. Scotiſtar. & alior. ſupra relator. nam ſuſtinet, ideas radicaliter eſſe divinam eſſentiam, prout eſt cauſa continens virtualiter omnes creaturas, formaliter verò eſſe eamdem eſſentiam divinam, prout eſt ſumma, & prima veritas, & lux exprimens omnem aliam veritatem participatam, ex qua expreſſione poſteà ſequitur cognitio idealia omnium creaturarum prout ſunt divini intellectus objectum ſecundarium, & prout ſunt ſimilitudines, & imitativæ, ſeu participativæ illius ſummæ veritatis in ordine cognitivo, & operativo; *ſic l.* 1. *d.* 35. *q.* 1. *& ſeq. & alùs locis infra cit.* Et hinc Set. Doct. diſcrepat à Thomiſtis negans, ideas eſſe divinam eſſentiam continentem virtualiter creaturas, quam continentiam tamen ſupponit pro fundamento idearum: diſcrepat à Scoto negans eſſe ipſas creaturas cognitas; diſcrepat à Suarez, aliiſque negans eſſe ſpeciem expreſſam creaturarum. Pro ſolutione, &c.

Primò Not. ex Seraph. Doct. *l.* 1. *d.* 35. *quæſt.* 1 166 quòd cum Deus ſit perfectiſſimum agens per intellectum, & voluntatem, debet etiam præcognoſcere rem, antequam ipſam producat; & cum creatura ſit participatio divinæ entitatis, & bonitatis, ob idque etiam ipſius exemplar, & ſimilitudo, conſequenter debet ad eſſe in divina mente ratio cognoſcendi perfectè ipſam, & per quam producatur ſecundùm propriam, & talem rationem: Advertendum tamen (ait S. Doct.) quòd ſimilitudo creaturæ dicitur eſſe in Deo, & itidem in creatura ſimilitudo Dei: ſimilitudo autem hic non ſumitur, prout dicit convenientiam duorum in tertio, ut Petrus, & Paulus in humanitate, & homo, & Leo in animali, quæ dicitur univocationis, ſed tantùm ſecundùm quòd unum eſt ſimilitudo alterius, hæcque non concernit convenientiam in aliquo communi, quia ſimilitudo ſeipſa eſt ſimilis, non tertio, quo pacto creatura dicitur ſeipſa ſimilitudo Dei, & Deus creaturæ, ſcilicet ratio cognoſcendi rem ideatam: Aliter tamen ratio cognoſcibilitatis eſt in nobis, aliter in Deo: In nobis ſimilitudo, ſeu ſpecies eſt accepta à re, per quam intellectus ponitur in actu primo, ob idque ratio cognoſcendi eſt ſimilitudo, & veritas eſt res cognita, ſeu objectum: In Deo è contra ratio cognoſcendi eſt ipſa veritas, ſcilicet idea divina, & cognitum objectum eſt ſimilitudo veritatis, ſcilicet ipſa creatura: hæc autem ratio cognoſcendi eſt idea, ideſt ipſa eſſentia divina, prout eſt objectum divini intellectus, eſtque tale prout eſt prima, & ſumma veritas, quæ eſt idem, ac expreſſio ſumma, & hinc quia ſumma eſt, exprimit etiam perfectiſſimè aſſimilans cognitum aſſimilatione competente cognitioni, & conſequenter veritas, ſeu eſſentia divina eſt ſimilitudo expreſſiva, & ratio cognoſcendi res, ſeu ipſarum idea.

In nobis verò ſimilitudo eſt ratio cognoſcendi veritatem; per quod patet quàm diſcrepet Seraph. Doct. à prima ſententia aſſerente ideam eſſe ipſam actualem cognitionem; item à ſecunda aſſerente eſſentiam divinam eſſe ideam, prout eſt imitabilis à creatura: item à tertia Scoti aſſerente eſſe ipſas res cognitas; nam Seraph. Doct. aſſignat primam, & ſummam veritatem facientem actu cognoſcere ipſam eſſentiam divinam ut talem, & omnes alias veritates in ipſa, & per ipſam expreſſas, ob idque ipſa prima, & ſumma veritas eſt ratio cognoſcendi creaturas, & per quam habent eſſe objectivum in mente divina, ex quo ſequitur etiam regula operativa circa ipſas.

Not. 2. ut perfectiùs, & clariùs intelligatur, 167 hæc doctrina ſublimis Seraph. Doct. quæ eſt fundamentalis pro ſolutione aliarum graviſſimarum difficultatum occurrentium in materia de Dei ſcientia, hìc ſuppon. quod alias traditum eſt à nobis in præcedenti diſputatione, nempè eſſentiam eſſe rationem illimitatam intelligendi intellectu divino

divino quodcumque creatum qnoad esse formale, & individuum, ex hoc quòd est prima, & summa veritas; ideò ex hnc quòd est ratio eminenter continens creaturas omnes, non in essendo solùm (id enim non sufficit, quidquid dicant Thomistæ) cum secundùm talem continentiam essendi importet tantùm continentiam secundùm id, quòd dicunt perfectionem, secluso omni eo, quod essentialiter imbibit imperfectionem, ob idque tantùm secundùm rationes communissimas, & transcendentales, & prout præscinduut à finitate, & infinitate, sed requiritur continentia eminentialis rerum in cognoscendo; nam prima continentia non sufficit ad hoc, ut creaturæ perfectè in individuo cognoscantur; idque patet, quia divina essentia debet esse ratio cognoscendi ipsas creaturas perfectè secundùm omnem rationem cognoscibilitatis, at tali modo tantùm est ratio coguoscendi eas secundùm quòd dicunt perfectionem; nam prout per finitatem sunt contractæ, & ob id cum imperfectione commixtæ transferuntur in Deum per infinitatem sine omni prorsus imperfectione, ut sunt rationes entis, substantiæ, bonitatis, sapientiæ: id enim exigit continentia eminentialis in essendo, ergo hæc continentia non potest esse sufficiens ratio cognoscendi perfectè creaturas; requiritur igitur continentia eminentialis in cognoscendo: sed quid addit hæc ad continentiam eminentialem in essendo? sed attende ad doctinam Seraphicam: quia enim quæcumque res est ratio intelligendi seipsam propriè, & in particulari intellectui creato, idque dicit perfectionem; cum verò sit limitata ad solam sui notitiam pariendam, quia ob sui limitationem uon potest alterius rei diversæ notitiam parere, ut rectè probat Seraph. Doct. *lib. s. d. 3. p. 2. a. 2. quæst. 1. ad corp.* hinc hac imperfectione sublata, & limitatione, totom quod remanet dicit perfectionem simpliciter, & transfertur in divinam essentiam illimitato modo, quatenus est ratio cognoscendi intellectui divino, & seipsam, & quodcumque creatum etiam in individuo: quam doctrinam tradit Scotus *l. 1. d. 35. quæst. un. ad arg.* sed Seraph. Doct. hîc addit rationem adæquatam, & formalem, quare divina essentia habeat hanc oniversalem rationem cognoscendi, & hoc ex duplici capite; primò quatenus est prima, & summa veritas, ut veritas est expressiva sui: ut prima, omnes aliæ veritates ab ipsa dependent: ut summa, & infinita est etiam summè exprimens, & infinito modo; & hinc alia ratio insurgit, quam tradit Seraph. *ibid. q. 2. & ad 3.* quia idea habet rationem caosæ universalis, & particularis in iis, quæ dicuut perfectionem, excludens quod dicit imperfectiouem; nempè habet rationem universalis quantùm ad indifferentiam, & amplitudinem ad omnia creata, cum ad omnia, & in omnia se extendat immediatè, & sufficienter; habet & rationem particularis in ratione cognoscendi quantùm ad discretissimam rationem exprimendi; & hoc, quia est similitudo non impressa, ut species abstracta, nec expressa, ut species expressa, cum non sit arctata, & limitata; non quidem species impressa, quia non est principium quo cognoscendi, sed est expressiva summè se extendens ad omnia, terminusque actus intelligendi; dicitur tamen principium cognoscendi per comparationem ad cognita, quia est id, quo cognoscuntur ipsa, non quidem ab ipsis desumptum, sed ab essentia divina. Et hinc idea dicitur similitudo non quidem univocationis (ait S. Doct. *q. 1. ad 2. & 3.*) ut dictum est; nec præcisè imitationis, ut dicunt Thomistæ, sed expressionis: non quidem prima, quia nihil potest esse commune Deo, & creaturæ univocum: non secunda, quia modica est similitudo creaturæ, imò potiùs in hac est dissimilitudo, ut supra dictum est de continentia eminentiali in essendo: tertia verò quando est causata à veritate rei ad extra, non est sufficienter expressiva, hæc enim species numquàm exprimit in anima rem, sicut si ipsa res esset præsentaliter intima animæ, sed caosatur ab ipsa veritate summa, & summè exprimente, & expressiva, estque eo similitudo, quo veritas, ob idque meliùs exprimit rem, quàm ipsa res seipsam exprimeret; cum omnis res ab ipsa veritate summa accipiat rationem expressionis passivæ, ex quo sequitur, quòd etiam simul sit perfectè directiva ad ipsam rem ad extra faciendam.

Not. 3. quòd maxima difficultas est in expli- 168
cando quomodo una veritas possit esse expressiva tot rerum diversarum, ita quòd idea simul sit una, & multiplex.

Scotus docet, quòd si idea sumitur ex parte divinæ essentiæ, ut est imitabilis à creaturis est una includens respectum rationis ad creaturas, sic enim est quid absolutum in se; sed quia propriè ideæ sunt ipsæ creaturæ in esse cognito, & in statu meræ possibilitatis sumptæ, sic distinguuntur realiter inter se distinctione reali potentiali; sic Scotus apud Meldul. *dist. 3.* & secundùm alios distinctione formali.

Communis, & vera sententia D. Bon. D. Thomæ, aliorumque est ideas distingui in Deo tantùm ratione; sed tamen discrepant D. Bon. & D. Thomas in principiis, ut supra traditum est.

Ut autem id pateat. Seraph. Doct. *d. 35. a. 1. q. 2. & 3.* notat, quòd cum idea in Deo secundùm rem sit divina veritas, secundùm rationem tamen intelligendi, & dicendi sit similitudo cogniti, ideò significat divinam essentiam in comparatione, seu respectu ad creaturam; undè licet divina essentia sit in se quid absolutum, tamen secundùm modum intelligendi dicit respectum medium inter cognoscens, & cognitum; & quamvis ille respectus secundùm rem se teneat plus ex parte cognoscentis, qui est Deus, tamen secundùm rationem intelligendi similitudo plus se tenet ex parte cogniti; & hinc idea secundùm id, quod est in se realiter, est una; secundùm id, ad quod est, idest secundùm connotata, est multiplex, & ratio est (ait Seraph. Doct. *quæst. 3. ad 2.*) quia idea est nomen relativum, ob idque secundùm modum dicendi importat respectum; similitudo enim, ut talis, non dicit respectum ad subjectum, in quo est, sed ad id, cujus est, sed est plurium distinctorum, ut talia sunt, ergo in se, & ex parte Dei est una, ut similitudo ad ideata est multiplex.

Ulteriùs est advertendum, quòd nomen ideæ dicitur ab idos, quod est forma, forma, inquam, quæ est ratio cognoscendi, & exemplar operandi ad extra, dicitur etiam ratio quatenus est similitudo rerum in intellectu; sapientia quatenus est ipsius agentis perfectio, qui sapienter operatur, species item in quantùm est medium cognoscendi; Paradigma item, quatenus secundùm respectum ejus ad res Deus operatur: Para enim est juxta, & digma qoasi docens operari.

A Platone dicitur mundus archetypus, ab Archos, quod significat Princeps & Typus exemplar. dicitur etiam liber vitæ, quatenus in ideis omnes habent vitam; *sic & S. Bon. Comp. Theol. lib. 1. cap. 25. & l. 1. d. 6. q. 3. in corp. & ad 4. & d. 35. & Brevil. p. 1. c. 8.*

Idea verò sic definitur à D. August. idea est forma, seu ratio, & exemplar æternum immutabile, ad quod respiciens Deus producit res singulas. S. Bon. *lib.1. dist.35. q.1. fund.2.* sic ideam definit. Similitudo rei, per quam res cognoscitur, & producitur; dicitur similitudo loco generis; est enim triplex similitudo, scilicet, univocationis, imitationis, & expressionis: dicitur, per quam rea cognoscitur, & producitur; ut eam discriminet à similitudine univocationis, & imitationis; & ut denotetur ideam non esse similitudinem tantùm, sed practicam, quam artifex habet non solùm de his, quæ facere proponit, sed etiam de aliis, quæ per artem fieri possunt, quamvis non sit actu practica nisi respectu eorum, quorum factio est in proposito agentis: dicitur etiam, per quam res cognoscitur, & producitur, ut denotet ideam duo habere: primum, quòd sit principium cognoscendi: secundum, quòd sit principium operandi. Potest etiam definiri ex mente Seraph. Doct. tali pacto. Idea est forma exemplaris, ad cujus imaginem, seu imitationem natum est aliquid per se fieri in esse reali ab agente per intellectum.

Ex quibus quatuor conditiones eruuntur ad rationem ideæ divinæ: prima, est ut sit forma non quidem componens, sed analogicè, scilicet forma, & similitudo rei faciendæ, à qua res facienda debet esse distincta; sic Seraph. Doct. *lib.2. d.1. q.1. ad 3.* secunda, ut sit quid æternum, & immutabile, ut per eam securè, & perfectè res aliæ formentur ad differentiam idearum creatarum: tertia, ut sit principium rei objectivum, in quo res cognoscatur tamquam in sibi simili, quodque & ipsum cognosci debet, nam respiciendo ad ipsum res efficitur ad excludendam speciem intentionalem: quarta, ut sit principium operationis per modum exemplaris, cum res ad ejus similitudinem debeat effici; sic ex Caspensi etiam, &c. & P. Gaud. His positis.

169 1. concl. Dantur ideæ omnium rerum in Deo; est communis omnium Theologor. & de fide, & probatur à S. Doct. *lib.1. d.35. q.1.* tùm quia Deus est agens rationabiliter per intellectum, & voluntatem, ergo omnia præcognoscit; & hinc dicitur Joan. *cap.1. quod factum est, in ipso vita erat*, idest habens in Deo esse cognitum, & vitale, &c. Vide alias rationes Seraph. Doct. *quæst.1.*

Objic. primò ex D. Dyon. *de div. nom. cap.7.* dicente. Cognoscit divinus intellectus, sed ex seipso, & per seipsum, non secundùm ideam singulis inniteus, sed secundùm unam excellentiæ causam omnia noscens, & continens, ergo Deus singula non cognoscit; & confirmatur hæc auctoritas ratione, quia modus cognoscendi per essentiam est nobilior, quàm per similitudinem, & hinc cognitio intuitiva Beatorum nobilior est abstractiva; tùm quia Deus non indiget forma dirigente, vel regulante in cognoscendo, & operando, cum enim possit errare. Resp. ad auctoritatem Dyonisii ipsum non negare ideas in Deo, sed negare tantùm diversitatem ipsarum in se secundùm multitudinem ideatorum. Et ad primam rationem confirmationis resp. conced. assumptum de similitudine causata à veritate rei ad extra: neg. de similitudine causata ab ipsa, & ex ipsa, & in ipsa essentia, scilicet à summa veritate, talis enim similitudo est, quia est ipsa veritas, à qua res accipit esse verum, & quia hæc regula est idem cum essentia divina, hinc negatur consequentia.

170 2. concl. Idea propriè non est conceptus formalis divini intellectus, seu species expressa, seu verbum creaturarum. Est S. Bon. & contra primam sententiam; & probatur, quia idea est principium, & ratio cognoscendi alia, sed principium, & ratio cognoscendi est ante cognitionem, ergo idea non potest esse ipsa cognitio, seu verbum productum per cognitionem: major patet ex definitione ideæ minor etiam patet, quia principium necessariò est ante principiatum. Hoc argumentum urget sustinentes, Deum videre creaturas in ideis, & non per ideas, & ob id omnia esse præsentia æternitati Dei secundùm existentiam, de quo infra suo loco.

Prob. 2. ex D. August. Ideæ continentur in intelligentia actuali, ergo formaliter non sunt ipsa intelligentia actualis; tum quia idea est ratio objectiva principiativa, simulque directiva cognitionis, & operis, sed id non habet intellectio actualis, nisi participativè, quatenus ordinatur ad res ad extra, ergo.

Prob. 3. si ideaa esset verbum creaturarum, sequeretur Deum à creaturis actuari, & informari verbo ab eis accepto: verbum enim exprimitur ex aliqua re cognita, estque veluti similitudo ejus, sed hoc est falsum, ergo; tùm etiam quia verbum est dicentis verbum, & solùm ad dicentem refertur, ergo si idea est verbum, solùm ad dicentem refertur, & non ad res cognitas, sequitur quòd sicut dicens est unus, sic & idea erit una, & non multiplicabitur per respectus ad res.

3. concl. ideæ non sunt creaturæ præcisè in esse cognito, est contra Scotum, & sequaces. Prob. quia fundamentum Scotistarum est, quia antequam creaturæ intelligantur producibiles à Deo, habent esse præcognitum secundùm possibilitatem logicam, ergo in tali statu non possunt habere rationem ideæ. Prob. consequentia, quia ad talem præcognitionem requiritur ratio eas cognoscendi, ergo adhuc per tale ipsorum fundamentum non sufficienter exprimitur ratio ideæ; si enim sunt objectum intellectus divini, & divinæ cognitionis, non possunt seipsis esse ratio cognoscendi seipsas; Et confirmatur, quia in tali esse possibili sunt vera entia, licèt non existentia, & in esse diminuto, ergo in tali esse exigunt rationem cognoscendi; tùm in ordine ad tale esse possibile, tùm in ordine ad existentiam futuram; nec valet responsio Meldulæ *dist.3. num.65. seq. & 68.* quòd tales creaturæ in esse possibili cognitæ possunt esse directivæ sui ipsarum quoad productionem ipsarum ad extra. Sed quidquid sit de hoc (licèt patiatur maximas difficultates, cum per tale esse idearum habeant esse diminutum contingens fallibile, ob idque non possunt habere rationem regulæ infallibilis, tùm cognitionis, tùm operationis) sit. In tali esse possibili cognoscuntur à Deo, ergo indigent ratione cognoscendi infallibili, & immutabili antecedenter. 171

Contra etiam hanc Meldulæ responsionem, qua dicit, eamdem creaturam cognitam in esse possibili posse esse ideam ipsius ad hoc, ut actu producatur. Contra, inquam, quia creatura objectivè repræsentata non est, id ad cujus instar formatur creatura in se, & per quam ejus formatio regulatur, & causatur, ergo nulla est responsio. Prob. antec. creatura in esse objectivo cognoscitur à Deo ut quid creabile in se, non ut quid increatum, & increabile, ergo cognoscitur ut quid formabile à se, ergo ipsa non potest esse forma, sed formabilis, non idea, sed ideabilis, ergo idea est aliquid præter creaturam cognitam; tùm quia si ideæ essent creaturæ ut cognitæ, sequeretur dari distinctionem realem

realem inter ideas, quod est falsum, cum inter ipsas non adsit oppositio realis, quæ est regula distinctionum realium in divinis; Resp. Scotistæ in divinis admitti distinctionem realem actualem tantùm in iis, quæ sunt subjectivè in Deo, non in iis, quæ sunt tantùm objectivè, quia ista important tantùm distinctionem potentialem, sed hæc responsio est nulla, quia illud esse cognitum in Deo est quid vitale, ob idque idem ac Deus; tùm quia ideæ in Deo sunt rationes æternæ, & immutabiles, sed creaturæ in esse cognito non sunt tales, ergo.

4. concl. Deus non cognoscit creaturas præcisè per essentiam suam cognitam, ut causam, vel ut imitabilem secundùm entitatem, est contra D. Thomam, & Thomistas; duas partes habet hæc conclusio: prima, quòd idea non est divina essentia ut præcisè est causa creaturarum, vel quod idem est ut continens virtualiter eminenter creaturas; secunda, nec quatenus est imitabilis à creaturis.

Probatur prima pars à Seraph. Doct. *dist.* 35. *q.* 1. *corp.* quia si hoc esset verum, Deus cognosceret collativo modo creaturas, sed hoc est falsum, cum omnia cognoscat simplici aspectu, ergo. Probatur sequela, quia à principio ad principiatum deveniret. 2. quia divina essentia, ut causa formaliter non importat assimilationem cognoscibilis cum cognoscente, sed tantùm virtutem productivam causæ ad effectum, sed omne cognoscens, ut tale, simile est cognoscibili, ergo habet similitudinem, vel ipsum est similitudo. 3. quia omne producens rationabiliter producit, quia cognoscit distinctè, non è contra, ergo ratio producendi non est ratio cognoscendi. 4. quia multa Deus cognoscit, quæ ab ipso non sunt, nec possunt esse ut est peccatum, ergo.

Probatur secunda pars, quia antequam divina essentia sit imitabilis à creatura sunt ideæ, ergo hæc imitabilitas non constituit rationem ideæ: Probatur antecedens, omnis relatio præsupponit extrema actu, sive sit rationis, sive sit realis, sed imitabilitas est relatio, ergo præsupponit creaturas in esse cognito. Dices, creaturas cognosci per istos respectus: Contra est, quia divina essentia est realiter imitabilis, & participabilis à creaturis, quia sunt possibiles; undè chimæra non est talis, quia est impossibilis, ergo antè hanc imitabilitatem sunt præcognitæ ut possibiles; tùm quia isti respectus sunt entia rationis formaliter, & idea est quid reale; tùm quia ista imitabilitas (ait S. Doct. *cit. ad* 2.) est modica, idest secundùm rationes generales, & transcendentales tantùm, & quatenus dicunt formalitates perfectionis sine admixta imperfectione, ideò magis est dissimilitudo, quàm similitudo ratione imperfectionis finitatis, & contractionis, aliarumque, sed idea debet exprimere distinctissimo modo omnia, quæ sunt in se ideata, ergo ista imitabilitas non sufficit.

172 5. concl. Divina essentia prout est lux, & veritas prima, & summa faciens cognoscere omnem aliam veritatem secundariam, veluti speculum est idea; est S. Bon. *lib.* 1. *d.* 35. *q.* 1. quare divina essentia secundùm Seraph. Doctorem potest duobus modis considerari: uno modo secundùm se undè, & ut veluti prior intellectione divina alio modo, ut objectum cognitum cadens sub intellectione divina: primo modo repræsentat creaturas virtualiter tantùm, ob idque in hoc signo, & statu est etiam idea, sed radicaliter, & virtualiter tantùm: secundo modo repræsentat creaturas ideatas formaliter, & distinctè, & hoc modo est idea, ratioque formalis cognoscendi, & producendi creaturas, ut sic enim Deus cognoscit suam essentiam in actu exercito, ut est creaturarum similitudo. Hæc conclusio est communis in parte cum Thomistis, qui volunt divinam essentiam esse ideam, sed quoad formalitatem ideæ discrepant à nobis; ipsi enim volunt esse essentiam divinam veluti causam creaturarum cognitam, ad quam rationem trahit P. Gaud. *quæst.* 2. *n.* 25. *&* 65. S. Bon. sed tamen violenter; vult enim, ut supra dictum est, essentiam divinam formaliter esse ideam, prout est prima, & summa veritas expressiva omnis cujuslibet alterius veritatis, indè involuitur tamquam pro materiali divina essentia ut causa rerum; item & consequitur cognitio, & imitabilitas creaturarum, sed pro ratione formali assignat ipsam expressionem veritatis, quæ est cum ipsa cognitione, ad quam consequitur, vel concomitatur imitabilitas, sicque formaliter est directiva in cognoscendo, & regulativa in operando, & per hoc Deus est sibi ipsa regula, & idea; *Sic S. Doct. d.* 35. *q.* 1. *ad* 4.

Ante probationem conclusionis autem supponit S. Doct. id, quod asserit D. August. cum tota caterva Theologorum, demptis aliquibus Scotistis, quòd ideæ in Deo sunt rationes æternæ immutabiles, & in Deo identificatæ, undè æstimare ideas esse aliquid extra Deum, sacrilegium est. Hinc probatur à Seraph. Doct. primò: omne agens rationabiliter, non à casu, nec ex necessitate, habet ideam rei antequam sit, ipsamque præcognoscit, sed tale agens est Deus, ergo: subsumo: sed omne cognoscens habet rem cognitam, vel secundúm veritatem, vel secundùm similitudinem, ergo in Deo præcedit vel secundùm veritatem, vel secundùm similitudinem, & ideam, sed Deus non percipit à rebus extra talem similitudinem, ergo à seipso; sed divina essentia est speculum æternum, primaque, & summa veritas exprimens omnem aliam veritatem; ergo essentia divina ut talis veritas est idea; sed objectum præintelligitur ad cognitionem, ergo cognitio non est ratio formalis ideæ, sed quid consequens, vel concomitans idea enim est ratio cognoscendi, quæ debet præintelligi ante cognitionem in objecto, sicque patet quàm solidè, & fundamentaliter procedat Seraph. Doct. in hac conclusione, qui adfert alias rationes ibidem, quæ tamen continentur in hac unica, quæ est evidentissima, & à priori.

Prob. 2. Illi convenit ratio ideæ, cui convenit definitio ideæ; sed hæc definitio non convenit ipsi essentiæ divinæ, ut sic, nec ut est causa continens virtualiter res; nec convenit rebus creatis, ut objectum secundarium, ut supra probatum est, sed tantùm essentiæ divinæ prout est prima, & summa veritas exprimens seipsam intellectui divino, ergo. Prob. antecedens, quia ut prima, & summa veritas est ratio divino intellectui cognoscendi essentiam, & omnem aliam veritatem participatam, & hæc est ratio formalis ideæ, ergo.

Objic. primò D. Dyonisium loco supra cit. ne- 172
gare ideas, eò quia Deus ex seipso, & per seipsum cognoscit creaturas, sed jam supra explicatus est sensus germanus Sancti Doct. negat enim ideas in Deo eo modo, quo in nobis, secundùm singulas res, sed in Deo est una pura veritas omnia exprimens.

Objic. 2. pro prima sententia. Essentia divina solùm, ut actu exprimit res, est idea, sed id est veluti species expressa, ergo consistit in cognitione actuali.

actuali. Probatur major, quia in ſe eſſentia divina non eſt ſimilis creaturæ, ergo, ut fiat ſimilis, aliud requiritur, nempè expreſſio, & repræſentatio per actum expreſſum. Reſp. neg. majorem, & minorem: Ad probationem reſp. eſſentia divina de ſe non eſt ſimilis creaturæ, diſtinguo: non eſt ſimilis de ſe conſiderata, concedo: ut prima, & ſumma veritas exprimens omnem veritatem, nego; ſic negatur conſequentia, & totum argumentum corruit.

Objic. 3. pro Scotiſtis. Eſſentia divina eſt quid abſolutum, ergo non poteſt eſſe idea, cum hæc involvat relationem, ſed nihil aliud remanet, niſi eſſe creaturarum cognitum, ergo. Reſp. diſting. majorem, eſſentia divina, ut ſic, non eſt idea, eſtque quid abſolutum, concedo: ut ſumma, & prima veritas nego; ſi enim eſt veritas omnia exprimens neceſſario connotat res expreſſas, & relationem in ſe rationis.

Objic. 4. Divina eſſentia prout eſt objectum divini intellectus, & principium intelligendi pertinet ad memoriam, non verò ad actualem intelligentiam; ſed idea ſpectat ad actualem intelligentiam, ergo eſſentia divina eſt idea, ergo reſtat, ut ſint creaturæ, ut cognitæ. Reſp. divinam eſſentiam, ut objectum divini intellectus, & principium intelligendi pertinet ad memoriam diſtinguo; tantùm, nego; ut in habitu concedo: ſed prout eſt in actu objectum divini intellectus eſt prima, & ſumma veritas actu exprimens ſeipſam, & omnem aliam veritatem: ſic corruit pariter totum argumentum.

Objic. 5. Divina eſſentia prout eſt prima, & ſumma veritas eſt in ſe omninò una, & abſoluta ſub ratione motivi, & terminativi abſque ulla prorſus diſtinctione, niſi ex parte objectorum repræſentatorum, ergo ut talis non poteſt eſſe idea omnium rerum, alioquin eadem eſſet idea hominis, & leonis: & confirmatur, quia Deus in formando Leonem non aſpicit ad ſuam eſſentiam, cum nullam convenientiam habeat ad Leonem, ergo aſpicit ad Leonem in eſſe præcognito. Reſp. S.Bon. conced. antecedens, & negando conſequentiam. Ad probationem reſp. *ex q.2. ad* 2. & 3. negando unam ideam non poſſe eſſe ſimul plurium rerum, eſt enim ſecundùm ſe una; ſed ut expreſſiva omnium tanquam habens rationem cauſæ univerſalis, & particularis, ut ſupra in fund. dictum eſt; cum ſit ſimilitudo extra genus, ideò habet exprimere plura: & ad confirmationem reſp. neg. Deum in formando Leonem non aſpicere ad eſſentiam ſuam ut primam, & ſummam veritatem exprimentem entitatem Leonis; ſic enim adeſt, ait S.Doct. *q.1. ad* 2. ſimilitudo expreſſiva ſumma in ipſa eſſentia, ac dictum eſt.

174 Objic. 6. Si divina eſſentia, ut prima, & ſumma veritas eſt idea, ſequitur quòd Deus non videat idealiter res futuras ſecundùm omnes differentias peculiares, quod eſt falſum, & hæreticum: Probatur ſequela, quia idea repræſentat res naturaliter, & ante decretum voluntatis, obidque ſecundùm ſtatum meræ poſſibilitatis, ergo per ideam non videt res futuras, & contingentes, neque earum exiſtentiam ut futuram, cum iſtæ habeant eſſe ſolùm in decreto voluntatis, vel poſt decretum; & confirmatur argumento Scoti. Ea, quæ ſunt rationes cognoſcendi terminos ſimplices, non ſunt rationes cognoſcendi perfectè, & ſufficienter complexionem illorum terminorum, niſi talis complexio nata ſit cognoſci è ſimplici apprehenſione terminorum, ſed ideæ divinæ ſunt rationes cognoſcendi terminos ſimplices rerum, nec complexio contingens nata eſt cognoſci ex ſimplicibus terminis, ergo ideæ divinæ non poſſunt eſſe Deo rationes cognoſcendi futura contingentia procedentia à divina voluntate: major patet ex principiis Philoſophiæ; minor probatur, quia ſi complexio contingens nata eſſet cognoſci ex terminis, jam non eſſet contingens, ſed neceſſaria, cum igitur idea repræſentat naturaliter res ut purè poſſibiles, & ſub ratione naturalitatis, & neceſſitatis, non poteſt repræſentare ea, quæ ſunt ordinis contingentis.

Nota, quòd hæc eſt potiſſima difficultas in hac materia, de qua etiam redibit ſermo infra in quæſtione de cognitione futurorum contingentium, & ob quam præcipuè Scotus recedit à D.Bon. quam tamen ipſe faciliimè, & adæquatè ſolvit tùm hîc *diſt.*35. tùm *diſt.*38. *quæſt.*1. & *diſt.*39. *quæſt.*1. & ſuppoſito quòd idea eſt ratio & cognoſcendi, & producendi; hinc reſp. ex ſupra traditis, quòd omnes iſtæ rationes concludunt optimè de ideis creatis, ſed nullo modo de divinis, quæ ſunt illimitatæ, & perfectiſſimæ, & habent in eo, quod dicunt perfectionem, rationem cauſæ univerſales, & cauſæ particularis, idea enim divina eſt perfectiſſima, quia eſt prima, & ſumma veritas, quia eſt ſumma ideò exprimit infinito modo eſſentiam divinam, & quia eſt prima exprimit omnem aliam veritatem, quæcumque illa ſit, & hoc perfectiſſimo modo ſecundùm omnes conditiones tàm generales, quàm particulares, & rei, & loci, & temporis, & neceſſitatis, & contingentiæ, & ſub ſtatu poſſibilitatis, & futuritionis; undè repræſentat res ſub ratione neceſſitatis, ut poſſibiles; ſub ratione contingentiæ, ut futuras, & factibiles, & ante, & poſt decretum divinæ voluntatis: quid enim ipſis rebus additur per decretum voluntatis? additur futuritio; ſed futuritio quid addit entitatis ipſi rei? certè nihil, ob idque nec mutatio ulla in idea infinita, & perfectiſſima; undè & habet ſimul rationem cognoſcendi, & etiam rationem objecti cogniti: quatenus enim eſt idem cum prima, & ſumma veritate habet rationem cognoſcendi, quatenus res elucet, & exprimitur in illa ſumma veritate habet rationem objecti cogniti, & hoc non per reflexionem divini intellectus ſuper rem cognitam, ſed ipſiſſima cognitione, qua intellectui exprimitur eſſentia ut prima, & ſumma veritas, ob idque perfectiſſimè movens intellectum divinum, ipſumque aſſimilans objecto cognito, quatenus ipſi exprimit omnem veritatem. Vide S. Bon. *l.*1. *diſt.*39 *q.*2 ubi ſubtiliſſimè de more ſuo iſtas difficultates, aliaſque ſolvit.

Inſtabis ratio cognoſcendi præcedit ipſam intellectionem, ergo antecedenter eſt idea in eſſentia, ſed talis ratio objectiva ſpectat ad memoriam, non ad actualem intellectionem, & hæc eſt neceſſaria ad rationem ideæ, ergo malè ponitur ipſa eſſentia divina, ut ſumma veritas, undè nil aliud reſtat, niſi ipſe formalis conceptus, vel creatura cognita. Reſp. eſſentiam divinam ante intellectionem eſſe ideam habitualiter veluti in actu primo, ſed ſupervenientè intellectione ex cognitione eſſentiæ, etiam creaturarum tamquam objecti ſecundarii, tunc habet rationem formalem ideæ, ſic negatur conſequentia.

Ex quibus conſequenter patet primò quàm diſcrepet ſententia Seraph. Doct. à ſenſu Scoti: non enim vult, quòd ideæ formaliter ſint creaturæ in

eſſe

eſſe cognito, cum apud ipſum ſit divina eſſentia prout eſt ſumma, & prima veritas exprimens omnem veritatem tùm ipſius, tùm & omnium creaturarum, ex qua expreſſione inſurgit eſſe cognitum ipſarum creaturarum, nec per hoc poteſt dici, quòd Deus actuetur per talem creaturarum cognitionem, ſed potiùs ipſæ creaturæ per talem expreſſionem dicuntur actuari; ſicque idea dicitur ſimilitudo non expreſſa, ſed exprimens creaturas, eaſque reddens objectum ſecundarium, ſeu terminativum intellectus divini.

2. Nec etiam convenit cum opinione Thomiſtar. ut ſupra notatum eſt, qui ſuſtinent ideam eſſe divinam eſſentiam, prout eſt cauſa continens virtualiter in ſua omnipotentia creaturas factibiles, non enim ad ideam id ſufficit, ſed requiritur aliquid aliud, nempè expreſſio, ſeu ſimilitudo exprimens ipſas creaturas ſecundùm totum ſuum eſſe, ideò ut prima, & ſumma veritas eſt idea, exprimens, & faciens creaturas eſt propriè idea, ut ſupra probatum eſt.

QUÆSTIO III.

De multiplicatione idearum, quomodo plurificentur.

175 IAm ſupra notatum eſt Scotum docere ideas multiplicari in Deo conſideratas ſecundùm proprium eſſe poſſibile, quia ut ſic diſtinguuntur realiter tùm inter ſe, tùm ab eſſentia divina diſtinctione reali potentiali, ut dicit Meldula *d.3. q.2. n.52.*

Alii Scotiſtæ admittunt tantùm diſtinctionem formalem actualem. Thomiſtæ docent multiplicari per opus intellectus ratione reſpectuum rationis, quos involuunt ipſæ creaturæ, ut imitativæ divinæ eſſentiæ, in qua virtualiter continentur.

Seraph. Doct. docet multiplicari per opus intellectus per varios reſpectus rationis, quos importat divina eſſentia, prout eſt prima, & ſumma veritas exprimens omnem aliam veritatem dependentem ab illa. Ut autem pateat clariùs mens Seraph. Doct.

Not. quòd potior difficultas in hac quæſtione eſt in explicando, quomodo divina eſſentia verè, & realiter ſit idea tot, & tàm multiplicium rerum, cum ſit in ſe quid abſolutum, & unum, & ob id quomodo poſſit involvere in ſe tot reſpectus, & relationes? undè advert. quòd ut aliquid ducat in cognitione alterius rei, tamquam medium cognitum, non eſt neceſſe, quòd habeat relationem ad alterum, ſed ſat eſt, quòd ſecundùm eſſe abſolutum habeat connexionem cum altero, vel in ratione cauſæ, vel effectus, vel aliqua alia ratione etiam præciſo quocumque reſpectu formali; ſic enim Deus cognoſcitur à poſteriori per creaturas non ſolùm ratione realis relationis, quam important ad Deum, ſed etiam ratione ipſarum eſſe abſoluti, quod non minùs dependet à Deo, quam eorum eſſe relativum. Item paſſio à priori cognoſcitur per eſſentiam, quæ eſt quid abſolutum; hinc idea dicitur eſſe in Deo formaliter tamquam perfectio ſimpliciter ſimplex, & formalis divinæ eſſentiæ; non enim ideæ, ſunt in Deo ſolùm eminenter, vel virtualiter, vel exemplariter, & hoc tùm quia ſunt infinitæ, & nullum ens infinitum eſt eminenter in Deo ſolùm, ſed formaliter: tùm quia ſunt cauſæ, ergo non ſunt virtualiter tantùm; talis enim continentia paſſiva eſt ſolùm effectum: tùm quia ſunt exemplar rerum, ergo non ſunt exemplariter tantùm; exemplaris enim non eſt exemplar, ergo formaliter, & hoc patet, quia ſunt rationes, formæque archetypæ, & principales ſimilitudines rerum ipſas exprimentes: tùm etiam quia ſunt formæ beatificantes animam: tùm quia ſunt adorationis objectum. tùm quia Deus per eas dicitur ſapiens. Hinc.

1. concl. Idea in Deo eſt una formaliter, multiplex virtualiter penès connotata; eſt S. Bon. *lib.1. d.35. q.2. ſeq.* Duas partes habet hæc concluſio: prima quòd idea in Deo ſecundùm rem eſt una: ſecunda eſt, quòd penès connotata eſt multiplex. 176

Probatur ergo prima pars à Seraph. Doct. primò ex D. Auguſt. qui recognoſcit in Deo plures rationes viventium, quæ in eo ſunt unum: ſecundò ex D. Dyoniſ. quia Deo attribuendum eſt quod eſt perfectius, ſed perfectius eſt uno multa cognoſcere, & operari, quàm plura pluribus, ſic enim ſalvatur perfectiùs divina ſimplicitas ſumma: tertiò, quia daretur compoſitio in Deo, ſi ideæ eſſent diſtinctæ realiter; ſpectant enim ad eſſentiam: & ſi dicas ipſas eſſe relativas.

Contra. Illud relativum ſecundùm quòd differunt, vel eſt aliquid reale, vel non; ſi primum, ergo vel ſunt eſſentia, vel perſonæ, ergo eſſentia multiplicatur, vel perſona; ſi dicitur ſecundùm, idem & nos, &c. probatur quartò. In omni genere eſt ſtatus in uno ſimplici, ſicut patet in efficiente, & fine, ergo & in cauſa exemplari, ergo & in Deo: Prob. conſequentia, quia exemplar, quod continet multa entitativè non eſt omninò unum, & ſimplex, ſed Deus eſt omninò unum, & ſimplex, ergo in eo una ſola idea ſecundùm rem; tùm quia ubi eſt unica ratio formalis ſimpliciſſima expreſſiva omnium, ibi non ſunt multæ objecta formalia, ſed unum tantùm; ſed divina, & ſumma veritas expreſſiva omnium eſt una ſimpliciſſima ratio formalis, ergo hæc eſt ſufficiens ad expreſſionem omnium veritatum.

Prob. 2. pars primò ex D. Auguſt. *lib. 83. qq. q.46.* dicente, alia ratione conditus eſt homo, alia equus, ergo ſi idea dicit rationem cognoſcendi, & agendi, neceſſe eſt quòd plurificetur ſecundùm rationem, & hinc ideæ ratio explicatur numero plurali.

Prob. 2. Idea dicit ſimilitudinem ad ideatum cognitum, ſed cognita ſunt plura, & multiplicem ſimilitudinem admittentia; cùm autem ad multiplicationem terminorum multiplicentur relationes ſecundum rationem multimodam, ſequitur quòd etiam & ideæ multiplicari debeant.

Prob. 3. quia antequam Deus res producat, eas diſtinctè præcognoſcit per ideas; ideæ enim ſunt rationes cognoſcendi, & per conſequens diſtinguendi ideata, cum habeant rationem univerſalium, & ſingularium, ergo in eis debet præcognoſci propria diſtinctio, ſed hæc non poteſt ineſſe in eſſentia divina, ergo penès terminos.

Obje. primò. Idea eſt vera ſimilitudo, & cognitio rerum, ſed res ſunt realiter plures, ergo & ſimilitudo eſt multiplex; tùm quia idea eſt ratio cognoſcendi ideata ſecundùm pleniſſimam rationem, & diſtinctionem, ergo ſi plura ſunt ideata, & plures erunt ideæ; probatur conſequentia, quia 177

in uno non cadit distinctio, ergo vel Deus per hoc unum distinctè non cognoscet, vel oportet ponere pluralitatem in ideis ex parte Dei. Confirmatur iterùm, quia si idea est unum quid; aut est unum commune, aut una propria similitudo, non primum, quia per unum commune res non distinguuntur, nec secundum, quia per unum particulare multa diversa non possunt cognosci, ergo oportet multiplicare ideas ad multiplicationem ideatorum etiam in ipso Deo? Resp. S. Bon. q. 2. *ad arg.* & q. 4. ex traditis in fundamentis, quòd idea habet in Deo rationem perfectam universalis excludendo quod est imperfectionis quatenus scilicet potest in plurimos effectus, cum sit indifferens, & amplissima ad eos; habet & rationem singularis in iis, quæ dicunt perfectionem excludendo quod est imperfectionis, ideò habet rationem discretissimæ expressionis; & ratio est, quia est similitudo exprimens non impressa, nec expressa, quia est omninò exprimens, ideò summè exprimit, & secundùm omnes conditiones, & quia non est veluti species impressa, vel expressa, ideò non est coarctata, vel limitata, ideò ad omnia se extendit, sicut divina essentia, quæ tota est in uno, non tamen sic est in uno, quòd non sit in alio: Et hinc sequitur, quòd cum idea sit una tanquam cognoscendi, & tamen plura cognita distinctissimè repræsentat secundùm proprias conditiones; sic etiam cognitio divina quantùm ad modum cognoscendi, qui est in ipsa, est una, & simplex, non distincta, sed in comparatione ad objectum distinctè cognoscit; hinc ad omnia objecta coacervata in objectione resp. quòd Deus cognoscit omnia distinctè, ita quòd distinctio sumitur non penès cognoscentem, nec in eo ponitur, sed penès cognita terminativa, sic corruit omnis ratiocinatio objectionum.

Objic. 2. Si in ideis respondet pluralitas respectuum, aut illi pluralitati respondet aliquid, aut nihil; si aliquid id non est divina essentia, cum sit quid absolutum, nec item ipsa ut forma exemplaris, quæ est idem quid absolutum, nec potest in Deo ponere, veram pluralitatem, & si nihil, ergo erit quid fictitium.

Et si dicas respondere illi pluralitati pluralitatem connotatorum ex parte ideatorum. Contra hoc est, quia talis respectus rationis inest & verbo, & exemplari, & arti divinæ, & tamen non dicitur Deus habere plura verba, plura exemplaria, & plures artes, sed unicum tantùm iisdem, ergo nec potest dici habere plures ideas.

Et confirmatur ex Scoto; quia connotata sunt temporalia, ideæ sunt æternæ, ergo si datur plurificatio idearum, erit non penès Deum, cum sint unum simplicissimum quid, sequitur quòd sit penès ipsa objecta tantùm; sicque necesse est incidere in opinionem Scoti.

Resp. admissa responsione inter arguendum, negando paritatem de idea, verbo, exemplari, & arte: Verbum enim dicitur propriè in ordine ad dicentem, & producentem, & secundariò postea dicitur expressivum rerum, producitur enim à Patre, quatenus intelligit se, & ex consequenti creaturas, quas per Verbum producit, & secundùm quas est repræsentativum, & factivum, quod & suo loco probabitur: Cum autem verbum habeat esse, & distinctionem à Patre per respectum ad ipsum Patrem dicentem; alium verò respectum habeat ad creaturas ratione divinitatis & essentiæ, quatenus est prima, & summa veritas exemplar, & ars omnium, hinc propriè non multiplicatur verbum, nec exemplar, nec ars, non sic idea, cum enim sit similitudo expressiva rerum plus se tenet ex parte rei cognitæ, quàm cognoscentis, ideò per se primò, & principaliter ordinatur ad creaturas; similitudo enim non dicit respectum ad id, in quo est, sed ad id cujus est; hinc licèt ex parte divinæ essentiæ sit omnis ex parte tamen termini est pluralitas.

Et ad id de connotatis. Resp. connotata posse considerari, vel prout sunt, scilicet in proprio genere, vel prout sunt connotata: primo modo sunt temporalia, secundo sunt æterna, quia connotantur secundùm respectum in habitu, sicut etiam prædestinatio; licèt enim secundùm respectum ad actu sit rerum temporalium, in habitu tamen est æternorum; undè ideæ in habitu sunt in divina, & summa veritate æternaliter expressa, in actu secundùm esse in proprio genere, quod habitura, sunt aliquando, vel possunt habere, undè multitudo connotatorum, quamvis ab æterno dicatur, tamen non ponit multitudinem realem, nisi ex tempore. *V. S. Bon. q. 3. per tot.*

Dices: si idea involuit pluralitatem ideatorum, ergo si sunt plura ideata, sunt & plures, ergo & plures ab æterno? Resp. distinguendo antecedens: idea involuit pluralitatem ideatorum, idest respectus plures ad ideata, non prout sunt, vel secundùm esse actuale temporale, sed prout in habitu, vel potentia sunt in Deo, sic enim considerantur non secundùm esse actuale in Deo, sed quod habituræ sunt in tempore, ideò talis respectos, quem importat idea in Deo, licèt ex parte Dei non sit multiplex secundùm rem, quia est divina essentia una, summa, & prima veritas, tamen ex parte termini, & esse, quod habituræ sunt res, vel habere possunt, adest verus respectus, sicque est quid reale ex parte termini, quid rationis ex parte Dei.

Objic. 3. si idea involuit respectùm intrinsecè ad creaturas, ergo in Deo continetur relatio realis ad creaturas, quod est falsum: probatur consequentia. Idea est similitudo expressiva creaturarum; sed cognoscitur à Deo ut talis intrinsecè ad creaturas relata, & dependenter à tali respectu, sicque in sua cognitione Deus dependebit à relatione ista ad creaturas; & si hæc non est relatio realis, sequitur quòd sit ens rationis fictitium in Deo, quod est magis absonum.

Resp. negando ideam includere de se, & intrinsecè relationem, includit quidem tal in respectum, ait Seraph. Doct. extrinsecè, idest secundùm nostrum modum intelligendi, & dicendi, qui modos fundatur in relatione creaturarum ad divinam essentiam, prout est veritas exprimens, sic negatur consequentia: Et ad id de ente rationis in Deo resp. quod propriè talis respectus rationis non est ens fictum, & falsum, sed quia resultat talis modus intelligendi, & dicendi ex eo, quòd intellectus videt creaturas exprimi per divinam essentiam, resultat, inquam ad modum entis rationis, hinc tale dicitur, sic Seraph. Doct. q. 3 *ad* 1. dicens, quòd cum dicitur ideas plurificari secundùm rationem, isti rationi, & respectui ex parte Dei subest essentia divina, ut quid absolutum, & objectum divini intellectus, & ut est veritas summa, &c. ex parte verò creaturæ subest verus respectus, & vera relatio, ut dictum est expressi ad similitudinem

militudinem exprimentem, ex quo redundat multiplicatio relationum rationis ratione connotatorum, idemque non concurrit vanitas, & falſitas.

Objic. 4. In Deo eſt unica ſcientia non admittens multiplicationem ſcibilium, licèt à parte rei verè ſint multa, ergo nec idea; probatur conſequentia, & paritas, quia utraque dicit reſpectum ad connotata, idem & dicitur de dominio, de creatoris nuncupatione. Reſp. negando conſequentiam, & paritatem de ſcientia, dominioque Dei, & de rationibus cognoſcendi, ſeu ideis: ratio diſparitatis eſt, quia ſcientia ſumit ſuam veritatem, ab objecto principali, ſic & dominium ab unica ratione poteſtatis, & Creator ab unica ratione potentiæ terminativè ad creaturas ſub unica ratione; non ſic idea, hæc enim dicit de ſe primam, & ſummam veritatem, & quia hæc dicit de ſe expreſſibilitatem, ſeu expreſſivitatem multiplicem, nempè primò divinæ eſſentiæ, & ſecundariò omnis alterius veritatis; hinc ad hoc redundat multiplicitas rationum exprimentium, & connotatorum capte ſorum; undè patet, quòd licet ſcientia divina, dominium, creatura, potentia connotet pluralitatem in terminis, non tamen tàm immediatè, & intrinſecè ſicut idea.

178 Et ſi quæras quomodo in ratione ideæ involvatur iſte multiplex reſpectus, qui ipſi ſit extrinſecus? videtur enim hoc impoſſibile, quia ſequeretur, Deum eadem idea cognoſcere, & formare hominem, & leonem, quod eſt contra ſenſum D. Auguſt. & Seraph. Doct. Reſp. quòd licet Cajet. & aliqui Thomiſtæ dixerint involui in ratione ideæ iſtos reſpectus, non quidem ut partes componentes unam rationem, ſed ut determinabile, & determinatio, ſeu ut res, & modus; attamen non poteſt ſuſtineri in opinione germana ſentientium divinam eſſentiam eſſe ideam; ideò reſp. abſolutè non involui tales reſpectus in ratione ideæ, quia priùs eſt idea, quàm tales reſpectus; eſt enim ipſa eſſentia divina ut prima, & ſumma veritas exprimens ſummè omnem veritatem participativam divinæ; per quod intellectus divinus priùs terminatur ad objecta ſecundaria, quàm intelligantur tales reſpectus conſequentes; & hinc ratione talis terminationis ſecundariæ dicitur plurificari divina idea in mente divina; & hinc eſt quòd alta idea formatur homo, alia leo, licet ex parte Dei ſit unum ſecundùm ſe; undè multitudo idearum propriè non eſt ratione rerum diverſarum, ſed ratione immenſitatis divinæ veritatis in exprimendo, & cognoſcendo omne, quod eſt Deo poſſibile, quod ſecundùm rem, & actum eſt unum; *Sic quæſt.5. ad* 2. & 3. & quia Deus poteſt facere infinita, ideò & ideæ tali pacto dicuntur infinitæ.

Dices. Ideæ divinæ diſtinguuntur tantùm ratione, ergo verum eſt leonem, & hominem per eamdem ideam produci. Probatur conſequentia, quia ſola diſtinctio rationis non ſufficit ad falſificandam propoſitionem, ſic dicitur; Bonitas divina eſt juſtitia, quia à parte rei formaliter ſunt unum, & idem, licèt diverſa ratione: Et confirmatur. Idea abſolutè eſt eſſentia divina, & ob id infinita, ſed ratione infinitatis prædicantur inter ſe perfectiones divinæ, ſic & ideæ earſtentes in Deo.

Reſp. ea doctrina, quam ſæpè tradit Seraph. Doct. præcipuè *lib.1. diſt.5. quæſt.1. ad* 3. & *diſt.31. quæſt.3. ad ult. & ad rem diſt.35. quæſt.2. ad* 3. & 4. negando ſequelam: ad probationem negando antecedens, quando ſcilicet non ſervatur idem modus prædicandi, nempè quando in una propoſitione aſſumpta aliqua ratio convenit prædicato in uno ſenſu, & in alio eſt ei contraria; ſic ſpecies competit homini; non Petro; quæ variatio cadit in divinis etiam ſecundùm modum prædicandi; ſic enim dicitur, divina eſſentia eſt Pater, non verò eſt paternitas; ſic veritas eſt bonitas, non tamen ratio bonitatis eſt ratio veritatis, quia ſit tranſitus à prædicatione per identitatem ad prædicationem per inhærentiam; non enim eadem ratione attribuitur illud prædicatum ſubjecto in utraque. Pari modo ſi licet dicere; Eſſentia divina eſt idea hominis, & idea leonis per identitatem formalem; non tamen poteſt dici idea leonis eſt idea hominis, quia diverſa ratione attribuuntur divinæ eſſentiæ, ſcilicet quatenus divina, & ſumma veritas divinæ eſſentiæ expreſſiva eſt hominis, ſub eadem ratione non eſt expreſſiva leonis, quia hæc divina veritas eſt ad diverſa connotata, licèt quantùm ad abſolutum ſit eadem eſſentia divina, & ratio eſt ſupra ſæpè tradita, quia hæc ſumma, & prima veritas habet perfectiſſimam rationem cauſæ univerſalis, & particularis, ut notat Seraph. Doct. *q.2. ad* 1. & 3. & 4.

Dices. Idea eſt ratio cognoſcendi, & antecedit actum intelligendi connotata, ergo in illo priori ſigno poteſt fieri talis prædicatio ſupradicta. Reſp. Ideam præcedere actum intelligendi radicaliter, & fundamentaliter concedo, formaliter nego; nam formaliter exigit actum intelligendi, quo divinus intellectus tendit ad divinam eſſentiam, ut primarium objectum, & ſimul ad connotata ut objectum ſecundarium; prout enim invenit eſſentiam divinam expreſſivam omnium creaturarum diſtinctarum tunc habet rationem ideæ.

2. concl. reſponſiva quæſtioni: quarum rerum ideæ ſint in Deo? In Deo ſunt ideæ omnium rerum poſitivarum ratione diſtinctæ. Nota hic, quòd titulus quæſtionis quærit; An in Deo ſint ideæ non ſolùm univerſalium, ſed & particularium, non ſolùm totius, ſed & partium componentium, non ſolùm rerum perfectarum, ſed & imperfectarum. In qua quæſtione aliqui Thomiſtæ negant dari propriè ideam materiæ primæ, eo quòd nihil eſt actu, ſed totum ens potentialem dicens ordinem eſſentialem ad formam, & compoſitum, ideòque cognoſci per ideam totius: Alii admittunt dari ideam univerſalium quatenus identificantur cum individuo eo quòd idea eſt exemplar rei faciendæ, ſed res facienda eſt ſingularis. Scraph. Doct. *hic q.2.* 3. & 4. & *d.36. a.3. q.2.* vult omnium rerum poſitivarum dari ideam præciſam in mente divina. Suppoſito autem quod ſupra traditum eſt, nempè ideam eſſe & rationem cognoſcendi, & exemplar producendi rem ad extra, hæc enim duo ſunt neceſſaria ad rationem completam ideæ. 179

Prob. primò. Idea de ſui ratione habet hoc, quòd in Deo ſecundùm rem ſit veritas, ſecundùm rationem intelligendi ſit ſimilitudo expreſſiva, & perfectiſſima cogniti, & producibilis rei; ſed idea in Deo habet rationem perfectiſſimam cauſæ univerſalis, & particularis ob ſuam eminentiſſimam excellentiam, ergo extenditur ad univerſalia, & ad omnia ſingularia ſecundùm totalitatem cujuſque rei. Confirmatur, quia cognoſcens, & producens perfectiſſimum habet neceſſariò cognitionem rerum cognoſcibilium, & producibilium, ergo habet ideas omnium rerum diſtinctiſſimè, tùm quia

 idea

idea divina exprimit omnem veritatem distinctissimè, sed omne ens positivum est verum ens, ergo omne ens habet ideam.

Probatur 2. specialiter de materia, entibusque imperfectis; quia materia est pars substantialis compositi, & omnis cognitio divina est à priori, & productio supponit cognitionem distinctam componentium, ergo præcognoscit materiam, & formam per se ante compositum; tùm quia imperfecta quatenus important entitatem veram sunt in tali ratione Deo assimilabilia, licèt non ratione privationis, ergo.

Objic. primò. Illa solùm habent ideam in Deo, quæ habent assimilationem in Deo, sed imperfecta non habent assimilationem in Deo, ergo. Major est clara, minor probatur, tùm quia Dei perfecta sunt opera, tùm quia idea est exemplar perfectissimum, actus purus, & simplex, ergo quæ habent imperfectionem, diversitatem, potentialitatem, & compossibilitatem non habent assimilari Deo?

Resp. Seraph. Doct. *l. 1. d. 36. cit.* distinguendo de rebus imperfectis; possunt enim sumi secundùm rationem entitativam substantem talibus defectibus, & iterùm secundùm rationem particularium defectuum; si hoc secundo modo conceditur non assimilari Deo in imperfectionibus; si primo modo, negatur, eo ipso enim quòd sunt entia, sunt vera, & bona, & secundùm talem rationem perfecta in suo esse, ob idque à Deo, & per Deum; & hinc concludit S. Bon. quòd omne quòd dicit de se rationem entitatis, sive sit compositum, sive pars, & imperfectum, sive materiale, sive possibile, sive in actu, sive in potentia, potest Deo assimilari, & produci, & ideò habet esse, & ideam in Deo.

Dices sicut veritas est generalis conditio entis, ita & unitas, sed oppositum veritatis non habet ideam in Deo, similiter & bonitatis, ergo pari ratione oppositum unitatis, quod est multitudo. Resp. S. Bon. *ibid. ad ult.* negando paritatem de opposito veritatis, quod est falsitas, & bonitatis, quod est malum, & unitatis, quod est multitudo, ratio est, quia illæ sunt privationes, non sic autem unitatis privatio, quæ est multitudo dicens de se entitatem, veritatem, & bonitatem, ut patebit ex sequenti conclusione.

3. concl. Mala, & falsitas non habent ideas in
180 Deo, est S. Bon. *l. 1. d. 35. cit. & d. 36. a. 3. q. 1. & d. 38. q. 1. ad ult.*

Probatur à Seraph. Doct. tùm quia omne, quod est in Deo est ex ipso, & per ipsum; sed mala, & falsitas non sunt ex Deo, nec per Deum, ergo; tùm quia omne, quod est in Deo, aut est sicut in principio producente, aut exemplari, aut conservante, sed mali Deus non est principium producens, nec conservans mala; nec item exemplar, quia ratio exemplaris attenditur in assimilatione, sed Dei ad malum nulla est assimilatio, ergo.

Objic. primò. Omne, quod cognoscitur ab aliquo, qui est sua cognitio (qualis est Deus) est in illo tanquam cognitum in cognoscente, vel in cognitione; sed Deus cognoscit mala, & falsitates, ergo sunt in Deo: minor patet de fide, major est item clara, quia omne cognitum est in cognitione, Deusque est sua cognitio, ergo.

Resp. Seraph. Doct. in hoc argumento committi fallaciam accidentis; estque quando ex duobus divisim sumptis infertur aliquid conjunctum secundùm accidens, v. g. iste est albus, & est Monachus, ergo est Monachus albus, non valet, ita hic: qualibet præmissarum est vera, sed consequentia est falsa, quia quamvis sit idem cognitio Dei, & Deus, tamen aliud connotat esse in cognitione Dei, aliud esse in Deo ut exemplari; primum enim convenit omnibus, quæ à Deo cognoscuntur sive bona sint, sive mala, esse verò in Deo est secundùm aliquod genus causæ, & esse in Deo ut exemplari est esse in eo ut faciendum; sicut enim non valet, scientia, & potentia sunt idem in Deo, sed mala culpæ sunt in Dei scientia, ergo & in potentia, committitur enim fallacia accidentis, & etiam consequentis ad positionem accidentis; sic negatur consequentia.

Sed contra hanc responsionem instabis; mala cognoscuntur à Deo aut intra se, aut extra se; non extra se, quia divinus aspectus non exit extra se, nec indiget alio ad extra se, ergo intra se, ergo in Deo habent ideam; unde August. ait quòd in Deo Angeli vident bona nostra, quæ eis placent, & mala nostra, quæ eis displicent, ergo in idea divina ista vident. Resp. S. Bon. hanc esse fallaciam consequentis, in quo plus ponitur, quàm in antecedente; nam esse in Deo ut cognoscente in se, solùm requirit, ut Deus habeat in se rationem cognoscendi, vel directè, vel indirectè; undè cognoscit Deus mala per ideam boni, ut statim dicemus; sed habere in se mala requirit, ut Deus sit ipsorum exemplar, quod est impossibile. Contra hanc responsionem est instantia: Si Deus cognoscit mala per ideam boni, sequitur quòd ea cognoscit per accidens, & hoc est imperfectionis, quia dicit illationem unius ex alio, ergo falsa responsio.

Resp. Seraph. Doct. quòd, ly, per accidens stat non ex parte cognoscentis, sed cogniti, quod non potest habere ideam sui; cum enim cognitio fiat per assimilationem, nec adsit ulla ratio assimilationis in Deo respectu mali, sed tantùm respectu boni, hinc cognoscendo bonum sequitur, quòd cognoscat suum oppositum ex consequenti, & indirectè. Instas iterum. In Deo non potest cadere privatio ulla, cum sit idea purus actus, & simplex, ergo non potest cognoscere per privationem.

Resp. Seraph. Doct. si privatio supponitur in potentia cognoscente, ut cognoscitur silentium per vocem, & tenebra per lucem, hoc dicit imperfectionem, nec potest esse in Deo; si privatio cadit in cognito objecto, non in cognoscente, v. g. si lux haberet cognitionem, ipsa cognosceret carentiam suæ perfectionis ex cognitione sui, & hoc non importat imperfectionem, & sic in Deo.

Quæres: quomodo Deus per ideam boni cognoscit ma- 181
la? Resp. ex Seraph. Doct. *loc. cit. & d. 38. q. 1. ad ult.* quòd malum non repræsentatur à bono tamquam ab exemplari ipsius, alioquin idea mali esset bonum, neque falsitas repræsentatur à veritate, neque albedo à nigredine, nihilominus per bonum intelligitur ejus contrarium, quoniam contrario modo se habet; itaque Deus cognoscit malum quatenus opponitur bono divino, non tamquam bono, quod privat, sed tamquam bono, à quo recedit, & discordat, & quamvis non opponatur divinæ essentiæ, quæ per malum non est conceptibilis, opponitur tamen effectibus Dei bonis, quos per essentiam suam cognoscit, & eos cognoscens cognoscit mala opposita; undè ait Seraph. Doct. cit.

sicut

sicut rectum est index obliqui, sic summa veritas, & lux, & ars est ratio cognoscendi, non tantùm veritatem lucem, & actum, sed etiam obliquitatem, tenebram, & privationem & sicut artifex operans in materia nodosa non idonea ad receptionem formæ perfectæ, præscit quòd defectus futurus est in imagine, sed non ab ipso, sic in Deo, & libero arbitrio, quod facit vitium in opere, dum non conformat se, & obedit Deo operanti, ideoque sufficit, quòd oppositum mali, sive illud, à quo malum, sit in Deo tamquam in causa, ad hoc quòd præsciatur; sic Seraph. Doct. *l. 1. d. 38. cit.*

Nota autem ex Seraph. Doct. *d. 36. a. 3. q. 1.* contra Thomistas, Deum immediatè videre malum in virtute ipsi opposita, licèt mediatè in essentia sua, scilicet per Ideam virtutum oppositarum; ratio est quia oppositum per oppositum cognoscitur, sed vitium formaliter opponitur virtuti, non bonitatis divinæ, ergo. Vide P. Gaud. *d. 13. q. 15.* qui optimè ista declarat.

4. Concl. In Deo sunt Ideæ infinitæ distinctæ secundùm rationem, est S. Bon. *l. 1. d. 35. quæst. 5.* Probatur 1. ex D. Augustino cit. in textu hoc patenter asserente. Probatur 2. quia ut dicit S. August. Filius est ars plena omnium rationum viventium;
182 sed illa ars est infinita, ergo requiritur infinitas ut impleatur, tum quia cognoscit numeros, qui sunt multiplicabiles in infinitum, tum quia potest infinita producere, ergo & cognoscere; omnibus enim finitis suppositis potest in infinitum semper addi, ergo, &c.

Dices: si ex infinita potentia infertur infinitas Idearum, ergo potest produci infinitum actu cathegorematicum, quod est contra mentem Seraph. Doct. aliàs expressam. Resp. quòd hanc consequentiam infert Trigos. sed malè, nam ut aliàs *in Phis. l. 3.* tradidimus. Deus potest producere res in infinitum, quæ sunt possibiles, sed istæ constituunt infinitum syncathegorematicum, non actuale, quia alioquin exhauriretur divina omnipotentia.

Quæres 1. *An cognitio Dei per Ideas sit practica, an speculativa?* Resp. quoad possibilia merè est speculativa, quoad futura est practica, est enim in ordine ad operationem.

Quæres 2. An Ideæ in Deo habeant ordinem inter se? Resp. Seraph. Doct. *d. 35. quæst. ult.* In Deo Ideas nullum habere ordinem inter se, nec secundùm originem, nec secundùm rationem prioritatis, vel nobilitatis, & dignitatis: ratio est, quia Ideæ dicunt respectum rationis ad Ideata, & quia Ideata sunt plura, ideò dicuntur Ideæ plures; sed quia Idea non necessariò habet proprietates Ideatorum, sed tantùm à subjecto, in quo sunt; cum autem in essentia divina sint una simplicissima ratio infinita, purissimusque actus, per quam omnia cognoscit, & cum una non originetur ab altera, sed omnes æqualiter ab essentia divina, & in ea reluceant, hinc negatur in eis ordo.

Dices 2. Alia Idea gignitur homo, alia leo, sed homo est nobilior, ergo & Idea. Resp. quòd per comparationem Ideæ ad ideata habet distingui, sed non nobilitari ab ideato, ad quod comparatur, cum nihil recipiat per istam comparationem ab homine, &c. Undè nobilitas Idearum desumitur ab ipso cognoscente, in quo sunt, scilicet ab essentia divina, quæ æquè est repræsentativa omnium veritatum creatarum; distinctio verò desumitur ab Ideatis, ad quæ ordinantur per relationem rationis, & licèt recipiant distinctionem ab ideatis, non tamen ordinem, cum in Deo sit una simplex, & actualissima ratio, simulque infinita, in qua non est prius, & posterius, majus, vel minus; *sic Seraph. Doct. q. 5. ad 2. & q. 6.*

Quæres 3. An Deus cognoscat hanc pluralitatem Idearum, cum sit purum ens rationis, scilicet an in divino intellectu sit talis pluralitas, & distinctio? Resp. plurimi Theologi Thomistæ cit. à P. Gaud. *n. 125.* negativè: Attamen resp. Seraph. Doct. *q. 3. ad 3.* quòd talis pluralitas cum sit ratione connotatorum, & non sit actu, sed tantùm virtualiter ab æterno, & cum talis multitudo Idearum in Deo non sit actu rerum diversarum, sed sit immensitas divinæ veritatis in exprimendo, & cognoscendo omnia Ideata sive futura, sive possibilia, ut notat *q. 5. ad 3.* hinc & Deus cognoscit hanc virtualitatem multiplicem, & in habitu, ex qua virtualitate cognoscit distinctè omnia ideata; hinc etiam cognoscit talem pluralitatem.

Dices: Ex hoc sequi, quòd in cognitione divina perfecta Idearum ingrediatur tamquam quid intrinsecum ens rationis, quod est maximum absurdum: Resp neg. sequelam; Deus enim cognoscens suam essentiam, eam cognoscit ut est una summa, & prima veritas, & simplicissima, sed tamen cum in ea adsit in habitu talis virtualis distinctio, ideò à consequenti dicitur cognoscere talem pluralitatem, sicut etiam dicitur de attributorum distinctione.

Ex quibus omnibus sequitur primò, quòd Ideæ divinæ non sunt attributa divina; ratio est, quia attributa divina respiciunt, quidem plura objecta ad extra, ut omnipotentia, omnia factibilia, sapientia omnia scibilia, magis tamen se tenent ex parte Dei, cum ipsa objecta respiciant sub unica ratione, & ad modum unius formalis rationis existentis in essentia divina; at Ideæ respiciunt objecta ad extra ut entia diversa, & distincta cognoscenda, & producibilia; sunt enim artis divinæ similitudines individuales; sic Seraph. Doct. *q. 6. in corp.* tùm quia attributa divina sunt merè naturalia, at Ideæ addunt divinam intellectionem & quoad futura decretum divinum; tùm quia sunt rationes exemplares ideatorum cognoscendorum, & producendorum.

2. Sequitur. Essentiam divinam esse quidem Ideam creaturarum, non verò Filii & Spiritus Sancti. Idea enim divina est causa exemplaris, ad quam artifex respicit, ut rem condat ad extra; At Filius non producitur ad modum artis, sed naturæ, idest Idea est extrinseca forma respectu ideati, at Verbum ex essentia divina intrinseca producitur, sicut & Spiritus Sanctus.

3. Sequitur. Multiplicitatem Idearum non præjudicare divinæ simplicitati, quia omnia ideata conveniunt, & continentur in divina essentia simplicissima, quamque singula inadæquatè variis modis percipiunt.

Applicatio moralis ex traditis nobis proponitur, quia enim omnis veritas creata est talis quatenus ab illa summa, & prima veritate descendit, hinc est, quòd totum in mundo est falsitas, quod non conformatur illi veritati, ideò avertens se ab ipsa per peccatum incidit in profundum ignorantiæ, cæcitatis, & falsitatis, ideòque mirum non est, quòd peccator veluti phreneticus fiat, & amittere videatur usum rationis veluti amens; ergo numquam ab illo summo objecto mentem avertamus, omniaque nostra cum illo conformare conemur.

De objecto scientiæ divinæ.

HÆc est tertia pars hujus disputationis de scientia divina in qna discutiendum est objectnm divinæ scientiæ, nempe ipsum cognitum quatenns est io ipso cognoscente, de quo tria examinanda; primum, quodnam sit objectum increatum; secundum, quodnam creatum; & tertium, quomodo cogooscat omnia creata, & præcipuè futura contingentia tùm absoluta, tùm conditionata.

QVÆSTIO IV.

Quodnam sit objectum increatum divinæ scientiæ, vel an Deus, & quomodo cognoscat seipsum.

183 PRo solotione quæstionis, & etiam aliorum ootitia, quæ in sequeotibus quæstionibus tradenda sunt.

1. Suppon. quòd objectum scientiæ divinæ aliud dicitur primarium, aliud secundarium, quæ distinctio tamen stat ex parte objecti, non ex parte scientis: objectum primatium scientiæ divinæ, est ipsemet Deus, seu ejus divioa essentia prout est summa, & prima veritas; objectum secundariom sunt perfectiones, & attributa relucentia in eadem essentia divina; rursùs objectum hoc aliud est motivum, simul & terminativum, aliud terminativum tantùm, ad quod cognitio divina respectu objecti primarii simul terminat veluti ex conseqoenti, & secundario, licet eodem ipsissimo actu: Objectum igitur primarium simul motivum, & terminativum est ipsa essentia divina, quæ ut summa veritas movet intellectum divinum ad sui cognitionem seipsam infinitè exprimens, & ipsam cognitionem perfectissimè terminans. Objectum verò secundarium, & motivom, & terminativum sunt omnes perfectiones relucentes in essentia divina: at objectum terminativum tantùm sunt ipsæ creaturæ ut expressæ ab ipsa esseotia, & in ea relucentes; nec enim indiget Deus ad extra ferri, ut creaturas cognoscat, cum eas in seipso cognoscat, ratio autem, quare creaturæ sunt objectum terminativum tantùm, est, quam innuit Seraph Doct. *l.* 1. *d.* 35. *q.* 1. *ad* 2. in fine, quia creatura movens intellectum ad sui cognitionem, movet limitatè ita ut ex vi talis motionis, & terminationis non possit alia cognoscere.

Unica Conclusio. Deus cognoscit seipsum perfectissimè: est de fide, & omnium Theologorum catholicorum cum S. Bon. *l.* 1. *d.* 39. *per totam, sparsim, & aliis plurimis locis.*

Prob. 1 à Seraph. Doct. *loco cit.* Prima veritas, quæ est ratio cognoscendi alia, est prima entitas, & hæc est maximè cognoscibilis (est enim primum objectum intellectus,) sed tale ens, & talis veritas est Deus, ergo maximè cognoscitur à primo cognoscente, qui est intellectus divinus, ergo. Prob. 2. Intelligens perfectissimus debet esse sibi ratio intelligendi reliqua, nec aliundè debet haurire cognitionem nisi ex seipso, ergo Deus, qui est talis, est sibi ratio cognoscendi omnia, sed non potest alia à se cognoscere in seipso, nisi cognoscat seipsum, ergo. Prob. 3. Deus est actus purus, & perfectissimum eos, ergo in actu habet semper objectum, & actum intellectionis, ergo, &c. tùm quia Deus habet perfectissimam scientiam, ergo ista scientia, Si est perfectissima, terminat ad ens primum per essentiam, sed hoc est Deos, &c. tùm quia Deus est sua scientia, sua intellectio, ergo.

Ex quibus patet, scientiam Dei non esse ad modum habitus, seu actus primi, qui dicit aliquam potentiam, ut actu secondo compleatur, & perficiatur, & componatur, neque tali pacto à nobis sine errore potest concipi, cum sit actus purus necessarius, non more nostro elicitus, sed per essentiam in se subsistens, ipseque Deus, ideóque semper in actu secundo intelligens seipsum, propriamque essentiam tamquam primam, & summam veritatem exprimentem seipsum, & omnes suas perfectiones, ideoqoe est objectum motivom, & terminativum, & quia in tali summa, & prima veritate exprimuntur omnes aliæ veritates, participantes de ipsa, hinc eodem actu terminat ad ipsas, absque eo quòd indigeat ferri ad extra in ipsas.

Quòd autem essentia divina sit objectum primarium divinæ scientiæ patet, quia sola ipsa adæquatur divinæ cognitioni, cum sit infinita intensivè; tùm quia sola divina essentia tamquam prima & summa veritate, veluti specie adæquata intelligit; tùm quia sola divina essentia primò potest movere intellectum divinum adæquatè, cum contineat omnem expressibilitatem, & infinitam, ergo.

Quòd verò creaturæ sint objectum secundarium probatur, quia objectum secuodarium intelligitur virtute primi, sed creaturæ in essentia divina cognita relucent, & quatenus in ipsa relucent, cognoscuntur, ergo.

Dices omnis potentia est per actum perfectibilis, sed id est imperfectionis, ergo in Deo non est potentia intellectiva, aut aliquid per modom habitus: Resp. disting. antecedens, omnis potentia est perfectibilis per actum, quæ distinguitur ab ipsa intellectione, concedo; quæ est suum intelligere, & idem omninò potentia, & actus, ut est in Deo, nego, &c.

QVÆSTIO V.

An Deus intelligat alia à se, & quomodo, an scilicet cognoscat res in seipso, an extra se in proprio genere. Ubi de multiplici scientia Dei respectu objectorum.

IN hac quæstione aliqui opinati sunt, Deum non 184
cognoscere res in seipsis, sed in sua essentia: Alii ex opposito dicunt Deum non cognoscere res in sua essentia, sed in seipsis: Alii utroque modo pro solutione, &c.

1. Not. quòd cognoscere aliquid extra se tripliciter potest esse. 1. Per species acceptas à rebus, ut in nobis evenit, & tunc cognitio dependet ab extrinseco; 2 Per species inditas, & infusas à Deo in intellectu Angelico, sic enim non recipit ab extra species, sed tamen deflectitur extra ad hoc, ut cognoscat applicando speciem ad objectum: 3. quando illud, qnod est aliud, diversum habet ortum ab intra, & ita quod est extra cognoscitur per omninò intrinsecum; sic Deus cum contineas omnia quoad eorum entitatem, sic etiam omnia continet quoad eorum perfectam intelligibilitatem, cum ipse sit summa, & prima veritas omnem aliam exprimens, per quam expressionem possunt cognosci

cognosci non solùm quantùm ad esse, quod habent in divina essentia, sed etiam quantum ad esse, quod unaquæque creatura habet in seipsa, in quantùm divina essentia est expressa similitudo rerum omnium quantùm ad omnia, quæ in eis sunt. *Sic S.Bon.d.* 39.*q.* 1.

2. Not. ex Seraph. Doct. *loc.cit.* quod Deus cum sit sibi ipsi summè sufficiens, nulla creatura indiget ad complendam suam perfectionem, sic enim dependeret à creatura, quod est impossibile, undè Deus creatura non indiget ad cognoscendum alia à se: adverte autem ex Seraph. Doct. loc. cit. quòd cognoscere aliud est dupliciter, aut per aliud a se cognoscente, aut per se: primò modo cognoscens perfectionem habet aliundè, quia intellectus est in potentia, & recipit aliundè perfectionem, & ideò additionem, & transmutationem, quod impossibile omninò est apud Deum; secundo modo cognoscens est actus respectu cognoscibilis, quia in se, & per se habet totum id, quod exigitur ad actualem cognitionem, absque eo quòd exeat extra, & tali pacto cognoscens non recipit perfectionem à cognoscibili, sed cognoscibile recipit perfectionem à cognoscente, scilicet expressionem propriæ veritatis. His positis.

185 1. Concl. Deus cognoscit perfectissime alia à se in seipso. 1. Pars est de fide, quod habetur ex pluribus textibus Sacræ Scripturæ, nempe, Deum perfectissime omnia cognoscere, & patet ratione evidenti, quia est agens ordinatè, & liberè, & omnia producens, ergo ea cognoscit: 2. Pars, quòd ea cognoscat in seipso, quia intellectus ab extra recipiens reducitur de potentia ad actum, illosque perficit, & transmutat, at Deus non potest mutari, perfici, & transmutari, cum sit purus actus, ergo non potest ab extra cognoscere res, ergo ab intra, & ex sua essentia.

Objic. 1. Si Deus alia à se cognoscit, ergo pendet à creaturis, tamquam à termino talis cognitionis, vel complemento ipsius, consequens est absurdum, ergo. Resp. nego sequelam majoris; in cognitione enim aliarum rerum à se Deus nihil ab eis recipit, nec ab eis pendet, cum sit purus actus, & ut talis est actus respectu cognoscibilis, quod ab ipso recipit perfectionem à cognoscente, quia sic actu exprimitur ab illa summa veritate.

Objic. 2. Si cognoscit alia à se, ergo terminat ad ea, quæ non sunt Deus, ergo extra se, non intra se cognoscit. Resp. concedendo terminari cognitionem Dei ad id, quod non est Deus, sed per medium intra se, scilicet per exemplar, quod est ipse Deus, exprimens ab intra ipsas res; undè cognoscens lapidem in se existentem, non erit extra se, nec aliò divertit aciem intellectus, sed semper intra suam essentiam manet, in qua omnia, etiam quoad esse eorum actuale, & eorum conditiones prospicit, ac intuetur, & ita cognoscit res uti in se sunt, sed ut relucentes in sua essentia.

Instabis. Cognitio intuitiva terminat ad rem existentem, non ad rem non existentem, sed creatura non est in Deo existens, ergo. Resp. conced. majorem de cognitione mota, & orta ab objecto; negando de cognitione terminativa tantùm; sic creaturæ cognoscuntur in divina essentia, quæ ob sui immensitatem, ait Seraph. Doct. est ratio cognoscendi intuitivè omnem creaturam multò perfectius, quàm sint ipsæ creaturæ in propria existentia movente, & ad hanc cognitionem non est necessaria rei existentia, Seraph. Doct. ad 3. solvit hanc difficultatem tali pacto, & coincidit cum data solutione: Duplex est cognitio, scilicet ut in sua causa, & ut est in proprio genere, utroque modo cognoscitur res à Deo, cognoscitur enim in suo exemplari divino, quod repræsentat utrumque modum essendi, videlicet in se, & in sua causa.

Objic. 3. Deus cognoscit res extra se ab æterno, alioquin mutatus esset ex non intelligente in intelligentem, sed ab æterno non potuerunt esse objectum cognitionis, ergo res non potuit ab æterno cognoscere: probatur minor quia veritas, & entitas rei convertuntur, sed res ab æterno non habuerunt entitatem ergo nec veritatem, qua possent cognosci, ergo solùm unum ens verum cognovit ab æterno, scilicet seipsum. Huic objectioni resp. Smisingh. *tract.* 3 *d.* 2.*q.* 3.*n.* 33. Res in potentia esse merè ens privativum, & ideò cognosci ad modum non entium, qui tamen ab omnibus rejicitur, cum res possibiles habeant positivam possibilitatem, ut docet S.Bon. *l.* 1.*d.* 42.*q.* 4. *&* *d.* 43.*q.* 3. estque communis omnium.

Resp. Seraph. Doct. Res ab æterno habere esse in potentia, seu causa exemplari, secundùm quam possunt produci, vel producendæ sunt, & ideò habent esse objectivum, licèt non subjectivum; *sic d.* 39.*q.* 1. *ad* 1.

Objic. 4. Ratio cognoscendi est assimilatio cognoscentis cum cognito secundùm esse cognitum; sed hæc non potest cadere in Deo respectu creaturæ ergo nec cognitio: Probatur minor: Ratio cognoscendi in Deo est summa, & perfectissima assimilatio, sed ista non potest cadere in creatura, sed tantùm in objecto infinito, ergo. Assimilatio enim in creatura est potiùs dissimilitudo, quàm assimilatio.

Resp. S. Bon. assimilitationem cognoscitivam non esse secundùm genus essendi, sed secundùm rationem exprimendi, quæ inest in prima, & summa veritate exprimente se, & omnia alia vera, ideò cum talis expressio in essentia divina sit summa tàm respectu sui, quàm aliorum, hinc nihil obstat, quin cadat etiam respectu creaturæ.

Objic. 5. Sicut potentia se habet ad productionem, ita intellectus ad cognitionem; sed potentia Dei non minuitur, & si nihil producit, ergo nec intelligentia si nil extra se cognoscat. Resp. neg. paritatem de potentia, & sapientia, & intelligentia; ratio disparitatis est, quia facere est actus egrediens, & transiens in aliud, qui non facit ad perfectionem, sed tantùm consequitur, & ei attestatur ratione perfectionis additæ rei productæ; nec aliquid addit, vel tollit etiam si faciat, vel non faciat; at scire est actus permanens, & habet se ut actus ad habitum, & cum Deus sit actus purus, & semper in actu suæ perfectionis, ideò dicit perfectionem in intelligente perpetuam.

Objic. 6. Ita se habet veritas creaturæ ad Dei veritatem, sicut bonitas, sed bonitas creaturæ est veluti punctus comparatus ad lineam, qui si auferatur, nil diminuit lineæ, ergo & veritas creata ita se habet, ut, etiamsi tollatur, Deusque solùm seipsum cognoscat, in nullo minuatur Dei scientia. Resp. Seraph. Doct. concedendo majorem, & minorem, sed disting. consequens, ergo & veritas creata etiamsi auferatur à Dei cognitione, nullam perfectionem aufert à Deo; si sumitur, ut veritas creata secundùm se, & præcisè concedo; si sumitur prout est veritas dependens à summa veritate, nego; ponere enim veritatem creatam independentem, vel non expressam ab illa summa veritate, & non cognitam à Deo, est tollere rationem perfectæ veritatis, ut est ratio cognoscendi, sic organiz consequentia: Ex qua responsione patet quænam

sit

sit necessitas ponendi in Deo cognitionem omnium rerum, nempe eò quia sic exigit infinita, & immensa veritas prima, & summa cognita à Deo.

186 2. Concl. Deus eadem cognitione, qua cognoscit se, cognoscit alia à se, est S.Bon. *d.3 a. q.1.* & communis Theologorum & sæpius in superioribus sparsim tradita, licèt non ex professo probata. Probatur primò, quia scientia Dei, & modus cognoscendi est idem, quod ejus essentia, & suum scire, & suum esse; sed unus est modus essendi in Deo, ergo & unus modus cognoscendi; tum quia Deus seipso, & non alio cognoscit seipsum, & alia, ergo & per unam rationem cognoscendi, sed modus cognoscendi, seu cognitio attenditur generationem cognoscendi, ergo si una est ratio cognoscendi, una, & eadem erit cognitio, alioquin variaretur Deus in modo cognoscendi.

Objic. 1. Si eadem cognitione, & eodem modo cognoscit Deus se, & creaturas, sequitur quòd seipsum cognoscat per ideam, consequens est falsum ex supradictis, nam dictum est Deum cognoscere seipsum ratione identitatis, nempe quia idem omninò in Deo est cognitio, ratio cognoscendi, modus, & objectum, ergo & antecedens. Resp. negando sequelam: ratio est, quia cognitio Dei per comparationem ad cognoscentem est eadem in ordine ad divinam essentiam, & creaturas cognitas; non verò per comparationem ad terminum, & objectum, quia in ordine ad divinam essentiam cognitio est secundùm rationem identitatis, ut dictum est, scilicet idem est cognoscens, & cognitum in comparatione ad creaturas est per ideas, quia per talem comparationem creaturæ important diversitatem, & causalitatem; sic enim ratio cognoscendi non est idem cum cognito, sed cognita sunt diversa, & ab ipsa ratione cognoscendi causata, scilicet expressa, & exemplata, eò quia nihil est commune inter Creatorem, & creaturam.

187 3. Concl. Cognitio, & scientia Dei ex parte ipsius est una, sed comparata ad objecta creata est multiplex: est Seraph. Doct. supra cit. *quæst. 2. & seq. & d. 35. dub. 1. & Brevil. p. 1. cap.* 8. & communis, & contra Gregor. admittentem scientiam visionis tantùm.

Explicatur, & simul probatur à S.Bon. *in Brevil.* tali pacto. Deus prout omnia limpidissimè cognoscit bona, & mala, præterita, præsentia, & futura, actualia, & potentialia, ac per hoc incomprehensibilis nobis, & infinita, dicitur sapientia; in quantum est cognoscitiva omnium possibilium, dicitur scientia, seu cognitio absolutè, scilicet scientia simplicis intelligentiæ, quæ abstrahit ab omni futuritione; prout est cognoscitiva omnium, quæ in universo fiunt, dicitur visio, seu scientia visionis; respectu verò eorum, quæ benè fiunt, dicitur scientia approbationis; respectu eorum, quæ futura sunt, dicitur præscientia, seu prævisio; respectu eorum, quæ ab ipso Deo fienda sunt, dicitur dispositio; respectu eorum, quæ præmianda sunt, dicitur prædestinatio; respectu verò eorum, quæ damnanda, & punienda sunt, dicitur reprobatio. Nota autem, quòd omnem istam multiplicem scientiam communiter Theologi reducunt ad tria capita principalia, nempe ad scientiam possibilium, ad scientiam visionis, & ad scientiam conditionatorum, quæ numquam erunt, eamque appellant scientiam mediam, de quibus infra singillatim excitabuntur propriæ quæstiones. Et quia ipsa essentia non tantùm est cognoscitiva, sed etiam ratio cognoscendi omnia, ideò in quantùm est ratio cognoscendi omnia, dicitur lux; respectu eorum, quæ sunt visa, & approbata, dicitur speculum; respectu eorum, quæ prævisa sunt, & disposita, dicitur exemplar; in ordine eorum, quæ sunt prædestinata, & reprobata, dicitur liber vitæ, ideò respectu rerum ut redeuntium dicitur liber vitæ, exemplar ut exeuntium, speculum ut euntium, & lux respectu omnium: ad exemplar autem spectat Idea verbum, ars & ratio: Idea secundum actum prævidendi; verbum secundum actum proponendi; ars secundùm actum prosequendi; ratio secundùm actum perficiendi, quia superaddit intentionem finis; & quia omnia unum sunt in Deo, ideò frequenter accipitur unum pro alio; & quia hæc scientia Dei, licet diversa sortiatur nomina ratione diversitatis connotatorum, tamen secundùm rationem intrinsecam non diversificatur, undè cognoscit contingentia infallibiliter, mutabilia immutabiliter, futura præsentialiter, temporalia æternaliter, dependentia independenter, creata increatè, alia à se, in se, & per se: Hæc altissimè Seraph. Doct.

Quæres: an creaturæ in divina essentia prius habeant esse repræsentatum actu, & formaliter, quàm intelligantur? Resp. ex Seraph. Doct. negativè, ratio est, quia essentia divina præcisè sumpta continet omnia virtualiter indistinctè, ut effectus in causa; sed ut objectum est divini intellectus, & prima, & summa veritas repræsentat ea distinctè, ob idque solùm formaliter repræsentantur in essentia divina ut objecto cognito.

QVÆSTIO VI.

Quodnam sit objectum scientiæ simplicis intelligentiæ.

CUm ab omnibus Theologis constituantur creaturæ secundùm esse possibile objectum secundarium terminativum divini intellectus, in quo nulla est discrepantia, cum sit de fide Deum omnia cognoscere; Difficultas reducitur ad modum, quo ipsæ cognoscantur à Deo, & hoc ex duplici capite; primò ex parte ipsarum. An antequam in rerum natura existant, sub illo statu meræ possibilitatis habeant aliquod esse in se, quo possint terminare divinam cognitionem. Secundò ex parte scientis, an scilicet possint cognosci intuitivè, an abstractivè: Hinc. 188

1. Opinio est Henrici *quo lib. 8. & 9. & 11.* & in summa *quæst. 23. & 25.* tribuentis ipsis creaturis quoddam esse reale essentiæ æternum, ratione cujus sunt terminativæ cognitionis divinæ. Sic etiam Vicleph. sed in diverso sensu; citatur ab aliquibus pro hac sententia Scotus, sed malè, & falsò. Nam.

Opinio communis D. Thomæ, D.Bon. Scoti, aliorumque ferè omnium sustinet creaturas possibiles videri à Deo in sua essentia eodem actu, quo videt suam essentiam, licet aliena terminatione. Discrepant posteà in modo, vel medio ipsas cognoscendi, quod & supra loquendo de ideis notatum est in hac *disp. quæst. 2. in fundamentis.* Nam Thomistæ sustinent Deum videre creaturas in sua omnipotentia, in qua continentur potentialiter, & virtualiter; & pro hac sententia P. Gandentius *disp. 3. quæst. 5. & dist. 14. quæst. 8. n. 23.* citat S.Bon.

mordicùs

mordicùs sustinendo eamdem esse D. Thomæ, & D. Bon. sententiam, sed pace tanti viri, male, & falsò, vel saltem mutilatè, ut manifestè mox apparebit.

Scotus verò cum suis, licèt recognoscat in creaturis possibilibus esse possibile antecedens decretum divinæ voluntatis, quod appellatur esse logicum, seu non repugnantia, seu possibilitas logica, vult tamen illas cognosci à Deo in divina essentia eminentialiter eas continente non solùm in ratione essendi & virtualiter, ut volunt Thomistæ sed secundùm continentiam eminentialem in ratione objecti cognoscibilis exemplariter; Et hæc est ipsissima sententia Seraph. Doct. *d.* 35. *q.* 1. *& d.* 36. *q.* 1. Hinc.

1. Not. quòd res potest dici esse in aliquo tripliciter, vel secundùm existentiam, sic anima in corpore; vel secundùm causativam potentiam, scilicet virtualiter quatenus adest in virtute causæ valentis eam producere, quod esse in creatura nihil est ipsius creaturæ, sed est idem quòd divina essentia, & omnipotentia: tertio modo secundùm similitudinis præsentiam; sic res sunt actualiter in divinis ideis, & exemplari, quatenus repræsentantur in divina essentia, ut prima, & summa veritate divino intellectui objectivè, & se exprimente, & ab ipso intellectu expressa, & cognita, qua simul primariò fertur in divinam essentiam, & secundariò in esse possibile creaturarum, sic patentissimè docet S. Bon. *locis cit.* & aliis adductis in quæstione 2. de ideis. Unde patet P. Gaud. mutilatè adducere Seraph. Doct. secundùm id, quod dicit *d.* 36. *quæst.* 1. *ad* 2. nempè res contineri in Deo secundùm potentiam causativam, sicque res non est actu, sed potentia; addit Seraph. Doct. quòd secundùm similitudinis præsentiam res sunt in exemplari actu, scilicet expressè; & hic est nodus, in quo involvitur hîc vir aliàs doctissimus; sumit enim hoc esse in potentia causæ productivæ, vel valentis producere pro esse possibile creaturarum, quod licèt sit verum, nempe creaturas contineri potentialiter in sua causa, tamen per hoc solùm non possunt esse objectum potentiæ cognitivæ quia secundùm continentiam essendi sunt indistincto, & confuso statu, sed quatenus sunt expressæ in prima, & summa veritate veluti in exemplari, sunt actu, scilicet secundùm suas proprias entitates distinctissimo modo repræsentatas, quod est necessarium ad perfectam cognitionem; & hoc est, quod sæpissimè tradit Seraph. Doct. creaturas cognosci in sua causa; per hanc causam non intelligit causam eminentialem in essendo, sed in repræsentando, ut se pluries declarat loc. cit. *d.* 36. *art.* 1. *quæst.* 1. *ad* 2. *& art* 2. *quæst.* 1. *corp. & dist.* 35. *per totam*; *& dist.* 39. *art.* 1 *quæst.* 1. *ad ult.* & ratio æquivocationis est, quia cum idea sit ratio cognoscendi simulque producendi rem ideatam; secundùm primam rationem dicitur idea, secundùm aliam dicitur exemplar, ideòque debet præsupponi continentia eminentialis creaturæ in potentiæ, seu causæ virtute valente ipsam producere, sed hæc non est ratio cognoscendi, sed est idea, scilicet divina essentia ut prima, & summa veritas intellectui divino objecta, & cognita; & hinc plures transeunt ab una in aliam rationem, in quo committitur fallacia vel accidentis, vel consequentis.

Ulterius etiam pro clariori intelligentia dicendorum, quod & supra etiam expendimus, advertendum, quòd continentia eminentialis rerum in Deo alia est in essendo, qua Deus continet in se omnes perfectiones creaturarum secundùm esse perfectissimum, ob idque secundùm rationes transcendentales præscindentes à finitate, & infinitate *ex Scot. l.* 1. *d.* 36. *quæst. ult. ad* 2. Alia continentia dicitur propriè virtualis, qua creaturæ insunt in potentia, & virtute suæ causæ infinitæ, & omnipotentis: prima continentia abstrahit ab omni causalitate, secunda nequaquàm; adest & alia continentia eminentialis in repræsentando, & cognoscendo, de qua supra dictum est. His positis.

1. Concl. Datur in Deo notitia, & scientia sim- 189
plicis intelligentiæ, quæ est naturalis, & necessaria, qua cognoscit Deus omnia entia possibilia, vel sub statu meræ possibilitatis; Est S. Bon. *l.* 1. *d.* 35. *dub.* 3. *&* 5. *& d.* 39. *a.* 1. *q.* 2. *ad ult. & q.* 3. *& Brevil. l.* 1. *c.* 8. D. Thomæ, & omnium Theologorum, estque de fide.

Probatur autem, quia entia possibilia ut talia sunt intelligibilia, ergo Deus ea cognoscit; tùm quia ut talia antecedunt divinum decretum, ergo naturaliter repræsentantur in divino exemplari ergo per cognitionem ipsius, & ipsæ cognoscuntur.

Dices talis possibilitas creaturarum est contingens, poterant enim non esse possibiles, & creabiles, cum antè creationem sint nihil, ergo ipsius possibilitatis cognitio non est necessaria, & antecedens ad divinam voluntatem; & si respondeas possibilitatem creaturarum esse rationem ipsis intrinsecam, nec posse ab eis tolli.

Contra est, quia sequeretur talem possibilitatem esse necessariam, sicut, est omnipotentia Dei, & istam omnipotentiam Dei dependere, à possibilitate creaturarum, omnipotentia enim Dei dicit ordinem ad omne possibile, ergo ablata omni possibilitate creaturarum, ampliùs non erit Deus omnipotens, & admissa illa dicitur omnipotens, quod est maximum absurdum.

Hæc objectio excitat illam celebrem quæstionem, An implicantibus creaturis, etiam Dei omnipotentia evanesceret; in qua Mayron. & Fasolus, aliique recentiores apud Meldullam *d.* 3. *n.* 7. *seq. & d* 4. *n.* . respondent affirmativè, neque repugnans, vel indecorum existimant quòd divina cognitio, sicut & omnipotentia à creaturis possibilibus, ut à termino pendeat, nec si musca esset impossibilis, esset etiam impossibilis omnipotentia Dei, nec de hoc scandalizari debent pusilli, quia isti Authores non sumunt esse creaturæ secundùm se, sic enim non potest adæquare in necessitate, & independentia ipsi Deo, sed solùm ut relativam esse increatum, in quo eminenter, & essentialiter continetur, sub qua ratione dicitur creatura idem ac creatrix essentia: undè eadem ratione, qua creaturæ continentur in divina essentia, suntque idem cum ipsa, dicitur ipsas esse necessariò possibiles, sicut est necessaria omnipotentia Dei, & iisdem earum cognitio; nec hoc est ponere dependentiam in Deo ad creaturas, sed potiùs è contra dependentiam in creaturis possibilibus ad divinam omnipotentiam.

Sed hoc assertum efficacissimè exploditur ab 190
ipso Meldula; nam isti Authores saltant extra chorum, & propositum quæstionis; cum enim quæritur, an implicantibus creaturis, implicaret etiam divina omnipotentia, non sumuntur creaturæ prout continentur virtualiter in Dei essentia, vel omnipotentia, sic enim sunt idem ac ipsa essentia divina, nec ullum esse habent, quo terminare

possint ipsam cognitionem, vel omnipotentiam; sed sumuntur secundùm illam entitatem, qua sunt possibiles, scilicet secundùm proprium esse producibile, quo distinguuntur realiter ab ipso Deo potentialiter tamen, quod & notavit S. Bon. *l.* 1. *d.* 36. *quæst.* 1. *ad* 2. ubi dicit, quòd sic sumuntur creaturæ prout sunt effectus producibiles à sua causa omnipotente, quod esse, antequam producantur, dicitur potentiale, & postquam productæ sunt, dicitur actuale; & secundùm tale esse, falsum est contineri essentialiter in Deo, sed tantùm virtualiter, ut effectus in sua causa; Undè resp. quòd talis quæstio potest sumi vel secundùm mutuam denominationem, quam secum fert relativorum simultas, ac eorum convertentia, sic posset aliqualiter admitti æqualis necessitas inter divinam omnipotentiam relatam ad effectus producibiles, & creaturam, & è converso; sed id non est, quod quæritur, sed est quæstio de necessitate extremorum relationis secundùm proprias entitates, ad quam respondetur impossibile esse entitatem creaturæ possibilis tanta necessitate creabilem esse, quanta divina essentia est creatrix, & omnipotens, alioquin creatrix omnipotentia vel dependeret, vel coexigeret ad sui perfectionem possibilitatem musicæ secundùm propriam entitatem, quod est maximum absurdum, & valdè indecorum Deo, & impossibile; tùm etiam, quia si Dei omnipotentia coexigeret pro termino creaturam possibilem daretur relatio realis Dei ad creaturam; ratio autem fundamentalis est, quam sæpè tradit S. Bon. pluribus locis, & præcipuè *l.* 1. *d.* 30. *per totam*; quia in Deo non datur relatio ad creaturam secundùm esse, sed tantùm secundùm dici, quæ de principali significato aliquid absolutum importat, connotando creaturam non ob aliquem respectum realem, quem fundat ad illam, sed ob dependentiam essentialem creaturæ, vel originem naturalem, vel aliquam proprietatem accidentalem; ut iterùm notat Seraph. Doct. *lib.* 1. *cit. q.* 3. undè cùm Deus sit purissimus actus, & summè simplex, totum quod in eo est essentiale, est actus purus; & quid absolutum; si ergo omnipotentia est quid absolutum in se sine ullo respectu reali ad aliud, licèt secundariò de connotato dicat respectum rationis ad possibilia, sequitur quod etiam implicantibus creaturis adhuc in se diceretur, & esset absolutè omnipotens ob imperfectionem absolutam; licèt postea formaliter sumpta intelligatur à nobis nata fundare relationem rationis ad creaturam possibilem veluti terminum talis relationis; & hinc oritur, quòd cum à nobis non possint quietativè concipi tales relationes secundùm dici sine suis extrinsecis connotatis, etiam concipiatur hæc divina omnipotentia secundùm relationem ad creaturas possibiles connotatas, & hinc posteà oritur denominatio extrinseca mutuæ relationis. *Vide S. Bon. l.* 1. *dist* 42. *& d.* 44. *& d.* 7. *quæst. ult.*

Ex quibus resp. instantiæ negando, possibilitatem creaturarum esse ita necessariam, sicut omnipotentia Dei ex rationibus adductis; omnipotentia enim Dei non exigit ad sui existentiam creaturas possibiles, licèt è converso creaturæ possibiles exigant Dei omnipotentiam ob sibi dependentiam; sed vide infra *d.* 5. *q.* 1. *ad* 5. *Concl.*

191 2. Concl. Creaturæ possibiles cognoscuntur à Deo in sua essentia, non secundùm quòd continet ipsas veluti in sua omnipotentia, nec aliis modis excogitatis à variis Theologis, sed ut est prima, & summa veritas repræsentans omnem aliam veritatem, & entitatem participatam, vel participativam essentiæ ipsius.

Hæc Conclusio est patentissimè Seraph. Doct. *l.* 1. *d.* 35 *&* 36. pluries citati in hac, & antecedenti quæstione; quidquid dicat P. Gaud. Trigos. aliique qui P. Gaud. commutatur Seraph. Doct. in hac quæstione *dist* 13. *quæst.* 5. valdè varius est, modò tribuens Seraph. Doctori modum Thomistarum, ut patet *num.* 40. & deinceps; & clarissimè *num.* 73. *& seq.* modò transit ad asserendam nostram conclusionem Seraphicam *num.* 85. sed cum hac limitatione dicens, Deus videt creaturas in ideis tamquam in speculo (secundùm modùm nostrum intelligendi) postquam intellectæ sunt in omnipotentia; quæ limitatio, vel repetitio novæ cognitionis in Deo est contra mentem Seraph. Doct. & falsa, & superflua. Ad quid enim additur in Deo nova cognitio in ideis post cognitionem creaturarum in omnipotentia? & ideò dixi hunc modum esse falsum, & superfluum; quòd verò sit contra mentem Seraph. Doct. patet clarissimè ex textu *quæst.* 1. *d.* 35. ubi patenter rejicit modum, & sententiam Thomistarum; *& d.* 36. *quæst.* 1. ubi quærit, An res fuerint in Deo ab æterno; Resp. quòd res in Deo sunt ab æterno non secundùm actualem existentiam, sed secundùm similitudinis præsentiam, & secundùm causativam potentiam; & addit ad 2. res sunt secundùm causativam potentiam in potentia, & virtute causæ, & sic dicuntur esse effectivè, scilicet ut effectus in virtute causæ; res item sunt causativè in essentia, ut repræsentatæ in exemplari, in quo sunt actu, scilicet repræsentatæ in illa summa luce, & veritate, idemque pluriès reperit; undè frustra dictus Auctor nititur tot ambagibus verborum in dicta quæstione explicare tam variè Seraph. Doctorem: quòd verò non cognoscat Deus creaturas possibiles præcisè prout continentur in virtute essentiæ jam supra probatum est in quæstione de ideis: talis enim continentia non est ratio cognoscendi distinctè creaturas secundùm se, cum in se nihil aliud sint nisi creatrix essentia. Ut autem pateat undè orta sit ista æquivocatio, advertendum quòd dum Seraph. Doct. loquitur de existentia rerum in Deo, & cognitione divina istarum rerum, semper simul connectit continentiam virtualem rerum in potentia Dei, & continentiam exemplarem in summa veritate, & hoc facit meritò, quia idea ut exemplar est ratio non solùm cognoscendi ideata, sed & ea producendi; ut autem utrumque comprehendat in perfecta exemplaritate præsupponit continentiam virtualem rerum in divina virtute; & ipsa præsupposita assignat rationem formalem cognoscendi ipsa possibilia in ipsa idea, & exemplari; & quia dictus Auctor ista duo separatim considerat, hinc modò trahit Seraph. Doctorem ad Thomistarum partem, modò ad proprium sensum Seraph. Doct. quod supra in fundamentis notatum est fusiùs

2. Pars quòd cognoscantur in divina essentia, ut in prima, & summa luce; & veritate expressiva omnis alterius veritatis, jam etiam satis probatum est in dicta quæstione; & in hoc eodem sensu à Concil. Arausic. à D. August. aliisque PP. apud Meldulam *num.* 19. *&* 20. vocatur essentia divina speculum creaturarum, scilicet quatenus ipsum visum causa est videndi alia; sic essentia divina visa, & ut prima, & summa veritas ratio est cognoscendi alia

Objic. 1. Possibilia creata non sunt entia in actu, ergo non sunt cognoscibilia, & si respon- 192

deas

deas esse vera entia possibilia. Contra est, quia vel sunt quid creatum, vel increatum; si increatum, ergo sunt ipsemet Deus; si creatum ergo habent veram existentiam, quæ est te minus creationis, sicque creaturæ haberent esse ab æterno, quod implicat. &c.

Resp. admissa responsione inter arguendum; ad instantiam: disting. de ente actu, aliud enim ens actu, quod solùm contra distinguuntur à ficto, & falso; illud quod dicit existentiam actualem, sicque conced. entia possibilia non esse entia actu existentia; neg. non esse entia actu, scilicet repræsentata in essentia divina secundùm esse, quod vel habitura sunt, vel quod possunt habere extra suas causas. *Sic resp. S. Bon. l. 1. d. 36. q. 1. & d. 35. q. 3. & ubi sæpe in cit. distinctionibus.*

Objic. 2. ex Arriaga, & Caspensi *dist. 5. sect. 3. n. 20.* qui sustinent, Deum videre creaturas in seipsis extra suam existentiam, quia cognoscere res omni modo, quo sunt cognoscibiles, dicit perfectionem, ergo hæc perfectio non est Deo deneganda: Prob. antecedens, quia creaturæ in seipsis sunt cognoscibiles, ergo. Resp. negando antecedens, nam cognoscere omni modo in aliqua cognitione dicit imperfectionem mixtam cum perfectione, uti est cognoscere rem per aliud à se, & exeundo extra se. & talia sunt objecta creata moventia intellectum, hoc enim dicit limitationem, & dependentiam ab objecto, & talis modus a Deo exulandus, & cum Deus sit independens omninò in cognoscendo à quocumque objecto creato, hinc ex seipso tantùm cognoscit res, scilicet terminativè solùm.

Quæres, an talis cognitio in Deo sit abstractiva, an intuitiva? Ratio dubitandi est, quia cognoscere per aliud est per abstractivam cognitionem: Resp. talem abstractionem in nobis provenire ex imperfectione nostra, cum non habeamus res semper præsentes; non in Deo, cui omnia sunt præsentia in summa, & prima veritate.

QUÆSTIO VII.

De objecto scientiæ visionis; & primò an Deus cognoscat futura ex reali eorum præsentia in æternitate.

193 Certum est, objectum scientiæ visionis Dei esse omnia futura, & producenda in aliqua differentia temporis, in quo omnes Theologi conveniunt, & S. Bon. pluries id supponit tanquam certum, & de fide, ut supra in quæstione 5. traditum est. Sed controversia præcipua est circa modum, ex duplici capite, & primò quomodo cognoscat immutabiliter, & infallibiliter futura contingentia, & hoc tractabitur in sequenti quæstione; secundò an Deus videat res futuras ex reali earum præsentia, & hæc quæstio in præsenti examinabitur; & quia inter futura collocantur conditionata, hinc & de istorum cognitione posteà agetur.

Quæritur ergo hic, an res à Deo producendæ, vel productæ fuerint ab æterno cognitæ secundùm esse reale, & existentiale, vel tantùm secundùm ipsarum esse objectivum. In hac quæstione circumferuntur duæ oppositæ sententiæ

Prima est Thomistarum plurium, qui D. Thomæ adscribunt, res omnes temporales, sivè productas, sivè producendas secundùm suum esse reale, & proprium, & secundùm propriam existentiam se ab æterno æternitati, & Deo præsentes, & ex tali futurorum coexistentia in æternitate certò, & intuitivè Deum illas cognoscere; sic Capreol. Ferrar. *p. 1. q. 14. a. 13.* & Cajet. qui invocat Sanctos veluti tremens, quasi rem difficillimam tueri cogatur, quam & alii Thomistæ fatentur difficillimam, immò & ipse Cajet. fatetur se lassasse per quatuordecim annos solutionem argumentorum Scoti, & tandem divina luce, & ope D. Thomæ circumfusus ea soluisse, in qua sententia defendenda mirum est videre varias vias, & ambages, per quas varii variè incedunt; quod signum maximè patens est falsitatis, & in intelligibilitatis ipsius, ut advertunt Meld. *d. 2. n. 27.* & Fasol. in hunc locum D. Thom. Et quod valdè mirum est, etiam D. Bon. invitè trahitur in hanc sententiam à PP. Trig. *q. 1. a. 4. ad 2.* Baud. *q. 14. a. 4.* Conol. *ibid. a. 5.* qui se profitentur commentatores Seraph. Doct.

Notat autem P. Ferchius verè fidissimus sectator doctrinæ Seraphicæ in op. de Angelis, hos Authores aliòquin doctissimos ob amorem doctrinæ Thomisticæ trahere Seraph. Doctorem invitè ad oppositam partem; in quo non commentatores, sed adversarios potiùs se videntur ostendere; errat enim oculus, obi errat affectus ait S. Ambros.

2. Opinio est Seraph. Doct. infra cit. Scoti, & ferè omnium Theologorum etiam aliarum scholarum, immò & plurimorum Thomistarum, quos fusè citat, & expendit P. Gaudentius, qui omnes negant hanc præsentiam rerum in æternitate, admittentes tantùm præsentiam objectivam. Pro solutione quæstionis,

Not. 1. quòd æternitas est attributum, seu perfectio soli Deo competens, hæcque communiter dicitur coexistere omnibus partibus temporis, præsenti futuro, & præterito: Ut autem intelligatur rectè hæc coexistentia advertendum, quod non ideò dicitur æternitas coexistere omnibus partibus temporis, quasi tales differentias actu in se contineat, & alias durationes; & ratio est, quia æternitas non est ratio coexistendi alicui, etiamsi sit infinita, nisi actu existenti, quia illud, quod non est, nulli potest coexistere, quia coexistere dicit relationem realem, sed relatio non est realis, nisi fundamentum habeat reale; unde sequitur, quòd æternitas Dei potest sumi intrinsecè prout est intrinseca perfectio, per quam vim habet coexistendi cuicumque durationi possibili, si in actu poneretur, & dicitur æternitas veluti in actu primo, seu ut loquitur Seraph. Doct. in habitu *l. 1. d. 29. dub. 3. & d. 41. dub. 4.* potest & sumi extrinsecè, estque actualis coexistentia ad quamcumque durationem extra, & actu productam, & existentem, ideò actu tantùm coexistit durationi actu existenti, uti explicat Seraph. Doct. *l. 1. d. 39. q. ult.* optimè exemplo immensitatis divinæ, quæ in actu primo est ratio coexistere omni loco possibili, prout verò consideratur in actu secundo verè coexistit loco actu existenti; undè currit paritas de immensitate respectu ubicationis, & de æternitate respectu durationis; quæ doctrina de præsentialitate æternitati traditur à Seraph. Doct. *l. 1. d. 35. dub. 6.* sic enim dicit, quòd non omnia dicuntur esse præsentia Deo secundùm veritatem existentiæ rerum, sed secundùm cognitionem, quia actu cognoscit præsentia, præterita, & futura, & circa actum suæ cognitionis semper est præsentialitas, ita ut nulla successio cognitionis Dei sit in nunc, quod com-

 plectitur

plectitur omnem successionem sine mutatione, & ideo omnia sunt ei præsentia ex hac duplici causa; quamvis autem creatura habeat cognitionem de præsentibus, futuris, & præteritis; quia tamen cognitio ejus transit in præteritum, & futurum, ideò nova generatur cognitio ex rei existentia superveniente: In Deo firma permanente Dei æternitate, & cognitione stat ipsa præsentialitas, & cognitio una, & eadem simplex, licèt objecta succedant ex futuro in præsens, & ex præsente in præteritum; *sic & d.41.a.2.q.1 ad ult.* & clariùs *d.39. q. ult.* ubi notat, quòd præsentialitas rerum Deo potest sumi duobus modis: primò ex parte cognitorum: secundo ex parte cognoscentis: primo modo non cognoscit omnia præsenter cum multa sint futura, alia præterita: secundo modo cognoscit omnia præsenter, quia habet ideas omnium rerum, & quia præsens suæ cognitioni est simplicissimum, quatenus æternitas circumplectitur omnia tempora, & quia infinita est cognitio, ideò ad omnia se extendit & præsentia, & præterita, & futura, futura quidem non sibi, sed secundùm se, cum sint sibi præsentia objectivè. Vide quæ dicta sunt suprà de æternitate Dei *disp.3. q.6.* His positis,

195 1. concl. Non omnia dicuntur, & sunt præsentia Deo secundùm veritatem, & existentiam, sed solùm secundùm cognitionem; est S. Bon. *locis cit. & d.35. q.1. fun. 2. & d.36. q.1. & d.39. a.1. q.2.*

Prob. primò argumento, quo utuntur communiter Scotistæ, aliique extra scholam Scoti, & P. Gaud. *q.6. n.105.* sed tamen desumpto ex Seraph. Doct. *d.36. q.1. arg.1. & 2. ad oppos.* addita responsione: quod in se extrinsecè nihil est, non potest esse in alio extrinseco, & ei coexistere, sed creaturæ in æternitate intrinsecè nihil fuerunt in se, ergo ei non coexisterunt præsentes realiter, major est certa, nam coexistentia dicit relationem realem, quæ supponit rem pro fundamento; minor probatur, quod creatum est in tempore, ante creationem nihil fuit, sed omnia creata sunt in tempore, hoc est determinatum de fide in Concil. Later. cap. firmiter, & tradunt scripturæ, quæ absolutè loquuntur, solumque Deum ab æterno extitisse; imò ex existentia reali in æternitate arguunt Verbum esse Deum contra Arium dicentem Verbum aliquando non fuisse.

Confirmatur ex eodem S. Bon. *b.l.* quod est in aliquo est in illo, vel secundùm se, vel secundùm aliquid sui, sed res non sunt in Deo secundùm se ab æterno, quia essent Deus, nec secundùm aliquid sui, quia nihil earum est æternum, sed totum temporale, ergo: & hinc infert S. Doct. ergo si in Deo sunt ab æterno, tantùm erunt secundùm exemplar sui, & in esse objectivo.

Resp. Cajet. cum aliis Thomistis, quòd argumentum rectè concluderet, si res essent præsentes secundùm durationem propriam, & nunc sui temporis, non verò cùm dicuntur, esse præsentes secundùm nunc æternitatis; nam dicere res esse præsentes secundùm nunc proprii temporis, tunc ponitur successio in præsentialitate, cum aliæ sint præsentes uni, nunc aliæ alii nunc temporis, sed ponere res esse Deo præsentes secundùm nunc æternitatis, quod est unum invariabile, & invariabiliter existens in omnibus nunc temporis mensurans res omnes successivè existentes in variis nunc temporis, tali pacto non concludit argumentum contra ipsos; imò in ipso committi fallaciam à secundùm quid ad simpliciter; nam res non dicitur propriè existere, nisi existat in propria duratione extrinseca, & inadæquata; undè licèt hæc vera sit: Antichristus est præsens æternitati, seu ei coexistit, ut, ly nunc, significat instans æternitatis, attamen non valet inferre propositionem de secundo adjacente, Antichristus nunc est, cum non sit in propria duratione, sed in aliena inadæquata.

Quæ responsio tamen verè, & realiter nihil argumenti vim enervat, estque tantùm verborum; nam quod nihil est sui non potest existere in sua duratione, nec coexistere alteri durationi, æternitas enim licèt non sit indivisibilis, est tamen infinita comprehendens omnia tempora, & res, non quidem simul, sed secundùm quod successivè adveniunt, cum, ut ait Seraph. Doct. non adæquent totam rei æternitatem, cum finitæ sint, alioquin si adæquatè se haberent; non fluerent; sic enim sequeretur, quòd cum in æternitate fuerit Deo præsens Christus moriturus, adhuc eum esse moriturum, ergo cum mors, & cursus vitæ Christi transierit alio modo se habet coram Deo, quàm ante, quod notat Seraph. Doct. *l.1. d.41. quæst. ult. fund. 3.* Hinc arguo.

Contra primò: impossibile est, quòd aliquid existat in mensura superiori secundùm esse reale, nisi priùs existat in mensura inferiori secundùm idem esse reale, ergo implicat, quòd aliquid habeat propriam existentiam in æternitate, nisi habeat eam in propria mensura, sed res futuræ non existunt in propria mensura, ergo neque in mensura æternitatis; major probatur, nam res non comparantur ad mensuram superiorem, nisi mediante propria intrinseca inferiori, sicut implicat aliquid esse sub Cælo, nisi sit priùs in loco particulari, ergo, &c.

Contra secundò: Illa præsentialitas à Thomistis rebus attributa per coexistentiam in nunc æternitatis, vel est secundùm aliquod esse diminutum rerum, vel secundùm esse verum, & reale existentiæ, sed neutrum potest dici, ergo; non quidem primum, quia sustinent res secundùm esse verum, & reale esse præsentes æternitati, sed nec hoc potest sustineri: Probatur, quia res non potest coexistere alteri, nisi in se habeat priùs existentiam, ergo nisi sit in sua propria duratione, & intrinseca; non potest enim quis esse in hoc anno, nisi ipse intrinsecè sit existens eo anno, ergo illa coexistentia in nunc æternitatis nihil tollit rebus de propria existentia in propria, & intrinseca mensura; & confirmatur: Cum dicitur Petrus coexistit Deo in æternitate, si resolvat hæc propositio secundùm regulas rectas logicales ad duo capita reduci debet. Unum est existere tamquam productum de secundò adjacente, quia coexistentia realis super actualem rei existentiam necessario fundatur: Alterum est coexistere alteri tamquam prædicatum de tertiò adjacente, quod non est distrahens, neque diminuens, sed potiùs restringens; à quo prædicato valet arguere ad secundum adjacens; ut, Petrus est albus, ergo Petrus est, ergo valet illa consequentia simpliciter ad simpliciter: Petrus coexistit Deo in æternitate, ergo coexistit Deo, ergo in se existit, & si existit in se, ergo in propria, & intrinseca mensura; sic acutissime Meldula *n.275. ad finem.*

Sublimno ex traditis ex S. Bon. sed res in æternitate non est producta, estque nihil, ergo in æternitate non existit, ergo non coexistit æternitati.

Confirmatur ex traditis in fundamento exemplo immensitatis divinæ, ex S. Bon. *d.39. q. ult. corp.* tùm etiam continentiæ rerum sub Cælo ut in loco communi; sicut se habet immensitas in ra-

tione

tione durationis; ſed immenſitas, licèt infinita, non eſt ratio coexiſtendi loco, niſi actuali, & non potentiali, quia hic verè non eſt, ergo pari ratione æternitas, licèt infinita, non erit ratio coexiſtendi alicui, niſi exiſtenti, quod enim non eſt, non poteſt alteri coexiſtere; ſic & de continentia rerum in loco communi ex Ariſt. 4. *Phyſ.* idem fere infertur, quia res non poſſunt contineri in loco communi, niſi quatenus continentur in loco proprio, & in proprio ubi adæquato, ergo nec res aliqua poteſt menſurari menſura aliena, & communi, niſi præſupponatur propria intrinſeca, ergo nec poteſt res eſſe exiſtens in æternitate, niſi ſit exiſtens in propria menſura.

Reſp. Thomiſtæ negando paritatem de immenſitate, & æternitate; nam immenſitas fundatur in actione tranſeunte, qua Deus producit, vel conſervat res creatas, idcóque Deus non poteſt per immenſitatem eſſe in rebus, niſi actu exiſtentibus: Æternitas verò non fundatur in aliqua actione Dei circa res, quæ in illa ſunt, & ita poteſt amplecti res futuras, & præteritas æqualiter ac præſentes, antequam ſint in propria duratione.

Sed tamen hæc reſponſio eſt inanis, & ſine fundamento. Deus enim eſt ita immenſus, ac æternus independenter à creaturis, ſicut erat ante creationem rerum; undè ſicut eſt immenſus, & æternus in ſe intrinſecè veluti in actu primo, vel ut loquitur S. Bon. in habitu; ita in actu ſecundo, poſitis creaturis dicitur extendere ſuam immenſitatem, vel æternitatem ad ipſas, ipſaſque coexiſtere, hinc ſicut in immenſitate præſupponitur exiſtentia rerum in loco, ſic & in duratione exiſtentia in propria menſura.

196 Prob. 2. principaliter ex S. Bon. ſi creatura exiſtit in æternitate, vel ut eſt actu, vel potentia; non actu, quia eſſet creata ab æterno, ergo potentia tantùm, ſed in tali ſtatu nihil eſt, ergo. Reſp. eſſe actu exiſtentialiter in æternitate. Contra, res exiſtentes in actu præſentes æternitati non ſunt à ſe, ſed à Deo, ergo productæ à Deo ſecundùm omnes ipſarum circumſtantias, & conditiones, remota menſura temporis proprii ſecundùm mentem Thomiſtarum; ſed in tempore iterum accipiunt eſſe, ergo bis productæ, quod implicat.

Prob. 3. Præſcientia non eſt niſi futuri, at Deus præſcit creaturas ab æterno, ergo non exiſtentes. Reſpondent Cajet. aliique eadem ac ſupra: non exiſtunt in propria menſura, ſed in nunc æternitatis. Contra ex Seraph. Doct. Præſcientia dicit duo, ſcilicet ſcientiam, & anteceſſionem ſcientiæ reſpectu cogniti, ſed ſic eſt quòd Deus per præſcientiam ſcit, & præſcit antequam ſint, ergo eas præſcit ut futuras, non ut præſentes; ſed in illo ſtatu ſunt nihil, ergo non ſunt præſentes Deo ſecundùm exiſtentiam.

Prob. 4. ex S. Doct. *d.* 36. *q.* 1. *art.* 2. cum reſponſo. Id quod realiter eſt præſens ratione præſentiæ in ſenſu compoſito neceſſarium eſt eſſe ex Ariſt. 1. Periherm. ergo ſi creaturæ ſunt præſentes æternitati, ergo neceſſariò ſunt, ergo non producuntur contingenter: Antecedens patet ex Logica, & declaratur à Seraph. Doct. *d.* 38. *a.* 2. *q.* 1. *ad* 3. ſic enim dicit hæc propoſitio, omne quod eſt, quando eſt, neceſſe eſt eſſe, vera eſt de neceſſario, quod ponit aliquid in actu circa ſuppoſitum, & ſubjectum, quo poſito impoſſibile eſt non eſſe poſitum, quod de futuro non poteſt verificari, cum nihil ponat in ſubjecto pro præſenti, ſed ſolùm pro futuro, ideò nulla neceſſitas ponitur, neq. ſimpliciter, neq. ut nunc, quia de præſenti nihil ponit.

Prob. 5. Quandocumque aliqua duo coexiſtunt alteri, coexiſtunt & inter ſe; ſed creaturæ non coexiſtunt inter ſe, ergo nec æternitati, major patet ex terminis: minor probatur, quia alioquin vera eſſent contradictoria. nam ſimul Petrus eſſet, & non eſſet; Chriſtus eſſet mortuus, & non eſſet mortuus; eruitur hoc argumentum ex Seraph. Doct. *diſt.* 39. *quæſt. ult. in ult. arg. & reſp.*

Reſp. Bannez majorem eſſe veram, quando illa duo coexiſtunt uni tertio ſimpliciſſimo formaliter, & non virtualiter, at æternitas, licèt ſit formaliter indiviſibilis, non tamen virtualiter, ſic enim eſt diviſibilis ſecundùm latitudinem, quia poteſt ſe extendere, & æquivalere omnibus differentiis temporum.

Contra (ait Faber, & Meldula *n.* 278.) ſi res coexiſtunt æternitati ob latitudinem actualem, quam æternitas importat ad differentias temporum ſuccedens unam poſt aliam, ſequitur quòd non ſunt præſentes ſimul æternitati, ſed ſucceſſivè pro determinato tempore exiſtentiæ ipſorum, & ſic Antichriſtus non coexiſtit nunc, ſed coexiſtet ſuo tempore.

Prob. 6. Data etiam, & non conceſſa tali coexiſtentia rerum in æternitate, adhuc tamen non poteſt eſſe prima ratio cognoſcendi futura: Probatur aſſumptum; ideò ſecundùm adverſarios res eſt præſens æternitati, tamquam menſuræ extrinſecæ, quia exitura eſt in tempore, & propria duratione, ergo priuſquàm intelligatur exitura in menſura extrinſeca, eſt in ſe intelligibilis, ergo poſita etiam tali coexiſtentiæ nequit etiam eſſe prima ratio ipſam intelligendi, & cognoſcendi, tùm etiam quia priùs eſt ratio objectiva ipſam cognoſcendi, tùm quia adhuc per talem coexiſtentiam non poſſunt cognoſci futura conditionata, quæ numquam erunt.

Concluſio 2. Ideò futura à Deo præcognoſcuntur, quia ipſi ſunt præſentia in eſſe objectivo, ſeu in idea, & exemplari; eſt Seraph. Doct. *diſt.* 35. *quæſt.* 1. & *d.* 36. *q.* 1. & communior, ut ſupra traditum eſt. 197

Probatur primò à Seraph Doct. *diſt.* 36. Agens cognoſcens agit per ſpeciem rei, quam penes ſe habet, ſed res eſt in anima, quia ſimilitudo ejus eſt in ea, ergo & in Deo ſimiliter, id enim dicit maximam perfectionem in agente per intellectum, & voluntatem, & rationabiliter ut probatum eſt in quæſtione de ideis. Nec valet, ſi dicas cum Thomiſtis, quod illud exemplar nihil eſt rei, ergo ſecundùm illud exemplar non debet dici eſſe in Deo, ergo requiritur præſentialitas ſecundùm exiſtentiam.

Contra. Plus facit ad eſſe rei exemplar, quod eſt cognitivum, & productivum, quàm quod eſt productum à re; ſi ergo ratione exemplaris à re producti res eſt in anima; multò fortiùs debet dici in Deo eſſe ratione exemplaris producentis, ſed hoc eſt ab æterno in Deo, ergo ratione talis exemplaris res ſunt in Deo objectivè: Et confirmatur, quia ſimilitudo producti non eſt verè ipſa res, ſed aliquid ipſius rei, & ob id priùs in anima, ergo multò fortiùs res eſt in Deo in eſſe objectivo actu per exemplar increatum, quod eſt ipſe Deus. Hæc concluſio etiam in ſuperioribus probata eſt in quæſtione de ideis.

Contra has duas noſtras concluſiones Thomiſtæ adferunt plures auctoritates SS. Patrum, in qui-

bus videntur tollere à Deo omnem præscientiam, quatenus dicit ordinem ad futura, cum apud Deum solùm sit scientia, eo quod omnia sunt ei præsentia, non futura, quas auctoritates asserunt Mastrius supra cit. P. Gaudentius q. 6. d. c. 3. aliique Theologi: undè ex his inferunt Thomistæ suam conclusionem de præsentia existentiali rerum in æternitate; quibus omnibus resp. Seraph. Doct. l. 1. d. 38. & 39. sparsim, Scotus, aliique debere sumi tales auctoritates in verò ipsorum sensu; non enim negant præsentiam futurorum, quatenus sumuntur ex parte Dei, quasi successio cadat in ejus scientia, cum omnia ei sint præsentia objectivè per ideas; sed tamen quatenus futuritio sumitur ex parte rerum, sic verè futura, quia sunt subjecta successione temporum; de his auctoritatibus fusè agit, & doctissimè Fasolius apud Meldul. & Gaud.

Objic. 2. Æternitas est duratio tota simul indivisibilis, & intima sine ulla successione continens, & circumplectens omnia tempora, ergo continet omnes res præsenter actu; alioquin non contineret indivisibiliter, & sine successione omnes differentias temporum, sicque aliquando esset præsens alicui, & aliquando non.

Resp. S. Bon. *d. 39. q. ult. in corp. & d. 37. art. 2. q. 2.* quòd cognoscere omnia præsenter potest intelligi dupliciter; uno modo quod præsentialitas notetur à parte cognitorum, alio modo a parte cognoscentis: primo modo Deus non cognoscit omnia præsenter; secundo modo cognoscit per ideas; & ad id de æternitate indivisibili, & tota simul resp. quòd sicut immensitas, sic æternitas potest sumi in habitu, seu veluti in actu primo, & secundùm hoc licèt sit formaliter indivisibilis, virtualiter tamen est divisibilis secundùm capacitatem, quam habet ad omnia loca, & tempora, quæ sunt, vel possunt habere, & quia ista non omnia actu sunt, idcò non sequitur quòd sint ei præsentia actu.

Contra hanc responsionem instant Gonzalez, & Cabrera, si in actu secundo æternitati respondet nova præsentialitas rei, quæ priùs non existebat, sequitur quòd detur mutatio, & additio in æternitate, sicque non erit indivisibilis, & tota simul, consequens est falsum, ergo & antecedens. R. disting. anteced. sequitur dari additionem æternitati formaliter intrinsecè, nego, sic enim est eadem indivisibiliter formaliter, & immutabilis, formaliter extrinsecè secundùm ejus virtualem latitudinem, concedo, sicque negatur, quod ex hoc auferatur eum indivisibilitas, & totalitas, & simplicitas; cum additio hæc respectu connotatorum, scilicet respectu successionis temporum, idcò notat S. Bon. *l. 2. d. 2. part. 1. q. 3. ad 5.* ipsi æternitati permanenti sine successione reducatur priùs, & posterius temporis.

Objic. 3. Omnia loca sunt præsentia immensitati, ergo & omnia tempora, & temporalia æternitati. Resp. omnia loca actu existentia concedo, non existentia nego, sic & tempora æternitati.

Objic. 4. Mensura divinæ cognitionis rerum est æternitas, ergo nihil potest à Deo cognosci, nisi sit præsens æternitati. Probatur consequentia, quia si Deus cognosceret futura sine eorum præsentia in æternitate, dum fiunt præsentia, tunc novus modus cognoscendi ei adderetur ex rebus, sed hoc est impossibile, ergo. Et confirmant, quia ejus cognitio est intuitiva, ergo exigit præsentiam rerum. Resp. Mensuram divinæ cognitionis rerum esse æternitatem, non ratione existentiæ ipsarum, sed objectivè tantùm, quia enim uno, & eodem actu æterno cognoscit omnia præsentialiter objectivè, non existentialiter: hinc quia talis cognitio circumplectitur omnia, eique in esse objectivo præsentia, cognoscit eas, & futuras, & existentes, ita ut futuritio, & necessitas cadat in rebus, non in cognitione, & ratio est, quam adducit Seraph. Doct. *d. 38. a. 2. q. 1. ad 3.* quia verum de futuro nihil ponit circa subjectum, quia non est verum pro præsenti, sed pro futuro solùm, ideo solùm sufficit præsentialitas objectiva.

QUÆSTIO VIII.

Quo pacto Deus certo cognoscat futura contingentia.

198 SUppon. primò. Certum esse de fide, Deum cognoscere certo omnia futura scientia visionis; sed quia ex futuris alia sunt necessaria, alia contingentia; Ex contingentibus autem alia sunt à casu, suntque illa, quæ possunt esse, & non esse in ordine ad creaturas naturales, quæ licèt naturaliter operentur, possunt tamen impediri, ut est in pluvia futura, germinare frumentum, &c. alia à proposito, quæ ab agente libero producuntur, & illa sunt vel totaliter dependentia à prima causa, quorum Deus est tota causa, ut creatio mundi; alia sunt, quorum creatura libera est tota causa, ut sunt peccata; alia sunt, quæ partim à Deo sunt, scilicet ratione concursus generalis, & partim à causa creata libera, ut Petrum disputare, vel non disputare; *Sic S. Bon. d. 38. q. 1.* Quæstio non procedit de necessariis, & contingentibus primi generis; nam effectus illi sunt absolute necessarii, ac certò in suis causis cognoscibiles, in quibus determinatum esse habent, nam licèt sint contingentes respectu unius causæ, quæ ab aliis causis impediri potest, ne suum effectum producat, tamen si talis causa habuerit omnia ad agendum requisita, nec obstiterint impedimenta necessario, & naturaliter agit sic, quòd non potest non agere; ideóque talis effectus à Deo cognoscitur infallibiliter ex dispositione talis causæ: Nec etiam quæstio procedit de contingentibus liberis à Deo solo provenientibus, quæ à Deo cognoscuntur in determinatione suæ voluntatis.

Solùm ergo procedit quæstio de futuris contingentibus, quæ pendent a causa secunda in operando; Et quia ista sunt in duplici discrimine, alia enim sunt absoluta absolutè futura, alia conditionatè futura, scilicet pendentia ab aliqua conditione, quæ quia nunquam ponitur in esse, ideò nunquam sunt absolutè futura. v. g. Petrus disputabit, si venerit in scholam. In hac quæstione agetur de contingentibus liberis futuris, in sequenti de conditionatis.

Suppon. 2. quòd dum quæritur, quomodo Deus, cognoscat futura contingentia libera, non quæritur ratio, propter quam ex parte potentiæ cognoscitivæ, divinique intellectus; nam certum est apud omnes, hanc esse ejus infinitam perfectionem in intelligendo omne rerum; sed quæritur ratio propter quam ex parte objecti, non quidem primarii, quæ est divina essentia, certum est enim, quòd hæc est infinita ejus perfectio in repræsentando omne

omne repræſentabile, ſed ea parte objecti ſecundam, id eſt quæ ſit ratio, ob quam futurum contingens antequam actu, & de præſenti ſit determinatum ad eſſe, ſit repræſentabile determinatè, atque ita ſit modo repræſentatum in eſſentia divina, & ab intellectu divino de facto præſcitum ob infinitatem eſſentiæ in repræſentando, & divini intellectus in cognoſcendo: Ratio dubitandi eſt, quia futura libera, antequam ſint, nullum habent eſſe, nec in ſe, cum nondùm exiſtant, neque in cauſis, cum in his non magis habeant eſſe, quam non eſſe, quod autem nullo modo eſt, certò ſciri non poteſt, cum eſſe ſit fundamentum omnis ſcibilitatis.

Et quia quæſtio hæc eſt valdè difficilis, hinc orti ſunt varii modi, & ſententiæ Theologorum circa hanc cognitionem certam Dei: Inter quas tamen non recenſemus errorem Ciceronis, qui ne tolleret contingentiam effectuum, negavit præſcientiam Deo, ut refert D. Auguſt. *l.5. de civit. Dei, cap 9.* qui dum facere voluit liberum hominem, fecit ſacrilegum; cui videtur aſſentiri Ariſt. qui aſſeruit futurorum contingentium non dari determinatam veritatem, quod infra probabitur falſiſſimum, ob idque nec poſſe à Deo præſciri. Nec item hìc recenſemus errorem Wicleph. qui negavit contingentiam rerum, & creati arbitrii libertatem ad ſalvandam præſcientiæ divinæ certitudinem, quem & ſecutus eſt Lutherus cum cæteris ſectariis noſtri temporis, qui omnia neceſſariò evenire dixerunt, & hoc tùm ob præſcientiam divinam tùm ob efficaciam, & immutabilitatem divinæ voluntatis; de qua immutabilitate hic aliqua expendemus; ſed ex profeſſo agemus in diſp. de prædeſtinatione.

Primus modus, vel opinio eſt Nominalium, qui citò ſe extricant ab hoc nodo, dicentes nos de fide debere credere Deum iſta futura cognoſcere (eſt enim de fide, & probatur ex multis textibus clariſſimis ſacræ Scripturæ) ſed tamen à nobis viatoribus pro ſtatu iſto non eſſe demonſtrabile mediis rationibus Deum habere veram futurorum contingentium præſcientiam; citantur Ocham. Gabriel, aliique, ſed tamen inter iſtos Gregor. efficaciſſimis rationibus probat propoſitiones de futuro contingente abſoluto eſſe determinatè vel veras, vel falſas; undè communiter exponuntur ipſos aſſerere non eſſe demonſtrabile à priori, benè autem à poſteriori, quibus relictis ad Realium ſententias deveniendum eſt.

Primus modus eſt plurium Thomiſtarum, Cajetani, aliorumque Deum certò cognoſcere futura contingentia in ipſorum præſentiali exiſtentia, de qua ſupra in præcedenti quæſtione.

2. Modus eſt aliorum Thomiſtarum Alvarez, Cabreræ, Gonzalez, & aliorum Deum cognoſcere futura contingentia in diſpoſitione cauſæ proximæ, id eſt liberi arbitrii creati, à quo talibus circumſtantiis conſtituto, & præcipuè à prædeterminatione phyſica informato, certum eſt effectum contingentem neceſſariò proditurum.

3. Modus eſt aliquorum aliorum Theologorum aſſerentium Deum videre futura in efficacitate ſuæ præſcientiæ, quatenus eſt cauſa rerum, & ſi eſt talis, ergo erit etiam cauſa cognoſcibilitatis, eſtque Palatii, aliorumque paucorum apud Meldulam *num.87.*

4. Modus his temporibus communior eſt Deum certò videre effectus liberos in ſeipſis, ut conſideratis, & viſis in ſuis cauſis ſuppoſito decreto concurſus divini concomitantis; ſed iſti procedunt per duas vias: Aliqui enim volunt cognoſci in tali decreto concomitante, ſic Meldula *d.3. n.167.* aliique pauci: Alii, & ſunt Doctores ſocietatis, præſupponunt in Deo ſcientiam conditionatam, v. g. ſi Petrus poneretur in tali, vel tali ſtatu, eique tribueretur concurſus concomitans Dei, exiret in tale, vel tale opus; tunc Deus decernendo abſolutè talem concurſum, videt certò talem effectum in ſuis cauſis; ſic plurimi apud Meldulam *d.3. num.98.*

5. Modus eſt Seraph. Doct. qui licèt parùm diſcrepet à præcedenti ſententia, duplicem tamen rationem, unam proximam aſſignat talis cognitionis certæ, & aliam remotam; prima proxima eſt ex parte intellectus divini, nempè infinita perfectio intellectus divini, qui eſt ſumma lux comprehendens, intuenſque perfectiſſimè omnia: Alia eſt ex parte objecti, nempè prima, & ſumma veritas omnem aliam veritatem explicans per ideam, in qua videt omnia creata, & voluntatem creatam, & actus ejus futuros, & etiam mala oppoſita: ratio verò remota eſt decretum divinæ voluntatis cum prævio concurſu omnium cauſarum, & tali pacto videt objectivè præſentia ea, quæ ſunt futura, & eorum exiſtentiam in tali differentia temporis: Hunc modum ſumpſit, & docuit Vaſquez *p.1. d.65. c.2. & 4.* jactans ab ipſo primò excogitatum, & exceptum fuiſſe cum magno plauſu in Hiſpania, & Italia, & ab aliis etiam Theologis poſtea uſurpatum, nec ipſum inveniſſe talem modum in aliquo ſcholaſticorum antiquorum, quod tamen falſiſſimum eſt, cum, ut notat egregiè P. Gaud. *q.7. n.131.* nihil antiquius, & frequentius in Seraph. Doctore, quàm certitudinem divinæ cognitionis indè accipere, quia intellectus divinus eſt ſua infinita comprehendens totum quidquid eſt in Deo ſive eſſentiam, ſive emanationes, ſive actus eſſentiales, quem modum ſequitur etiam Penotus in ſuo propugnaculo. Faber. Fulienſis, &c. Pro ſolutione quæſtionis.

Not. 1. quòd tota difficultas in hac quæſtione 99
deſumitur tùm ex parte intellectus, tùm ex parte voluntatis divinæ: Ex parte intellectus non ſatis conſtat quomodo poſſit ſtare immutabilitas, certitudo, & infallibilitas cognitionis de objecto contingente, quod poſſit eſſe, & non eſſe, licèt enim divinus intellectus non depromat certitudinem ſui actus ex ipſo objecto creato ut motivo, exigit tamen idem objectum, ut aptum ſit terminare ipſam notitiam certam divini intellectus; quomodo igitur poterit cum tali certitudine facere hanc terminationem firmam, ſi in ſe nullam habet firmitatem, vel veritatem firmam? hoc infra ſolvetur. Ex parte etiam voluntatis divinæ eſt maxima difficultas, & hoc, quia poſita determinatione voluntatis divinæ ad concurrendum cum tali actu, videtur tolli libertas, & contingentia in eodem actu; & ſi relinquitur libertas in voluntate creata ad agendum, & non agendum, ad agendum hunc actum, vel oppoſitum, ſic videtur poſſe fruſtrari determinatio divinæ voluntatis, ſicque auferri immutabilitas actus divini; hæ ſunt duæ præcipuè difficultates in hac materia, quæ ut radicitùs evellantur.

Not. 2. ex ſupra traditis de Ideis divinis ex S. Bon. *l.1. d.35. q.1. & 2. ad 2. 3. & 4.* quòd idea eſt prima, & ſumma veritas infinita exprimens clariſſimè omnem veritatem ab ipſa participabilem; ob idque habet de nobilitate rationis, ſeu exemplaris univerſalis, quia eſt infinita, & ad infinita exprimenda ſe extendens; habet & de nobilitate

exemplaris

exemplaris singularis valentis exprimere omnem aliam entitatem, & veritatem participatam secundùm omnes conditiones peculiares, & individuales proprias uniuscujusque entitatis; ob idque & habet rationem gignendi notitiam speculativam in intellectu divino respectu omnium possibilium antecedenter ad decretum divinum; habet & rationem gigendi scientiam, & cognitionem practicam existentiæ futuræ, & producibiles de facto cuicumque rei etiam post decretum divinæ voluntatis, vel cum suppositione concomitantis decreti volontatis divinæ, ut notat S. Bon. *l. 1. d* 40. *a*. 2. *q*. 2. *ad* 2. & obid quia futura contingentia si sunt futura etiam exprimuntur ab illa summa veritate secundùm suam propriam existentiam, quam habitura sunt in aliqua differentia temporis, sicut & ipsorum causæ liberæ ad utramque partem contradictionis, & ipsarum determinatio ad unam partem ex propria libertate facta cum suppositione concursus divini ad id necessarii; undè licèt tales effectus quam diu considerantur in sua causa libera in actu primo posita nullum esse determinatum habent, habent tamen post determinationem voluntatis & earum ipsorum in esse prævisum, sunt enim hæc omnia objectivè in Dei cognitione expressa.

Cum igitur intellectus divinus vi talis expressionis in divina essentia, & prima, & summa veritate feratur in omne verum, & cum in futuris contingentibus contradictoriis necessariò unum sit verum, aliud falsum, unum futurum, aliud non futurum, etiam intellectus divinus feratur necessariò in tale verum, hinc sequitur, quòd omne futurum in tempore, semper ab æterno fuit futurum, & quod non est futurum in tempore, ab æterno non fuit futurum, & quia potuit de se non esse futurum, & si futurum, contingenter futurum, hinc etiam sequitur infallibilitas præscientiæ divinæ, cum hæc non dependeat ab ipsa re futura, sed res futura è contra ordinata est ad talem præscientiam; non enim futuritio hic (ait S. Bon. l. 1. dist. 38. dub. 2.) sumitur secundùm successionem, & ut pars temporis, sed secundùm consecutionem, & ordinationem ad præscientiam divinam, in qua salvatur contingentia sicut præscientia importat antecessionem, & quia talis ordo solùm exigit primum extremum in actu, & illud fuit ab æterno, ideò & futuritio, & præscientia fuit ab æterno; Et hinc cum talis præscientia non causet efficienter res, sed potiùs causetur terminativè ab eis, ideò infert rem contingentem absque efficientia, ut fuse docet S. Bon. *l. 1. d. 20. a. 2. q. 1. ad* 4.

200 Not. 3. quòd ut clariùs dicta intelligantur, ex Seraph. Doct. *l. 1. d. 38. a. 1. q. 1. & 2. ad ult.* Cognitio Dei respectu possibilium dicitur scientia simpliciter, qua terminat ad ipsa absolutè; respectu futurorum dicitur præscientia: disputant autem Theologi an hæc sit causa rerum, vel causata à rebus futuris, quæ quæstio infra suo loco examinabitur fusiùs; nunc autem solùm supponimus, quòd hæc præscientia futurorum, si sumitur præcisè, & ut præcisa à divina voluntate, non est causa essendi rerum, sed tantùm ostensiva, sed directiva; si verò sumitur simul cum voluntate divina approbativa, sic potest dici causa rerum, sed tamen supposito concursu voluntatis creatæ; & in tali statu res ex statu possibilitatis transeunt ad statum futuritionis; sed quia talis præscientia divina cum decreto divinæ voluntatis sumitur simul etiam cum determinatione firma voluntatis creatæ liberæ, hinc talis præscientia non infert necessitatem consequentis, & absolutam, sed tantùm consequentiæ, præscit enim Deus res futuras eo modo, quó sunt eventuræ; *sic d. 38. a. 2 per totum*; de quo alibi infra. Et ut magis pateat hæc veritas fundamentalis, quæ infra magis enucleabitur.

Not. 4. quòd major difficultas est circa immutabilitatem hujus præscientiæ, & divinæ voluntatis in ordine ad rem futuram contingentem, & ad oppositum absque læsione libertatis: In qua Thomistæ supponentes prædeterminationem phisicam in voluntate creata ad hunc actum, & non ad oppositum, dicunt, voluntatem creatam esse liberam in actu primo, non in secundo, ob idque intendunt salvare infallibilitatem, & immutabilitatem divinæ præscientiæ simulque libertatem humanam, quod tamen est intelligibile, & impossibile, ut patebit infra, ubi de voluntate divina, & prædestinatione, &c.

Cæteri autem Theologi alio rationabiliori modo cum Seraph. Doctore *l. 1. d. 38. cit. & dist. 39. dub* 5. *& d. 40. a. 2. q. 1. ad* 1. *&* 4. salvant optimè libertatem humanam in actu secundo cum immutabilitate, & infallibilitate præscientiæ divinæ: Docet igitur Seraph. Doct. quòd cum dico, Deum velle Antechristum, duo dico; primum est actus divinæ voluntatis, qui de se est necessarius, nec potest incipere, vel desinere, cum semper sit in actu suo, nec potest illo carere, aliumque habere: secundum est ordinatio effectus voliti ad illum actum divinum; & cum ordinatio hæc sit rei futuræ, quæ nondum est, ob idque & potest non esse, ordinari, vel non ordinari, absque eo quòd mutatio in divino velle cadat, imò nec in ipsa re; nam mutatio est dispositio rei in propria natura, & actu existentis (*ex l. 1. d. 39. a. 2. q. 2.*) consequenter potest transire de statu possibilitatis ad statum existentialem absque mutatione actus divini; hinc posita tali ordinatione sequitur quòd id, quod est futurum, ab æterno fuit futurum, ut supra dictum est, licèt Deus potuerit facere quòd non esset futurum, & non ordinare ad esse existentiale. *Vide d. 39. a. 2. q. 2.* ubi egregiè, & fusè Seraph. Doct. tractat hanc materiam.

Et si quæras quomodo talis effectus possit non esse, si de facto supponitur ordinatus à Deo ad esse existentiale, & quomodo salvetur libertas, & quomodo etiam Deus, cum de facto possit non esse talis effectus, certò, & infallibiliter cognoscat talem effectum certò futurum? Resp. hanc esse potiorem difficultatem in hac materia. Cui resp. S. Bon. *l. 1. d. 39. dub. 5.* quòd alio modo loquendum est de re futura ut futura, & de ipsa in actu secundo, & existentiali: loquendo de re futura; velle Dei in ratione rei futuræ importat antecessionem, & ordinem rationis ad volitum; volitum verò importat ordinationem realem ad Dei velle antecedens: velle autem ex parte Dei est æternum, actusque purus, nec potest illo carere; ordinatio verò voliti ad Dei velle, quia est rei futuræ, quæ nondum est, ideò est contingens, quia potuit ordinari, & non ordinari ad ipsum velle Dei, sed quia est ordinatio rei futuræ, ideò est, & fuit ab æterno futura, licèt de se potuerit non esse futura: loquendo postea de re, & effectu quoad esse existentiale, sic importat concomitantiam concursus Dei cum concursu, & actu voluntatis creatæ: Et quia ab æterno præscivit totum posse, inclinationem, velle, & operari voluntatis creatæ cum concomitantia sui concursus, hinc ex infinitate sui luminis, & veritate determinata talis futuri repræsentata in sua idea, videt antecedenter, certò, & infallibili-

infallibiliter tale futurum, & prodocendom à creatura eo modo, quo eſt futorum, ſcilicer consingentet, & liberè, quod tamen poteiat non velle ex ſua innata libertate; hincque determinatio divinæ voluntatis (ut eſt prædeſtinario ex Seraph. Doct. *l. 1. d. 40. a. 1. q. 1. ad 4.*) cum claudat præſcientiam divinam etiam concordat cum libero arbitrio noſtro, nec poteſt caſſari, nec diſcordare, ob id neceſſariò infert effectum, licèt non neceſſariò efficiat, quæ eſt neceſſitas conſequentiæ, non conſequentis, & abſoluta, ſed ex ſuppoſitione: neceſſitas autem conſequentis, & abſoluta ex antecedens, eſtqoe quando cauſa antecedens eſt cauſa conſequentis neceſſaria, ex qua neceſſario ſequitur effectus, ot ignis agens in lignum caliditate, neceſſariò illud calefacit: neceſſitas conſequentiæ eſt quando antecedens non cauſat conſequens, ſed illud tantùm infert; ut ſi homo currit, neceſſariò movetur; ſic etiam dicitur, quòd res dum eſt, neceſſe eſt quod ſit; ſic dicitur, Deus præſcit hoc eſſe futurum, ergo neceſſariu erit, ſcilicet ex ſuppoſitione, quòd illud præſciat futurnm, &c. Sed quia adhuc remanet ſolvenda alia graviſſima difficultas in hac materia, nempe quomódo Deus certo videat illud futurum determinatè, & remaneat ſalva libertas voluntatis humanæ, cum tale futurum præexigat neceſſariò concurſum Dei determinatum, & abſolutum ad elicitionem talis actus, in quo caſu voluotas oon eſſet libera ad oppoſitum. Hinc.

101 Not. 5. Quòd diſquirunt Theologi, primò an in cognitione talis objecti involvatur hoc decretum divini cuncurſus: ſecundò an requiratur ſcientia media, & conditionata ad ſalvandam libertatem voluntatis.

Io qua dubitatione, ut me paucis expediam, nam de hac materia redibit ſermo in propria quæſtione de ſcientia media. Reſpondeo cum Seraph. Doct *lib. 1 diſt. 40. art. 1 quaſt. 1.* §. Ex hoc patet, &c. Et albi, ut oſtendetur in cit. quæſtione; quòd Deus ſua infinita virtute comprehendit unico actu ſimpliciſſimo, & infinito & poſſibilia, & futura; videt etiam omnia futura conditionata, nempe quid operatura ſit voluntas poſita in tali, & tali ſtatu ex hipotheſi, quòd Deus vult cum ea concorrere: videt quòd Petrus in tali ſtatu erit diſpoſitus ad converſiooem; Judas indiſpoſitus, & reluctans; & ſic videns decernit ſe præbiturum ſuum concurſum cum tali, & tali auxilio; & tunc Deus certò videt eventum futurum ſalva libertate humana; Et quia in tali ſtatu futuritionis effectus habet propriam veritatem determinatam, hinc in ſua propria idea Deus cognoſcit ipſum futurum contingens, ſicque per hoc ſalvatur & libertas voluntatis humanæ, & certitudo divinæ ſcientiæ, nam iſtud eſt decretum, & volitum a Deo non decreto antecedenti; ſed conſequenti, ideſt ſuppoſita noſtra volunsate; undè ſequitur eſſe verum neceſſitare conſequentiæ, non conſequentis; *ſic d. 40. a. 1. q. 2. ad* 2. *& a* 2. *cit. & d. 46. dub.* 3.

Et ad hanc veritatem explicandam poteſt aliqualiter, licèt impropriè, inſervire doctrina, quam Suarez tradit de ſcientia *lib. 1. c. 6. n. 6. & cap. 8. n. 6.* nempè Deum præcognoſcere res futuras eo modo, quo futuræ ſunt in tempore, ideò poſſe aliqualiter dici etiam præcognoſcere ooo ſolùm determinationem futuram liberi arbitrii, ſed etiam decretum ſuæ divinæ voluntatis in ratione futuri, non quidem ſecundùm ſe, quia in Deo non datur verè priùs, & poſteriùs reſpectu intellectus, & voluntatis, os advertit Seraph. Doct. *l. 1. d. 45. a. 2. q. 1. ad ult.* ſed benè datur ſecundùm noſtrum modum intelligendi, & penes connotata; *ſic & d. 36. dub. 3. & d. 3: dub. 3. & a. 1. q. 1.*

Not. 6. Inter Theologos, ſicut & inter Logicos agitari quæſtionem, An propoſitiones de futuris contingentibus ſint determinatè veræ, an falſæ; quam & nos tractavimus in Logica *tract. 8. quaſt. 5.* ubi refertur Ariſtoteles negans habere aliquam veritatem determinatam ibique adduximus varias interpretationes Expoſitorum Ariſtotelis, quarum aliquæ ad bonum, & rectum ſenſum trahunt Ariſtotelem, aliæ ad malum ſenſum; de quo etiam P. Gandentius *diſt. 13. quaſt.* 8 ſed quidquid ſit de Ariſtotele. Catholica ſententia, & de fide, eſt iſtas propoſitiones in intellectu divino eſſe determinatæ veritatis, licèt non neceſſarias; differt enim dicere hoc eſt determinatæ veritatis, & hoc eſt neceſſarium, ſcilicet neceſſitate abſoluta; & ratio potiſſima eſt, quia Deus ſua infinita cognitione omnia comprehendit, & cognoſcit, quia ex Sacra Scriptura omnia ei ſunt nuda, & aperta, ergo & comprehendit in ſe, & ex ſua infinita luce id, quod eſt futurum, vel non futurum. *Vide S. Bon. l. 1. d. 38.* per totam, & præcipuè *a. 2. q. 1. &* 2. His poſitis.

Concl. 1. Deus non cognoſcit futura contingentia ex eorum præſentia exiſtentiali in æternitate; eſt contra Thomiſtas in primo modo ſupra allatas; eſtque S. Bon. *l. 1. d. 39. quaſt. ult. & d. 41. a. 2. quaſt. 1. ad 4. & d 35. dub. 6. & d. 40. a. 1. q. 1 ad 3. & d. 36. a. 2. q. 2. in corp.* quidquid dicant Trigoſ. & Lingon. trahentes violenter Seraph. Doct. ad partes Thomiſtarum; probataque fuit hæc Concluſio in quæſtione antecedenti, ad quam remitto Lectorem. 102

Concl. 2. Futura contingentia à Deo non cognoſcuntur in ſuis cauſis liberis proximis diſpoſitis antecedenter, & prædeterminatis à Deo; eſt contra alios Thomiſtas adductos ſupra in ſecundo modo; eſt tamen Seraph. Doct. & omnium Theologorum extra ſcholam Thomiſtarum; *ſic S. Bon. l. 1. d. 38. a. 2. q. 1. &* 2.

Probatur autem primò quia cauſa libera, quantumvis proximè diſpoſita ad agendum, ſemper eſt indifferens ad agendum, vel non agendum, alioquin non eſſet libera in actu primo, nec in ſecundo, ergo non poteſt in tali ſtatu cauſæ cognoſci determinatè effectus futurus infallibiliter: Probatur conſequentia vel enim hæc diſpoſitio, & determioatio cauſæ, in qua videtur effectus futurus contingens, præcedit effectom, & eſt quid præcipuom determinans potentiam, vel eſt quid conſequens: non primum, quia ſic tolleretur indifferentia voluntatis; nec ſecundum, quia eſſet quid extraneom, & indeterminatum in ordine ad effectum, ergo nullo modo.

Reſp. Thomiſtæ hanc prædeterminationem phiſicam eſſe, & antecedentem in cauſa libera, nec tollere libertatem voluntatis in actu primo, ſed tantùm in actu ſecundo; & ideò in ſenſu diviſo eſſe liberam, non in ſenſu compoſito; nec per id lædi libertatem, quia ſuaviter ſecundùm conditionem cauſæ liberæ ſe aptat ipſi voluntati, ut non cogat, ſed coadjuvet determinando ad hunc actum potiùs, quàm ad illum ſecundùm conditionem ipſius cauſæ liberæ.

Contra: Determinatio voluntatis ad unom in ſenſu diviſo, tollit libertatem per vos; ſed iſta prædeterminatio eſt hujuſmodi, ergo aufert libertatem: Probatur minor; Illa eſt prædeterminatio in ſenſu diviſo, quæ fit à Deo ſolo; talis eſt hæc, nam libero arbitrio adhoc nil agente Deus prædeterminat illud futurum, ergo.

Prob. 2. ex doctrina S. Bon. *l. 1. d. 38. a. 1. q. 2.* minus se habet scientia Dei in ratione causæ ad violandum liberum arbitrium, quàm influxus causans, & præcedens actum liberi arbitrii; sed præscientia Dei, si causaliter præcederet liberam rerum futuritionem, violaret libertatem, ergo & prædeterminatio phisica præcedens actum voluntatis magis violat libertatem.

Prob. 3. ex doctrina Seraph. Doct. de necessitate antecedente, & consequente *l. 1. d. 38. q. 2. & a. 2. quæst. 1 & d. 47. q. 1. & l. 3. d. 7. p. 1. a. 2. q. 2. ad 3. & d. 14 p. 1. a. 3. q. 2. ad 5. & d. 25. p. 1. quæst. 1. ad 4. & d. 30. q. 1. ad 6. & l. 3. d. 12. a. 1. q. 1. ad 5.* Necessitas antecedens non est in potestate nostræ voluntatis, ejusque lædit libertatem, at decretum prædeterminans voluntatem nostram, ipsiusque actus imponit necessitatem antecedentem actibus nostris, ergo: sed quia de hac prædeterminatione lædente libertatem iterùm redibit sermo in materia prædestinationis, ubi est proprius locus hujus materiæ; hinc plura alia omittimus, &c.

103 Concl. 3. Deus non cognoscit certò futura contingentia in sua præscientia; est Seraph. Doct. *l. 1. d. 38. per totam*, & communis ferè omnium: Probatur autem à Seraph. Doct. quia Deus nullius est causa, nisi per voluntatem, sed multa præscit, ad quæ non extenditur, nec extenderetur ejus voluntas, ergo. Secundò si præscientia est causa, id erit aut ratione scientiæ, aut ratione antecessionis: non primum, quia multa scit, quorum non est, nec erit causa: nec secundùm, quia antecessio dicit tantùm ordinem præcisè, ergo; sed de hoc infra erit quæstio propria.

Concl. 4. Deus non cognoscit futuros eventus liberos in suo decreto concomitante, non antecedente, vel consequente: non antecedente, ut volunt Thomistæ, non consequente determinationem voluntatis præcisam ex scientia conditionata in voluntate creata, ut volunt Neutrales Societatis, nec solùm concomitante non secundùm rationem causalitatis, sed tantùm puræ concomitantiæ, ut voluit Meldula *n. 167. seq.* qui addit ex hoc decreto, & in ipso concomitante nostrum usum liberi arbitrii contineri eminenter omnes actus liberos nostros, & omnem modum nostrum agendi; sicque simul ea præcognoscere certò in eodem decreto.

Contra hunc modum dicendi Scotistarum arguo primò. Continentia essentialis causæ secundæ in prima absolutæ necessitatis est, ergo non salvat libertatem; probatur consequentia, quia ex eo quòd est necesse esse non oritur libertas ejus, quòd nondùm est, sed futurum nondùm est, ergo ipsius libertas, & contingentia non salvatur ex tali necessaria continentia. Et confirmatur, quia hæc continentia Dei virtualis antecedit actum nostrum formalem, ergo si liberum Dei decretum antecedit, impedit libertatis usum; tum quia hoc meum velle, quod dicitur concomitans, non est prævisum, sed volitum à Deo, ergo non est concomitans, sed consequens ad Dei decretum, quia enim Deus vult, ego volo; tum quia concursus ad simul agendum nexum habet, ergo aut ex causalitate primæ causæ, aut ex præscientia futuri eventus secundæ causæ: non hoc secundùm, quia in præscientia involvitur etiam ipsum decretum Dei determinans. ergo primum, sed talis nexus necessario supponit ad actum causæ secundæ concursum Dei, ergo iste præcedit, sicque tollit libertatem ad oppositum in voluntate creata, alioquin à caso, & fortuito conveniunt simul ad agere; tùm quia data præfinitione talis concursus adhuc voluntas nostra libera est ad oppositum, ergo per tale decretum non habet effectus esse determinatum cognoscibile; tùm quia tale decretum est concursus generalis sese accommodantis ad utramque partem futurorum actuum, ergo.

Prob. 2. ex S. Bon. *l. 1. d. 35. q. 1. corp. & d. 38 q. 1. in fund. 1.* Sunt multa, quæ non possunt in decreto divinæ voluntatis contineri, nec videri, ergo talis assertio non potest sustineri; probatur antecedens, quia futura peccata non possunt contineri in tali decreto, ergo nec videri; respondent communiter contineri in tali decreto concursum ad materiale peccati, ex quo formale peccati cognoscitur certò.

Contra. Id, quod non est ordinatum ex decreto ad illud formale culpæ, non potest illud formale ostendere, sed illud materiale non est ex decreto ordinatum ad formale peccati, ergo non potest in decreto cognosci. Probatur minor; materiale est quid phisicum habens à Deo debitam rectitudinem, & per accidens extortum à peccatore, tùm etiam quia multa materialia peccati sunt à formali separabilia, & multa se habent per accidens ad illud alioquin Deus intenderet peccatum; ex Scoto *l. 2. d. 37.* & Scotistis; sequitur ergo peccatum videri in alio, quàm in decreto.

Respondent aliqui videri in decreto permittendi. Contra, quia permissiva voluntas non respicit pro objecto effectum producendum à causa, sed solùm potentiam causæ, quam vult liberam esse ad producendum, & non producendum effectum, non autem vult talem effectum producere, hoc siquidem spectat ad voluntatem Dei positivam, & effectivam, ergo Deus non potest videre tales effectus infallibiliter in voluntate permissiva, sic etiam arguit. Meldul. *d. 4. n. 50.* Et confirmatur, quia materialia inseparabilia peccati, ut sunt actus de se mali, à Deo sunt tantùm permissivè volita.

Prob. 3. ex S. Bon. *l. 1. d. 45. a. 2. q. 2. ad ult.* Illud est ratio adæquata videndi res futuras, quod est adæquata causa futuritionis, sed solùm decretum non est tale, ergo. Minor probatur (major enim est certa, quia scire, est rem per causam cognoscere, Deo autem scientia à priori convenit) quia requiruntur etiam aliæ causæ contingentes, quibus Deus se accordat, neque potest intellectus in illo decreto scire quid voluntas mea factura sit, cum non includatur in illo decreto; vel secundùm alios Scotistas, prius prævidens sit quid voluntas mea operatura sit, postea decernit concursum, ergo in tali decreto non potest videri effectus contingens.

Prob. 4. ex Seraph D. *l. 1. d. 35 q. 1.* Si decretum est adæquata ratio cognoscendi futura, sequitur Deum procedere in ista cognitione discursivo modo, scilicet mediante tali medio ad rem creatam, quod est valdè absonum.

Prob. 5. Dato per impossibile, quòd Deus per potentiam, & voluntatem non esset causa productiva rerum, sed ipsæ ab alio producerentur adhuc tamen intellectus divinus eas cognosceret, cum sit infinitæ comprehensionis, ergo signum est eas non cognosci in decreto divinæ voluntatis.

Concl. 5. Propriissima ratio cognoscendi futura 104
contingentia & libera est infinita perfectio intellectus divini, & ipsa veritas futurorum expressa per ideam divinam, est S. Bon. infra cit.

Et quia Faber ait pro hoc asserto nullum haberi à Seraph. Doct. argumentum probans, sed gratis apponi, quod & advertit P. Gaud. *q. 7. n. 161.* qui hanc quæstionem ad mentem Seraph. Doctoris acutissimè tractat; & patefacit hallucinationem Fabri ferè semper infensi doctrinæ Seraphicæ.

Probatur

Probatur primò ea doctrina Seraph. Doct. *l.* 1. *d.* 35. omne agens rationabiliter non à caſu, vel neceſſitate præcognoſcit rem antequàm ſit, & producatur, ergo cognoſcens intra ſe priùs habet ipſam rem faciendam, vel ſecundùm veritatem; vel ſecundùm ſimilitudinem, ſed res antequam ſint non poſſunt haberi à Deo ſecundùm veritatem, & exiſtentiam, ergo ſecundùm ſimilitudinem, ſed ſimilitudo rei, per quam res cognoſcitur, & producitur eſt idea, & exemplar, ergo in Deo eſt tale exemplar, ergo per tale exemplar præcognoſcit omnia futura.

Meldula *d.* 3. *n.* 50. *ſeq.* cum aliis Scotiſtis floci pendens ideas in hac materia, reſpondet artificem intueri aliquo modo in ideis, ſed non dictare ideam, quando arte factum ſit faciendum; ſicque ideas non repræſentare Deo futuritionem eorum, quæ à voluntate libera Dei omninò pendent; nam ideæ ſpectant ad notitiam ſpeculativam, non practicam, ſuntque quid Deo naturale, præcedens liberum ejus actum, & hoc reſponſo noſtra argumenta ſulo æquata clamant; quòd ſi velimus decretum Dei ideis commiſcere, jam nos invitos date ſibi dexteras dicunt, ut ait Suar. cit. n 8.

Quæ reſponſio verè nihil lædit vim argumenti Seraphici, & multa falſa effingit: effingit autem comparationem ideæ divinæ cum ideis artificis creati, quæ omninò ſunt diſparatæ, & ferè totaliter differentes: effingit item ideam divinam ſolùm ex parte repræſentare rem faciendam, dicit etiam ideam ſpectare non ad practicam, ſed ſpeculativam notitiam, quod eſt falſum, ſicut & id, quod addit non poſſe repræſentare niſi entia poſſibilia, & antecedentia decretum divinæ voluntatis, non verò futura, quæ omnia probo falſa, & vana. *Vide infra ad n.* 206. *in* 2. *Not.*

Et primò comparationem inter ideam increatam, & creatam etiam in iis, quæ dicunt perfectionem; nam ut notat *d.* 35. *q.* 2. *ad* 2 inter iſta potiùs invenitur diſſimilitudo, quàm ſimilitudo, ideò aſpiciendo ad cognitionem noſtram videtur nobis in Deo talem ideam eſſe in intelligibiles: dato enim, quòd idea creata imperfectè repræſentet objectum faciendum ad extra, non ſic tamen idea increata, quæ eſt ſumma, & prima, & infinita veritas exprimens infinitè omnem aliam veritatem, ergo exprimit, & objectum perfectiſſimè, & ut factibile, & ut futurum cum omnibus ſuis circumſtantiis loci, temporis modi cauſarum, & aliis omnibus ad ipſum objectum quocumque modo ſpectantibus, quod & apertiſſimè docet S. Auguſt. quem allegat ipſe Maſtrius, ſed mutilatè: & patet ex ratione ipſius ideæ divinæ, quæ eſt ſumma, & infinita veritas, ut dictum eſt, continens, & exprimens omnem aliam veritatem perfectiſſimè: quòd verò etiam ſpectet ad ſcientiam practicam, patet ex ratione ipſius exemplaris, quod ex diſt 36. q. 1. fund. 1. cum ſit cognitivum, ſimul & productivum, ideò connotat ipſam rem faciendam cum omnibus perfectionibus, & circumſtantiis, quibus facienda eſt; tùm ex eo, quòd idea eſt divina eſſentia prout ſumma veritas exprimens omnem veritatem tùm poſſibilem, tùm futuram, alioquin ſi non repræſentaret veritatem futuram, & producendam non eſſet prima, & ſumma veritas continens omnem aliam, & hinc efformatur ſecunda probatio, & ratio probans noſtram concluſionem.

Prob. igitur 2. Quidquid ſcitur à Deo eſt verum, & Deus ſcit omne verum; ſed futurum contingens eſt verum, habetque determinatam veritatem, ergo à Deo ſcitur, ſed quod ſcitur à Deo, ſcitur per cognitionem ſummæ, & primæ veritatis, quæ eſt idea divina, ergo per ideam ſcit omnia futura.

Reſpondent Scotiſtæ his argumentis; falſum eſſe, divinam eſſentiam eſſe ideam, & exemplar, eò quòd continet tantùm eminenter creaturas, non formaliter. Sed jam ſupra in quæſtione de ideis probavimus, divinam eſſentiam continere quidem eminenter omnes creaturas; ſed tamen ipſam eſſe ſummam, & primam veritatem exprimentem divino intellectui ſeipſam, & intellectum ipſum, & voluntatem, & omnem aliam veritatem participatam, quod à nemine poteſt negari, ob idque formaliter ſecundùm veram excellentiæ cauſam continentem ſimilitudines rerum; & hinc efformatur tertia ratio.

Prob. 3. ea Seraph. Doct. *cit. fund.* 4. Deus non minùs eſt perfecta cauſa exemplaris continens in eſſe tali perfectiones, & perfectiſſimè omnes res ſecundùm omnes conditiones futuritionis, temporis, &c. quàm ſit perfectiſſima cauſa efficiens omnium ſecundùm omnes circumſtantias, & perfectiſſima cauſa finalis, ad quam omnia ſecundùm omnia terminantur, ſed ut efficiens, & finis complectitur omnes effectus ſecundùm omnes circumſtantias temporis, loci, &c. ergo multò magis ut idea, & exemplar, ſed quia proprium eſt ideæ, & exemplaris intuitivè diſtinctè repræſentare ideata ſecundùm omnes conditiones, ergo. Prob. 4. Deus eſt artifex perfectiſſimus, qui non poteſt errare, ergo habet apud ſe ideam repræſentantem rem faciendam ſecundùm omnes conditiones ſapientiæ, ſecundùm quas non poſſit errare, poſſitque infallibiliter operari; *Sic ex Seraph. Doct. d.* 35. *q.* 1. *ad ult.* & *d.* 36. *q.* 1. *fund.* 1.

Prob. 5. ex eodem Seraph. Doct. *diſt.* 35. *q.* 2. *fund.* 2. Id, quod eſt perfectiſſimum includens omnem perfectionem ſine ulla prorſus imperfectione, Deo eſt attribuendum, atque ideò etiam perfectiones creaturarum non involuentium imperfectionem; ſed dantur ideæ creatæ continentes omnem perfectionem ſecundùm locum, tempus, futuritionem, aliaſque circumſtantias, ut patet in exemplaribus datis Noæ de arca, de templo Salomoni, &c. ergo multò magis in Deo. Nota hic obiter, quòd Maſtrius *d* 3. *n.* 50. ex hac majori, & ea minori, quam ſubinfert; ſed artifex creatus adſpicit per ideam ad rem faciendam, vel idea ejus eſt res ad extra facienda, ergo ſimiliter in Deo; mala quidem conſequentia, ab artifice creato, ad Deum; artifex enim adſpicit ad rem ad extra faciendam, quia ab ipſa accipit ideam, non ſic Deus, &c. undè falſum eſt, ideas divinas eſſe ipſas res cognitas.

Prob. 6. ex Seraph. Doct. *loc. cit. fund.* 3. In omni genere cauſæ, quæ non dicit imperfectionem, eſt ſtatus in una cauſa tali ſimpliciſſima, ut patet in cauſa efficiente, & finali continente omnes perfectiones talis cauſæ, ſic etiam docet Ariſt. 2. *Phyſ. t.* 68. ergo & in cauſa exemplari; ſed Deus eſt prima cauſa exemplaris, & idealis, ergo continet omnes perfectiones poſſibiles ideæ, & exemplaris, quæ non dicunt imperfectionem; ſed exprimere opus faciendum exactiſſimè ſecundùm omnes circumſtantias, &c. dicit in exemplari perfectionem abſque nævo imperfectionis, ergo in divino exemplari hæ perfectiones admittendæ; & hinc Seraph. D. *loc. cit. ad* 2. & 3. docet ideam divinam

habere rationem causæ perfectissimæ universalis, & particularis sine imperfectione.

Prob. 7. *loc.cit. ad* 2. Forma, quæ est actus purus, & ipsa veritas summa, èxprimit in se omne cognoscibile, & omnia cognoscibilia sunt in ejus potentia, & expressione; sed divina idea est actus purus, & ipsa veritas prima, summa, & infinita, ergo, &c. Explicat Seraph. Doct. majorem hujus argumenti doctrina, quæ facit ad solutionem argumentorum Scoti, Faventini, Meldulæ, Suarez, &c sic dicens; est similitudo in genere, & hæc non potest diversa genera exprimere; est & similitudo extra genus, non arctata plus ad hoc genus, quàm ad aliud, sed qua ratione est hujus, eadem ratione est illius, & qua ratione est hujus secundùm partem, eadem ratione secundùm totum; talisque est divina veritas, & idea in Deo; sic etiam lux eadem est expressiva multorum colorum, ergo multò fortius in infinita idea, & exemplari, ad quod omnia cognoscibilia, & factibilia secundùm id, quod sunt, importantur per modum possibilis, sicut unum secundùm formam potest assimilari pluribus diversis secundùm materiam: Addit *d.36. dub.1. & a.2. q.1. ad* 2. quòd res dicuntur in Deo vita ratione notitiæ, & potentiæ simul, quia ista duo concurrunt ad rationem exemplaris, non enim Deus est exemplar, nisi eorum, quæ cognoscit, & potest; hinc sequitur quod supra dictum est post conclusionem ante probationes, in idea includi etiam notitiam decreti. Et hinc etiam sequitur confirmatio dictæ rationis, quia Deus est artifex infinitè optimus, ergo habet exemplar optimum respondens suæ efficientiæ secundùm omnes circumstantias congruas effectui futuro.

Prob. 8. à Seraph. Doct. *loc. adductis, & d.19. q.1.fund.1. & q.2. corp.* Intellectus simpliciter infinitæ virtutis comprehendit quidquid intelligibile est, sed futura contingentia intelligibilia sunt, quia habent determinatam veritatem, sed verum & intelligibile convertuntur, ergo quidquid verum est à Deo intelligibile, sed hoc est per ideam, ergo.

Ex quibus patet, quòd Vasquez non fuit inventor talis assertionis, & modi, licèt sibi ipsum ut primo inventori arogaverit, patet etiam quàm falsò Faber dicat Seraph. Doct. sine ulla ratione, sed gratis hanc assertionem tradidisse, quia fusè S. Doctorem non legit, & qui vult alias rationes ex Seraph. Doct. adeat P. Gaudentium supracit, qui multas concervat ex Seraph. Doct. *ex d.35. seq. ad* 40. quæ tamen continentur in supra allatis.

Superest, ut objectiones in contrarium solvantur, sed quia objectiones contra primam conclusionem supra in propria quæstione de præsentia rerum in æternitate solutæ sunt, & illæ contra secundam conclusionem pro Thomistarum prædeterminatione propriam quæstionem, & locum infra habent, aliæ contra tertiam conclusionem infra expendentur in propria quæstione; solùm hic afferentur objectiones Scotistarum asserentium Deum videre futura in decreto divino concomitante, &c. & aliæ quæ è directo pugnant contra nostram conclusionem Seraph.

Objic. primò. Effectus potest cognosci in sua
205 causa determinata ad effectum efficaci, & infallibili, sed divina voluntas est talis respectu cujuscumque voliti ab ipsa, ergo. Resp. ex Seraph. D. *l.1. d 38. q.1.* disting. minorem, voluntas divina est causa determinata cujuscumque voliti, cujus ipse est tota causa concedo, cujus ipse vel non est ullo modo causa ut peccatum, vel est tantùm concausa cum voluntate creata, nego minorem, sic enim tolleretur libertas.

Instabis. Ad ista etiam concurrit Deus voluntate absoluta, & determinata, ergo in ipsa certò cognoscuntur: confirmatur: Dei voluntas est causa omnium effectuum in particulari, & est causa infallibilis ab æterno posita ante determinationem causarum secundarum, ergo in suæ voluntatis decreto omnia videt. Resp. S. Bon. *l.1. d.38. q.1. & d.45. a.1. q.2. corp. & ad arg.* Deum esse quidem concausam omnium effectuum, sed tamen in particulari voluntas non est causa libera particularium effectuum, prævisa ante determinationem suæ voluntatis in ideis.

Objic. 2. Quod à Deo est prævisum, & prædictum necesse est evenire, & illud adhuc liberè evenit, ergo cum suppositione divini decreti stat libertas, ergo rectè stat, quòd in tali decreto Deus videt futura libera, sic etiam suppositio divinæ prædestinationis non tollit libertatem, sic & Christi Passio fuit antecedenter decreta, & tamen libera. Resp. ex doctrina S. Bon. *d.38. q.1. & a.2. q.1. & 2. & 40. dub 6. & a.2. q.1.* negando consequentiam; nam divina providentia respectu effectuum facit talem suppositionem antecedentem, quale est genus causæ creatæ, in qua operatur; respectu enim eorum, quæ ab ipso fiunt immediatè, & quorum est tota causa absque interventu alterius causæ supponit decretum absolutum antecedenter; respectu verò eorum, quæ spectant ad causam liberam, supponit decretum propositionarum, ut ipsam relinquat in suo statu libero, sicque facit suppositionem subsequentem, ut evenit in morte Christi, & in Prædestinatione, ut suo loco dicetur.

Objic. 3. Si decretum Dei non præcederet, sequeretur, Deum expectare, quòd nos agamus, ut ipse ageret, consequens est maximum absurdum, imò & impossibile, quia si Deus expectaret nostrum agere, deberet supponere id, quod est necessarium ad tale agere, sed hoc est decretum Dei concurrentis cum nostro agere, sicque semper debet præcedere decretum divinum sive in actuali exercitio, sive in prævisione nostrorum actuum: hæc objectio tangit maximam difficultatem, quæ infra solvetur in quæstione de scientia media. Pro nunc resp. Deum agere primò excitando suo concursu nostram voluntatem, & offerendo suum concursum generalem, ut liberè voluntas eligat quidquid voluerit, & deindè expectare nostrum consensum per scientiam mediam, seu conditionatè prævisum, qua prævisione facta, Deum applicare suum decretum, ut agamus secundùm talem prævisionem, sicut infra magis patebit.

Objic. 4. Per id cognoscuntur à Deo futura, noscente illa in seipso possibilia, per quod è statu possibili transeunt ad futurotum, sed hoc est decretum divinum ipsa determinans futura, ergo in decreto solo Dei cognoscuntur futura. Hoc argumentum super cætera efficacissimum æstimant Scotistæ: Resp. concedendo majorem, & neque minorem, vel disting. min. sed hoc est decretum divinum ipsa determinans futura, ut præcisum, & totam causam nego, ut causam conditionatè prævisam post prævisionem determinationis futuræ voluntatis liberæ factam relucentem in ideis conditionatè, concedo, sic negatur consequentia.

Objic. 5. Cum Scotistis prævisionem in ideis de futuris contingentibus esse impossibilem; Probatur assumptum: illa, quæ sunt rationes cognoscendi terminos simplices, & incomplexa, nec sunt rationes

sufficientes

sufficientes cognoscendi complexionem eorum, quantumcumque sint rationes, seu media perfectissima, nisi illa complexio nata sit cognosci ex simplici apprehensione terminorum, sed hujusmodi sunt ideæ divinæ respectu terminorum simplicium, nec complexio contingens nata est cognosci per terminos simplices, quia sic non esset contingens, sed necessaria, ergo ideæ non sunt rationes cognoscendi futura contingentia, major est evidens, minor est certa, quia ideæ repræsentant simpliciter entia necessaria, & possibilia tantùm. Sed jam supra in quæstione tertia hujus disputationis satisfactum fuit huic objectioni, & iterum respondetur, quòd idea est ratio cognoscendi, & etiam producendi, ut ratio cognoscendi differt in Deo à nostra ratione cognoscendi, quæ est limitata, undè ex istis verificatur doctrina Scotica posita in majori, & in minori argument. non verò de idea divina, quæ, ut alias dictum est ex S. Bon. *l.1. d.36. a.1.q.2. ad 2. & 3. & 4.* habet de nobilitate causæ universalis, & causæ particularis in exprimendo; ut universalis exprimit omnes quascumque veritates participantes de summa illa veritate; ut particularis exprimit quamlibet in particulari cum omnibus conditionibus peculiaribus individuantibus, simulque loci, temporis, aliarumque circumstantiarum, quia est infinita, & perfectissima, remotis imperfectionibus, & hinc quatenus est directiva etiam in operando dicitur & idea ratione cognitionis, & exemplar ratione productionis, quia ut ait Seraph. Doct. non est expressa, nec impressa, vel abstracta à re cognita.

Ex qua doctrina sequitur, quòd idea in ordine ad possibilia habet rationem notitiæ speculativæ, in ordine ad futura rationem practicæ, ob idque & involuit etiam voluntatem producendi, intellectus enim divinus, qui est infinitus intuens in essentia, non quidem præcisè, ut causa virtualiter continens effectus (ut volunt Thomistæ) sed ut exemplaris, scilicet ut prima, & summa veritas expressiva omnium veritatum, & quia est infinitè expressiva divinæ entitatis, voluntatis, & providentiæ, videt quidquid operatura sit causa libera, vel alia contingens, simulque contingentia cum omnibus circumstantiis.

Contra instant Faber, & Meldula *n.84. ex Scoto l.1. d.39.* Idea naturaliter repræsentat ideata, ergo ante omnem actum voluntatis, ergo non potest repræsentare futura: Probatur consequentia, quia præcisè spectat ad intellectum, quem dirigit in cognoscendo, & in operando, nam idea domus in mente artificis repræsentat quidem domum, sed non ipsam certo faciendam, & futuram certò cum omnibus circumstantiis, ergo si habent præcognosci futura, solùm in decreto divino possunt cognosci. Confirmatur, quid id, quod repræsentatur per ideam habet connexionem necessariam cum ipsa idea, ob idque necessariò Deo id competit; sed complexio, & res contingens non habet talem connexionem necessariam cum idea, ergo nec repræsentatur per ideam.

Resp. committi in hac instantia à Scotistis maximam æquivocationem, & fallaciam; ex eo enim quod idea naturaliter repræsentat ideata, inferunt, non posse repræsentare nisi naturalia, necessaria, & possibilia, mensurantes ideam divinam cum idea fabri, & ædificatoris, quæ est imperfecta, limitata, & desumpta ab extra; in qua comparatione valdè decipiuntur; si enim ego arguerem, speculum naturaliter repræsentat objectum, ergo non poterit repræsentare objectum, ab agente libero liberè ei exhibitum, negarent consequentiam; Aliud enim est virtus naturalis exemplaris, aliud est ratio exemplaris, & ideati: idea quidem repræsentat naturaliter, quia est ipsa divina essentia, ut est prima, & summa veritas, sed quia hæc est illimitata, infinita, se extendens ad omne verum, quidquid illud sit, alioquin non esset prima, & summa veritas, hinc habet repræsentare omnia, & possibilia ante decretum, & omnia futura ut habentia determinatam veritatem, & procedentia à divina voluntate, quia talis idea repræsentat omnia clarè, & distinctè, & possibilia, & futura secundùm omnes proprias conditiones, ut dictum est supra: nec per hoc inducitur mutatio in idea, ut malè infert Fabec; sicut nec in essentia exprimente prius naturalia, postea futura.

Instat Suarez: Idea ut sic non habet rationem objecti, quod possit terminare intellectionem, sed solùm se habet ut ratio cognoscendi, vel ut species intentionalis, ergo non potest Deus res in ipsa videre. Resp. S.Bon. *d.35.q.1.* In Deo idem esse rationem cognoscendi, & objectum, & hoc ratione infinitatis ideæ, & simplicitatis divinæ scientiæ, hinc negatur consequentia.

QUÆSTIO IX.

An præscientia divina sit causa rerum, an sit causata à rebus?

PRo perfectiori notitia eorum, quæ tradita sunt in præcedenti quæstione, & quæ tradentur in sequentibus; proponitur solvenda hæc quæstio de scientia divina in ordine ad res; & quia præscientia dicit scientiam Dei, & simul antecessionem ad ipsas res, hinc proponitur primò quæstio de ipsa scientia Dei ut sic, an sit causa rerum; secundo de præscientia; & quia scientia respicit omnia possibilia, præscientia respicit futura, hinc primò quæritur, an scientia sit causa rerum, secundò an præscientia sit causa futurorum: Hinc pro solutione quæstionis. 306

Not. 1. ex S.Bon. *l.1. dist.35. dub.3. & Comp. Theol. l.1. c.19. & Brevil. l.1. c.8.* quòd licèt Dei scientia ex parte ipsius sit una simplicissima, tamen ex parte rerum cognitarum potest dividi, nam alia est scientia Dei de se, alia de creaturis; de se dicitur absolutè ut est perfectio absoluta Dei, idemque Deus; in ordine ad creaturas si est in ordine ad possibilia tantùm, sic dicitur scientia simplicis intelligentiæ; si in ordine ad futura sive bona, sive mala, dicitur scientia visionis, propriæque præscientia; & hæc in ordine ad bona dicitur approbatio; in ordine ad effectus faciendos ab ipso Deo, dicitur dispositio, vel providentia; in ordine ad creaturas rationales præmiandas dicitur prædestinatio, in ordine ad damnandos dicitur reprobatio: Hic autem procedit quæstio de scientia ordinata ad res, an sit causa rerum.

Not. 2. Scientiam simplicis intelligentiæ esse directivam, quatenus ostendit Deo practicè quomodo res debeant fieri, sic accedente voluntate approbante est causa rerum effectiva, undè propriè ista est scientia practica: scientia verò visionis, quæ est præscientia non est causa rerum, sed futuritionem rerum supponit, undè non est practica, sed speculativa; sic ex S.Bon. *d.38. art.1. & 2.*

ſparſim, ſecundùm quam diſtinctionem intelligenda ſunt in ſuperioribus tradita de ſcientia ſpeculativa, & practica Dei: Ubi dictum eſt n.204. ſcientiam ſimplicis intelligentiæ eſſe ſpeculativam, ideſt, quatenus præciſè non involuit exiſtentiam futuram, & ſcientiam viſionis eſſe practicam, ob dictam rationem; ſed in ſenſu alato prima dici poteſt practica; ſecunda ſpeculativa, & magis propriè, ut loco cit. dictum eſt.

Not. 3. ex S.Bon. l.1. *d.*38. *q.*1. & 2. quòd præſcientia poteſt ſumi pro re ſignificata per tale nomen, ſicque importat rationem aliquam cauſalitatis, licèt non in ordine ad omnia futura; vel ſi ſumitur ſecundùm vim hujus nominis præſcire, quia duo dicit, & ſcire, & anteceſſionem ad futurum, ſic non importat cauſalitatem, cum antecedat, & ſupponat res jam futuras; & ideò non ſumitur in ordine ad res præteritas, nec præſentes, ſed tantùm futuras, nec in ordine ad impoſſibilia, cum de ipſis non detur ſcientia, nec in ordine ad ſempiterna neceſſaria, ſed tantùm in ordine ad contingentia, quæ poſſunt non eſſe.

Not. 4 quòd futurorum aliqua ſunt, quæ à ſolo Deo producuntur, ut eſt creatio, &c. alia, quorum Deus eſt cauſa ſed non tota, ſuntque effectus liberi producti à voluntate creata libera: Alia ſunt, quorum Deus non eſt, nec poteſt eſſe cauſa, ut peccata, ſed tota ſunt à cauſa creata libera: *Vide ſupra ad n.*198.

Not. 5. Pro ſolutione illius quæſtionis, an præſcientia ſit cauſata à rebus, quòd triplex eſt cauſa, alia eſt eſſendi, quæ propriè eſt cauſa, & productiva effectus; alia eſt inferendi, quia in bona conſequentia unum infertur ex alio; alia eſt dicendi, vel denominandi; *ſic S.Bon. d.*36. *q.*1. His poſitis.

Concl. 1. Scientia Dei ſimplicis intelligentiæ eſt
207 cauſa rerum poſitivarum, non autem malorum; eſt S.Bon. *d.*38. *q.*1. eſtque communis omnium Theologorum, & de fide, & patet ex pluribus textibus ſacræ Scripturæ à Seraph. Doct. expenſis apud P. Gaud. q.9. & prob. ratione, quia Deus eſt operans per rationes, & ideam, ergo ſcientia ipſius eſt directiva voluntatis ſecundùm rationem in productione rerum, ergo eſt cauſa; cauſa enim eſt, qua poſita ponitur effectus; tùm quia Deus in agendo non poteſt errare, ergo habet rationem directivam in intellectu. Quòd verò malorum non ſit cauſa patet in ordine ad peccata, ſcientia enim eſt directiva voluntatis ad opus, ſed peccata Deus non volt, ergo nec ſcientia eſt cauſa directiva ad illa, igitur mala inferuntur à ſcientia Dei vi illationis, non cauſalitatis propriè.

Concl. 2. Præſcientia ſumpta ſecundùm vim nominis, prout dicit anteceſſionem ad res futuras, non eſt cauſa futurorum. Eſt contra Thomiſtas ferè omnes, qui in ratione ſuæ prædeterminationis phiſicæ recognoſcentes Dei præſcientiam, dixerunt hanc eſſe cauſam rerum. Eſt tamen noſtra concluſio Seraph. D. loc. cit. Scotiſtarum, Neutralium, aliorumque plurimorum, eſtque ferè communis: hanc eamdem aſſerunt D. Anſelmus, & Auguſtinus cit. à Seraph. D. & prob. ab eodem: primò quia ſequeretur, ſi præſcientia eſſet cauſa rerum, quòd etiam eſſet cauſa peccatorum, quæ Deus præſcit, conſequens eſt falſum, ergo. Tùm quia ſcientia, quæ eſt cauſa rerum determinatur à voluntate libera ad opus, ſed præſcientia non determinatur à voluntate Dei libera, cum antecedenter res ſint futuræ, vel intelligantur futuræ antequam præſciantur, ergo. Minor patet, quia ſcientia ſuum objectum ſupponit, ergo priùs ſunt futuræ, &c. Adverte autem, quod iſtæ rationes adductæ in textu apponuntur ad oppoſitum, ſed tamen ad mentem Seraph. Doct. concludunt ſumptæ cum ſuis reſponſis.

Objic. Cauſa eſt, ad quam ſequitur aliud. ſed ſequitur, quòd ſi Deus præſcit aliquid, hoc erit ergo præſcientia Dei eſt cauſa futuri? Reſp. diſting. majorem; cauſa eſt, ad quam poſitam ſequitur aliud vel in eſſendo, vel ſecundùm rationem dicendi, vel inferendi; primò conceditur, quòd illa ſit vera cauſa, à qua effectus accipit eſſe; ſecundò modò negatur; verum quidem eſt, quòd ſi Deus præſcit aliquid futurum, tale erit, non ratione præſcientiæ, ſed ratione determinationis voluntatis divinæ, quæ ad præſcientiam præcedit.

Concl. 3. Præſcientia divina non eſt cauſata à rebus præſcitis ſecundùm rationem eſſendi, ſed tantùm ſecundùm rationem inferendi, & dicendi, ſicut è converſo res præſcitæ, ut tales, ſunt cauſatæ à præſcientia ſecundùm rationem inferendi, non autem dicendi: eſt S. Bon. ibid. q 2. Prima pars probatur; quia omnis cauſa nobilior eſt ſuo effectu, ergo ſi res præſcitæ cauſarent præſcientiam in Deo eſſent nobiliores ipſa: tùm quia præſcientia eſt quid increatum, res ſunt quid creatum ergo. Prob. ſecunda pars, quia ſecundùm rationem inferendi ſe mutuò antecedunt, & conſequuntur, & antecedens eſt cauſa conſequentis, & è contra, valet enim, res eſt præſcita, ergo erit, quia divina ſcientia eſt infallibilis, & è contra res eſt futura, ergo & præſcita, quia infinita eſt Dei ſcientia: Prob. tertia pars. Præſcita ſunt cauſa, quare ſcientia Dei denominetur præſcientia, quia particula, præ, denotat anteceſſionem, ob idque inſurgit relatio rationis ad rem ſuccedentem, quæ refertur ad præſcientiam: addit tamen Seraph. D. quòd ſecundùm rationem denominandi futurum eſt cauſa præſcientiæ, ſed non è converſo præſcientia dicitur cauſa denominandi futurum, cur hoc? hoc eſt, quia futura ſunt ante præſcientiam, & ideò à præſcientia non denominantur futura, & ſic patet textus ſententiæ Origenis, quia aliquid eſt futurum, ideò ſcitur à Deo antequam fiat, non verò è converſo, quia ſcitur à Deo, ideò futurum eſt: & hoc eſt, quia antequam ſcientia Dei denominetur præſcientia, res futura eſt ex determinatione divinæ voluntatis.

Dices; ſi objectum ſcientiæ, & præſcientiæ præſupponitur, ergo falſa eſt prima concluſio, in qua dicitur, quòd ſcientia eſt cauſa rerum, quatenus dirigit voluntatem. Reſp. ex Seraph. D. quòd aliud eſt objectum ſcientiæ practicæ, aliud eſt præſcientiæ; objectum ſcientiæ practicæ non ſupponitur, ſed fit, quia eſt opus ejus, ideò non antecedit, ſed conſequitur ut ejus effectus, & hæc ſcientia dicitur à Seraph. Doct. approbationis, ad quam res futuræ comparantur veluti effectus ſcientiæ, & voluntatis Dei; & in hoc ſenſu eſt prima concluſio: loquendo verò de objecto præſcientiæ hoc præſupponitur jam futurum, ut dictum eſt, &c.

Quæres, an ſi nulla futura forent, adhuc eſſet præſcientia in Deo? S.Bon. *d.*25. *dub.*5. Reſp. quòd duplex ſcientia, alia qua habetur notitia de re, alia qua ſcitur res eſſe; prima nullam ponit exiſtentiam nec in Deo, nec in nobis, nec de præſenti, nec de futuro; & hæc quidem eſſet in Deo, & ab æterno. Secunda nequaquam, cum involvat reſpectum rationis ad futura, & futura reſpectum realem ad ſcientem, & ſcientiam.

QUÆSTIO

QVÆSTIO X.

An præſcientia Dei rebus præſcitis inferat, & imponat neceſſitatem?

208 QVæſtio hæc hîc in tract. de ſcientia, & præſcientia Dei a Theologis agitatur, & à Seraph. Doct. *d.* 38. *a.* 1. per totum, & iterùm reſuſcitatur infra in tract. de voluntate, & decretis Dei, ſeu de prædeſtinatione; & meritò toties hæc materia inculcatur ad ſalvandam libertatem noſtram, quam tot hoſtes fidei, & antiqui, & recentiores impugnare contendunt; & præcipuè Calvinus, Lutherus, & Chemnitius, &c. Pro ſolutione quæſtionis

Not. 1. Quòd in triplici differentia ſunt cauſæ, prout ad hanc materiam ſpectant; Neceſſariæ, contingentes, & liberæ. Cauſa neceſſaria eſt, quæ poſitis omnibus requiſitis ad operandum neceſſariò producit effectum, nec poteſt impediri; ſic poſito Sole neceſſariò lucebit; ſic etiam poſito Sole in capite, & Luna in cauda Draconis cum ambo ſint ſub Ecliptica interponitur terra, & fit Eclipſis.

Contingens eſt, quæ licèt non poſſit non producere effectum, cum producit, poteſt tamen impediri; ſic vapor roridus oppoſitus Soli cauſat iridem, poteſt tamen impediri v. g. à vento, vel alia cauſa. Cauſa libera eſt, quæ poſitis omnibus, requiſitis ad agendum, tamen poteſt non operari; ex quibus ſequuntur effectus neceſſarii, contingentes, & liberi ad proportionem cauſarum.

Not. 2. quòd neceſſitas alia eſt abſoluta, & antecedens, & dicitur conſequentis, alia conditionata, vel ex ſuppoſitione, vel conſequentiæ, prima inducit neceſſitatem in effectu, ſecunda nequaquam, ſed effectum ſupponit, & ex quo ſuppoſito ſequitur conſequentia neceſſaria ipſam eſſe, quia res dum eſt, neceſſe eſt eſſe, prima repugnat libertati, ſecunda nequaquam; ſic ex S. Bon. *d.* 38. *a.* 1. per totum.

Not. 3. ut ſuprà traditum eſt, & S. Bon. docet *d.* 39. *queſt.* 1. *in fu. d.* 5. quòd ſcientia licèt præcedat ſemper voluntatem, quia ipſam dirigit, voluntas enim ſemper fertur in præcognitum; præſcientia tamen ſequitur voluntatem, quia reſpicit, & ſupponit futurum ſic approbatum à divina voluntate; unde Deus præſcit res futuras eo modo, quo futuræ ſunt, ſicque nihil eis addit vel neceſſitatis, vel contingentiæ, ultra quod ipſæ habent de ſe; *ſic Seraph. Doct. l.* 1. *d.* 38. *a.* 2.

Not. 4. quòd in præſcientia divina futurorum contingentium duo actus uniuntur ſimul: primus eſt effectus futurus contingens; ſecundus eſt actus divinæ cognitionis: Actus divinæ cognitionis deſumitur in Deo non ab extra, ſcilicet ab objecto creato, ſed à ſumma, & prima veritate eſſentiæ divinæ, in qua relucet omnis veritas ſecundaria, quæcumque illa ſit, & hinc cum talis actus non cauſetur à re creata, nec ab ipſa oriatur, ideò ab ipſa non dependet, hinc eſt quòd non poteſt falli, quamvis connotet futurum contingens, ſicque talis actus ex parte Dei eſt æternus, & neceſſarius; ſed quia in tali præſcientia neceſſariò connotatur ordinatio futuri ad illum actum, quæ eſt contingens, quod connotatur per talem præſcientiam, hinc fit, quòd propoſitio ſignificans per modum præſcientiæ tota contingens judicatur. Ex qua doctrina certiſſima, & patentet conformis principiis Philoſophiæ, ut à nobis notatum eſt in ſummulis Logicalibus *p.* 1. *q.* 5. & *in Logica tr.* 8. *in* 2. *parte.* Sequitur primò, quòd quoddam eſt dictum, ſeu propoſito de præterito, & pro præterito, ut ſi dicatur Petrum legiſſe, & hæc eſt propoſito neceſſaria: quoddam eſt dictum de præterito, ſed pro futuro, ut Antichriſtus fuit naſciturus; & quædam eſt propoſitio, ſeu dictum pro præterito, ſed tamen dependens ex futuro, ut Petrum dixiſſe verum bellum navale fore, taleſque ſunt Prophetiæ; ad hoc enim exigitur, ut propoſitio ſit vera, belli eventus, à quo dependet veritas propoſitionis, quæ cauſatur à re: quoddam eſt dictum de præterito, quod non dependet, ſed connotat veritatem circa illud futurum, ut ſi dicatur Deus præſcivit hoc futurum. Et quia in his omnibus propoſitionibus, licèt involvatur aliquid neceſſitatum, tamen, quia connotatur contingens, tota propoſitio judicari debet contingens: *ſic S. Bon. l.* 1. *d.* 38. *q. ult.* His poſitis.

Concl. 1. Præſcientia Dei nihil omninò noſtræ libertati obeſt, nec ullam neceſſitatem rebus præſcitis imponit, eſt Seraph. Doct. *l.* 1. *d.* 38. *a.* 2. *q.* 1. & 2. & cum eo eſt P. Gaudentius ipſius commentator, qui hanc quæſtionem doctiſſimè pertractat, eſtque etiam communis omnium Theologorum, & de fide. 209

Prob 1. auctoritate D. Auguſtini cit. à S. Bon. dicentis; ſicut mea memoria non cogit facta eſſe, quæ prætereunt, ſic Dei præſcientia non cogit facienda eſſe, quæ futura ſunt; vult dicere, quòd ſicut memoria, quam certò habeo de re contingente præterita, & contingenter facta, non facit quòd illa res neceſſariò facta fuerit; licèt ſit neceſſaria ex ſuppoſitione præteriti, ſic ex eo, quòd Deus videat aliquam rem contingentem futuram, talis cognitio non reddit illam neceſſariam.

Prob. item hæc concluſio ex pluribus textibus Sacræ Scripturæ, ab ipſo P. Gaud. tùm à Bellarmino, Boverio, aliiſque agitantibus controverſias contra Ethnicos, & Hæreticos adductis, & verè clariſſimis.

Prob. 2. ratione à S. Bon. ſi certitudo divinæ ſcientiæ tolleret contingentiam effectuum, hoc maximè eſſet, quia ſuppoſita divina ſcientia infallibili, & certiſſima neceſſe eſt effectum evenire, ſed hoc non tollit contingentiam, ergo major eſt certa; talis enim infallibilitas divinæ præſcientiæ eſt nodus totius difficultatis. Pr. minor multipliciter; tùm quia quando ex aliqua ſuppoſitione antecedente non tollitur, quòd effectus non ſit in poteſtate cauſæ liberæ, nec tollitur contingentia effectus, ſed futura ſunt hujuſmodi etiam ſuppoſita divina præſcientia infallibili, ergo. Probatur minor, quia etiam data præſcientia divina effectus totaliter dependent à propria cauſa particulari, cum præſcientia ſit eventuum futurorum eo modo, quo ſunt eventuri: tùm quia neceſſitas præſcientiæ eſt neceſſitas conſequentiæ, non conſequentis; eſt enim præſcientia futurorum poſt prævìſam determinationem voluntatis noſtræ cum decreto concurſus divini proportionati, tùm quia ſcientia præcisè non influit vel in cauſam, vel in effectum, ſed ſcientia cum voluntate, ut dictum eſt ſuprà; tùm quia ſi præſcientia ponit neceſſitatem in effectu, maximè eo quòd ſupponat rem futuram infallibiliter, ſic quando res eſt, neceſſe eſt ut ſit, ſed hoc nihil obſtat contingentiæ, cum verum licèt de præſenti ponat aliquid actu circa objectum, vel ſubjectum, ſed de futuro nihil ponit, niſi pro futuro, & eo modo, quo eſt futurum, & ob id relinquit illud in poteſtate, & arbitrio cauſæ, tùm quia

quia, ut arguit Seraph. D. demus, quòd Deus nihil præsciat, tunc nihil accrescit libero arbitrio, ergo positio præscientiæ nihil aufert ei; tùm quia divina præscientia etiam cum voluntate in pluribus aut non est causa, ut in malis, aut non est tota causa, sed quod dat necessitatem alicui habet rationem totalis causæ, & ob id dantis totum esse, & esse necessarium, ergo divina præscientia non infert necessitatem in malis actibus, & illis, qui proveniunt à causa libera. Nec valet si dicas contingentiam lædi à præscientia non ut causa, cum nihil influat in effectum, sed ut cognitio est, & infallibilis, & certa, & necessaria.

Contra, quia nec ista ratio potest officere contingentiæ effectuum; tùm quia talis cognitio nihil influit, & superaddit, vel aufert ipsi causæ secundæ, vel effectibus futuris; tùm quia licèt effectus de se contingens possit non evenire, & causa libera ipsum non producere; tamen quia eventurus est ex determinatione voluntatis creatæ, ob idque ut tale est verum, ideò objectum etiam est intellectus divini; & si ponas ipsum non eventurum, debes & ponere non fuisse à Deo prævisum, nam præscientia respicit res futuras, sicque nulla Dei præscientia falsa esse potest.

Probatur tandem à Seraph. D. *d.* 38. *a.* 2. *q.* 1. *in ult. fund.* Si Dei præscientia imponit necessitatem rebus, sequitur primò, quòd perit casus, & fortuna: 2. quòd perit liberum arbitrium & consultationes, & consilia: 3. quòd perit meritum, & demeritum: 4. quòd perit laus, & vituperium operum, quæ omnia sunt manifestè contra Sacram Scripturam, quæ tota resonat, & plena est istis circumstantiis operum liberorum; imò & contra rationem naturalem, cum umquam nulla fuerit respublica, regnum, &c. quod non habuerit leges, pœnas, & præmia, quæ omnia supervacanea essent, si sua præscientia Deus impediret libertatem arbitrii: Imò & iidem hæretici negantes talem libertatem, docent suadent, imperant, indicunt præmia, & pœnas, hortantur, solliciti sunt de rebus futuris præcaventes oltiones, desensiones parant, rejiciunt media, alia eligunt, &c.

210 Objic. 1. argumento Wicleph Hæretici: Deus præscivit, & prædixit Petrum peccaturum, ergo Petrus peccabit; sed antecedens est necessarium, ergo & consequens, & consequentia est bona: quòd antecedens sit necessarium patet ex dictis, quia prævisio Dei est in Deo necessaria, sed ex propositione de inesse sequitur conclusio necessaria, ergo.

In hoc argumento gloriatur Hæreticus se plenè convicisse adversarios, & Catholicos, & eos redigisse ad talem angustiam, quòd dixerint Christum errare potuisse in suis prædictionibus, in quo asserto & falsitatem, & mendacium blasphemus dixit, ut patebit. Vasquez de more, & ex suo solito genio examinat, & rejicit responsiones D. Thomæ, S. Bon. aliorumque Theologorum, quas ut plurimùm mutilatas refert, tandem propriam tamquam è suo cerebro adinventam proponit, dicens acceptatam fuisse magno plausu in Italia, Hispania, &c. quam tamen ex integro mutuavit ex Seraph. D. parum fideliter ab ipso citato. S. Bon. igitur ad rem nostram *d.* 38. *art.* 1. *q.* 1. supponens in corp. q. quòd præscientia Dei sit post futuritionem rerum, quia Deus prævidet res eo modo, quo sunt futuræ, & ideò Deus præscit contingentia, ut contingentia, sic comprehensa à divina scientia; hinc resp. antecedens argumenti Wicleph esse non necessarium absolutè, Deus præscivit Petrum peccaturum; sed esse tantùm necessarium necessitate consequentiæ, quia si sic futurum est, sequitur necessariò, quòd sic prævideatur à divina scientia, quæ non potest falli; & hinc etiam consequentia eodem modo est necessaria, ergo Petrus peccabit necessariò, idest supposito, quod Petrus est peccaturus, Deus necessariò hoc præsciverit, ergo si peccatum Petri est futurum, sequitur quòd sit futurum; & quia quod est futurum verè, necesse est quòd sit futurum, ex suppositione quòd sit futurum, sicuti de præsenti id, quod est, dum est, necesse est esse, quia impossibile est rem simul esse, & non esse, sic impossibile est, quòd illud, quòd est verè futurum, non sit futurum, dum est futurum; & hinc negatur, illam propositionem, Deus præscivit Petrum peccaturum, esse de inesse simpliciter, est enim contingens, & infert necessitatem, non antecedentem, sed consequentem, vel concomitantem, & ex suppositione tantùm. Hæcque est responsio, quam tradit Seraph. D. & quam sibi Vasquez ut propriam inducit, ut videre est in textu cit.

Dices quomodo hæc propositio, Deus præscivit Petrum peccaturum, potest dici contingens, cum scientia in Deo sit idemet Deus, & ob id absolutè necessaria? Resp. Seraph. Doct. quòd verum est scientiam Dei in Deo esse necessariam quoad se, quia est ipsemet Deus; sed quia significatur per modum præscientiæ, scilicet cum respectu ad connotatum futurum, & transit super futurum, quod est futurum contingenter; hinc fit, quòd etiam hæc propositio sit contingens, & quia supponit futurum verè, hinc accipit immutabilitatis necessitatem, quæ est ex suppositione, quia semper verum fuit peccatum Petri futurum, quod tamen potuit non esse, si Deus antecedenter statuisset prævenire eum, ut non peccaret, quod verè potuisset facere, in quo casu Deus non prævidisset peccatum futurum.

Dices, & urgebis cum Vasquez. Deus ab æterno præscivit Petrum peccaturum, ergo transiit hæc prævisio in præteritum, ergo necessaria est absolutè hæc prævisio, qualis est in præterito, quod non potest non fuisse, ad quod nulla est potentia, sicque tollitur libertas in Petro, cum talis necessitas sit antecedens. Resp. ex eodem Seraph. Doct. in hac instantia committi fallaciam, & æquivocationem à Vasquez, & Suarez de præscientia Dei *c.* 9. nam præscientia Dei non est aliquid præteritum simpliciter, sed tantùm secundùm nostram existimationem, cum actus Dei sit semper præsens, & quia hoc præsens connotat futurum contingens; hinc hoc contingens nullam subit necessitatem à præscientia Dei sive de præterito, sive de præsenti, quia præsuponitur ad ipsam ipsum futurum, & contingenter futurum, sicque potest stare certitudo scientiæ divinæ, cùm non pendeat à re ab extra cum mutabilitate, & contingentia effectus.

Objic. 2. Ex majori necessaria, & minori de inesse sequitur conclusio necessaria, fiat ergo talis syllogismus: omne præscitum necesse est esse futurum, estque propositio D. Anselmi; sed hoc est præscitum quolibet futuro demonstrato, ergo necesse est esse futurum, ergo non est contingens. Resp. S. Bon. majorem esse veram de necessitate consequentiæ, & in sensu composito; minorem non esse de inesse simpliciter, sed tantùm necessariam secundùm quid, vel consequentiæ vel ex suppositione, & eodem modo respondetur consequenti.

Objic. 3. Si res futura est contingens, & à Deo prævisa, ergo potuit aliter evenire, ergo & Deus falli?

belli? Resp. concedendo antecedens, & primam consequentiam in sensu diviso, non verò in sensu composito; dato enim, quòd sit futura, semper fuit futura, licèt potuerit non esse futura, quia fuit futura ex libertate suæ causæ prævisa à Deo; sic negatur ultima consequentia quòd Deus potuit falli; quia enim scientia Dei est infinita, ideò videt rem futuram, vel non futuram, eo modo quo erat in tempore futura, &c.

Dices; res potest aliter evenire, quàm prævisa fuerit, v. g. me sessurum erat, ergo Deus decipi poterit, vel Deus non novit certò contingentia. Resp concedendo antecedens, negando consequentiam utramque; nam cras ego quidem possum sedere, & non sedere, tamen Deus certò in sua essentia videt ad quam partem voluntas mea se convertet sicque certò videt quid ex duabus partibus futurum est: & ad id, quòd poterit decipi, negatur sequela, quia, ut dictum est, licèt Deus potuerit decernere oppositum, tamen quia illud non decrevit, hinc est, quòd non potest falli in sua prævisione: nam, ut advertit Seraph. Doct. ad 4. veritas venit ex concordia, & falsitas ex discordia intellectus ad rem intellectam, similiter potentia falleudi ex potentia discordandi; ideò, quia præscitum necessario sequitur ad præscientiam, non possunt discordare; & hinc oritur contingentia in totali dicto ratione futuri contingentis; oritur certitudo in Deo ratione independentis cognitionis ab ipso futuro; oritur necessitas immutabilitatis ex ordinatione præscientiæ rei jam futuræ, simulque mutabilitas in ipsa re futura, quæ potest non esse sine ulla sui mutatione, cum actu non existat. Vide hæc omnia clarè à Seraph. Doct. *in quæst.* 1. & 2. exposita; & P. Gand. qui hanc quæstionem fusè, & clarè ad mentem germanam Seraph. Doct. pertractat; & quia ista materia in quæstione de prædestinatione iterùm refricabitur, hinc cætera omittimus.

211 Concl. 2. Deus necessariò præscit quæ præscit, sed necessitate consequentiæ, non consequentis; patet ex supra traditis, nam regula infallibilis Logicæ est; si antecedens est necessarium, & consequens tale erit eadem necessitate; & si consequens est contingens, & antecedens tale erit; sed in hac propositione Deus præscit hoc esse futurum; futurum est contingens, ergo & antecedens, scilicet præscientia Dei cum relatione ad futurum; tùm quia, ut dictum est suprà in ultimo fundamento, propositio de futuro est contingens, quia futurum est tale, ergo & ejus præscientia; futurum enim est in se contingens, & potest esse, & non esse; tùm quia præscientia est post decretum, & supponit rem futuram, ideòque illam relinquit in suo statu, ergo talis etiam erit præscientia.

Nota hic Trigosium recedere a germano sensu Seraph. Doct. dicentem scientiam Dei, vel præscientiam Dei pendere saltem terminativè à rebus certò futuris; Seraph. enim Doct. dicit, quòd Deus certitudinem non sumit à rebus, sed à sua divina veritate, sed quia transit super futurum contingens, ideò dicitur ipsa contingens sub hac ratione, eò quia supponit antecedenter futuritionem.

Dicit etiam idem Trigosius hìc præscientiam Dei stare cum libertate humana, eò quia omnes causæ, & modi causandi pendent à divina providentia ordinante aliqua necessariò, alia contingenter evenire: quod licèt sit verissimum apud Catholicos, tamen talis modus non potest convincere Hæreticos; quæ veritas infra fundamentaliter explicabitur in materia de prædestinatione. Hinc concludit Seraph. D. *q.* 2 *ad finem*, quòd summa dictorum est ista; primò quòd Deum præscire futurum contingent est quoddam dictum, quod claudit in se actum divinæ cognitionis, & ordinationem dicit ad futurum contingens: 2. quamvis actus divinæ cognitionis ponat aliquid existens necessarium, & æternum, illa tamen ordinatio ponit futurum contingens: 3. quamvis dicat ordinationem, non tamen dependentiam, sed solùm connotationem, & ideò non ponit incertitudinem, hinc est, quòd Deum præscire futurum est contingens ratione connotationis ad contingens; est immutabile ratione ordinationis ad futurum, quod potest non esse nulla facta mutatione, cum non sit in actu; est & certum ratione independentiæ ab eodem: hæc S. Bon.

QVÆSTIO XI.

An in futuris creaturis à Deo prævisis adsit ordo prioris, & posterioris.

Quæstio hæc à nemine quàm viderim excitatur, sed tamen à nobis proponitur, ut ex ejus solutione aliqua exhauriam ad laudes Virginis Mariæ, cui totum meipsum, & meos labores consecravi, & hinc etiam eliciam materiam mysticam, & moralem ad profectum animæ. Primò igitur certum est omnes creaturas simul repræsentari in summa, & prima veritate, & ex parte Dei non admitti ordinem prioris, & posterioris, nec gradualitas reperitur in ista cognitione divina, quæ est unus actus purissimus, simplicissimus, idemque formalissimè cum ipsa essentia divina: Hoc tamen non obstante, quia in idea divina, & scientia ipsius fundatur relatio rationis, & quia scientia divina terminatur ad creaturas prout sunt in se, licèt in ordine ad ideam, quam importat in Deo supra diximus, ex Seraph. Doct. *d.* 3 *5. q. ult.* nullum ordinem servent; tamen terminativè sumptæ non potest negari, quin sint inter se ordinatæ secundùm ordinem prioritatis, originis, & nobilitatis, & ratio est, quia Deus præscit creaturas vel in esse possibili, vel in esse futuro prout in se sunt, & futuræ sunt, sed prout tales sunt important talem ordinem; ergo. Hinc. 212

Sequitur primò, Beatam Virginem Mariam absolutis ab æterno ad intra divinis emanationibus ante omnes creaturas divinæ menti propositam fuisse, ex hoc quòd nulla creata persona vicinior, ac proximior Spiritui Sancto: hinc Cornelius à Lap. in Zach. *c.* 4. ex variis Doctoribus recognoscit Mariam in illum lapidem primarium à Propheta visum illius cœlestia ædificii vivi ex lapidibus extructi; ideòque Maria rectè dicitur prima homo, primaque creatura, & in eodem sensu dicitur Christus filius hominis. Et hinc Seraph. Doct. appellat Mariam prælatam, & præsidentem, & primiceriam omnium creaturarum, non quidem ordine temporis, sed dignitatis, & electionis; & prædefinitionis; *sic op. Laus B. Virg. quinq.* 2. & 3. & *l.* 3. *d.* 9. *a.* 1. *q.* 3 *corp.* & *ad* 2. & *op. Psalt. B. Virg. Psal.* 118 *ad* 5. *memor esto.*, &c. Vide Salaz. de Conceptione, & in Prov. *cap.* 8. & 9. & Vegam Theol Mariam *à num.* 131. quæ omnia missa facio, quia de hac eadem materia redibit sermo cum

de voluntate, & decretis divinis infrà agemus.

Sequitur 2. quòd, cum Deus clariſſimè videat hominem, & quidquid eſt in eo, per conſequens cognoſcit peccatum in ipſo exiſtens, ejuſque effectus peſſimos, undè reddit hominem Deo abominabilem, ſicut & ipſum peccatum, ipſique inimicum, ut docet S.Bon. *l.* 2. *d.* 35. *a.* 1. *q.* 3. *ad arg.* & *diſt.* 39. *dub.* 3. & *op. Diæt. tit.* 1. *cap.* 1. & 2. & *ſer.* 3. *Dom.* 2. *Paſcha* & *l.* 3. *d.* 22. *a.* 1. *q.* 5. *ad* 4. & *Brevil. p.* 3. *cap.* 4. Hinc & animæ meditanti myſteria divina magna meſſes offertur cognoſcendi locum, qui ei debetur inter omnes creaturas etiam inſenſibiles, & recognoſcendi ſuas culpas, & miſerias contractas, & ad Deum per pœnitentiam reccurrendi pro venia, &c.

QVÆSTIO XII.

An detur in Deo ſcientia media, ſeu futurorum conditionatorum.

213 IN ſuperioribus vidimus Deum ſcientia ſimplicis intelligentiæ videre purè poſſibilia; & ſcientia viſionis futura non modò abſolutè neceſſaria, ſed etiam contingentia, ſive à cauſis ſecundariis naturalibus, ut mutationes temporum, ſive à liberis, ut actus morales. Jam ingens, & celeberrima controverſia eſt an detur ſcientia media, & medians inter iſtas duas, qua certò Deus cognoſcat conditionalia moralia ex objecto, quæ numquàm erunt, puta ſalutem Judæ, quæ poterat evenire, ſuppoſito quòd egiſſet pœnitentiam.

Hæc controverſia præcipuè agitata fuit inter Theologos noſtræ ætatis quinquaginta ab hinc annis circiter tempore Molinæ, aliorumque Jeſuitarum cum Dominicanis, inter quos ortæ fuerunt maximæ lites, & diſputationes, maximéque coram Clemente VIII. & Eminentiſſimus Cardinalibus, aliiſque Theologis Cenſoribus deputatis anno milleſimo ſexcenteſſimo quarto pro dirimendis omnibus litibus.

Pro explicatione verò tituli quæſtionis, & ſtatus controverſiæ.

Primò ſuppon. quòd futurum conditionatum eſt id, quod eſt futurum non abſolutè, ſed dependenter ab aliqua conditione, quæ vel importet cauſalitatem vel phiſicam, ut ſi Sol eſt, dies eſt, ſi Petrus currit, movetur. Et de his conditionatis non procedit quæſtio, quia certò cognoſcuntur ex vi illationis, & connexionis phiſicæ & neceſſariæ; vel moralem connexionem important vel conditionem ſine qua non, vel etiam ſi nullam connexionem, ſed diſparatam habent, ut ſi Petrus manebit in peccato mortali per longum tempus, alia peccata committet; vel ſi Petrus diſputabit, Paulus dormiet; & de his duobus conditionatis procedit quæſtio, in quibus poteſt ſequi effectus ex vi conditionis ſuppoſitæ, vel etiam oppoſitum.

Suppon. 2. quòd conditio poteſt ſumi vel ex parte Dei, & ut cadit ſuper decretum divinum v. g. ſi Deus voluerit me cras legere, legam, talique pacto hic non ſumitur, quia hoc non eſt futurum conditionatum, ſed merè poſſibile, conditio enim nihil ponit à parte ſcibilis quantùm ad ejus futuritionem determinatam, ſed quod pronuntiatur à parte objecti eſt merè poſſibile: Poteſt & ſumi conditio ex parte objecti, ut ſi Petrus fuerit in gymnaſio diſputabit; & de hoc pendet quæſtio, eſt enim hoc futurum conditionatum, ſcilicet dependenter à conditione, ejuſque cognitio dicitur conditionata non ex parte ſcientiæ, cum ſit quid abſolutum, ſed quia conditionatum eſt objectum à ſcientia cognitum; ſumitur enim futuritio in cauſa, vel ex cauſa, non in effectu, vel exitu, eventuque nondum in re poſito, explicaturque tali pacto, An Deus certò ſciat, quid voluntas mea, ſi poneretur in tali ſtatu, vel tali occaſione, operatura ſit, data hypotheſi concurſus Dei ſub conditione, & hinc in hac quæſtione quæritur.

Primò. An de hujuſmodi futuris conditionatis detur in Deo ſcientia certa, & infallibilis, præſcindendo à quacumque conſideratione decreti divini, ideſt ſive ante, ſive poſt decretum.

2. An cognoſcat iſtos effectus vel antecedenter ad quodcumque decretum conditionatum divinæ voluntatis, vel potiùs poſt talia decreta: 3. an data tali notitia in Deo ſpectet ad ſcientiam ſimplicis intelligentiæ, an ad ſcientiam viſionis, an aſſignandum ſit tertium membrum, appellandaque ſit ſcientia media medians ſcilicet, & participans de utraque, nempè quatenus ſumitur ante omne decretum participat de ſcientia naturali, & ſimplicis intelligentiæ; & quatenùs eſt de objecto libero, & contingente conditionatè futuro participat de ſcientia viſionis, & quia abſolutè non ſunt futura iſta conditionata, ad neutram ſpectat, ſed ad ſcientiam mediam. His præjactis.

Prima ſententia eſt Thomiſtarum Dominicanorum, & plurium Scotiſtarum aſſerentium Deum quidem cognoſcere iſta conditionata, ſed ſuppoſito decreto Dei abſoluto ex parte actus, & Dei, & ſuppoſita conditione tantùm ex parte objecti, quod ſic explicant. Decretum abſolutum ex parte actus Dei, & conditionatum ex parte objecti futuri non eſt aliud, quàm actus de facto, & in re poſitus, & habitus à Deo circa objectum, non tamen ponendus de facto, & producendus in re ad extra, ſed ſub conditione habendus v. g. ſi voluntas Judæ præmoveatur, & prædeterminetur à Deo ad pœnitentiam, ipſe aget pœnitentiam de peccato ſuo, & ſi non præmoveatur non aget pœnitentiam, & damnabitur; quæ ſcientia (dicunt iſti) eſt meræ ſimplicis intelligentiæ, & rei poſſibilis, nec indiget conſtitutione alterius medii, ſcientiæque mediæ; & iſti actus frequentiſſimi ſunt apud nos ſpectantes ad cautelam, prudentiamque v. g. ſi Petrus tali die venerit, parabo illi hoſpitium; idem de promiſſa præmiorum, & minis pœnarum de futuro; qui actus eliciti ſunt abſoluti ex parte elicientis, & de facto eliciti, ſed objectum eſt conditionatum, quia abſolutè non prædeterminatur, ſed tantum de poſſibili: ſic Thomiſtæ communiter, quorum plures addunt talem ſcientiam in Deo ante decretum non dari certam, ſed tantùm conjecturalem, cum non habeat ullam determinatam veritatem; ſic apud P.Gaudentium *q.* 12. Maſtrium, alioſque.

2. Sententia communior inter Scotiſtas apud Maſtrium *d.* 3. *n.* 111. docet intellectum divinum ante omne liberum ſuæ voluntatis decretum attingere omnes enunciationes contingentes, ſive abſolutas, ſive conditionatas, ut neutras, indifferentes, & omninò indeterminatas; illas verò certò cognoſcere velut determinatas poſt latum decretum, à quo ſicut accipiunt certam futuritionem, ita quoque determinatam veritatem; ſicque rejiciunt omninò ſcientiam mediam, exceptis aliquibus Scotiſtis Fabro, Poncio, Cavello ab ipſo Meldula *cit. num.* 110.

3. Sententia

3. Sententia est communis omnium Doctorum Societatis Jesu, quorum ante signanum volunt fuisse vel Molinam, vel Petrum Fonsecam, istique admittunt in Deo scientiam certam, & infallibilem omnium futurorum conditionatorum ante omne decretum efficax Dei, sed ipsa cognoscere in seipsis ob veritatem determinatam, quam ex se habent, & ex infinita perfectione divini intellectus omnia comprehendentis; sed quia illa futura, quæ numquàm erunt, non possunt prævideri, nisi eo modo, quo possunt poni in esse, scilicet supposito concursu generali Dei, hinc admittunt ex parte actus Dei, & objecti, vel decretum Dei, vel conditionem decreti, vel concomitantis, vel subsequentis, ob idque negant talia cognosci in divino decreto: Hanc eamdem sententiam sequuntur his temporibus plurimi ex omnibus scholis, exceptis Dominicanis, & Salmaticensibus; & licèt multi ex societate dicant se fuisse inventores, & inventores hujus scientiæ mediæ, tamen Suarez op. de præscientia *l.2. cap.3.* affert D. Thomam, Bon. aliosque SS. PP. qui hanc eamdem notitiam in Deo admiserunt; quæ sententia clarissimè fuit etiam ejusdem Seraph. Doct. ut mox patebit. Prò solutione quæstionis.

214 Not. 1. ex S. Bon. *l.1. d.38. q.1.* quòd ut suprà pluries dictum fuit futura sunt in triplici differentia. Alia enim sunt, quorum Deus est tota causa, ut illa, quæ creantur; alia, quorum Deus non est causa ullo modo, ut peccata; alia sunt, quorum Deus non est tota causa, sed concausa, suntque opera naturalia, & moralia, ad quæ requiritur nostræ voluntatis concursus, ut causæ particularis, ad quam Deus se habet ut causa universalis; addit *ibid. & d.39. dub.5.* qui concursus non est antecedens prædeterminans voluntatem, & causam secundam, ut volunt Thomistæ, sed concomitans terminans ad actum, & effectum, de quo infra in quæstione de concursu Dei: Et quia ut notat *d.38. a.1. q.1. corp. & d.40. a.2. q.1. ad* 1. & 2. prævidet Deus ista futura eo modo, quo in actu secundò eventura sunt, hinc prævisio supponit ipsa futura producenda à causis liberis cum concursu causæ primæ; & consequenter tali pacto etiam futura conditionata eo modo, quo sunt dependentia à suis causis, ob idque in tali notitia necessariò debet involvi vel decretum concomitans, vel conditio decreti concomitantis generalis, & phisici Dei, sequitur accommodantis juxta rationem causæ, scilicet vel naturalis, vel liberæ: Sed nota, quòd dixi in tali notitia debere involvi vel decretum concursus, vel conditio decreti; & hoc ob diversitatem sententiarum in astruenda hac opinione de scientia media: Alii enim dicunt requiri suppositionem; alii sufficere solùm conditionem decreti; & hic secundus modus est probabilior, & magis aptus ad sustinendam hanc scientiam mediam; sed quodnam discrimen est inter suppositionem decreti, vel conditionem decreti? maximum quidem; ut autem id intelligatur.

215 Not. 2. ex Seraph. Doct. *l.1. dist.45. q.2.* quòd hoc discrimen est inter scientiam, & voluntatem Dei, quòd scientia intelligitur in Deo per modum habitus, ideóque debet, ut sit perfecta extendi ad omne scibile, & omne verum, quia scire perfectè verum, est scire omne verum, atque ideo perfectionis, undè necessariò fertur, & in possibilia absoluta, & in conditionata ante omne decretum; at velle, sive decretum voluntatis est per modum actus, qui respicit totum id tantùm, quod est rationabile, & quia ratio, & providentia dictat creaturas fieri in numero finito, quia numerus infinitus rebus non competit, ideò voluntas infinitum refugit; hinc est, quòd in futuris conditionatis decretum voluntatis divinæ est superfluum, alioquin Deus de facto haberet infinita decreta conditionata, quæ deberent terminari ad infinita possibilia. v.g. si vellem alium mundum creare, si adderetur decretum, vel explicaretur vel per volo, vel per vellem; si primo modo diceretur volo jam, ut in eo fuissent tot folia arborum, tot guttæ, tot pulices, &c si & in alia serie rerum, & hoc dato, sequitur multiplicatio superflua tot decretorum, quod & videtur etiam absonum, quòd omnes volitiones Dei formentur ex tot infinitorum infinitis prævisionibus ineptis, sic discurrit Arriaga *d.21. num.17.* cum aliis, & P. Gaudentio *d.13. q.12. n.366.* si verò secundo modo explicetur per vellem; tunc sequitur majus inconveniens, quia velleitates Deum dedecent, non modò ex parte objecti, sed etiam ex parte actus, & ita non sunt volitiones, vel decreta, non enim est volitio, vellem, sed volo; tùm etiam, quia volitiones Dei solùm per revelationem possunt sciri, quomodo ergo cum fundamento possemus effingere, vel vaticinari tot decreta, & volitiones?

Sed supponendo tantùm conditionem decreti, sic evitatur tanta multiplicatio decretorum, & salvatur melius libertas voluntatis nostræ, quia præsupposito decreto concomitante, jam actus ille non esset liber, ut in conclusionibus probabitur. Verum quidem est, quòd ista conditio decreti virtualiter supplet ipsum decretum suppositum à Scotistis, quia si Deus cognoscere habeat futura conditionata, debet & cognoscere causam ipsorum, sed causa adæquata est non solùm voluntas libera nostra, sed etiam causa prima simul concurrens; undè differentia hæc est potiùs in modo dicendi, quàm in re; discrepamus tamen à Scotistis in hoc, quòd ipsi volunt Deum cognoscere ista futura in hoc decreto conditionato; nos asserimus cognosci in seipsis supposita tamen conditione decreti, vel decreto conditionato.

Not. 3. quòd cum omnes scholæ admittant Deum cognoscere futura contingentia conditionata, diversimodè tamen involvunt in ipsa decretum divinum, in cujus virtute Deus ipsa cognoscit: Nam Thomistæ admittunt talem scientiam in Deo vi decreti conditionati antecedentis omnem futuritionem voluntatis creatæ, quod decretum, præcedit ordine causalitatis prædeterminantis voluntatem ad unam partem: quæ opinio tamen videtur lædere libertatem nostram, ut suo loco probabitur. Scotistæ verò, & Neutrales admittunt concursum, seu decretum concomitans determinationem voluntatis creatæ; sed differenti modo, nam Scotistæ dicunt, Deum ante omne decretum cognoscere quidem futura contingentia conditionata absque determinatione, sed ut indifferentia; advenientè autem decreto absoluto concomitante voluntatis creatæ determinationem, non quidem causando talem determinationem voluntatis creatæ, sed condeterminando cum ipsa actum futurum; sicque in hoc decreto concomitante cognoscere Deum omnia futura. Neutrales verò cum Seraph. Doct. ad determinationem absolutam Dei, & voluntatis creatæ volunt præcedere decretum, seu potiùs conditionem decreti involutè in divina scientia ex hypothesi, quòd creata voluntas poneretur in tali, vel tali statu, & cum talibus, vel talibus circumstantiis, & hoc pacto explicatur concomitantia decreti divini. 216

Not. 4. quòd ideò admittitur hæc scientia media in Deo, quia aptissima est ad percipiendam concordiam gratiæ cum libero arbitrio; ad concilianda partum dicta inter se: ad intelligendam distinctionem gratiæ in sufficientem, & efficacem; ad demonstraudam infallibilitatem divinæ prædestinationis; & ad decretum cum nostra libertate componendum; quod & acutè notavit Mascarenus apud P. Gaudentium *n.338.* ut patebit in sequentibus quæstionibus.

Not. 5. quòd meritò P. Mastrius Meldul. *t.1.d.3. q.3. a.4. & d.4. q.4. a.3. n.39.* vocat S. Bonaventuram antesignanum, & Ducem strenuissimum hujus scientiæ mediæ, atque adeò patet non esse hanc scientiam Neotericorum inane inventum, ut clamant Thomistæ nonnulli, utque mens Seraph. Doct. pateat ipse *l.1. d.40. a.2. q.1. ad 4. & 2.* &c. dicit ex D. Boetio post exemplum allatum de aspiciente è loco eminenti circumjacentem regionem habentem multas vias, quas omnes simul, & unico aspectu videret, ambulans per locum suum, quamvis posset per diversas vias ire, non posset ejus visum latere, &c. si ergo intelligatur unus esse visus, qui potest omnes vias prævidere, & totum posse euntis, & nullo modo quis eum præveniente circumvenire posset; subdit Seraph. Doct. Et talis est aspectus divinæ præscientiæ, quæ ab æterno cognovit quod cogitare poteramus, vel velle. (Nota quòd hæc verba videntur loqui de scientia simplicis intelligentiæ) subdit postea, Et simul cum hoc videt in quam partem nostra voluntas, & operatio inclinatur, quæ verba de scientia simplicis intelligentiæ non possunt sumi, sed de scientia futurorum conditionatorum, & hoc ante quodcumque decretum absolutum, ut supra in primo notab. dictum est (subdit Seraph. Doct.) Et quia totum posse, & velle, & agere complectitur, ideò non potest falli, & quia prædestinatio claudit præscientiam, hinc est quòd concordat cum libero arbitrio; vult dicere in his verbis clarissimis, quòd decretum divinum conformatur cum libero arbitrio, quia includit præsuppositivè sua existentia, quid ex sua inclinatione acturum esset; non enim per eam scientiam, quam dicit prædestinatione includi, & esse causam cur concordet cum libero arbitrio, intelligere potest scientiam visionis, quæ sequitur decreta absoluta; undè discriminat hanc scientiam à superiori scientia, quia hæc in prædestinatione est post decretum absolutum, illa ante hoc decretum, ex cujus vi concordat Seraph. Doct. efficaciam divini decreti cum libertate nostra: Hæc Mastrius acutissimè. Idem Seraph. D. docet *lib. 1. d 47. q.3. in corp.* ait, quòd Deus debuit permittere hominem peccare volentem, & nolentem conservare, & sic permittere peccata. Idem & *l.2. d.3. p.2. dub.1.* ex quo habetur Deum non prædeterminasse actiones malas, sed usum esse scientia media. Idem *l.3. d.1. a.1. q.2.* sustinens, filium Dei non fore venturum, Adamo non peccante, ut respondeat argumento, quòd prædestinatio Christi, quæ est bonum maximum, esset bonum occasionatum à peccato: Resp. negando sequelam, quia Deus ita condidit Adamum, quia se eum redempturum cognovit, quo fit, ut hic ordo à S. Bon. statuatur. Ante decretum creandi hominem præscivit scientia, quòd si crearetur lapsurus erat, deindè si laberetur, posset per Incarnationem optimè reparari; tandem decrevit: creemus homines, nam si labantur, redimam. Idem *l.3. d.14. a.2. q.3. corp.* putat inconveniens, Christum aliqua, quæ Deus facere non decrevit, si data conditione, quòd faceret, non cognosceret. Idem *& in cap.4. sap. & in Luc. cap.11.* ut infra notabitur. His prejactis circa mentem Seraph.

Concl. 1. Deus habet scientiam futurorum conditionatorum contingentium, quæ necessariò connectuntur cum conditione (ut si sol est, dies est) & hæc est scientia purè naturalis, & necessaria: Et communis, & certa, & de fide: ratio est, quia ista habent veritatem determinatam sitam in connexione, & bonitate consequentiæ: unum enim necessariò necessitate phisica, vel metaphisica infertur ex alio, & quia objectum est omninò necessarium, ideò spectat ad scientiam necessariam præcedentem omne decretum liberum.

Dices: Ista futura non possunt esse, nisi post decretum liberum, ergo non spectant ad scientiam necessariam, & simplicis intelligentiæ. Resp. quòd si sumantur ipsa futura sub ratione futuritionis, verum est antecedens, & consequentia: si sumantur secundùm connexionem necessariam sub conditione affirmata, & in vi conditionis, quæ dicitur objectum scientiæ conditionalis necessariæ falsum est antecedens; in hac enim non affirmatur antecedens, vel consequens, sed connexio.

Concl. 2. Non minus certò à Deo cognoscuntur futura conditionalia, & pendentia à conditione, quæ numquam in actu ponitur, quàm absolutè futura, sed cum discrimine; quòd futura absolutè cognoscuntur à Deo post decretum absolutum; conditionalia verò ante decretum, & non in ipso decreto, sed in seipsis. Est S. Bon. supra cit. in ultimo Notabili, & communior his temporibus, conformiorque SS. Patribus, & sacræ Scripturæ.

Prob. primò ex 1. *Reg. c.23.* Ubi David consuluit Deum; an si maneret Ceilæ, venturus esset Saul, & num, Saul obsidente urbem, essent eum Ceilitæ tradituri: respondit oraculum absolutè: Descendet Saul si expectaveris, tradent te viri Ceilitæ: quo audito aufugit, & neque Saul venit, neque Ceilitæ eum prodiderunt; tota ergo veritas posita est in illis conditionalibus, si expectaveris, veniet Saul ad obsidendam civitatem, tamquam hospitium sui hostis; jam viri Ceilitæ prodent te; quæ omnia sunt libera, & contingentia, sic intellexit hunc locum Abul. *quæst.13.* Dion. Cartus, & Lyranus ibi, qui addit expresse conditionem fuisse revelatam, quæ ad sui veritatem non requirit, ut aliquid in esse ponatur.

Respondent Nazar. Morand. aliique quòd tunc Saul erat illius intentionis persequendi David, & Ceilitæ eum tradendi, ideò Deus locutus est secundùm præsentem dispositionem rerum sive actualem, sive habitualem. Contra arguunt Suar. & Faber primò quia Nazarius id dicit potiùs divinando, & ex proprio cerebro: secundò quia hæc responsio vilificat veritatem Scripturæ, & oraculi: nam David petiit pro eo tempore, quo jam Saul obsideret civitatem, & Deus respondit determinatè ipso eo tempore; non secundùm præsens tempus, alioquin cognitio Dei esset conjecturalis tantùm pro tempora requisito, quod est absonum; quam cognitionem conjecturalem admittunt aliqui in Deo, sed hoc dicit maximam imperfectionem, objectum enim determinatè vel est verum, vel falsum, ob idque non potuit Deum certò latere.

Probatur 2. à Seraph. Doct. *ex sap. c.4.* ad illa verba: raptus est, ne malitia mutaret intellectum ejus, aut ne fictio deciperet animam illius: Probatur item ex illis verbis Matth. *c.11. Væ tibi Co-*

rozaim;

rocaim, *&c. quia si in Tiro, & Sidone*, *&c.* super quæ verba ait Seraph. Doct. in Luc. *cap.* 11. quòd certò vidit Deus conditionaliter pænitentiam Tyriorum, si illis prædicasset, sicut vidit pænitentiam realem Ninivitarum; qui observat in, ly, forsan, notare voluntatem liberam Tyriorum. Probatur etiam ex aliis textibus sacræ Scripturæ, & SS. Patrum, qui à P. Gaudentio fusè examinantur cum aliis Theologis.

Probatur & rationibus ineluctabilibus ex Seraph. Doct. primò *d.* 35. *q.* 1. Ad perfectissimam Dei scientiam spectat cognoscere omnia cognoscibilia, etiam possibilia, sed hæc conditionata sunt possibilia, ergo: major prob. nam minor est certa. Nihil potest Deus producere, cujus non habeat cognitionem, & ideam, sed Deus potest hæc conditionalia producere, ergo habet eorum ideam, ergo & intelligere præcisa ratione exemplaris, ut supra dictum est; ideæ enim ratio dicit cognoscibilitatem, exemplar addit producibilitatem actualem futuram.

Prob. 2. Deus cognoscit futura contingentia certò, ergo, & cognoscit partem illius contingentiæ, quæ esse poterat positis talibus conditionibus, & non est futura, alioquin nesciret contingentiam effectuum; nam ut advertit S. Bon. *l.* 1. *dist.* 39. *q. ult. ad* 4. debet Deus cognoscere contradictoria, & si unum videt futurum, positis conditionibus debet & alterum cognoscere non futurum non positis conditionibus, quod argumentum est efficacissimum, quod & colligitur ex *p.* 1. *&* 2. *ibid.*

Prob. 3. ex divina providentia ex Seraph. Doct. *d.* 39. *q.* 1. *fund.* 1. *&* *q.* 2. *fund.* 6. quæ providentia omnibus rebus, maximè liberis juxta earum libertatem, & contingentiam providere debet, atque adeò cognoscere, quid talibus conditionibus positis futurum sit, vel non futurum, alioquin scientia Dei esset finita, ut arguit S. Bon. *q.* 1. *fund.* 5. *&* *q.* 2. *fund. ult.*

Prob. 4. à Mastrio, aliisque. Eodem modo res se habet ad fore, vel non fore sub conditione, sicuti ad fore, & non fore absolutè, quia una est determinatè vera, altera falsa cognita à Deo, ergo & inter ea, quæ futura sunt sub conditione.

Resp. Thomistæ omnia ista cognosci vel in decreto absoluto in ordine ad futura absoluta, vel in conditionato præcedente conditionaliter ipsa futura numquam producenda: & negato hoc decreto conditionato nec posse cognosci nisi conjecturaliter ex hoc, quòd quilibet effectus essentialiter dependet ab isto decreto, & ob id in ipso solo cognoscitur: sic etiam resp. Meldula solùm discrepans à Thomistis, quòd isti decretum prædeterminans voluntatem exigunt: Mastrius verò solùm decretum concomitans. Sed quia contra hoc decretum prædeterminans infra erit propria consideratio, ubi probabimus ipsum auferre libertatem, hinc ista nunc omissa facimus.

Quòd verò ista cognoscantur in ideis, & non in decreto probatur à S. Bon. *l.* 1. *d.* 35. *dub.* 5. *&* *q.* 5. *ad* 2. Idea de sui nominis ratione non connotat ideata, quæ existunt actualiter, sed quæ possunt existere, ergo in Deo dantur ideæ non solùm futurorum, sed etiam possibilium, & conditionalium.

Probatur antecedens, quia idea est ratio cognoscendi, & exemplar operandi, potest autem habere primum sine secundo, ut patet de Architecto, qui habet ideam templi, quod numquam ædificabit: est autem in hoc Architectus similis Deo, ut notat D. Augustinus *l.* 83. *qq.* *q.* 46. unde dato etiam, & non concesso tali decreto conditionato, adhuc superfluum est ad talem scientiam, quia de se tale futurum habet determinatam veritatem, sed requiritur determinatio voluntatis creatæ conditionata, ut per ideam ostendatur determinatè, quicquid dicat Meldul. *n.* 218. *in fine*, recognoscens determinationem istam à decreto divino.

Objic. 1. Si Deus scit Petrum consensurum, si 218
vocabitur cum talibus, & talibus circumstantiis, cur non potiùs scit oppositum? non enim est major ratio de una parte, quàm de alia; tùm quia voluntas adhuc videtur in tali statu libera, & indifferens.

Resp. *ex S. Bon. l.* 1. *d.* 40. *a.* 2. *q.* 1. *ad* 1. quòd, ut supra dictum est, Deus videt totum posse, totum velle, inclinationes, & omnes circumstantias voluntatis creatæ, videt & opposita contradictoriè, & ad qualem partem inclinatura esset voluntas creata, & hanc habere determinatam veritatem.

Contra: quia sequeretur Deum cognoscere etiam conditionales disparatas, v. g. si Petrus dormiet, Paulus disputabit, sed hoc est falsum, cum effectus non habeant connexionem cum conditione, & ob id nec determinatam veritatem pendentem à conditione.

Resp. Deum cognoscere omnem veritatem in ideis absque ulla dependentia ab extra, & hinc Deus cognoscit in seipsis istas conditionales etiam disparatas, cum de se habeant determinatam veritatem.

Contra: quia talia futura solùm possunt habere determinatam veritatem in sua causa determinata, sed præcipua causa est decretum suæ voluntatis, in qua involvitur, & à qua dependet voluntas creata, ergo vel non videt ea, & si videt, ea videt in voluntate, & in decreto suo, sed hoc est auferre eis rationem contingentiæ; consequens est falsum, ergo & antecedens.

Resp. ex supradictis: suppono in cognitione horum futurorum conditionem ipsius concursus necessarii ad hoc, ut res ponatur in esse; non tamen decretum præcisum, sivè absolutum, sivè conditionatum formale; ratio est, quia Deus scit talem ordinem rerum de facto non esse ponendum in actu secundo, ob idque superfluum esset tale decretum ex parte Dei, solùmque supponitur conditio concursus ex parte actus; qui concursus non determinat causam, sed cogit cum ipsa ad producendum actum, ut patebit in quæstione de concursu Dei ad actus liberos, &c. concursu quidem naturali ad actus naturales; & ad morales, & bonos, addita gratia præveniente, vel ipsius conditione.

Dices: cum Meldula; etiam nos supponere in hac scientia media decretum concomitans, vel conditionem decreti, per quod determinaretur voluntas ad talem, & talem actum, ergo nullum est discrimen inter nos, & ipsos. Resp. negando consequentiam, maximum enim est discrimen: primò quia Mastrius, & sui sequaces volunt cognosci ista conditionata in decreto supposito conditionatè, nos verò asserimus à Deo cognosci in ideis, & in seipsis: secundò negamus istud decretum formale, ratio est, quia decretum Dei supra essentiam, ut ait S. Bon. addit ex parte Dei respectum rationis, & ex parte rei futuræ respectum realem, & ordinationem ad voluntatem divinam, qui respectus habetur ex futuritione effectus; at in conditionatis, cum numquam sint futura, non requiritur istud decretum, sed tantùm conditio concursus generalis Dei phisici ad producibilitatem effectus, quæ conditio nihil ponit in esse, nec po-

test tribuere certitudinem objecti, nisi prius cognoscatur in seipso.

Objic. 2. principaliter pro Thomistis: Hanc scientiam conditionatam positam fuisse ab Hæreticis Pelagianis, & Massiliensibus, contra quam scripserunt acerrimè S. Augustinus, S. Prosper, aliique SS. Patres, ergo malè, & pessimè à nobis ponitur; in quo argumento magnam vim, ponit Joan. à S. Thoma *dist*.20. *a*.3. sed frustra laborat.

Resp. negando paritatem scientiæ positæ ab Hæreticis, & nostræ: nam Massilienses ex bono usu nostræ voluntatis prævisо, ut procedente à viribus naturæ, tamquam motivo, & ratione sustinent Deum dare gratiam, & ex malo usu denegare: nos è contra dicimus catholicè Deum prævidere sua comprehensione actus conditionatos futuros naturales supposita conditione dicti concursus phisici, & simul gratiæ prævenientis, neque Deum aliquid nostri purè naturalis expectare, &c. vel dependere à nobis.

Objic. 3. Deus ante decretum absolutum nescit quot Angelos, vel homines sit producturus, ergo nec quid esset tali, vel tali data conditione, & opportunitate. Probatur consequentia, nam quod Deus operatur ab extra etiam cum causa secunda pendet à decreto Dei. Resp. transeat antecedens, negamus consequentiam, & paritatem; ratio disparitatis est, quia in primo casu non adest objectum sufficiens, & in secundo casu adest voluntatis divinæ adaptatio cum voluntate nostra, quæ ex se determinat, nec determinatur à causa extrinseca.

Objic. 4. cum Joan à S. Thoma cit. Veritas futuri conditionati est veritas certa, & determinata, etiamsi objectum sit sub conditione existens, v. g. quòd manente David Ceilæ Ceilitæ ipsum tradent, ergo exigit causam determinantem, sed hæc non est Dei omnipotentia, cum sit indifferens ad utramque partem; nec voluntas certa, cum sit de se indifferens ad utramque partem, scilicet ad tradendum, vel non tradendum, ergo solùm per decretum Dei prædeterminans, in quo involvitur voluntas creata participans de eadem vi determinativa. Et confirmatur, quia alioquin Deus expectare deberet determinationem voluntatis creatæ ad hoc, ut & ipse se determinaret ad hanc potiùs partem, & non ad aliam, & ut cognosceret determinatam veritatem talis futuri.

Resp. concedendo majorem cum sua consequentia: Ad min. resp. causam determinantem ad hoc potiùs, quàm ad illud esse ipsam voluntatem creatam liberam cum conditione concursus proportionati, & quia sua perfectione comprehensiva videt clarè in suis ideis, quid factura esset voluntas creata, hinc, &c. Ad confirmationem resp. Deum exhibere suum concursum ad modum recipientis voluntatis, quæ debet relinqui in sua indifferentia in actu primo, undè nihil obest quid Deus antequam decernat absolutè, videat quid voluntas sub divino auxilio adjuta ageret: nec talis expectatio arguit imperfectionem in Deo, sed extollit mirabiliter suam misericordiam: talisque expectatio ostenditur in sacra Scriptura sæpè ut Isa *cap*.5. *Expectavi, ut vinea mea, &c.* & *cap*.30. *Expectat Deus, ut misereatur vestri*: undè rectè, ait Fasolius *dub*.17. *n*.417. quòd Deus adjuvando facit ut faciamus, sed liberè, & ideò præveniente auxilio, adjuvat, & offert auxilium ad alia, sed relinquit indifferentem, nec cogere vult: In actibus verò malis Deus facit, quia nos facimus, idest concurrit cum materiali peccati, quod ex malitia nostra consequitur.

Dices: veritas conditionata habet actualem entitatem, seu veritatem, ergo & actuale decretum supponit. Probatur consequentia, quia futura conditionata addunt supra esse possibile aliquid, ergo esse actuale, sed esse actuale habetur per decretum antecedens, & actuale. Resp. negando consequentiam, nam veritas conditionata ad esse possibile addit non existentiam, sed connexionem quamdam liberam cum conditione, ratione cujus connexionis tamquam futuræ extrinsecæ determinatur res futura sub conditione, ad quod non requiritur decretum.

Et si quæras, *quale est hoc actuale supra esse possi-* 219
bile. Resp. quòd hoc esse positum est in cohærentia consequentis cum antecedente conditionato; idque vel vi illationis necessariæ, vel ex suppositione causæ liberæ ponentis consequens ad positionem antecedentis cum talibus circumstantiis in contingentibus, & liberis, quod esse est diversum à possibili; nam possibile respicit utramque partem contradictionis, sed hoc est quid determinatum sub conditione expressum ab ipsa prima, & summa veritate reddente præsens quodcumque objectivè, & intensionaliter; quæ doctrina est Seraph. Doct. *l*.1. *d*.35. *q*.1. & 6. maximè *ad* 5.

Quæres, *cur appelletur hæc scientia media?* Resp. non appellari mediam per abnegationem extremorum, scilicet scientiæ simplicis intelligentiæ, & visionis: ipsam appellant Theologi naturalem, aliam liberam, quia est post decretum liberum; sed dici mediam per participationem extremorum, spectat enim ex parte ad liberam scientiam, quatenus dicit res futuras posita conditione: spectat & ad simplicem intelligentiam, quatenus ejus objecta numquàm futura sunt existentialiter, & ideò magis videtur ad hanc spectare, quàm ad primam.

Q. an scientia sit composita, & discursiva? Pro responsione supponendum cum Seraph. D. *l*.1. *d*.41. *a*.2. *q*.1. primò compositionem consistere in affirmatione, vel negatione prædicati de subjecto in propositione: Discursus verò est cursus, & processus ex una cognitione ad aliam. Supponendum secundò, quòd aliud est cognoscere compositionem, aliud est cognoscere componendo, &c. hinc. Resp. primò Deum cognoscere compositiones omnes, & divisiones, & discursus: probatur à S. Bon. hîc in corp. quia recognoscuntur à Deo sicuti sunt, & sicuti intelliguntur ab omnibus, cum sciat omnes cogitationes hominum; tùm quia habet ideas omnium rerum, ergo.

Objic. Ideæ sunt simplicissimæ, ergo non repræsentant res compositas: Resp. concedendo antecedens; negando consequentiam, repræsentant enim, quia sunt infinitæ, & simplicissimæ modo simplicissimo, immutabili, & immateriali composita mutabilia, & immaterialia; sic etiam *d*.35. *q*.2. *in corp.* & *q*.4. *ad ult.* Resp. 2. Deum non cognoscere res componendo, dividendo, & discurrendo; quia intelligere multa per multa est imperfectionis: cognoscere multa uno, & simplici modo est perfectionis, ergo in Deo est.

Q. 2. *an Deus cognoscat mutabilia immutabiliter?* Resp. affirmativè: ratio est, quia in cognoscendo Deus non dependet à rebus, nec aliquid ab eis recipit, nec subjacet ullæ successioni temporis, sed omnia ei sunt ab æterno objectivè præsentia, & eadem cognitione, qua cognoscit suam essentiam, alia cognoscit, ergo.

Dices, Deus sciebat ante Incarnationem ipsam esse

esse futuram, nunc scit ipsam esse præteritam, ergo mutabiliter res cognoscit. Seraph. D. resoluit hanc quæstionem *d.41. a.2. q.2.* dicens, quòd si sumitur scire absolutè absque connotato, scire in Deo est immutabile, cum dependeat ab ipso objecto; undè illa propositio materialiter sumpta, Christus est nasciturus, Christus est natus, dicit veritatem divinam, scilicet decretum de Filii Dei Incarnatione absque connotatione temporis, & hoc semper ab æterno fuit cognitum à Deo: si verò sumitur prout exprimitur in propositione secundùm modum significandi, tunc accipit mutationem secundùm successionem temporum, sed hæc mutatio advenit in connotato non in Deo: sed de hac materia. *Vide S. Bon. l.1. d.41. cit. & lib.3. d.14. a.1. q.1. & d.26. a.1. q.5. corp.* & quæ à nobis tradita sunt in Logica *in part.2. de veritate propositionum.*

DISPVTATIO VI.

De voluntate divina.

POST considerationem eorum, quæ spectant ad divinum intellectum, & scientiam Dei, sequitur divina voluntas expendenda: de qua primò erit consideratio de divinæ voluntatis quidditate: secundò de ipsius objecto: tertiò de eiusdem efficacia, & libertate.

QVÆSTIO I.

An in Deo sit ponere voluntatem. S. Bon. l.1. d.45. q.1.

PRo explicatione tituli advert. primò, quòd
220 voluntas potest sumi primò phisicè, & propriè; secundò metaphisicè: primo modo dicitur ipsa potentia, seu vis, qua quis vult aliquid: secundo modo dicitur voluntas impropriè pro quocumque actu ordinato ad aliquam potentiam, à qua exit; sic dicitur impropriè, terra vult fructus suos producere optimos; & ad rem nostram voluntas propriè sumpta dicitur voluntas beneplaciti, secundo modo, & impropriè dicitur voluntas signi, ut sunt præcepta, & consilia, quæ dicuntur voluntas Dei, idest signa voluntatis ejus: Et licèt non defuerint Hæretici, & Philosophi cum Aristotele, qui solùm voluntatem metaphisicam recognoverunt in Deo, tamen fides catholica docet in Deo esse voluntatem propriam, ut infra, &c.

Advert. 2. quòd voluntas Dei potest sumi tripliciter: primò quatenus dicitur operatio. 2. quatenus dicitur virtus, seu potentia. 3. quatenus dicitur substantia; primo, & secundo modo differt in nobis à substantia animæ; undè solùm hoc tertio modo potest esse quæstio. His positis.

Concl. 1. In Deo verè, & propriè est voluntas; est de fide, & S. Bon. cit. & patet ex pluribus locis sacræ Scripturæ, ut ex Ephes. c.1. secundùm propositum voluntatis operatur omnia in nobis, &c. & patet tùm ex recta Philosophia, quia habens intellectum, habet & voluntatem, istæ enim potentiæ complent formalitatem rationis; tùm quia habens aliquam perfectionem habet & inclinationem, & amorem ad illam præcognitam, sed intellectus eam præcognoscit, ergo & voluntas habet ad illam inclinationem, amorem, & delectationem, ut in ipsa quiescat; tùm ex eo, quòd Deus omnibus præsidet habet summam voluptatem, justitiam, & liberalitatem, quæ sunt conditiones voluntatis, ergo.

Concl. 1. Voluntas in Deo est magis propriè, quàm in nobis, nec differt ipsa, ejusque actus à substantia Dei, sed omnia sunt unum, & idem formalissimè: est communis omnium Theologorum quoad substantiam, licèt quoad modum diversificent; cum Scotistæ recognoscant distinctionem formalem inter essentiam, & voluntatem in Deo, quod nos refutavimus in quæstione de attributis divinis.

Prob. conclusio primò ex SS. Patribus, & præcipuè S. Basilio l.1. contra Eunom. In Deo, ait, est sapientia, & amor, & voluntas non tamquam habitus, nec aptitudo, &c. Idem & D. Maximus, aliique.

Prob. 2. ratione, quidquid est perfectionis debet recognosci in Deo, & quod est imperfectionis ab ipso removeri, sed voluntas de se dicit maximam perfectionem, ergo in Deo erit cum infinita perfectione, & ob id differenter à voluntate nostra. Probatur minor à Seraph. Doct. *in corp. quæst.* assignando qualitates nostræ voluntatis, quia in nobis voluntas differt à substantia animæ, à suo actu, & distat à fine; quia enim distat à fine, ideò secum fert indigentiam, sicque in ea inest appetitus boni non obtenti, sed desiderati, & fuga, quæ est à malo opposito; est etiam tristitia, quia potest in malo cadere, sicuti serpit malitia, quia potest à fine obliquari, cum non sit illi de se conjuncta. 2. quia differt voluntas nostra à suis actibus, ideò potest mutari secundùm alterationem affectionum. 3. quia differt à substantia animæ, in qua aliæ potentiæ radicantur, & inter eas est nobilissima, quippè quæ est libera, ideò præsidet eis imperando, quòd est maximæ perfectionis, sed cum admixtione tot imperfectionum; sed in Deo voluntas nullo modo differt ab essentia, & actu, ideò nec habet regere inferiores potentias, nec variari secundùm varietatem affectionum, & quia est conjuncta fini, ideò nec fugam, nec appetitum habet, nec tristitiam, nec malitiam, sed omnimodam lætitiam, & justitiam.

Concl. 3 In Deo datur appetitus ad bonum sibi conveniens, sed non ut in nobis: probatur, quia in nobis (ait Seraph Doct. *in corp.*) est appetitus boni non adhuc obtenti; sed in

Deo est prout dicit determinationem in bono, quod habet per modum quietis, & fruitionis, ergo.

Objic. primò. In voluntate indifferentia ad opposita dicit perfectionem, ergo & in Deo debet admitti, sed talis facultas importat sensibilitatem, ergo non potest voluntas Deo tribui. Resp. concedendo antecedens, vel majorem de quacumque voluntate, & de divina prout dicit perfectionem; & negatur minor, quòd sensibilitas sit de ratione voluntatis valentis ad opposita per actus oppositos; hoc enim est proprium (ait Seraph. Doct.) voluntatis, quæ differt ab actu; non verò est verum de voluntate divina, quæ nullo modo differt ab actu, dicit autem perfectionem, quatenus voluntas potest producere diversos effectus.

Objic. 2. Voluntas est potentia radicata in essentia ponens ipsam in actu primo, & perficiens eam quoad actum secundum, ergo & in Deo, si datur voluntas, admitti debet distinctio inter actum primum, & secundum, consequens est falsum, ergo & antecedens, scilicet quòd detur in Deo voluntas: Et confirmatur, quia non semper etiam in Deo est in actu secundo, ergo differt ab actu secundo. Resp. quòd potentia in Deo potest comparari ad suum exercitium, & operationem dupliciter: primo in ratione principii fundantis, seu sustentantis, sibique identificantis suum actum: secundo in ratione actus primi actuabilis, & in ultimo actu constitutibilis: primus modus est in Deo, non secundo modo nisi secundùm nostrum modum imperfectum significandi: Et hinc negatur sequela. Et ad confirmationem respondetur negando antecedens de actibus immanentibus, concedendo de actibus transeuntibus prout important connotata, in quibus solis cadit variatis, non in divinis actibus. Hinc ut magis hæc doctrina elucescat.

Concl. 4. In Deo voluntas non habet rationem potentiæ, sicut in anima nostra, est S. Bon. cit. Probatur, quia potentia prout dicit potentialitatem ad actum secundum, dicit imperfectionem, exigit enim actum secundum ad sui perfectionem, qui in potentia recipiatur, sed Deus est purissimus actus, nec ejus substantia distinguitur à voluntate, & actu, nisi ratione, ergo.

Objic. In Deo omnipotentia est attributum, ergo & voluntas, quia potentia, & voluntas sunt unum, & idem, sed potentia perficitur per actum secundum, ergo & in Deo. Resp. omnipotentiam, & voluntatem esse diversas perfectiones Dei distinctas ratione ex connotatione, quam important ad terminos proprios; omnipotentia enim dicitur in ordine ad effectus creatos; sed voluntas dicit perfectionem omnimodam in ordine ad actus immanentes, ob idque importare diversos respectus; sed hæc doctrina magis patebit in sequenti quæstione.

QUÆSTIO II.

De objecto divinæ voluntatis: *An Deus sit omnivolens, sicut dicitur omnisciens.* S. Bon. *l.* 1. *d* 45. *q.* 2.

IN hac quæstione Seraph. D. de more succosè, 221
& summariè resolvit ea, quæ ab aliis Theologis resolvuntur per plures quæstiones, quarum præcipuè sunt prima, quodnam sit objectum divinæ voluntatis; secunda quotuplex: tertia an Deus velit, & amet seipsum, & alia à se, & quomodo: quarta an sicut dicitur omnisciens, sic dicatur omnivolens; quæ omnia in hac quæstione cum Seraph. Doctore resolvemus. Pro explicatione tituli.

Primò suppon. quæ à nobis tradita sunt in libris de anima agentibus de voluntate; quod bonitas alia est absoluta, alia relativa; & ideò alia est bonitas, qua Deus est bonus in se, quo pacto in nobis est objectum charitatis: alia qua bonus est nobis, quo pacto est objectum spei, & amoris concupiscentiæ: alia item dicitur bonitas moralis, estque propria actuum intellectus, & voluntatis divinæ, quatenus sunt consentanei rectæ rationi: Tandem alia est bonitas naturalis, estque in ordine ad effectus naturales: alia supernaturalis in ordine ad effectus supernaturales; quæritur hic an quælibet istarum bonitatum sit objectum divinæ dilectionis, & quomodo?

Suppon. 2. quòd sicut diximus de objecto intellectus divini, aliud est objectum primarium divinæ voluntatis, quod est simul motivum, & terminativum, & hoc etiam est duplex, aliud est primarium absolutè, vel primò primum, estque divina essentia ut summa bonitas; aliud primo secundum, seu minùs principale, suntque attributa divinæ essentiæ: Objectum postea secundarium terminativum tantùm sunt creaturæ, ut participantes de prima, & summa bonitate; & licèt istæ sint multiplices, non tamen ista multiplicitas repugnat simplicitati divinæ voluntatis, quia illa vult, & amat, in quantùm vult, & amat bonitatem suam, in qua omnes continentur, ut unum, & quia participant de illa bonitate, & sub hac ratione ad illam comparantur, ideò unico, & eodem actu vult, & amat se, & alia.

Suppon. 3. quòd cum divina voluntas feratur in ipsum Deum volendo se, & in creaturas volendo alia; hinc excitatur meritò quæstio quali amore amet Deus seipsum, & quali amore amet creaturas; quæ distinctio eruitur ex S. Bon. *lib.* 1. *d.* 45. *dub.* 2. *& quæst.* 2. *ad* 3. Et quia notitia Dei in ordine ad creaturas dividitur in scientiam simplicis intelligentiæ, & scientiam visionis: sic & voluntas, & amor potest dividi in amorem simplicis complacentiæ, seu inefficacem, & in amorem efficacem, & liberum, *l.* 1. *d.* 1. *a.* 2. *quæst.* 1. *ad* 2. Hinc & quæritur quali amore diligat Deus creaturas possibiles, & futuras: in qua aliqui sentiunt, Deum nullo modo amare creaturas possibiles prout continentur in Deo, & citatur communiter Seraph. Doct. pro hac sententia, sed malè ut patebit, & c. etiam Alens. D. Thomas apud Mastrium *d.* 4. *n.* 2. Alii dicunt Deum eas amare simplici complacentia, & necessariò; alii etiam amore libero.

Suppon. 4.

Suppon. 4. necessitatem volitionis divinæ in ordine ad objecta aliam dici specificationis, aliam exercitii: prima dicitur contradictionis, qua v. g. si amat aliquod objectum, non potest illud odisse: secunda dicitur contrarietatis, quando voluntas se determinat ad operandum ad hunc actum in specie, ita ut non possit in oppositum: Quæstio igitur movetur, an Deus liberè amet seipsum, an verò necessariò; idemque dicitur in ordine ad creaturas, non tantùm secundùm esse, quod habent in Deo eminenter, sed etiam quod habent in se, vel in esse objectivo, sive sint possibiles, sive futuræ. His positis sit.

Concl. 1. Objectum primarium, & adæquatum, & principale motivum divinæ voluntatis est ipsa essentia divina, prout est prima, & summa bonitas absoluta: minus principale sunt attributa, & relationes divinæ: secundarium verò solùm terminativum sunt creaturæ, ut participantes de bonitate divina. Est S Bon. *l. 1. d. 45. dub 3. & q 1. & 2. & dist. 1. dub. 11.* Prima pars prob. quia Deus seipsum amat in seipso, & propter seipsum, quiescendo, delectando ut in proprio fine, hæc enim sunt propria finis, ut docet S. Bon. *l. 1. d. 1. a. 3. q. 2.* ergo seipsum amat ratione bonitatis moventis voluntatem, & hinc sequitur probatio secundæ partis in ordine ad attributa; quia ipsa vult, & amat ratione propriæ bonitatis derivantis ab essentia, ergo; & hinc 3. sequitur probatio tertiæ partis, si amat cætera extra se, ea amat dependenter in ordine ad ipsam bonitatem suam absolutam, quam participant. *Vide op. Itiner ment. c. 3. & 5. & 6.*

222 Objic. cum Scotistis, & præcipuè ex Smisingh. *tr. 3. d. 1. n. 14.* Bonitas est passio entis, ergo ut talis est posterior, ergo divina essentia præsupponitur amabilis ante dictam passionem, ob idque non potest tribuere essentiæ rationem diligibilitatis. Resp. ea S. Bon. *l. 2. d. 1. p. 2. dub. 2. & d. 41. q. 1. corp.* quòd bonum de sui ratione dicit entitatem absolutam, nempè rationem, secundùm quam habet ens omne id, quod competit tali naturæ. 2. importat relationem convenientiæ unius rei ad aliam v. g. sapidis ad cibum, & sic si bonitas est essentialis importat relationem rationis, tamquam modus intrinsecus entis; si est accidentalis importat relationem realem, ut est gratia, & sapientia in anima, quam perficit; & deinde insurgit relatio aptitudinalis ad appetitum, quem habet movere, & terminare; unde primo modo bonitas est essentialis ipsi enti, nec ens potest intelligi, vel amari sine hac ratione absoluta bonitatis, quia simul connectuntur essentialiter: secundo verò modo, vel tertio dicit proprietatem, scilicet appetibilitatem, vel convenientiam formalem consequentem. Vide quæ tradita sunt de anima *tr. 3. q. 5.*

Dices. Si Deus amat attributa secundariò, ergo eodem modo & amabit creaturas: Probatur consequentia, quia etiam creaturæ sunt objectum secundarium. Resp. negando sequelam antecedentis. Ad probationem resp. amare quidem attributa, non secundariò, sed ut objectum minus principale, inclusum tamen in principali, scilicet in essentia divina, ut summè bona, undè & ipsa habent rationem motivam, & terminativam divinæ voluntatis, in quibus quiescit, & delectatur infinitè: at creaturæ amantur ut objectum secundarium terminativum tantùm, quatenus participant finitè bonitatem ex divina essentia.

Concl. 2. Amor, quo Deus amat seipsum, est
123 necessarius quoad specificationem, & exercitium, & simul liber, à coactione & voluntarius: prima pars est communis, & de fide, quòd scilicet Deus amet se necessariò: secunda pars est quoque certa.

Prob. prima pars, quia bonum quò majus est, eò magis rapit voluntatem, & si est infinitum ipsam necessitat ad ipsius amorem. sed divina essentia est bonum infinitum, ergo infinitè rapit voluntatem, undè non potest se odio habere, nec desistere ab amando; tùm quia Spiritus Sanctus non potest non esse, sed amore producitur, ergo talis amor non potest non esse.

Prob. 2. pars quia ille amor est liber à coactione qui procedit à voluntate libenter & sine violentia. Sed amor quo Deus seipsum amat est ejusmodi.

Objic. Necessitas, & libertas sunt differentiæ oppositæ, ergo non possunt eidem principio convenire, ergo nec in Deo; probatur antecedens, quia libertas potest in opposita; necessitas dicit determinationem ad unum, ergo. Resp. ex Seraph. Doct. quòd duplex est necessitas, alia dicitur inevitabilitatis, alia immutabilitatis; prima repugnat voluntati, est enim à natura, vel à coactione: secunda est à voluntate, vel ab aliqua causa extrinseca, prout voluntas se ei liberè subjicitur, & intactum relinquit dominium, quod habet voluntas super actus suos, cum qua libertate benè stat ex dispositione divinæ voluntatis rectissimæ, ut ex qualitate objecti quod simul necessariò & liberè seipsum Deus amet. *Vide S. Bon. l. 2. d. 7. p. 1. a. 2. per totum, & l. 2 d. 25 p. 2. q. 1. & 2. & l. 3. d. 20. a. 1. q 1. in corp. & d. 12. a. 2. q. 1. ad 5. & l. 1. d. 6. a. 2. q. 1. & d. 40. a. 4. q. 1. ad 6. Vide etiam quæ à nobis tradita sunt de anima tr. 3. q. 3.*

Dices. Necessitas, & contingentia repugnant adinvicem, sed libertas est radix contingentiæ, ergo. Resp. concedendo majorem in nobis viatoribus, nam contingentia oritur ex libertate contradictionis, quæ non est in Deo respectu sui, nec alicujus intrinseci; sic in Deo negatur minor, & consequentia.

Quæres, *an Deus amet seipsum amore amicitiæ, an* 224
amore concupiscentiæ? Resp. ex Seraph. Doct. *l 2. d. 3. p. 2. a. 3. q. 1. corp. & l. 3. d. 29. dub. 4.* aliisque pluribus locis *d. 26. & 27. & op de 3. ternar. cap. 6.* quòd amor amicitiæ propriæ est in alium à se distinctum, ideò propriè, & in rigore non est in Deo, nec etiam inter personas divinas, cum sint unius, & ejusdem naturæ, licèt latè loquendo potest etiam dici amor amicitiæ, quatenus seipsum Deus amat propter se; potiùsque potest dici amor benevolentiæ, quo vult sibi bona intrinseca, scilicet essentiam, & perfectiones omnes; benevolentia enim est, qua quis vult bonum alicui præscindendo ab unione affectiva cum altero, vel cum seipso. Addimus posse etiam aliqualiter dici amorem concupiscentiæ, quo Deus vult sibi omnia bona etiam externa laudis, & honoris.

Et hinc sequitur etiam, quòd Deus dicitur diligere se, habendo seipsum solùm pro fine cui; licèt possit per eumdem amorem diligere se, habendo pro fine, cui, secundariò creaturas: patet primum, quia Deus diligendo se non ordinari potest primariò ad creaturas, alioquin esset amor imperfectus: patet & secundum, quia Deus talem amorem ordinare potest ad creaturas, licèt essentialiter postea tale bonum ultimatè ordinetur in ipsum Deum.

Concl. 3. Deus amat creaturas possibiles neces- 225
sariò, futuras verò liberè; est Seraph. Doct. supracit. in 2. Conclusione: secunda pars conclusionis patet, quia liberè eas ponit in actu existentiali, quas, & quando, & quomodo vult; nec in hoc

est ulla discrepantia inter Theologos, sed reducitur tota ad primam partem contra sustinentes Deum non amare creaturas possibiles, uti considerantur in se, eò quòd dicunt nullum esse habere, nisi quatenus continentur in divina essentia eminenter, in qua sunt idem omninò cum ipsa; in qua assertione P. Gaudentius non satis sibi constat, dum ex supra traditis sustineat nullum esse habere, nisi quatenus continentur in essentia virtualiter, quod est manifestè contra sensum Seraph. Doct. ut satis probavimus *disp.* 4. *q* 6. Nunc autem dictus Auctor *d.* 16. *q.* 2. tribuit eis aliquod proprium esse.

Probatio hujus conclusionis desumitur vriè ex variis motivis secundùm propria cujusque principia. Nam plures Thomistæ, cum quibus est P. Gaudentius noster, recognoscunt in creaturis tale esse necessarium ita conneaum cum Deo, ut implicantibus creaturis, etiam implicaret esse divinum; quæ ratio, & doctrina supra rejecta est *disp. anteced. quæst.* 6. & rursus infra explodetur. Alii ex eò, quòd creaturæ possibiles habeant io se tantam bonitatem, quòd possunt allicere Deum ad ipsarum amorem necessariò, quæ ratio mox examinabitur.

Probabilior est, quam adfert Meldula *d.* 4. *n.* 10. priùs tamen traditam à Seraph. Doct. infra cit. nempe quia actus divinæ voluntatis non potest esse liber, & contingens, nisi transeat super objectum contingens, quo pacto creaturæ ad esse existentiale producuntur à Deo contingenter, quia ut ait Seraph. Doct. quo pacto decrevit eas in tempore producere, potuit ab æterno decernere oppositum; *sic l.* 1. *d.* 38. *a.* 2. *per tot. & d.* 40. *art.* 2. *q.* 1. *ad* 1. *&* 2. & hoc absque mutatione in Deo, sed sic est, quòd creaturæ possibiles sunt necessariæ, & necessariò possibiles, ergo si contingenter eas amaret, posset eas non amare, ergo si eas non diligeret, aliqua variatio caderet in Deo, quod est impossibile: probatur consequentia, quia non potest fieri transitus ab uno extremo in aliud sine aliqua mutatione, saltem in aliquo extremorum, sed non fieret in creaturis possibilibus, ergo in Deo; extrema enim eodem modo se habentia non possunt esse fundamentum contradictoriarum denominationum, quales sunt diligere, & non diligere; sic etiam dissentit Vasq. *d* 79 *c.* 2.

Probatur 2. à Bassolio, & à Vulpio, quia, si Deus necessariò amat suam propriam bonitatem, ergo & illam, quæ ab ipsa descendit, qualis est bonitas creaturarum possibilium, & sicut impossibile est, quod seipsum non diligat, & se oderit, sic & impossibile est, quòd hanc bonitatem, licèt finitam, oderit, & non diligat. Confirmatur, quia sicut esse objectivum, quod habent in Deo necessariò à Deo cognoscitur tamquam objectum secundarium, sic & necessariò amantur.

226 Addimus huic conclusioni probabiliter ex principiis Seraph. Doct. posse sustineri, quòd creaturæ possibiles cum ista dicta necessitate liberè amantur à Deo; & hoc, quia actus dilectionis est à voluntate essentialiter libera, & seipsam denominante ad talem dilectionem; tùm quia participatio bonitatis earum est libera à Deo ad extra liberè communicante, & participante ipsam, ergo liberè eam participat; undè talis contingentia non est privativa, sed positiva orta ex voluntate divina essentialiter libera cadens non in actum divinum, sed in creaturas, quod magis propriè dicendum de futuris.

Notandum tamen hîc, quòd plures Theologi probant talem necessariam Dei dilectionem ea eo, quòd sunt ita necessariæ, & necessariò conneaæ cum Dei omnipotentia, ut ipsis implicantibus, etiam implicaret essentia Dei: sic plures Thomistæ, cum quibus sunt PP. Trigos. Conrol. & Gaud. *d.* 16. *quæst.* 1. trahentes etiam violenter Seraph. Doct. ad hanc partem; sicuti supra *disp.* 4. *quæst.* 6. probavimus, & iterùm hîc probandum est. Hinc.

Concl. 4. Necessitas amoris Dei in creaturas possibiles nullam parit atem, vel connexionem essentialem, vel necessariam coexigentiam involuit cum divina essentia, vel omnipotentia, nisi secundariò, & quasi per accidens Hæc conclusio est contra plures Thomistas, ut dictum est, & contra P. Gaudentium hic *n.* 20. *& seq & d.* 13. *quæst.* 6. Est tamen Seraph. D. suprà *disp.* 4 *quæst.* 6. *cit.* est & Scoti, & Scotistarum apud Meldul. *d.* 4. *à num.* 8. & ratio evidens est, quia Deus in se est actus purissimus, summè simplex, & ens absolutum nullum dicens respectum, vel dependentiam ad creaturas, ergo idem dicendum est de omnipotentia, ergo etiam existentibus impossibilibus creaturis esset, sicut est Deus, & omnipotens; tùm quia, si ejus omnipotentia, & per consequens essentia non esset, nisi supposita possibilitate creaturarum, Deus essentialiter dependeret à creaturis, consequens est impossibile, & erroneum, ergo.

Probatur sequela. Illud, sine quo aliquis non potest vel esse, vel intelligi in esse, & secundùm suam essentialem entitatem, essentialiter etiam dependet ab eo: sed ea positione talis assertionis sequitur, quòd Deus non potest esse, nec intelligi esse sine creaturis possibilibus, ergo ab istis dependet.

Respondent Fasolus, aliique cum dicto P. Gaud. neg. hanc sequelam, imò ex hoc inferri magnam excellentiam, ut Dei potentia possit producere infinita, eaque ideò à se dependentia. Quæ responsio pugnat cum suppositione facta, nec enervat vel modicum vim argumenti; nam primò verum est magnam excellentiam esse in Deo posse producere infinita, sed tamen possibilia, non impossibilia, ut supponitur in conclusione, nempè esse impossibiles creaturas. Idem enim est omninò dicere, impossibiles sunt creaturæ (ea suppositione facta) ac impossibilis est chimæra: tùm quia priùs est Deus in habitu (ut ait Seraph. Doct.) & absolutè in se omnipotens antequam intelligatur cum relatione ad creaturas; undè solùm secundariò, & penès connotata, quæ indè consequuntur possibilia, intelligitur hæc relatio rationis; de qua vide S. Bon. *l.* 1. *d.* 42. *per tot. & d* 44 *& d.* 7. *q. ult.* undè licèt omnipotentia Dei ad sui existentiam non exigat creaturas possibiles, istæ tamen è contra ad sui veram possibilitatem præexigunt ipsam divinam omnipotentiam in habitu, & antecedenter, & absolutè; & per consequens necessitas possibilitatis creaturarum est quid consequens, & veluti accidentaria divinæ omnipotentiæ, nihilque ei superaddit, eum sit in se priùs ens, absolutissimum.

P. Gaud. cit. cum suis Thomistis coacervat plura argumenta tamquam desumpta ex Seraph. D. penu ad probandam talem mutuam necessitatem, quæ tamen non probant nec intentum Seraph. D. imò omnia sunt fallacia, quia in omnibus variatur suppositio, adestque fallacia; nam dicta argumenta semper supponunt possibilitatem creaturarum, ex qua inferunt ostensionem divinæ omnipotentiæ tamquam à posteriori, qood est contra suppositionem factam, quòd impossibiles sint creaturæ, undè frustrà laborant; arguit enim sic. Deus vult suam perfectionem, sed perfectio Dei essentialis

essentialis est posse producere creaturas possibiles, hoc verum est; non verò impossibiles, ut supponitur in quæstione. si enim supponuntur impossibiles, quomodo infertur perfectio divina? & si ex possibilitate creaturarum infertur perfectio divinæ omnipotentiæ, hæc illatio est à posteriori, non à pari, vel à priori, cum istæ supponant in habitu suam causam absolutè in se existentem ante talem respectum rationis, & consequentem. Hinc istis rationibus omissis superest solvere objectiones contra tertiam conclusionem.

217 Objic. 1. Creaturæ possibiles nullam habent entitatem, ergo neque bonitatem, ergo nec possunt terminare actum divini amoris, qui fertur in bonum: probatur prima consequentia, quia ens, & bonum convertuntur. Resp. ex Seraph. Doct. *l.* 1. *d.* 32. *quæst* 1. *ad* 1. distinguendo de entitate, seu ente: ens, ut etiam adnotat *l.* 1. *d.* 23. *a.* 1. *quæst.* 2. *ad ult.* potest sumi vel verbaliter, vel nominaliter: verbaliter sumitur adjectivè, ut participium sum, es, est, sic significat concretum ex existentia, & essentia, sed primariò existentiam actualem: nominaliter, & substantivè, vel ut nomen substantivum, significat in concreto ipsam essentiam, idest rem habentem formam essentiæ, & quidditatis, prout potest, vel capax est existere: si creaturæ possibiles sumuntur pro entitate primo modo, concedo antecedens; si secundo, nego antecedens, & consequentiam, & in hoc secundo sensu verificatur convertibilitas entis, & boni; hanc autem entitatem, & bonitatem habent creaturæ possibiles in causa, & hoc sufficit, ut dicantur habere bonitatem transcendentalem, ut sint objectum cognitionis, & amoris.

Hic autem nota, quòd eamdem responsionem affert P. Gaud. cit. ex Seraph. D. sed non rectè ad mentem ejusdem S. Doct. iste enim auctor alludit ad ea, quæ supra dixerat *dist.* 14. *quæst.* 2. *&* *dist.* 13. *quæst.* 4. nempe res habere esse ideatum in essentia divina prout eminenter, seu virtualiter continentur in essentia, ut in causa valente eas producere, quæ doctrina est propria Thomistarum, & manifestè contra mentem Seraph. Doct. ut patenter probavimus *disp.* 4. *quæst.* 2. nam cum in cit. loco S. Bon. *l.* 1. *d.* 32. *quæst.* 1. *ad primum* dicat, quòd dilectio est boni non solùm, quod est in actu, sed etiam boni, quod est in causa: (hic P. Gaud.) explicat de causa eminentiali, sed malè; nam Seraph. Doct. *lib.* 1. *dist.* 39. *art.* 1. *quæst.* 1. *ad* 3. se explicat loqui de causa exemplari, & de creatura in esse objectivo, quod & hic *lib.* 1. *dist.* 39. *cit.* replicat dicens; sicut enim ad cognitionem sufficit veritas rei in sua causa, sic ad diligendum sufficit bonitas, secundùm quod res habet in suo principio producente, etiam antequam exterius producatur, (& ut intelligatur quomodo sit res possibilis in suo principio producente) subdit exemplum, undè artifex non solùmodo diligit bonum, quod fecit, sed etiam bonum, quod proponit, & disponit facere: ecce quomodo loquitur de esse objectivo, & bonitate logica, non de virtuali; nam secundùm esse virtuale creatura nihil aliud est, nisi idem Deus, & divina essentia, sed esse Ideatum, & exemplatum habet esse objectivum distinctum ab ipsa idea, & divina essentia: Hæc dicta sunt forsan nimis fusè, sed necessariò ad explicandam mentem germanam S. Doct. Et si quæras quodnam esse sit istud objectivum? Resp. esse possibile logicum scilicet consideratum secundùm statum possibilitatis puræ, quo secundùm se in genere causæ formalis, & ex intellectu divino in genere causæ efficientis connectentis terminos, prout tale esse, vel ens nominaliter sumitur, sic enim habent non repugnantiam ad esse; & secundùm statum futuritionis esse futurum ex decreto divino, & hoc esse repræsentatur per ideam divinam ipsi intellectui divino, ad cujus amorem fertur divina voluntas in possibilia necessariò, sed tamen necessitate consequente, & secundaria, & in futura liberè.

Objic 2. Dei amor in creaturam non consistit in affectione, sed effectione, sed effectivè nullum esse actu habent creaturæ possibiles, ergo nec terminus sunt dilectionis divinæ: & confirmatur, quia dilectio est copula amantis, & amati, & si copula est, ergo necesse est, ut ambo extrema sint actu, ergo non potest cadere in creaturas tantùm possibiles.

Resp. S. Bon. *l.* 1. *d.* 32. *cit.* quòd diligere Dei effectu potest esse dupliciter, scilicet quatenus objectum connotatum sumitur, vel habitu, vel actu, & quia res est in habitu, & in potentia antequam sit in actu, scilicet est in esse objectivo solùm, ut supra ex Seraph. Doct. dictum est; hinc est, quòd dilectio Dei, quæ connotat effectum in habitu potest esse ante productionem in actu; & hinc non habetur, si Deus diligere dicitur effectu, quòd tunc solùm incipiat diligere quando effectus in esse producitur, cum ab æterno in habitu illum dilexerit, ideò ut possibiles sunt terminus amoris complacentiæ, simplicis; in tempore posteà, & actu amoris efficacis. Ad confirmationem resp. quòd dilectio Dei non est affectio exiens à Deo, & copulas amantem cum amato, sed est effectiva modo supra declarato; quæ in Deo idem est ac usia, idest substantia, & essentia Dei terminans ad creaturam, vel in habitu, & in esse objectivo tantùm, vel in actu, & in esse existentiali etiam.

Objic. 3. Nulla res est bona per essentiam, & à se, sed tantùm per participationem; sed hoc est habere esse per decretum divinæ voluntatis, quod non competit rebus purè possibilibus, ergo.

Resp. ex Seraph. D. *l.* 1. *d.* 39. *cit.* *&* *l.* 3. *d.* 32. *q.* 1. *ad* 1. *&* 3. disting. min. sed hoc est habere esse per decretum divinæ voluntatis; esse, & bonum existentiale, & actu concedo; esse, & bonum in habitu, & in causa nego Et hac distinctione solvuntur omnia alia objecta consimilia.

Dices, talis bonitas vel est creata, vel increata: non secundum, quia esset Deus; nec primum, quia esset creata ab æterno, tùm quia terminus creationis est res existens, ergo nullam bonitatem amabilem habent, &c. Resp. Meldula *d.* 4. *num.* 19. neutrum esse, quia talis divisio datur tantùm rerum existentium, quod & priùs dixerat Seraph. Doct. *l.* 1. *d.* 36. *a.* 1. *q.* 1. ubi notat, quòd res secundùm esse possibile sunt in Deo secundùm aliquid sui, scilicet secundum exemplar, ob idque non actu, sed potentia tantùm; quòd esse exemplatum, vel ideatum ex parte Dei est ipsemet Deus, ex parte connotati esse est possibile, non actu, quod esse possibile habent principiativè ab intellectu divino ante decretum voluntatis, & objectivè à divina voluntate, quatenus possunt actu complacentiæ acceptari, & de facto acceptantur, ut objectum suæ omnipotentiæ.

Dices 2. Deus non est omnivolens, sicut omnipotens, sed tantùm est volens in ordine ad futura, ergo si Deus tantùm vult ea, quæ facit, sequitur non velle, & amare nisi futura. Resp. ex S. Bon. Deum non esse omnivolentem nisi futurorum voluntate efficaci, sed tamen esse omnivolentem omnium possibilium voluntate complacentiæ, dempto

peccato; qua distinctione voluntatis simplicis complacentiæ, & efficacis solvuntur alia objecta.

Objic. tandem contra quartam conclusionem: si Deus necessariò diligit creaturas possibiles, hoc non potest esse ratione bonitatis ipsarum, cum sint limitatæ, & imperfectæ; & cum Deus necessariò feratur in summum bonum, ergo erit ratione connexionis, quam habent ad divinam omnipotentiam, quæ coexigit necessariò pro objecto omnes creaturas possibiles: Resp. ex traditis ibidem talem necessitatem non oriri ex necessaria connexione, vel coexigentia supradicta, cum prius Deus in se sit omnipotens absque ullo respectu ad creaturas; sed oriri tum possibilitatem, tum scibilitatem rerum, & consequi ex infinita perfectione illarum potentiarum, & in voluntate ex sua immutabilitate nequit liberè variari, nisi circa objectum de se contingens; sic & Meldula cit. *n.* 2 2.

228 Concl. 1. Deus unico actu simplicissimo vult, & amat seipsum, & creaturas, sed differenti modo ex parte termini; est communis cum S. Bon. *l.* 3. *d.* 32. *q.* 1. *ad ult.*

Prima pars prob. quia cum Deus sit actus purus, non divisus ergo diligendo se, & creaturas unico actu ex seipso eas diligit; tùm quia diligendo se refert ad seipsum omnes creaturas; tùm quia sola divina bonitas est motiva suæ voluntatis, ergo si movetur ad dilectionem creaturarum, ab ipsius divinæ bonitatis dilectione movetur.

Secunda pars item prob. & explicatur scilicet diverso modo; nam dilectio, qua Deus diligit seipsum, est fruitio; comparata ad creaturas est usus quia in creatura non potest esse fruitio, cum creaturæ non possint movere Deum ad dilectionem, nec esse finem ipsum quietantem, ergo dicitur solùm usus: usus autem ex S. Bon. *l.* 1. *d.* 1. *per totam*, est uti mediis, ipsaque ordinari in finem; sed Deus ordinat omnes creaturas ad sui gloriam, hominemque præcipuè ordinat, & confert illi media ad seipsum, undè diligit Deus, ut à nobis diligatur, ergo diverso modo fit terminatio dilectionis divinæ ad seipsum, & ad creaturas: undè sequitur, quòd alia à se vult in ordine ad suam propriam bonitatem, non ut per ea aliquid bonitatis acquirat, sed ut eis aliquid suæ bonitatis communicet, quod signum est suæ infinitæ liberalitatis, quoniam ex sua operatione proprium commodum non quærit, sed nostrum.

Objic. 1. Deus semper vult, & amat seipsum actu, ergo si eodem actu amat creaturas, eas actu vult in esse. Resp. semper Deum amare seipsum, & creaturas, sed istas amat vel amore complacentiæ vel efficaci.

Objic. 2. Si dilectio ad creaturas est usus, ergo ipsas diligit utendo, ergo solùm eas, quæ actu sunt, diligit. Resp. S. Bon *lib.* 1. *d.* 32. *ad ult.* quòd si usus accipiatur pro exteriori actione, vera est consequentia; si pro interiori ordinatione habituali, falsa est; ad hoc enim sufficit, ut à Deo ista possibilia ordinentur ad exaltationem suæ omnipotentiæ.

Concl. 6. Deus non dicitur omnivolens, sicut dicitur omnipotens, & omnisciens; Et S. Bon. *l.* 1. *d.* 45. *a.* 2. *q.* 2.

Nota autem, quòd ex hac conclusione plures Theologi cum Mastrio *d.* 4. *n.* 2. afferunt S. Bon. uti negantem Deum amare creaturas possibiles, quod nec ipse somniavit, & in hunc sensum ipsum afferunt quia solùm primis labiis salutarunt Seraph. Doct. absque eo quòd conferrent scripta scriptis; nam uti diximus supra ea Seraph. Doct. *d. cit. dub.* 1. *& l.* 3. *d.* 32. *q.* 1. *ad* 1. ipse admittit in Deo amorem simplicis complacentiæ erga creaturas possibiles: hic autem agit tantùm de voluntate efficaci respectu futurorum, ut patet ex textu: Undè pro resolutione.

Quærit, *An in Deo voluntas, sapientia, & potentia sint æquales, & an una ex his sit prior altera?* Et resolvit *in corp. & ad ult.* quòd possunt comparari quantùm ad actum, quantùm ad effectum, & quantùm ad objectum: primo modo quantùm ad actum sunt omninò æquales, quia quicquid Deus scit, & potest, vult scire, & posse, & è contra quicquid Deus scit, & vult, hoc potest scire, & velle: quantùm ad effectum; sic etiam sunt æquales; quicquid enim Deus facit, hoc scit, potest, & vult: omnia enim facit propter suam potentiam, sapientiam, & bonitatem; & ratio istius duplicis dicti est, quia ista se tenent ex parte Dei, quia sunt in Deo unum, & idem: si verò considerentur ex parte objecti, & connotatorum non sunt æqualia, quia se habent secundùm plus, & minus; scientia enim Dei se extendit ad omnia possibilia futura, & non futura, ad bona, & mala; Potentia verò minus se habet, quia se extendit ad omnia entia vera possibilia, non verò ad mala, quia posse malum non est posse, sed est deficere: Voluntas posteà etiam ad minus se extendit, loquendo de efficaci, quæ se extendit ad omnia bona futura, non verò ad mala, & ad possibilia tantùm.

Ratio horum dictorum est, quia voluntas efficax importat causam actualem tantùm, ideò vult tantùm ea, quæ habent, vel habebunt actualem existentiam, & quæ sunt bona; ideò nec dicitur omnivolens, scilicet omne volibile, nec omne volitum, cum malum sit volibile, & volitum, & illud propter suam infinitam rectitudinem non potest velle; Potentia verò abstrahit à ratione actualitatis, non verò causalitatis habitualis, dicit enim non actum, sed habitum, & positionem, ideò requirit omnia possibilia bona, non mala, quia hoc est deficere; & hinc dicitur Deus omnipotens, licèt non possit in malum: addit Seraph. Doct. quòd posse, & velle malum involuit rationem volendi, qui est actus positivus, ad quem potentia Dei etiam se extendit, licèt non ad formale peccati, quod est defectus, & privatio. Scientia tandem abstrahit & ab actualitate, & à causalitate, dicit enim purè habitum absque positione boni, hinc est, quòd scientia est respectu tam faciendorum, quàm non faciendorum, tam bonorum, quàm malorum, scire enim malum est verè scire.

Objic. 1. Sicut se habet scientia Dei ad verum, ita se habet voluntas ad bonum, sunt enim verum, & bonum æqualis latitudinis, sed scientia Dei est omnis veri, ergo & voluntas est respectu omnis boni, ergo & est omnivolens. Resp. negando majorem, & paritatem in ordine, ad objecta; nam scientia complectitur omne scibile, non verò voluntas ob rationem adductam, quia est tantùm respectu eorum, quorum potest esse causa actualis.

Objic. 2. Deus cognoscendo se summam veritatem, cognoscit omne aliud à se, ergo & volendo suam bonitatem, vult omnia bona alia à se. Resp. quòd adest paritas in antecedente, & consequente non absolutè, sed ex parte, non omnimodè; utrumque enim est verum, sed cum hac disparitate, quòd cognoscendo est causa exemplaris repræsentans omnia; at volendo se, & diligendo est causa actualis in volendo alia, ideò solùm extenditur ejus causalitas ad futura.

QUÆSTIO III.

An voluntas sit causa rerum; seu an actus liber Dei addat aliquid supra actum necessarium, & in quo consistat ejus libertas: vel an immutabilitas Dei possit stare cum libertate, & mutatione phisica, vel morali actuum liberorum nostrorum.

130 Titulus quæstionis supponit in Deo esse, & immutabilitatem simplicissimam, simulque libertatem absolutissimam, tùm in actu primo, tùm in actu secundo, sunt enim duæ perfectiones simpliciter simplices, ut rectè adnotat Seraph. Doct. *l.1. d.8. p.1. a.2. per tot. & l.2. d.15. p.2. & dist.45. a.2. q.1. & 2.* & plurimis aliis locis, quia est de fide: certum enim est Deum ob suam simplicitatem esse immutabilem, quod probatum est à nobis in propria quæstione, tùm ex necessitate essendi, tùm ex ratione puri actus, qui nullæ potentialitati potest abesse, tùm ex infinitate continente omnem perfectionem actu: certum item est esse summè liberum, imò & fontem, radicemque omnis libertatis, ipsamque posse actu exercere & quoad specificationem, & quoad exercitium ad extra: quibus stantibus quæritur quomodo possint simul in Deo cohærere cum immutabilitate omnimoda ista contingentia; ratio dubitandi habet quatuor fundamenta. Primum est ratione indifferentiæ, sine qua non datur libertas; cum autem actus Dei semper, & necessariò sit substantiæ divinæ affixus, & conjunctus, non apparet quomodo voluntas Dei sit indifferens ad opposita, non solùm quoad terminos oppositos, sed etiam quoad ipsum actum, quo vult, vel non vult ipsos terminos: secundum est ratione immutabilitatis divinæ, non enim apparet quomodo possit velle, & non velle, velle, & nolle sine mutatione aliqua in tempore: tertium ex parte motivi, quo movetur liberum arbitrium magis ad hunc actum. v. g. creandi hoc, vel illud, cum possit, vel potuerit habere aliud motivum oppositum præpondetans primo: quartum est quia verè nunc non possunt convenire plures denominationes intrinsecæ vitales sciendi, & volendi, quæ ei jam convenire poterant. v. g. Deus nunc non habet denominationem scientis, & volentis salvationem Judæ, sicuti habebat ante mortem, sic & volentis creare mundum, assumere carnem, &c. quæ erant actus vitales in Deo, quas denominationes nunc non habet; quomodo igitur id potest intelligi in Deo sine mutatione? Hinc est quòd ab omnibus Theologis existimatur hæc quæstio omnium aliarum Theologiæ difficillima; alii enim dicunt esse in intelligibilem in hac vita, alii eam appellant unam ex misteriis potiæ fidei nobis viatoribus absconditum; & ob id sequitur, quòd in ejus solutione quot capita, tot sententiæ; reducuntur tamen à Meldula ad quinque classes principales, sed nos majoris brevitatis causa, & ad evitandam nimiam prolixitatem ad duas classes eas redocimus remittentes Lectorem ad ea, quæ fusissimè tradunt alii Doctores, præcipuè Meldula *d.2. q.4.*

Prima Classis est recognoscentium quidem & immutabilitatem, & necessitatem in divina voluntate, & ob id reducentium libertatem ejus in ordine ad volitionem, & nolitionem creaturarum; vel ad additionem ipsi voluntati divinæ respectus rationis, qui resultat ex voluntate divina ad res ad extra, qui respectus potuit esse, vel non esse, licèt actus ipse sit necessarius: Sic Vasquez aliique apud Meldulam *num.137.* vel ad additionem denominationis extrinsecæ desumptam ex productione rei in tempore, undè mutatio cadit non in Deo, sed in ipsa re: sic Aureolus, aliique *ibid. cit. num.139.*

Secunda Classis est communior allata à Caspensi nostro *tract. de voluntate Dei sect.2.* & à Joanne à S. Thoma *q.19. dist.44. art.4. & seq.* asseruntque actum divinæ volitionis esse quidem liberum, sed simul immutabilem & hoc intrinsecè, posseque velle, & nolle absque ulla additione, vel detractione entitatis intrinsecæ, ex eo quòd Deus non necessariò tribuit suum quasi effectum, seu denominationem formalem rei volitæ, vel nolitæ: In quo modo assignando tamen ita variant Theologi, quod verè potest dici quot capita, tot sententiæ, ut videre est apud Meldulam cit. & P.Gaud. *d.16. q.3.* Et quia hunc modum sectatur Seraph. Doct. & quia est magis rationabilis, & verior, hinc pro explicatione sensus Seraphici, & pro assignanda ratione adæquata talis connexionis, scilicet immutabilitatis divini actus, & libertatis divinæ, quantùm fas est pro hac vita, est enim inter difficiliores omnium difficillima quæstio in tota Theologia. Hinc.

Not. 1. quod inter omnes Theologos Seraph. 131 Doct. ad radicem hujus controversiæ enodandæ maximè excellit: supponit autem *l.1. d.35. a.1. q.2. ad 3. & 4. & d.40. dub.7. & d.45. a.2. q.1. & 2. & l.2. d.25. part.1. a.2. q.2. ad 3,* quod cum Deus sit infinitus, eminenterque contineat omnes perfectiones creaturarum seclusis imperfectionibus, hoc est quod sicuti sæpè dictum est de intellectu divino cognoscente per ideas omnia in universali, & in particulari cum omnibus conditionibus, & circumstantiis; sic & voluntas divina, cum sit infinita continet omnes perfectiones possibiles in linea volitionis, & causalitatis, nempè perfectiones causæ universalis, particularis, necessariæ, & liberæ seclusis imperfectionibus existentibus in causis creatis; undè cum causa universali se habeat extendere ad multa, & ad omnia, & hoc non pluribus actibus, nec cum indigentia concursus causæ particularis, ut evenit in causis universalibus creatis, sed unico acto, & independenter, valens se sola præstare id, quod potest quæcumque creata etiam infinitis actibus: Item cum causa particulari convenit in hoc, quod potest producere de se sufficienter omnes effectus particulares cum omnibus conditionibus particularibus excludendo limitationem, & dependentiam causarum particularium creatorum agentium pluribus actibus, & dependenter à causis universalibus, hinc & ob suam infinitam perfectionem voluntas divina cum causa necessaria habet immutabilitatem cum exclusione determinationis ad unum in omne ad res creatas, vel creabiles, sed omnimodam habens indifferentiam ad plura, & ad omnia: Cum causa libera potest facere, & non facere, producere, & non producere pro libito excludendo mutabilitatum actuum: exemplum patens affert Seraph. Doct. in immensitate divina respectu loci, ratione cujus immensitatis infinitæ habet Deus per unicum ubi immutabiliter, & absque additione, & novitate intrinseca novi ubi, quod infinitis ubicationibus habent substantiæ creatæ etiam ad infinita loca, & mundos, si extarent, sic itidem Deus

unica volitione, & unico actu, qui est ipsemet Deus, absque additione, vel detractione, vel variatione alicujus perfectionis intrinsecæ potest præstare, quod diversæ volitiones creatæ successivè advenientes subjecto habent: Ut autem hæc doctrina fundamentalis verè aurea Seraphici Doct. clariùs elucescat, & intelligatur quomodo possit stare immutabilitas simul & libertas divinæ volitionis.

232 Not. 2. quòd Seraph. Doct. *l.1.d.8.p.1.a.2.q.1.* tractans hanc quæstionem de immutabilitate Dei sibi objicit primò, quicumque de non agente fit agens necessariò mutatur, sed Deus de non creante fit creans, ergo: nec valet responderi, quòd mutatio advenit in creatura, nam priùs quàm sit creatura intelligitur Deus de non creante creans. 2. objicit confirmando hanc objectionem: Deus aliquid volt, quod priùs non voluit, quia ex tempore voluit creare, quod non voluit ab æterno; Nec valet responsio, quòd Deus voluit ab æterno creare mundum, sed pro illo instanti, quo creavit, quia tunc intelligitur mutatus, ergo.

Pro eludendis istis difficultatibus affert doctrinam fundamentalem ad rem nostram *ad 3 & 4.* dicens, quòd agens creatum, & increatum differunt per hoc, quòd agens creatum, cum non sit sua actio, sed differt à sua actione, quæ necessariò mediat inter voluntatem creatam, & effectum, per quod medium disponitur, & collocatur in actu primo, & potentialitate, ut possit exire in actum: tria enim in agente creato libero necessariò concurrunt ad hoc, ut agat, nempè productio actus, qui differt realiter à voluntate; receptio item ejusdem actus in ipsa voluntate, quæ à tali actus informetur, & ponatur in actu primo proximo; & tertium est quatenus voluntas cum tali actu se extendit vitaliter in objectum volitum, in quo actu fundamentum relatio realis resultans, quæ terminatur ad ipsum objectum volitum: Ex his tribus duæ primæ conditiones dicunt imperfectionem, quia important in voluntate potentialitatem, indigentiam, & limitationem, & receptionem passivam, nec sunt de ratione libertatis præscindentis à creata, & increata, sed tantùm tertia conditio est essentialis voluntati liberæ: & hinc in agente creato necessariò cadit mutatio; Deus autem, cum sit agens infinitè perfectum exclndit in volendo quidquid imperfectionis est; est enim ipse sua actio, nec indiget medio disponente, idcò agit seipso sine mutatione, cum sit ipse actus purissimus, & infinitus; & hinc dicitur Dei voluntas causa proxima, & immediata omnis effectus; & quia hæc immediatio potest sumi tripliciter; primò respectu substantiæ, secundò respectu dispositionis, tertiò respectu actus: respectu substantiæ est causa immediata, cum inter eam, & effectum nihil medium intercedat respectu dispositionis etiam, cum ab æterno sit actus purissimus, actualissimus, infinitus, & independens; respectu verò actus, & productionis ad extra, quando voluntas conjungitur actui producto in tempore quando, & quomodo vult, sicun dicitur volo cras legere, voluntas non copulatur actui, nisi pro tempore crastino.

Ratio autem hujus assertionis est, quia divina voluntas non se habet tamquam actus primus in potentia ad actum secundum, sed tamquam actus purissimus, simplicissimus, actualissimus, & infinitus volitionis, ob idque semper in actu determinata necessariò à proprio objecto motivo, quod est ipsa essentia divina, ut summa, & prima bonitas, & cum sit ipsemet Deus, consequenter volitio est in finita eminenter continens quidquid perfectionis est in quacumque volitione creata; & consequenter continens necessariam determinationem ad proprium objectum motivum, & liberam ad alia objecta extrinseca; undè sicut velle creatum, ut possit tendere ad diversa objecta, opus est ut habeat potentiam ad diversos actus, vel actum, & privationem ejus, & hoc ob suam limitationem; sic è contra velle divinum, quia est infinitus actus, & illimitatus, non mensuratus, aut specificatus ab aliquo objecto, potest idem prorsus tendere in objectum necessarium necessariò, in contingens contingenter, in bonum per modum volitionis, in malum per modum nolitionis, & odii; & cum ista sapiant de se distinctionem, & diversitatem, cum non possit desumi ex parte Dei, ejusque actus, desumenda erit non secundùm rem, sed secundùm terminationem extrinsecam pro diversitate objectorum secundùm exigentiam ipsorum.

Not. 3. quòd ut clariùs explicetur hæc libertas divina, triplex libertas potest considerari: prima ad oppositos actus; secunda ad opposita objecta; tertia ad oppositos effectus, in voluntate creata reperitur hæc triplex libertas, sed admixta cum imperfectionibus, nam necessariò indiget multiplicitate actuum ob sui limitationem, ut possit tendere in opposita objecta, & producere diversos effectus: ablata igitur hac imperfectione recognoscenda est libertas in Deo ad diversa objecta, & indè ad diversos effectus, sed hoc unico, & simplicissimo actu infinito; & hinc sequitur (ait Seraph. Doct. cit.) quòd prima libertas Dei est in ordine ad diversa objecta, & hinc postea in tempore ad diversos effectus; & hinc sequitur, ut notat S. Bon *l. 1. d.47. a.1.q.1. ad 3.* quod in Deo recognoscenda est indifferentia ab æterno ad diversa volita, & ad diversos effectus in tempore absque ulla additione perfectionis intrinsecæ ad suum actum necessarium, cum iste sit infinitus, & eminenter continens omnem rationem & necessarii, & liberi, ut dictum est: undè eadem vitalis tendentia ad alium mundum possibilem, quæ nunc dicitur nolitio, si ad illum terminata fuisset per modum volitionis, fuisset volitio; sicque sola applicatio, seu ut loquitur S.Bon. unio ejusdem actus simplicissimi vitalis per modum volitionis determinatæ, quando fertur super existentiam rei, aut per modum nolitionis, quando fertur super negationem, dicitur libera, non autem ipsa divina volitio in sua entitate quasi potuerit esse, & non esse: affert Seraph. Doct. *ibid.d.47. cit.* ad id explicandum exemplum de præscientia divina, quæ entitativè necessaria est objectivè quatenus transit super objectum necessarium, simulque libera absque sui mutatione, quatenus transit super objectum contingens, sed tota mutatio est penès objectum extrinsecum, quatenus de statu meræ possibilitatis ex decreto divino transit ad statum existentialem futurum, & hoc est ratione eminentialis perfectionis intellectus divini; sic & actus divinæ voluntatis ob suam infinitam perfectionem æquivalens plotibus, & omnibus actibus voluntatis creatæ sine mutatione sua: dicitur & necessarius, & liber secundùm exigentiam objectorum, & hoc est, quia fertur divina voluntas in objectum inadæquatum, ideò etiam cum indifferentia antecedente: Ex qua doctrina sequitur id, quod notat S. Bon. *l. 2. d.1. a.1.q.2. ad 4 & l.1. d 8. cit.* nempè Dei voluntatem in se semper in actu suo esse, non tamen semper unitam in effectu, nisi secundùm quod ei placuerit; & hoc est, quod dixit Scotus libertatem voluntatis divinæ consistere principaliter 233

ret in hoc, quòd est ipsa potentia operativa, & indifferens, & hoc ab æterno ei competit, non verò præcisè, ut est productiva in tempore; undè divina voluntas cum sit in actu suo semper, & necessaria, simulque libera præintelligitur necessariò à nobis veluti in actu primo cum indifferentia activa ad id, quod determinare vult, vel non vult, & dum se determinat ad volendum, vel nolendum se uniendo cum effectu extrinseco, tunc intelligitur sine sui mutatione in actu secundo, in quo statu connotat terminationem extrinsecam ipsius objecti.

234 Not. 4. quòd adhuc remanet solvenda potior difficultas in hac materia: quomodo actui necessariò volitionis divinæ in ordine ad summam suam bonitatem intelligi possit volitio, & nolitio in ordine ad creaturas libera absque superadditione perfectionis intrinsecæ ipsi Deo? Suarez, aliique cum ipso respondent volitionem Dei apprehendi veluti quamdam formam eminentissimam valentem præstare realitatem suam necessariò ipsi Deo in ordine ad essentiam divinam, in ordine verò ad objecta creata non similem realitatem necessariam præstare, sed liberam, & cum eminenti quadam potestate ad attingendum, vel non attingendum effectum. quæ responsio patitur graves difficultates, cum ratio formæ præstet suum effectum subjecto non liberè, sed necessariò, ob idque talis libertas est merè quid fictitium explicata hoc modo. Melior ergo, & adæquata responsio est, quæ traditur à Seraph. Doct. loc. cit. quia volitio divina in ordine ad tendentiam, & terminationem ad creaturas non denominat Dei voluntatem in genere causæ formalis, sed, ut dicit S Bon. *l.1. dist.40. a.3. q.2. ad* 4. in genere causæ efficientis, quatenus tendendo, & terminando ad creaturas eis præbet existentiam vel in esse objectivo ab æterno, vel actuali in tempore, undè talis volitio non comparatur ut forma ad Deum tamquam subjectum, sed tamquam ratio agendi, vel causalitas ad causam efficientem liberè immutantem objectum creatum, hinc sequitur, quòd secundùm nostrum modum concipiendi cum fundamento in re, concipi debet in primo signo voluntas divina ut causa eminentissima, & libera, indifferensque ad determinandum possibilia ad futuritionem, vel ad determinandum oppositum, at in secundo signo ut actu determinantem tendentiam, & terminationem ad futuras creaturas, vel in esse objectivo ab æterno, vel in esse reali in tempore; & cum hæc tendentia, & terminatio sit omninò extrinseca importat mutationem in objecto connotato, & immutabilitatem in causa; quæ doctrina ex Seraph. Doct. *loc. cit. & d.35. a.1. q.2. ad* 1. *& q.3. ad* 3. *& d.43. dub.*4. *& d.47. q.5. & d.39. dub.*5. aliisque locis plurimis, quam & Scotus ab ipso desumpsit, ut fatetur Meldula. His prænotatis.

235 Concl. 1. Libera Dei volitio nullam addit perfectionem intrinsecam Deo; est contra Cajetanum, contra quem omnes ferè Theologi clamant: ratio evidens est, quia quicquid est in Deo est ipsemet Deus, sed illa perfectio, quam recognoscit Cajetanus in divina volitione libera, potest adesse, & abesse à Deo, ergo ab ipso realiter distinguitur, ergo non est in Deo.

Concl. 2. Libera Dei volitio non est mera denominatio extrinseca redundans in Deo ex actuali productione creaturæ ad extra, sed verus actus realis intrinsecus Dei: est contra Aureolum, aliosque à Meldula, & Gaudentio cit. Probatur primò ex S. Bon. *l.1. d.45. a.1. q.2. ex Psal.*113. *Omnia quæcumque voluit fecit*: Vel ergo per voluit intelligit actum intrinsecum divinæ voluntatis, sicque habeo intentum: vel intelligit ipsam actualem factionem, & tunc erit sensus: omnia quæcumque fecit, fecit, quod est ridiculum: sed sacra Scriptura verè, & patenter distinguit inter velle, & facere, è quibus velle præcisè, & operari est actus liber intrinsecus Dei determinans productionem tamquam suum effectum, à quo supponitur ut causa.

Prob. 2. quia actus intellectus, & voluntatis liberæ sunt perfectiones immanentes in creatura, ergo multò magis in Deo: tùm quia Dei voluntas in ratione principii est causa omnium rerum non per naturam, ergo liberè: tùm quia Dei voluntas conjungit causam efficientem, & finalem ad effectum, sed talis voluntas, & volitio est actus immanens, ergo, *Vide S. Bon. l.1. d.45. q.8.* quod & in sequentibus quæstionibus examinabitur.

Concl. 3. Decretum Dei liberum non consistit 236
in respectu rationis divinæ voluntatis ad creaturas futuras, nec ut liberè connotans extrinsecam productionem creaturarum. Prima pars est contra Vasquez aliquosque multos à Meldula, & à Gaudentio citatos: secunda pars est contra Amicum, Granadum, aliosque à dictis Auctoribus citatos, Prob. autem evidenter utraque pars ex Seraph. D. *l.1. d.45. q.1. & a.2. q.1. & q.3. ad* 3. quia respectus rationis, & connotatio effectus est quid posteriùs consequens ad Dei decretum, & volitionem, ergo non potest constituere ipsam in esse libero; tùm quia iste respectus rationis, & connotatio supponit creaturam productam, at velle Dei liberum requirit rem producendam, ergo.

Concl. 4. Velle liberum Dei est ipsa voluntas divina eminenter continens nostros actus liberos, sed perfectissimo modo, ob idque habens de se indifferentiam ad volendum, & nolendum sine mutatione ulla eo modo, quo dictum est in fundamento primo; est Seraph. Doctoris pluribus locis, & l.1. d.45. per totam, præcipuè *a.1. q.1. & 2. & a.2. q.2. & d.43. dub.4. & d.47. a.1. q.1. ad 3. & q.2. & d.39. dub.*5. & est conformis suis principiis: est & Scoti apud Meldulam, & communior, rationique magis consentanea.

Prob. primò ex doctrina S. raph. Doct. tradita in primo fundamento. Deus est causa creaturarum eminentissima, & eminentissimè continens omnes perfectiones creaturarum, seclusis imperfectionibus, ergo continet perfectissimè perfectiones causarum universalium, & particularium tàm necessariarum, quàm liberarum; sed imperfectio in causis creatis est dependentia, indigentia transitus à potentia ad actum, multiplicitas actuum, differentia actuum ab ipsa potentia, ergo in Deo recognosci debet volitio necessaria, & libera identificata formaliter cum voluntate, & essentia divina, & sine potentialitate, ergo sua divina voluntate, & substantia ratione suæ eminentiæ, & eminentis perfectionis decernit ad extra.

Prob. 2. Summa independentia importat summum, & liberum dominium in Deo, & in creatura summam subjectionem, ergo ex hoc desumitur summa libertas Dei, & simul summa immutabilitas. Antecedens est de fide, & patet ex ipsa ratione independentiæ; tùm etiam quia hæc est perfectio intrinseca, & ob id necessaria in Deo; tùm quia talis independentia importat summum, & liberum dominium; tùm quia est actus purus removens omnem, & quamcumque potentialitatem, ob idque & mutabilitatem, ergo vel volendo, vel no-
lendo

lendo stat talis independentia, & dominium, libertasque immutabiliter eadem.

Prob. prima consequentia, quia sicut cognoscendo seipsum Deus cognoscit alia, sic volendo se summam bonitatem, vult alia participantia de illa summa bonitate; sed in volitione ista non movetur ab objectis creatis, nec ea supponit, sed volendo ipsa constituit in esse objecti limitati, ob idque cum summa independentia, dominio, & libertate, ergo & immutabiliter: undè sequitur, quòd tota mutatio est ex parte termini.

Seraph. D. *l.* 1. *d.* 45. *a.* 1. *q.* 2. *ad* 3. *& d.* 40. *a.* 3. *q.* 1. *ad* 4. ad explicandam hanc libertatem, & immutabilitatem, ut supra innuimus, affert exemplum de divina præscientia, in qua scientia, quæ in primo signo dicebatur necessaria, dum exprimebat solam creaturarum possibilitatem, in posteriori signo dicitur libera; dum quoque repræsentat earum futuritionem absque ulla prorsus additione, vel mutatione facta in actu divini intellectus, sed tantùm in objecto creato terminativo; sic quoque sufficit in proposito, ut idem actus divinæ voluntatis dicatur in priori signo necessarius, prout fertur in divinam essentiam; in posteriori verò signo dicitur liber, dum fertur in creaturas actuales absque ulla additione, & mutatione in ipso facta; solùmque in hoc exemplo discrimen intercedit, quòd scientia visionis supponit mutationem factam in objecto per decretum divinum; voluntas verò facit talem mutationem in objecto per causalitatem; quòd verò talis terminatio fiat sine mutatione in Deo iterùm probatur, & ratio supra posita magis confirmatur, & explicatur. Indifferentia divinæ voluntatis non est passiva indigens externa determinatione orta ab objecto creato, nec est actus in se contingens indigens ab alio determinari, sed in se habet totam necessitatem, & actualitatem volitionis, & nolitionis absolutè, & independenter, ergo per hoc solùm, quòd talis actus sit de facto immutans objectum, seu constituens illud in ratione boni participati, & volibilis determinatè est volitio potiùs, quàm nolitio, ergo cum per talem volitionem constituatur in ratione boni limitati talis volitio non est necessaria, sed libera, ergo mutatio solùm stat ex parte objecti.

Cum igitur in Deo libertas non sit per modum potentiæ, nec actus eliciti, & producti, sed sit ipsa voluntas, & substantia divina, actusque purissimus, & infinitus in genere appetitus vitalis, sequitur quòd eminenter per modum actus secundi habeat quicquid formaliter requiritur ad volendum quodcumque objectum volibile absque ulla additione extrinseca, alioquin non esset infinita, & ideò quodcumque vult Deus, vel renuit unico actu, & simplicissimo actu, & infinito, & ipso seipsum determinat ex sua summa independentia, & libertate: Et quia in hac materia illa sententia probabilior censenda est, quæ magis dignè sentit de divina libertate, eamque cum divina immutabilitate cum minori incommodo accommodat, & conciliat, hinc proponendæ sunt potiores difficultates, & ex doctrina tradita ex Seraph. Doctore diluendæ.

Objectio prima desumitur ex potiori difficulta-
137 te, ex qua orta est hæc controversia. Volitio Dei libera in actu secundo aliquid reale est in Deo, non quid effictum; sed hoc totum potest esse, & non esse in Deo, ergo revera est aliquid superadditum intrinsecè in Deo, ergo infert intrinsecam mutationem in Deo, quia potest esse, & non esse in Deo, Nec valet responsio communis; volitionem Dei quoad entitatem esse realem in Deo, intrinsecamque, & necessariam, non verò quoad terminationem, & denominationem liberæ terminationis, hoc enim spectat ad infinitam perfectionem actus divini, ut seipso absque reali additione, vel detractione terminetur, vel non terminetur ad objecta creata.

Non valet inquam talis responsio, quia talis terminatio, & denominatio est aliquid reale in Deo, & potuit adesse, & abesse à Deo cum sit libera, ergo. Et confirmatur magis vis hujus objectionis. Impossibile est, ut eadem forma secundùm eamdem rationem realem det aliquam intrinsecam denominationem, & eadem omninò manens det oppositam; sed volitio Dei dat velle necessariò ipsi Deo, ergo eadem non potest sine mutatione in Deo dare velle liberum, & oppositum; cum impossibile sit transire à contradictorio in contradictorium, & à necessariò ad liberum, nisi facta aliqua mutatione in altero extremo.

Resp. ex doctrina tradita à Seraph. Doct. *lib.* 1. *d.* 7. *a.* 2. *q.* 1. *ad ult. & d.* 38 *q. ult. & d.* 40. *a.* 2. *q.* 1. *ad arg. & d.* 45. *q.* 1. *ad* 4. quòd volitio Dei potest sumi dupliciter: primò in ordine ad suam essentiam, sicque est quid absolutum, & necessarium in se: secundò in ordine ad creaturas volitas, quas connotat, & sic est libera, ratio est, quia regula connotativorum est quod in ipsis id, per quod differunt, non significatur primariò, sed connotantur, sic privatio, & negatio non differunt per se primariò, sed tantùm penès connotata: sic voluntas, & volitio divina necessariò, & liberè, sic enim ex parte Dei non significatur aliqua forma, intrinseca informans divinam essentiam, vel causalitas, seu terminatio activa, quæ est divina voluntas dans immediatè existentiam, vel in esse objectivo creaturæ ab æterno, vel in tempore actu, quæ actualis causatio nihil reale superaddit formaliter causæ, in eo instanti, in quo causat, quod sit veluti medium inter causam, & effectum, cum sit purissimus actus, idemque Deus, licèt in posteriori signo dicatur formaliter causa per solam terminationem dependentiæ effectus ad ipsum, quæ est mera denominatio extrinseca. Nec per id incidimus in sententiam supra rejectam de connotatis; nam illa sententia dicebat effectus connotatos esse de ratione constitutiva causæ liberæ, quod non potest sustineri, cum effectus non ponat in esse causam; sed dicimus, quòd voluntas divina cum sit infinita est simul necessaria, & libera, quatenus de se indifferens ad causandam, vel non causandam creaturam, & ut talis est connotat terminationem passivam talis creaturæ volitæ, quasi concomitantis ad talem causationem, ob idque sine mutatione in Deo, sed in ipsa creatura tantùm causata, quæ concomitantia effectus nobis inservit ad intelligendum meliùs libertatem divinam.

Instas. Ista terminatio causalitatis ad creaturam, est aliquid de novo superadditum divinæ volitioni, quia priùs illam non habebat, ergo nulla responsio. *Resp.* istam terminationem, vel causalitatem creaturæ superaddere quidem aliquid Deo de novo, sed non quid intrinsecum, cum talis causalitas non sit quid medians inter voluntatem divinam, & creaturam, ut in nobis (est enim ipsemet Deus) sed tantùm superaddit denominationem extrinsecam, vel connotationem ex sola terminatione dependentiæ effectus ad ipsam, quia de novo additur creaturæ specialis dependentia quoad existentiam, quam non habebat.

Contra iterùm instas. Datur aliqua libera volitio

litio in Deo, cui nulla correspondet productio ex parte creaturæ ad extra, ergo libera Dei volitio non sufficienter salvatur per connotationem productionis ad extra: Probatur antecedens, quia Deus vult multa possibilia non exitura ad extra, & ad existentiam futuram, ergo illa terminatio non salvat divinam libertatem. Resp. transeat antecedens, negatur consequentia, ad probationem resp. quòd quando dicimus respondere volitioni divinæ productionem creaturæ, intelligimus quamcumque, & qualemcumque productionem sive objectivam, sive realem, sed prius objectivam ab æterno: in quo statu etiam conveniunt entia possibilia, nam & ista ex decreto divino determinante ista futura, alia non futura, non futura subeunt ex statu indifferenti, in quo prius erant, determinationem nolitionis ad futuritionem, sicque & in ipsis connotatur mutatio aliqua.

Contra iterùm instas: Impossibile est transire de contradictorio in contradictorium, scilicet de necessariò ad liberum, & de non volente ad volentem sine additione, &c. ergo in Deo additur aliqua mutatio, scilicet de non volente in volentem. Resp. Meldula cum Scotistis *n.* 168. & 177. & 184. concedendo, quòd in priori signo voluntas divina non denominatur volens, sed tantùm in secundo signo, estque veluti nova: & licèt actus, undè denominatur volens, sit forma Deo intrinseca, & necessaria, non tamen ab ea denominatur absolutè liberè volens, nisi ut terminata ad creaturas actuales cum earum immutatione, quæ terminatio explicari debet per modum causalitatis, & non formæ informantis, quæ responsio tamen veri petit principium, nec solvit difficultatem positam in objectione, & instantia; undè secundùm doctrinam Seraph. D. aptius resp. negando antecedens in divinis, ubi omnia sunt idem quoad absoluta, & eminenter, & infinito modo continent virtutem valentem admittere prædicationes contradictorias, ut aliàs dictum est de attributis; undè actus divinæ voluntatis est eminenter necessarius, & liber, & verum est, quòd ut necessarius vult necessariò seipsum, & ut liber vult creaturas pro libito absque distinctione, & mutatione sui, quia ad eas se habet ut ratio agendi, vel causalitas ad causam efficientem, sed tota mutatio respectu Dei est penès nostrum modum significandi fundata in re, & eminentia subjecti, de quo ista prædicantur, & vera mutatio realis redundat penès creaturas objectas, & connotatas. *Vide l. 1. d. 45. a. 2. q. 1. per tot.* præcipuè ad primum.

Dices ex hoc nos incidere in sententiam rejectam Aureoli; cum explicemus actum liberum Dei per tendentiam in objectum per causalitatem. Resp. negando sequelam, & paritatem; ipse enim ponebat volitionem divinam in sola productione rerum, nos verò in volitione producendi res, quæ est actus vitalis, respiciens tamen extra exitum creaturarum per decretum Dei æternum; sicque non dicimus talem causalitatem passivam constituere volitionem Dei liberam, sed connotari ut objectum volitionis liberæ.

Dices: volitio libera Dei vel est denominatio totaliter intrinseca, vel totaliter extrinseca, vel participans de utraque; non primum, quia quicquid est in Deo est necessarium, sed necessarium non potest præstare denominationem liberam; nec secundum, quia est actus vitalis; nec tertium ob utramque rationem, ergo vel est quid fictitium, vel fit per aliquod de novo superadditum Deo.

Resp. actus Dei liberos assimilari partim actibus ipsis nostræ voluntatis, & partim ipsi voluntati, in hoc, quòd dicunt perfectionem, actibus voluntatis assimilantur, quatenus dicunt ultimam perfectionem intrinsecam potentiæ volitivæ, & quatenus determinant potentiam ad hoc, vel illud objectum, ipsi voluntati assimilantur in indifferentia; undè cum velle divinum sit ipsemet actus, & voluntas actualissima libera, dicit denominationem intrinsecam in Deo, & quia terminat ad creaturam liberè, dicit denominationem extrinsecam ex hac parte, quæ in Deo nihil ponit, sed tantùm ipsum terminum prout habet esse liberè futurum, vel præsens: Nec dicas; ex hoc sequi voluntatem divinam determinari à creatura volita, hoc enim negatur quia efficienter ipsa voluntas divina seipsam determinat ad aliquod extrinsecum; quæ determinatio est ab æterno in esse objectivo ipsius creaturæ, sed pro tempore, quo producenda est, ut ait Seraph. Doct. *l. 1. d. 45. a. 2. q. 2.*

Objic. tandem si libera volitio nil addit activi necessario, quo Deus seipsum diligit, sed sola mutatio cadit in connotatis, sequitur nunc posse Deum liberè nolle, quod ab æterno voluit, quia hæ mutationes nullam mutationem in Deo inferrent, sed tantùm in objectis extrinsecis; quod videtur valdè absonum divinæ sapientiæ.

Hæc objectio petit, excitatque aliam quæstionem 138
annexam tamen præsenti: An possit cadere in Deo mutatio moralis, quæ esset, si Deus eodẽ actu posset velle v. g. ab æterno aliquod objectum, & posteà in tempore illud nolle; in quo casu quæritur; An solùm caderet mutatio in objecto volito, an etiam in Deo?

In qua quæstione Lichetus cum aliquibus paucis sustinet posse dari talem mutationem in Deo absque præjudicio suæ immutabilitatis. Opposita sententia est cõmunis omnium SS. Patrum; D. Thomæ *p. 1. q. 19. a. 2. Scoti d. 43. & d. 39. q. 3. P. Bon. l. 1. d. 39. q. ult. & d. 45. dub. 3. & a. 2. q. 1. & 2. & d. 47. q. 1. ad p. 2. & 3. & op. Comp. Theol. l. 1. c. 19.* aliisque pluribus locis; quibus opposita sententia malè olet. Hinc.

Concl. In Deo non potest cadere mutatio moralis, ita quòd ab æterno aliquid voluerit, & in tempore posteà possit velle oppositum. Hujus conclusionis variæ rationes afferuntur à Theologis, quas omnes examinat Meldula *n. 194. seq.* multasque ex eis ut insufficientes ostendit, quarum potiores sunt sequentes ex Seraph. D. desumptæ;

Prob. 1. ex pluribus locis Sacræ Scripturæ allatis à Seraph. Doct. Comp. Theol. *l. 1. c. 19.* quibus omnimoda immutabilitas asseritur in Deo, ergo & hæc moralis.

Prob. 2. ex Seraph. Doct. *l. 1. d. 35. q. 1. corp.* apud P. Gandentium *n. 156.* In Deo sunt omninò idem, & unum formalissimè substantia voluntas, actus, finis, & tendentia ad finem, ergo semper conjuncta est voluntas actui immutabiliter, & fini, propter quem aliquid vult, ergo in Deo non potest cadere nec omissio, nec fuga, nec mutatio, nec desitio.

Prob. 3. Quidquid vult Deus de se, vult rationabilissimè, ut advertit Seraph. D. *l. 1. d. 45. dub. 3.* ergo si mutaretur volitio ex parte termini, notaretur Deus inconstantia irrationabili, ob idque maxima, & enormi imperfectione: & confirmatur ex loco supra adducto *q. 1.* quia in nobis fit talis mutatio, quia est variatio affectionum, sed ista variatio non est in Deo, cum nulla sit in eo potentialitas, ergo nec talis mutatio.

Prob. 4. ex infallibili præscientia Dei ex Seraph. D. 139
l. 1. d. 38. a. 2. q. 1. & 2. Si Deus decrevit ab æterno hunc mundum creare, & non alios infinitos possibiles, ergo ab æterno præscivit, hunc esse futurum,

alios verò nequaquam; sed præscientia Dei est infallibilis, & si in tempore posteà alium crearet, vel creasset, tunc præscientia Dei fuisset fallibilis: erroríque subjecta, nec præscivisset alium mundum posteà creandum.

Meldula *n.* 208. dicit hanc rationem non concludere, eò quia data præscientia mundi futuri ratione decreti facti à Deo, nullum inconveniens esset intellectum divinum latuisse alium mundum in tempore solùm decretum à Deo. Quæ oppositio Meldulæ pace tanti viri est frivola, & involvit implicantiam, estque contra ea, quæ supra dixerat *n.* 175. ubi notat, quòd decretum Dei cadit & super futura volendo, & super possibilia nolendo, quia decernit illa futura, ista nequaquàm, ergo de istis datur præscientia in Deo infallibilis, ergo dato, quòd Deus decreverit ab æterno hunc mundum futurum, etiam præscivit alium ex decreto Dei non esse futurum, hoc enim spectat ad infinitatem intellectus divini; tùm quia præscientia non potest falli ex decreto infallibili Dei; tùm quia in intellectu divino res futuræ priùs habent ab æterno esse objectivum; tùm quia quæ præscit Deus futura, necessariò sunt futura, licèt necessitate consequentiæ: Igitur si Deus decrevit hunc mundum futurum, & Deus ipsum præscivit immutabiliter, & si decrevit aliquem non esse futurum, & præscivit ipsum non futurum. Confirmatur, quia præscientia in Deo est actus necessarius, licèt quoad objectum sit contingens, ergo hæc præscientia divina non potest falli, cum sit concors decreto divino, nec potest esse discors, cum sint unũ, & idem in Deo.

Prob. 5 Actus divinæ voluntatis est æternus, ergo durat æternitate, ob idque immutabiliter, alioquin sequeretur mutatio phisica in Deo. Probatur consequentia, quia ex decreto divinæ voluntatis insurgit relatio rationis fundata in actu immanente attingente creaturas, ergo non potest talis relatio mutari, nisi mutato fundamento, scilicet actu immanente Dei; sed ab æterno divina voluntas immutabiliter attigit creaturas in esse objectivo; ergo in tempore non potest mutari, & si mutatur erit mutatio phisica.

Probatur 6. omissio libera in Deo non potest cadere, quia perfectior modus exercendi libertatem Deo attribuendus, qui est per actum positivum, & si hoc, ergo nec mutatio moralis: sed istæ rationes magis patebunt, & majorem vim recipient ex solutione objectorum.

Objic. 1. Admissa mutatione divini decreti melius salvatur nostra libertas, & simul divina, ergo. Probatur antecedens ex parte nostra, quia data mutabilitate, vel suspensione divini decreti magis sustentatur libertas hominis, cum ex decreto divino non vertatur potiùs ad hunc, quàm ad alium actum: item ex parte Dei, quia magis extollitur dominium absolutum Dei super creaturas. Resp. negando antecedens; imò magis vilescit divina libertas ex vertibilitate, & fallibilitate, tùm ex inconstantia, improvidentia & levitate, ut docet S. Bon. *l.* 1. *d.* 25. *a.* 2. *q.* 1. certùm enim est, & de fide Deum omnia prospicere, & decernere, quod est rationabilissimum, & licèt quod discernit à parte rei non sit melius absolutè, est tamen tale secundùm ordinẽ infinitæ prudentiæ, & providentiæ divinæ; nec per hoc læditur libertas nostra, cum decreta Dei non præcedant nostrũ consensum prævisum saltẽ conditionalẽ. Instant ex S. Scriptura, quòd sapientis est mutare consiliũ, ergo & in Deo Resp. hoc verificari in nobis cæcutientibus, non in Deo, qui omnia perfectissimè novit, &c.

Objic. 2. si Deus non posset mutare consiliũ suum in tempore, non esset perfectè liber, quod est maximum absurdum; tùm quia est maxima Theologica, quòd prædestinatus potest esse præscitus, &c. Resp. totum esse verum in sensu diviso, non in sensu composito, ut docet S. Bon. *l.* 1. *d.* 40. *a.* 2. *q.* 1 & 2. de qua materia infra suo loco; unde salvatur libertas in Dei voluntate ante tendentiam in objectum & etiam in ipsa tendentia, quatenus est à Dei voluntate seipsam determinante.

Objic. 3. Deus amat hominem dum est justus, odit cum est peccator, ergo variatur. Resp. ex traditis variari extrinsecè tantùm ratione termini variati, sed ex se esse immutabilem.

Objic. 4. *ex Gen.* 7. dixisse Deum pœnitet me hominem fecisse. Resp. S. Bon. op. de incomprehensibilitate Dei, esse modum metaphoricum ratione facti, quia ita se gessit Deus, delendo hominem, ac si pœnituisset. Ex traditis sequuntur hæc corollaria. Primum. In Deo esse voluntatem; & summam libertatem in ordine ad opera ad extra, quod patet, quia ista operatur, non secundùm naturam, sed secundùm voluntatem; tùm quia res extra non sunt Deo necessariæ ad finem bonitatis ejus, ideò potest eas velle non esse. 2. Radix libertatis divinæ est ejus voluntas eminentissimè continens omnem perfectionem; quod est fusè probatum est. 3 Hæc libertas est in Deo ipsum nullo modo subjiciens mutabilitati ullæ, vel phisicæ, vel morali, sicut probatum est supra.

4. Volitio Dei ut libera, & ut distinguitur à necessaria est actus immanens, & intrinsecus Deo, distinguiturque à ratione necessariæ per hoc, quòd volitio necessaria respicit divinam essentiam, ut summè, & infinitè bonam, & ut objectum adæquatum movens, & terminans ipsam sibi identificatam: ut libera dicit summam independentiam, & dominium à creaturis, & summam subjectionem creaturarum ab ipsa, ob idque respicit bonitatem suam ut communicabilem creaturis limitato modo.

5. Volitio divina ut talis distincta à nolitione, vel quatenus magis ad unũ, quàm ad aliud prospiciat, non provenit ex diversitate objectorum, quæ in sua significatione, & formalitate includat, vel ex respectu rationis: sed ex absoluta, & immutata actualitate, & necessaria in se immutante objectum; & nolitio ex eadem actualitate, ut non immutante objectum; & sequitur ex traditis cum ex parte creaturæ non detur causa in Deo, quare hoc, vel illud velit, vel nolit, non quidem eliciendo actum, sed subjiciendo sibi suo actu creaturam, ut existat in tempore pro libito valens eam non sibi subjicere.

6. Et hinc sequitur rationem liberi in actu divino sumi objectivè ex bonitate divina, ut communicabili creaturæ cum summa independentia, ob idque non necessariò; & hinc dixit Seraph. D. quòd Deus volendo se vult creaturas; sicut de scientia dictum est, cognoscendo se cognoscit creata; & ideò comparatio ad objecta non spectat ad constitutionem formalem actus volitionis divinæ licèt spectat ad constitutionẽ objecti, quod sine illa terminatione, vel tendentia, vel causalitate non potest esse vel objectivè ab æterno, vel actu in tempore; quod tamen explicatur à posteriori per relationem rationis. Hinc superest ad clariorẽ intelligentiã eorum, quæ in hac difficillima quæstione tradita sunt, tùm in cõclusionibus, earumq. probationibus, tùm in responsionibus ad objectiones ab adversariis oppositas, solvere aliqua dubia summariè valdè scitu necessaria.

Quæres primò. Cum Deus rationabilissimè condiderit 140
hunc mundum, cum potuisset alium condere, quodnam motivum rationabilius poterat ei inesse ad creandum alium mundum, si voluisset, sicut poterat creare? Hæc dubitatio, ut tollatur, petit aliam quæstionem, An Deus in

suis

suis operibus ad extra semper faciat id, quod optimum est, & hoc necessariò, an liberè; & valde connexa est alteri propositæ in Philosophia, & à nobis solutæ *in 2. part. tract. de mundo q.2.* & S.Bon. tractat fusè hanc materiam l.1. d.44. a.1. per tot. An mundus iste potuerit fieri melior à Deo, & est ferè eadem cum alia: An divina voluntas infallibiliter semper velit, & faciat quod optimum est? Cui quæstioni ex principiis, & doctrina Seraph. Doct. cit. respondetur, quòd optimum potest sumi absolutè secundùm se, vel in relatione bonitatis extrinsecæ, quæ in rebus resultat, ex eò quòd à Deo volitæ sunt; & secundùm hanc secundam considerationem, cum impletio divinæ voluntatis præponderet omnibus aliis bonis, illud erit optimum, quod à Deo est volitum, ex eo præcisè, quòd circa illud voluntas Dei impleatur, bonitas enim impletionis voluntatis divinæ adæquat, & excedit quamcumque aliam bonitatem objectorum: Et secundùm hunc respectum, cum Deus ordinaverit omnia, quæ fecit ad impletionem suæ voluntatis, ad ipsius gloriam manifestandam, & communicandam, & ob impletionem suæ voluntatis, sic Deus semper vult quod optimum est, & idem dicendum est, si fecisset alium mundum meliorem isto.

Secundùm primam considerationem verò optimum aliud est in genere phisico, aliud in esse morali, & utrumque potest sumi absolutè, vel secundùm ordinem præfixum in conditione rerum, hoc secundo modo Deus semper facit quod est optimum est, scilicet ordine, quia melior ordo quoad essentialia non potuit assignari, licèt quoad accidentalia possit fieri additio: Absolutè verò dicendum est, quòd non semper facit quod est optimum, cum Deus semper meliora, & meliora in infinitum, possit facere; potuisset enim facere. v. g. hominem impeccabilem, incarnationem trium personarum, & similia; fecit igitur omnia bona secundùm quod congruit conditionibus rerum, ejusque sapientiæ, & providentiæ: de qua materia vide S. Bon. *lib.2. d.23. q.1. ad 1. & d.41. q.1. ad 2 & l.3. d.2. q.1. & in fund. & d.5. p.2. q.1. corp. & l.2. d.1. p.2. a.2. q.1.* Vide etiam Calpensem nostrum tract. de voluntate Dei *d.3. sect.5.*

Q. 2. Cum dictum sit ex S. Bon. *l.3. d.32. q.3.*
241 *ad 5.* Deum amando suam summam bonitatem ex tali motivo amare etiam creaturas, quatenus talis bonitas est ab ipsis participata, vel communicabilis, & per consequens omnia ad suam bonitatem æqualiter ordinantur tanquam ad suum principium, & independentem; *Quæritur ex hoc supposito, an Deus æqualiter omnes creaturas diligat?* Resp. S. Bon. *l.3. d.32. q.3.* quòd amor potest sumi ex parte diligentis Dei, & ex parte objecti amati, vel quod idem est, secundùm actum essentialem dilectionis divinæ, vel secundùm effectum consequentem: primo modo Deus æqualiter diligit creaturas, nec diligit magis unam, quàm aliam, ratio est, quia ejus actus est idem quod essentia, & quia diligendo seipsum, & seipso fruendo, diligit cætera, ita quòd alia diligendo fruitur seipso, & summè, & infinitè in seipso delectar: secundo modo verò, cum effectus ab ipsa dilectione causati, & procedentes sint ordinati, & sese excedentes; sic inæqualiter dicitur creaturas diligere secundùm quod plus, vel minùs participant de ipsius bonitate.

Q. 2. Cum dictum sit non posse dari in Deo omissionem actus volitionis; *An in ipso detur libertas, non solùm contrarietatis, sed & contradictionis.* Resp. quòd cum libertas contrarietatis sit, posse velle actum; vel ejus oppositum. v. g creare mundum, non creare mundum, & dicitur actus volitionis, & nolitionis positivæ: libertas contradictionis est posse habere aliquem actum, & ejus negationem suspendendo seipsam, & cum hæc dicat perfectionem cum essentiali imperfectione admixta, hæc non potest esse in Deo, sed tantùm prima, quia ex sua summa indifferentia potest velle suo actu purissimo tendere, & terminare ad hoc objectum, volendo ei communicare suam bonitatem, potest & velle oppositum.

QUÆSTIO IV.

De objecto repugnante divinæ voluntati: *An Deus semper eodem modo se habens velit mala fieri.* S. Bon. *lib.1. dist.46.*

PRo complemento tractationis de objecto di- 242
vinæ voluntatis superest, ut aliqua exponantur ad mentem Seraph. Doct. de objecto repugnante divinæ voluntati, quod est malum, an scilicet Deus feratur sua voluntate ad malum: Et quia iterùm infra redibit sermo de hac materia in quæstione de concursu Dei ad omnes creaturarum actiones: hinc perstrictim hæc quæstio enodabitur. Pro solutione igitur, &c.

Primò suppon. ex Seraph. Doct. *l.2. d.3. part.2. q.2. Comp. Theol. l.3. c.2. & Centil.1. part.3. sect.1.* quòd triplex est malum, scilicet naturæ, pœnæ, & culpæ, sivè moris: primum est defectuositas; & monstruositas naturæ, quo pacto nascuntur monstra, accidit mors, vel morbus, vel aliud disconveniens naturæ in essendo, vel agendo: secundum est pœna, qua aliquis punitur, & affligitur: tertium est ipsum peccatum.

Suppon. 2. quòd in quolibet istorum malorum duo interveniunt, scilicet entitas materialis, seu subjectiva; & ratio formalis, scilicet defectuositas, & carentia rectitudinis secundùm rationem propriam cujusque rei: *sic S. Bon. l.2. d.34. per tot. & d.37. q. ult.* de quo alias redibit sermo.

Suppon. 3. quòd aliquod potest considerari ut objectum per se volitum, vel per accidens, scilicet ratione boni adjuncti. His positis.

Concl. 1. Deus non vult per se, & directè malum naturæ, & pœnæ, sed tantùm per accidens, quatenus est annexum alicui bono, vel ordinatum ad bonum: est S. Bon. cit. & communis. Pr. prima pars, quia malum quodcumque de se dicit inordinationem, & defectum, & quid oppositum rationi formali objecti cujuscumque potentiæ appetitivæ, quod est bonum, ergo per se non potest ipsum appeti, & cadere sub ratione volitionis directæ, & per se. *Vide S. Bon. l.1. d.45. q.1.* Pr. 2. pars, quia ex tali malo sæpè multa bona, & effectus utiles resultant, ergo ex hac ratione potest desiderari à rationali natura cum rectitudine, tùm quia spectat ad bonum ordinem universi; quod probat Seraph. Doct. *l.1. d.46. q.2 & q. ult.* nempè spectare ad decorem universi ex eo, quòd subjectum, in quo est malum, vel ordinatur in pœnam ad divinæ justitiæ manifestationem, vel ratione oppositi, quod magis elucescit ex præsentia mali; vel ratione boni eliciti, quia multa bona facit. & facit Deus, quæ non fierent, nec facta essent, nisi peccata præstitissent

occasionem, & patet in redemptione facta per Christum; undè cantat Ecclesia, ô felix culpa, quæ talem, ac tantum meruit Redemptorem: Et licet hæc ratio valeat pro malo culpæ, de quo non est facta conclusio; tamen ex hac à fortiori infertur veritas conclusionis de malis naturæ, & pœnæ. Et si dicas nonnè meliùs esset, si nullum peccatum fuisset, & omnes essent Beati, quàm quidam Beati, & quidam miseri? Resp. S. Bon. quòd si homo stetisset, non pervenissent plures ad beatam gloriam, quàm sic perventuri sunt; undè mali quasi ex abundanti sunt, nec sunt in comparatione, scilicet sunt veluti quisquiliæ apud Deum, nec in numero, sed extra numerum.

Prob. 2. directè, quia ad complementum ordinis universi requiritur, quòd non solùm adsint causæ per se, sed etiam causæ per accidens: item quòd aliquæ creaturæ sint in agendo defectivæ aliæ nequaquam, tùm quia ista non sunt vera mala, sed aliquid positivum, licèt cum annexa imperfectione.

Concl. 2. Deus non vult, nec potest velle malum formale culpæ nec per se, nec per accidens. Est de fide, & S. Bon. ipsam probat *l. 1. d. 46. q. 2.* & ex sacra Scriptura, & rationibus: & primò. Omnis voluntas aut denominatur à volito, aut denominat volitum, si ergo Deus vult malum, sequitur, quòd si mala, quod est impossibile, & cum ejus voluntas sit optima, ergo denominat volitum bonum; aut ergo nihil est malum, aut Deus est malus, si vult malum fieri, sed utrumque est falsum, ergo.

Prob. 2. Omnis volens malum, illud vult sub ratione boni apparentis, ergo omnis volens malum decipitur, sed in Deo non potest cadere deceptio, ergo.

Prob. 3. qui vult aliquid, quod non potest, est miser, sed Deus non potest malum, ergo si vult, & non potest, est miser, quod est impossibile.

Prob. 4. quia peccatum nulla ratione potest reddi honestum, & bonum, cum essentialiter rationi, & honestati opponatur, ergo nec potest amari.

Objic. primò. Ex peccato oritur manifestatio divinæ misericordiæ, & justitiæ: item Deus creavit rationalia valentia peccare, nec ea impedit, cum posset, sed ea permittit, ergo saltem Deus ea vult ex consequenti. Resp. negando ex peccato per se oriri manifestationem divinæ misericordiæ, & justitiæ; oritur quidem ex pæna, quam Deus ordinat ad puniendum peccatum, vel ad ipsius remissionem: negando item ex permissione peccati posse inferri ipsum velle peccatum: permissio enim est actus absoluti dominii, spectatque ad rectum ordinem universi, scilicet quòd in eo adsit creatura libera, & valens peccare, eamque Deus sinat agere proprios motus, & quia inter istos motus sunt aliqui mali, Deus eos vetat, & ne sint clamat, reprehendit, minatur, offert gratiam ad ipsorum vetationem, sed non cogit, quia esset contra naturam operantis, & ordinem universi: sed de hac materia infra iterùm agetur. Vide S. Bon. *l. 1. d. 46. q. 5. & 6. & d. 47 q. 1. & seq.*

Applicatio moralis, & mystica.

243 EX traditis de voluntate divina tendente in objecta extrinseca sine mutatione ulla, & solùm adspiciente ad bonitatem suam, infertur primò, quòd solus Deus est immutabilis, cætera omnia subjecta multiplicari; & hoc maximè inest in voluntate nostra ex eo, quòd voluntas est potentia distincta ab animæ substantia, cujus actus distinguuntur ab ipsa realiter, ideò secundùm actus est variabilis secundùm affectiones varias odii, amoris, spei, timoris, &c. & quia est distans à fine, ideò est indigens, & hinc in ea est fuga, & appetitus, & cadit in ea tristitia, & malitia, cum possit à fine obliquari, quæ omnia absunt à divina voluntate. Hinc & anima excitari debet ad considerationem nostræ miseriæ, cum sit veluti mare subjectum infinitis agitationibus passionum, & affectionum, quæ numquam in eodem statu quiescere sinunt: Et indè erigi debet ad uniendum se per amorem cum divina voluntate, ut ipsi immobiliter connectatur, & adhæreat tamquam ultimo fini, & adhærendo participet de ipsius perfectionibus; nec enim alia via est declinandi tristitiam, & malitiam, & fruendi lætitia, & justitia præter hoc, quod est Deum amare, ei fideliter adhærere, & totaliter subjici; nec enim ullum aliud bonum potest inveniri, in quo anima perfectè quiescat nisi in divina voluntate; hinc & enim debet, ut cum ea unus spiritus fiat.

QVÆSTIO V.

De causalitate divinæ voluntatis: *An voluntas Dei sit causa rerum.*

TItulus quæstionis involuit multas quæstiones, & præcipuè primò: An Deus sit agens liberum ad extra, an verò agat ex necessitate naturæ. 2. Cum tria concurrant in agente rationali ad effectum, nempè scientia, potentia, & voluntas, quare potiùs causalitas tribuatur divinæ voluntati, quàm scientiæ, & potentiæ. 3. An in productione rerum Deus sit causa prima, non solùm primitate perfectionis, sed etiam temporis, & an sit causa mediata, vel immediata: In hac autem quæstione solùm prima duo capita, vel quæstiones solvuntur, reliqua in sequentibus.

Et pro explicatione tituli suppon. quòd in Deo natura, & essentia potest considerari dupliciter: primò quatenus dat esse Dei, quod ipsi est omninò naturale, & necessarium: secundò quatenus ad res externas refertur per modum vel cognitionis, vel potentiæ, vel voluntatis: hinc quæritur, an Deus sit causa rerum per modum naturæ in se, an per modum scientiæ, an potentiæ, an voluntatis, & libertatis; & ratio dubitandi est, quia in Deo omnia ista sunt unum, & idem formalissimè, undè videtur posse assignari pro causa rerum æquè naturam, vel scientiam, vel potentiam, & voluntatem: & cum ista omnia concurrant, quæstio est, quænam ex his sit immediatior ad effectus, scilicet an creatura, an scientia, an potentia, an voluntas: In qua Aristoteles dixit, primam causam agere secundùm naturam, & non secundùm libertatem, ob idque necessariò, & naturaliter, & hinc posuit mundum ab æterno: quæ sententia est contra fidem: Inter Theologos aliqui apud Caspensem, & P. Gaudentium nostrum sustinent, scientiam esse causam immediatiorem, alii potentiam, sed communior est esse voluntatem; sic S. Bon. *lib. 1. d. 45. a. 2. q. 1.* Hinc.

Concl. 1. Deus est agens ad extra, non secundùm naturam, quatenus dicitur dans esse Dei, sed secundùm voluntatem. Est de fide; & patet ex pluribus locis sacræ Scripturæ, præcipuè ex *Ps. 134.* Omnia quæcumque voluit fecit: probatur etiam à S. Bon.

S. Bnu. auctoritatibus Sanctorum Patrum patentibus, & deinde rationibus tali pacto.

Prob. primò. Deus est causa rerum, aut ergo per naturam, aut per voluntatem, aut per casum, & fortunam; non hoc tertium, quia id importat maximam imperfectionem, est que certum: nec per naturam, quod est agere per intellectum, quia agere tali modo est per determinationem ad unum; tùm quia actio per naturam est productio similis ex simili in natura, hoc autem non intervenit inter Deum, & creaturas; tùm quia agens secundùm naturam agit secundùm totam virtutem, sicque produceret alium Deum.

Prob. 2. quia Deus est causa rerum, aut quia sciens, aut quia potens, aut quia volens; non primum, nec secundùm, quia multa scit, quæ non potest facere ut est peccatum; & multa potest, quæ non facit, at posita voluntate Dei ponuntur effectus, ergo.

Confirmatur ratio adducta, quia id est ratio causandi in effectu, vel effectum, quo posito ponitur effectus, eò quòd dicit conjunctionem efficientis cum fine: finis enim est, qui movet efficiens, sed in Deo principium effectivum est agens respiciens finem, scilicet bonitatem; movetur enim à sua bonitate prout est sui diffusiva, ergo solùm principium habens pro objecto bonum est tale, sed voluntas habet bonitatem pro objecto, & fine, ergo sola est, quæ unitur cum fine: hinc dixit D. Dyon. apud S. Bon. quòd omnia appetunt bonitatem ut principium, à quo sunt, & continentiam, per quam conservantur; ut finem, in quem tendunt; undè divinus amor est quidam actus æternus ex optimo per optimum, & in optimum, sicque dicit conjunctionem principii cum fine, & ideò causam actu, quando vult facere, ita quòd actualitas in causando referatur ad voluntatem, non pro instanti, in quo habet voluntatem, sed in quo facere vult.

Objic. primò. Si voluntas est causa rerum, id est vel ratione principalis significati, aut ratione connotati: non secundum, quia connotatum est effectus posterior ipsa causa, ergo non potest ex hac ratione dici causa; ergo primum, sed in Deo idem formalissimè sunt divina essentia, intellectus, & voluntas, ergo pari modo potest dici causa rerum ipsa essentia, & intellectus, sicut voluntas.

Resp. Seraph. Doct. quòd præcisè, loquendo, neutro modo voluntas dicitur causa, sed propter rem sic significatam, nempè quatenus divina essentia significatur ut voluntas, cui modo significandi respondet veritas: modus enim significandi est indicare Deum producere res per modum liberalitatis, & communicationis bonitatis, quod proprium est voluntatis, ideóque voluntati attribuitur verè, cum in Deo adsit fundamentum talis distinctionis ob suam infinitam, & eminentialem perfectionem, quæ perfectiones licèt sint in Deo unum, non possunt tamen significari nisi per diversa.

Dices: Talis communicatio voluntati attributa indicat perfectionem, quia indicat diversitatem, & multiplicationem divinæ bonitatis, quæ est una formalissimè, ergo hæc ratio non convincit, quòd tribui debeat voluntati. Resp. negando antecedens: ad probationem resp. quòd aliter se diffundit bonitas increata, & aliter creata: Bonum enim creatum se diffundit per sui diffusionem & divisionem in multas partes, & in multa numero; sed bonum increatum ad omnia alia se diffundit sine sui divisione, sine sui multiplicatione, & sine sui diffusione, eò quòd divina bonitas in se manens una indistincta in se collecta multiplicatur (ait S. Bon.) in sua similitudine, scilicet in effectibus participantibus bonitatem divinam: Et hinc est (dicit Seraph. Doct. ex D. Dyon.) quòd omnia appetant hoc bonum increatum ut principium, à quo creantur, & recipiunt bonitatem; ut auxilium, à quo conservantur in esse; ut bonum, quo nobilitantur, & ut terminum, in quo quiescunt.

Objic. 2. Si divina essentia, ut voluntas, est causa rerum, id dicitur vel per proprietatem, vel per appropriationem: si primo modo, sequitur quòd scientia, & potentia in Deo non erunt proprietates concurrentes ad effectum, quod est falsum: si secundo modo, cum per appropriationem dicantur æquè causæ concurrentes ad effectum, nun videtur quomodo magis ad voluntatem spectet, quàm ad scientiam, & potentiam; imò magis ad scientiam spectare videtur, quia priùs scientia disponit per ideas quod faciendum est, ad quod sequitur potentia immediatè exequens, ergo voluntas remotior est; undè dicebat D. Augustinus, quòd Deus per voluntatem movet, per sapientiam disponit, & per potentiam exequitur, ergo immediatiùs se habent scientia, & potentia.

Resp. S. Bon. quòd voluntas, si sumitur secundùm se, ipsa est propriissimè causa, quia sola dicit actualitatem; si verò sumitur per appropriationem, & comparationem ad scientiam, & potentiam dicitur etiam prior, & immediatior; ratio est, quia cum hæc tria ad causandum effectum concurrant, scientia, & potentia potiùs dicunt rationem habitualem, quàm actualem, & actualitatem à voluntate recipiunt, quatenus eis imperat, easque ordinat ad hunc effectum potiùs, quàm ad alium, sicque patet quomodo voluntas sit propriissimè causa, & prior, & immediatior.

Objic. 3 Voluntas si est causa, id erit vel propter virtutem agendi, vel propter modum, scilicet liberalitatis: non primum, quia hæc spectat ad potentiam; nec secundùm, quia modus agendi per modum naturæ est nobilior, quia producit sibi simile per ideam, ergo neutro modo. Resp. quòd utroque modo dicitur causa; nam Deo velle est posse, sed principalius dicitur propter modum agendi, scilicet per modum liberalitatis, nec est verum, quòd modus agendi per naturam sit semper nobilior modo agendi per liberalitatem, ubi voluntas est omnipotens, & ubi concurrit diversitas formæ inter causam, & effectum: In nobis quidem nobiliùs est agere per naturam, quàm per artem, quia natura producit substantiam similam: In Deo verò nequaquam, in quo voluntas est omnipotens, & potest quod, & quomodo vult; tùm etiam quia in divinis, agere per naturam, est proprium personæ ad personam, non verò proprium essentiæ, quæ ideò agit, quia vult.

Concl. 2. Voluntas divina immediatiùs se habet ad productionem creaturarum, quàm scientia, & potentia. Est contra aliquos Thomistas dicentes intellectum priùs concurrere per imperium, & judicium practicum, & immediatiùs, quàm voluntas; est tamen S. Bon. cit. & communissima: Explicatur, & probatur ex S. Bon. *d.45. a.2. q.1. ad arg.* Eodem ordine philosophari debemus de intellectu, & voluntate Dei ad extra, quo etiam in nobis, ubi non concurrit imperfectio; sed in artifice creato intellectus primò proponit opus, & modum faciendi; deindè voluntas illud vult fieri eo modo, & tandem sequitur executio ad nutum voluntatis, nullo actu intellectus interjecto inter voluntatis electionem, & executionem facultatis exequentis:

sed primum, scilicet propositio intellectus habet rationem causæ habitualis tantùm, scilicet exemplaris, ad quam præcisè non sequitur effectus, sed tantùm addita electione, & imperio voluntatis actualis, ergo immediatior, & prior est voluntas in ratione causæ actualis: Et confirmatur, quia in Deo voluntas est omnipotens, ergo applicata ad effectum est causa immediatè causans, & exequens.

Objic. In agente per artem principalior est intellectus, quàm voluntas, quia ars pertinet ad intellectum, sed Deus alia à se agit secundùm artem, & causat per modum artis, non autem per modum naturæ, ergo. Et confirmatur, quia per ideam principaliùs continet effectum, ergo. Resp. S. Bon. negando artem, seu ideam esse rationem principaliorem in agendo ob rationem supra adductam, quia ista se habet potiùs per modum habitus, non actus, sed est voluntas imperans, & movens secundùm artem illam, nec ars habet ullam efficaciam, nisi ex voluntate: Et ad confirmationem resp. verum esse contineri objectivè ipsum effectum in causa exemplari, sed non efficienter, nisi in voluntate imperante, & determinante, & exequente primò, & principaliter. Et hoc est, quod dicunt plures Theologi, quòd effectus quoad specificationem primò continentur in idea, quoad executionem, & exercitium continentur in voluntate.

QUÆSTIO VI.

De concursu causæ primæ cum secundis: nempè: *An voluntas Dei sit causa immediata, vel mediata effectuum creatorum. S. Bon. l.1. d.45. a.2. q.2.*

244 Celeberrima est hæc quæstio, licèt perfunctoriè à multis tractata; est enim valdè perutilis tùm ad profectum animæ, elevat enim animam ad cognitionem tot beneficiorum, quæ incessanter à Deo percipimus, tùm etiam, quia est fundamentalis ad ea, quæ infra pertractanda sunt in materia prædestinationis, & libertatis humanæ; undè fusiori calamo à nobis est pertractanda: Et licet eodem ordine, & modo eamdem expenderimus in Phisica l.2. q.7. quia ferè tota expensio fuit in ordine ad actiones naturales, hic idcirco proponitur præcipuè in ordine ad effectus supernaturales. Pro explicatione tituli.

Suppon. 1. tamquam certum, & evidens, dari unam primam causam, à qua omnes aliæ creatæ dependent: & ratio naturalis est, quia quidquid movetur, ab alio movetur, ne detur processus in infinitum, devenire debet in unum movens primum, immobile, & improductum, à quo cæteræ moveantur. Hic autem quæritur quo concursu fiat talis motio primæ causæ.

Suppon. 2. quòd concursus Dei in actu primo est divina omnipotentia cum voluntate parata ipsam applicandi ad actum: in actu verò secundo est ipsa actualis operatio Dei producentis vel se solo, vel simul cum creatura, & causa secunda effectum: Hic autem concursus in actu secundo est duplex; vel immediatus, vel mediatus, & uterque est immediatus, vel mediatus immediatione, vel mediatione suppositi, & virtutis, vel virtutis tantùm, seu dispositionis, ut loquitur Seraph. Doct. *l.c. dist.8. p.1. a.s. q.1. ad* 4. suppositi immediatio est quando nil mediat inter substantiam, virtutem, & effectum, ut est Deus intimus creaturæ in ipsam agens, vel ignis immediatè comburens rem, quam tangit; mediatio suppositi est quando adest aliquod medium, ut est calor calefaciens rem aliquam; mediatio virtutis, ut est in causa instrumentali agente, quæ mediat inter virtutem principalis agentis, & effectum. Hinc orta est hæc quæstio, an Deus coagat cum creatura ita, ut simul immediatè utroque modo cum ipsa producat effectum, an verò causis secundis tribuat virtutem agendi, relinquens eas suos actus agere absque eo, quòd ipse immediatè concurrat; quæ quæstio examinatur in Phisica, quoad effectus in pura natura existentes; hic verò examinatur principaliter quoad effectus supernaturales, an scilicet ultra donum gratuitum infusum in anima concurrat immediatè ad actus supernaturales; an verò præstito dono gratuito animæ relinquat eam operari sine speciali immediato concursu: Et quia non potest solui hæc quæstio de actibus supernaturalibus sine admixtione considerationis philosophicæ, hinc utraque ratio simul tractabitur. In qua triplex opinio circumfertur.

Prima opinio est aliquorum, quos suppresso nomine citat S. Bon. *l.2. d.7. p.1. a.2. q.1. corp.* asserentium causas secundas nihil agere, sed totum fieri à Deo ad præsentiam, & applicationem causæ secundæ disponentis materiam, eo ferè modo, quòd Seraph. Doct. & Scotus dicunt Deum ad applicationem sacramentorum producere gratiam, quam probabilem existimat Gabr. *l.4. d.1. q.1. a.3. dub.3.* eam tamen S. Bon. appellat falsam, & irrationabilem, tollit enim de medio actiones causarum secundarum: de quo vide in Phisica à nobis tradita.

2. Opinio est Durandi docentis Deum concurrere concursu mediato tantùm, nempè quatenus in actibus naturalibus tribuit virtutem, eamque conservat in causis secundis relinquens eas agere motus suos sivè naturales, sivè liberos, absque eo quòd ipse se immediatè ingerat, & concurrat ad eosdem actus; & in causis supernaturalibus ponit eas in actu primo supernaturali per donum gratuitum, postèa eas sinit agere pro libito suos actus; sic dicitur agere mediatè tantùm mediatione suppositi, & virtutis. Hæc opinio semisopita erat in scholis, sed novissimè ipsam suscitavit P. Ludovicus Dola Capuccinus, qui in suo verè aureo opusculo eam fusissimè defendit, simulque doctissimè, quam tamen non sine nimia temeritate, ut temerariam, & proximam hæresi condemnant Suarez in Met. d. 22. sect. 1. Valentia, Hurtandus, & Gastinus in Phis appellat hæreticam contra determinationem Concilii Tridentini, non afferens tamen ullum locum ejusdem Concilii, sicuti nec potest afferre, cum nec umquam fuerit condemnata vel à Conciliis, vel à Papa, & à sacra Congregatione, nec vel minimum lædit Durandum, qui fuit classicus, & Catholicus Doctor, & Episcopus, & de Ecclesia benemeritus: imò S. Bon. *l.2. d.47. q.1.* dicit suo tempore fuisse magnorum virorum, & magistrum non fuisse ausum determinare aliquid de ea.

3. Sententia est communissima maximè his temporibus, sicuti & tempore D. Bon. & D. Thomæ, & Scoti asserentium Deum concurrere ad quascumque actiones creaturarum immediatè immediatione suppositi, & virtutis, ita ut totus effectus producatur à Deo, & totus simul à creatura: sic

Seraph.

Seraph. Doct. *l.2. d.47. cit. aliis locis infra cit.* qui tamen diſcrepat à cæteris in fundamentis, ut mox patebit à P. Gaudentio *d.16. q.5.* citantur plurimi alii, tùm antiqui, tùm recentiores. Pro cujus ſolutione.

Not. 1. quòd cum ſit duplex agens, ſcilicet naturale prout contra diſtinguitur à ſupernaturali; & liberum, etiam duplicis generis dantur actiones, ſcilicet naturales, & liberæ, & ambæ vèl naturales puræ, vel ſupernaturales: ad naturales puras concurrit Deus ut author naturæ, ad ſupernaturales, ut author gratiæ; ad naturales concurrit Deus concurſu generali, ad ſupernaturales concurſu & generali, & ſpeciali.

245 Not.2. quòd, ut notat Seraph. Doct. *l.1. d.45. a.2. q.1.* Cauſa efficiens dividitur in cauſam univerſalem, & particularem, & utraque dividitur in increatam, & creatam; differuntque inter ſe: nam cauſa univerſalis creata, ut cælum, ſol, &c. & particularis, ut Petrus, hic ignis, ſe habent in cauſando ſecundùm excedens, & exceſſum: nam cauſa univerſalis creata quantùm ad intimitatem magis influit, quia eſt potior, & virtuoſior, quantùm ad actualitatem minùs influit, univerſalis enim non habet omnimodam actualitatem, nec perfectam virtutem, & potentiam, ideòque non poteſt pervenire ad producendam formam ſpecialem, niſi per aliud, ſcilicet per agens particulare, undè ambæ concurrunt eodem proprio concurſu ad producendum effectum cum omnibus ſuis conditionibus ſpecialibus. Cauſa verò univerſalis increata, cum ſit prima, univerſaliſſima, actualiſſima, ideò poteſt in totum effectum ſine adminiculo cauſæ ſecundæ; nec aliqua cauſa aliquid poteſt ſine ipſa, ideò neceſſe eſt, ut ſit immediata in omni actione, & re.

246 Not. 3. quòd ab aſſertoribus hujus communis ſententiæ communiter docetur, Deum, & cauſam ſecundam eodem concurſu immediato, & identificato producere effectum, quòd tamen ad aures Seraph. Doct. non eſt verum; ratio eſt, quia cauſa ſecunda in productione effectus agit media actione, & virtute à ſe immiſſa, & realiter à ſe diſtincta; ſed Deus non media actione, ſed immediatè immediatione ſuppoſiti ſeipſu unit cum actu, & producit effectum ſimul cum cauſa ſecunda, ut docet S. Bon. l.1. d.8. ſupra cit. Undè opinio S. Bon. mediat inter opinionem Durandi, & oppoſitam: cum Durando ſuſtinet cauſam ſecundam media virtute ipſi à Deo indita ſeipſa exire in cauſalitatem, ſeu actionem dependenter quidem à Deo, qui ipſi tribuit, & conſervat virtutem agendi; cum alia opinione communi ſuſtinet coagere Deum cum cauſa ſecunda immediatè ad productionem effectus, ſed concurſu non identificato cum concurſu agentis creati, ſed diverſo. Hinc patet, quòd hallucinatus eſt Hurtandus aſſerens neminem aſſeruiſſe Deum præbere concurſum diſtinctum à concurſu cauſæ ſecundæ; *ſic in Phiſ. d.10. ſect.3. n.23.* eò quòd iſta aſſertio Duraniſmum ſapit, contra quem plura affert Serbellon. *d.2. q.4. a.3.* de qua aſſertione vide S. Bon. *l.1. d.8. cit. & d.45. a.2. q.1. & 2. & d.12. a.1. q.3. ad 1. & d.35. dub.4. & d.1. a.3. q.2.*

247 Not. 4. quòd loquendo de concurſu ſupernaturali Dei, hæc opinio mediat inter duas peſtilentiſſimas hæreſes, nempè Pelagii, & Lutheri, Calvinique: Pelagius enim negabat requiri concurſum Dei gratuitum ad bona opera: Lutherus, Calviniſque ex alia parte ita recognoſcunt Dei concurſum, quòd totum effectum in ſolum Deum referunt, & per conſequens ipſum faciunt authorem peccati: mediat item inter duas ſententias catholicas: nam admiſſa hac propoſitione Deus concurrit immediatè ad omnia opera creaturarum occaſio data eſt Theologis diſputandi, an iſte concurſus fiat, & terminet priùs in ipſam cauſam, & poſteriùs in effectum; an verò ſolùm terminet in effectum: undè Thomiſtæ rigidiores, ut ſunt Dominicani, & Salmaticenſes, dicunt Deum immittere in cauſas ſecundas influxum, & qualitatem quamdam prædeterminantem eamdem cauſam ſivè naturalem, ſivè liberam, ſivè ſupernaturalem ad hunc numero effectum, undè appellantur Prædeterminantes. Recentiores è contra, quales ſunt Jeſuitæ, & ex omnibus ſcholis plurimi negant talem influxum in cauſam, & aſſerunt influxum eſſe tantùm in ordine, & terminare ad effectum, & ad hoc dicunt Deum ſcientia media prævidere quid voluntas libera in tali, & tali ſtatu poſita ſit pro libito operatura, hincque Deus decernit ſuum concurſum ſimultaneum ad tale opus pro eodem inſtanti temporis. Durandus verò negat iſtum concurſum, undè ſequitur, quòd ad actus ſupernaturales duplicem concurſum Deus præbet, alterum quidem generalem, ut eſt auctor naturæ, alterum ſpecialem, & ſupernaturalem, vel per modum actualis, ut eſt per gratiam excitantem, & prævenientem, & cooperantem, vel per modum qualitatis refuſæ, ut eſt gratia ſanctificans, quo auxilio ſupernaturali prædita anima adjuvatur à Deo & concurſu generali, & ſpeciali ad producendum opus, quod attingitur totus ab utraque cauſa.

Not. 5. quòd neceſſitas concurſus divini imme- 248
diati ex duplici capite oritur, unum ex parte divinæ voluntatis, aliud ex parte creaturæ: *ſic S. Bon. l.1. d.45. a.2 q.2 & d.8. p.1. q.ult. ad 8. & 9. & l.2. d.37. q.1. & d.14. ibid. part. 1 a.3. q.1.* Ex parte Dei oritur hæc indigentia in creatura; cum enim Deus ſolus ſit cauſa prima, univerſaliſſima, & actualiſſima, & independens, primùm ſequitur, quòd ipſa ſola de ſe poſſit in totam rei, & effectus ſubſtantiam, & ab ipſa dependeant & in eſſendo, & in operando, creaturæ omnes ab ipſo prodeuntes: Ex parte creaturæ, cum omnis creatura de ſe ſit defectiva, immixta cum paſſivitate, potentialitate, defectione innata, cum ſit ex nihilo, inſtabilitate, & vanitate originali tùm in eſſe, tùm in operari, hinc indiget adjutorio illius cauſæ, quæ eſt actus purus, & infinitæ virtutis, ut in ipſam influat ad hoc, ut ſit, ut conſervetur, & ut operari valeat. His ita poſitis.

Concl. 1. Cauſæ ſecundæ creatæ verè, & reali- 249
ter cauſant ſuos effectus: eſt communis Sanctorum Patrum, & Theologorum, demptis aliquibus paucis cum Gabr. quorum opinio à Seraph. Doct. *l.2. d.7. p.2 a.1. q.1.* appellatur inintelligibilis, impoſſibilis, irrationabilis, & ſtulta, ab aliis erronea, & proxima errori; & patet, quia alioquin agentia creata eſſent ſuperflua, & otioſa in natura; tùm quia Deus ſe ſolo non poteſt producere actus noſtros vitales; tùm quia Concilium Tridentinum damnat ut hæreticam opinionem dicentium voluntatem creatam nihil agere; tùm quia modus argumentandi ab effectibus ad cauſas non eſſet demonſtrativus, cum non ſit major ratio, quòd ad præſentiam v. g. ignis magis producatur calor, quàm frigus, tùm quia multa monſtra in natura eveniunt, & multa à caſu, & fortuna, ſed ſi Deus effectus ſe ſolo produceret, iſta non gignerentur, alioquin argueretur imperfectio in ſupremo agente.

Objic.

Objic. 1. sequeretur Deum esse causam partialem, quod importat imperfectionem, ergo. Resp. primò negando sequelam, nam, ut dicit S. Bon. Deus est causa totalis in suo genere, sicut causa secunda est totalis in proprio, ideóque totus effectus ex utraque procedit. Resp. 2. Deum attemperare suam causalitatem secundùm indigentiam creaturæ, ut servetur rectus ordo in universo, & in actionibus causarum conservetur, & cum Deus concurrat voluntariè, etiam communicat suam virtutem secundùm proportionem indigentiæ creaturæ, ut possit & ipsa agere. *Vide l. 2. d. 14. p. 1. a. 3. q. 1. in fund. & corp. & in resp. ad argumenta & l. 1. d. 43. a. 1. q. 3. ad 2. & d. 45. a. 2. quæst. 1. ad* 1. in quo ultimo loco notat, quòd Deus quorumdam est tota causa, ut sunt quæ creantur, quorumdam est causa cum alia particulari, & hæc quidem causa concurrit non propter indigentiam divinæ voluntatis, ut evenit in causis universalibus creatis, sed propter summam liberalitatem, quæ non tantùm dedit rebus esse, sed & operationem, diffusionem, & productionem propriorum effectuum, & propter ordinem universi, & connexionem rerum ad invicem, nec una causa derogat alteri, cum totus effectus sit à causa creata, & totus ab increata.

Objic. 2. Causa prima, si est prima ergo priùs agit, quàm secunda, ergo secunda est superflua. Resp. causam primam dici primam ob duplicem rationem; prima est, quia ipsa dat esse, & virtutem omnibus causis secundis: secunda est, quia in operari dicitur prima non prioritate temporis, vel naturæ, sed prioritate ordinis, seu dependentiæ, hinc negatur consequentia; *sic resp. S. Bon. l. 1. d. 45. a. 1. q. 2. ad 1. &* 2.

Objic. 3. Effectus plures non dependent in conservari à causa secunda, ergo nec in fieri; antecedens patet, quia creatura non potest in sui conservatione; consequentia probatur, quia actio productiva, & conservativa sunt unum, & idem.

Resp. ex Seraph. Doct. *l. 2. d. 37. a. 1. q. 2. corp. & ad* 2. *&* 4. primò, quòd etiam in creatura adest aliqua virtus sui conservativa, licèt imperfecta, & dependens essentialiter ab actione conservativa Dei. Resp. 2. negando paritatem, nam licèt aliquis effectus producatur à causa secunda, qui tamen dependet in conservari ab ipsa, id evenit, quia causa secunda non potest in principia rei intrinseca, in quibus conservatur; non sic est de causa prima, à qua totaliter omnis creatura dependet.

Objic. 4. Talis modus agendi admittitur in Sacramentis, quorum effectus ipsis tantùm attribuitur imputativè, cur ergo non etiam in cæteris causis, & tamen Sacramenta dicuntur verè causæ gratiæ? Resp. negando paritatem de causis naturalibus, & supernaturalibus, & maximè in effectibus, quorum esse est per creationem, sicut est gratia Dei; nam in causis naturalibus admitti debet vera, & phisica actio; in causis supernaturalibus admittitur in Sacramentis, ut in instrumentis Dei causalitas moralis tantùm in ordine ad effectus, qui solùm per creationem habent esse.

250 Concl. 2. Deus sua voluntate concurrit ad omnes effectus creaturarum concursu immediato immediatione suppositi, & virtutis simultaneo, non tamen identificato cum actione creaturæ. Prima pars de concursu simultaneo immediato est communis cum S. Bon. secunda pars est peculiaris S. Bon. de concursu non identificato cum concursu causæ secundæ. Pr. prima pars ex innumeris locis Sacræ Scripturæ, & præcipuè Isaiæ 26. *omnia opera nostra operatus es in nobis*, & Joan. 5. *Pater meus usque modò operatur*, & aliis locis cit. à P. Gaud.

Prob. 2. omne ens per participationem dependet ab ente per essentiam ex independente summo, sed quilibet effectus causæ creatæ est ens per participationem, ergo quilibet effectus debet esse à prima causa tamquam ab ente per essentiam: Totus hic discursus ab omnibus admitti debet est enim evidens ex principiis fidei: subsumo: sed ad talem dependentiam non sufficit mediata dependentia, & concursus, ergo debet esse per immediatam, quæ resultat per concursum simultaneum cum causa secunda. Probatur minor subsumpta; ita se habet dependentia creaturæ ad primam causam, sicut se habet influxus independentis summi ad ipsum dependens, sunt enim mutuò relativa, & proportionata, sed dependentia omnis creaturæ est immediata, & intrinseca, sicut propria causa est proxima, & non remota, hæc enim est impropria; sed ens per participationem dependet per essentiam, & immediatè ab ente per essentiam, & independente primo, tamquam à propria causa, ergo debet esse ab ipsa immediatè. Tota hæc ratiocinatio, quæ est Seraph. Doct. *l. 1. d. 45. a. 2. q. 2. & d. 39. q. 1. fund.* 4. infert, quòd, si Deus non est causa immediata omnium effectuum creatorum, erit causa impropriè tantùm & effectus impropriè dependebunt à prima causa, & Deus erit causa tantùm per accidens, & non per se, & immediatè, eò quòd in causa creata tantùm erit dependentia per se, & propria, non verò in effectu.

Prob. 3. Omnia, quæ dicunt perfectionem, Deo sunt attribuenda, sed esse causam immediatam convenit perfectissimè causis universalibus in ordine ad effectus, ergo, & Deo id est tribuendum. Et confirmatur ex eodem Seraph. Doct. Illa causa, qua posita certiùs ponitur effectus, & qua remota, cæteris positis, non sequitur effectus, est immediata, sed data volitione Dei sequitur effectus, quia omnia quæcumque voluit fecit, & cæteris positis non ponitur effectus, ergo.

Prob 4. Eadem est ratio, & idem ordo efficientis, & finis, ut qui est ultimus finis omnium entitatum sit etiam ipsarum efficiens causa, sed Deus est finis ultimus, & immediatus omnium actionum, ergo & efficiens immediatus.

Prob. 2. pars de concursu Dei distincto à concursu creaturæ: Creatura producit effectum media actione à se distincta, & causalitate mediata tendente in objectum, sed Deus nulla actione mediante, sed immediatè seipso unitur efficienter cum effectu, ergo utraque causa terminat ad effectum distincta causalitate, *sic ex S. Bon. l. 1. d. 8. cit.*

Objic. 1. Deus non potest dici causa partialis, id 255
enim dicit imperfectionem, ergo non simul concurrit ad effectum simultaneo concursu. Resp. S. Bon. *d. 45. q. 1. a. 1. ad* 1. Deum esse causam totalem in suo genere, nempè causæ universalis; & si concurrat cum causa secunda, talis concursus non est partialis, sicut cum duo ferunt lapidem, unus cooperando alteri, & operando partialiter, ut advertit Seraph. Doct. *l. 2. d. 37. q. 1. ad* 5. sed est totalis in ordine ad effectum, quem concursum tamen attemperat ex sua liberalitate secundùm indigentiam creaturæ, ex quo infertur maxima perfectio, & liberalitas in Deo.

Contra responsionem instabis: si causa secunda est totalis in suo genere, ergo de se est sufficiens, ergo non indiget concursu simultaneo Dei: Resp. esse totalem causam non tamen totalitate absoluta, sed suppositis iis, quæ sunt necessaria ad naturam talis causæ, nempè, quia, ut ait S. Bon. l. 2. d. 37.

q. 1.

q. 1. causa est creata, & creatura, ideò de se est defectiva, nec est purè activa, scilicet est activa cum deficientia, & imperfectione, & dependentia à prima causa; ideò in omni actione etiam minima, necesse habet adjuvari ab ea potentia, quæ est purus actus per omnimodam impermixtionem cum materia, vel potentialitate, & quæ sola sibi sufficit.

Objic. 2. Deus non concurrit immediatè cum omnibus causis creatis, ergo hæc dependentia non exigit necessariò hunc concursum: Probatur antecedens: non concurrit immediatè cum materia ad receptionem formæ nec cum forma ad informationem materiæ, cum ista involvant maximam imperfectionem, & tamen istæ causæ, eorumque causalitates involvunt dependentiam intrinsecam à Deo, ergo

Nec valet responsio communis, Deum concurrere ut causam efficientem; non valet, quia si est verum, quòd concursus causæ primæ sit unicus, & identificatus, non possunt in idem coincidere ratio efficientiæ, & informationis passivæ, & activæ: Hinc patet, quòd in opinione communi asserente concursus istos identificatos, hic nodus est ferè inextricabilis, quod & notat Tuentes 2. *Phys. q. 5. diff. 4. a. 1. & 2.*

Attamen in sententia Seraph. Doct. asserentis esse concursus diversos facilè solvitur ex data responsione in objiciendo; Deus enim concurrit intimè penetrans materiam, & formam ipsis tribuendo virtutem, & efficienter coadjuvando earum imperfectionem innatam ad exercendum propria munia.

Objic. 3. quia ex hoc sequeretur, quòd Deus concurreret ad peccatum; maximè in iis actibus, qui intrinsecè sunt mali, ut est odium peccati. Resp. negando sequelam, &c. sed quia sequens quæstio enodabit hanc difficultatem, ad ipsam remitto responsionem.

Objic. 4. sequeretur, quòd libertas auferretur à voluntate nostra, ad hoc enim ut sarta tecta sit, debet posse se determinare pro libito ad hunc, vel oppositum actum, quod non potest esse dato concursu Dei determinato ad hanc actionem. Resp. negando consequentiam; & ratio est, quia ut docet Seraph. D. *l. 1. d. 45. a. 2. q. 2. ad 3. & l. 2. d. 37. q. 1. ad ult. & a. 2. q. 1. ad 2.* & 3. nam talis concursus non est præcedens, & influens determinantem aliquam qualitatem in causam, sed concomitans, qui concursus prout est oblatus, est veluti indeterminatus, & indifferens ad utrumque, sed applicandò se voluntas creata ad unam partem aliquo modo potest dici tunc determinatus, & si antecedenter per præscientiam est determinatus, id est virtute scientiæ conditionatæ, ut dictum est in superioribus, & fusius infra probabitur, & explicabitur.

Objic. 5. Si Deus suo concursu influit tantùm in effectum, & non identificando sibi actionem creaturæ, sequitur quòd actio, & causalitas creaturæ erit actu independens à Deo, sicque verificabitur sententia Durandi. Resp. ex Seraph. Doct. *l. 2. d. 37. q. 1. ad 5.* negando sequelam: Deus enim est intimè agens in omni actione, & intimus est ipsi potentiæ operanti, ita ut potentia ipsa in nihil exeat, quod non sit ab ipso; undè ea dependentia, qua potentia, & effectus dependet à Deo, etiam actio ipsa de se, & in facto esse.

Concl. 3. Deus non absolutè, sed sub conditio-
152 ne, & indeterminatè de se offert, & exhibet suum concursum creaturæ secundùm naturam causæ secundæ, sequitur ex dictis, & explicatur, simulque prob. Dei voluntas est causa universalis, ergo de se exhibet suum influxum se aptando ad naturam causæ particularis eo modo, quo Sol eodem influxu producit varios, & oppositos effectus secundùm dispositionem variam recipientium; undè causæ naturali exhibet ipsum, ut determinatum ad unum: causæ liberæ concursum indeterminatum ad hoc, ut possit liberè ad utramque partem se vertere; sic enim melius, & clarius salvat libertatem hominum: quæ doctrina est conformis principiis Seraphicis, ut dictum est.

Dices: talem indifferentiam importare imperfectionem in Deo, ratio est, quia videtur Deus operari veluti cæco modo; tùm quia concursus Dei determinaretur à causa secunda; tùm quia ab æterno præfinivit quid facturus esset in tempore, ergo falsa posita Conclusio. R. negando istas sequelas: nam Deus quidem ab æterno præscivit ex scientia conditionata quid factura erat causa secunda, & ideò ab æterno prædefinivit suum concursum determinatum ad talem actum prævisum, sed tamen, ut dicit Seraph. Doct. eo modo, quo futurum est in tempore: undè in facto esse, & in actu, & in tempore præfinito exhibet suum concursum indifferentem causæ liberæ ut salvetur integrum ejus liberum arbitrium in actu secundo, & per determinationem creaturæ talis concursus dicitur determinatus ad hunc actum, qui poterat antecedenter esse determinatus ad alium, est enim voluntas divina actus purus, infinitus, & causa universalissima, suaque universalitate se se exhibens creaturæ: Et ad id, quòd dedecet Deum determinari à creatura, Resp. quòd duplex est determinatio; Alia ab intra, qua divina voluntas decreto absoluto se se determinat: Alia ad extra, quæ consistit in cooperatione humanæ voluntatis cum concursu divino, per quam cooperationem ille concursus divinus indeterminatus fit determinatus à Deo per se, & directè, & à creatura ex consequenti, nec id arguit imperfectionem, imò maximam virtutem, & perfectionem, & liberalitatem, per quam relinquit causam secundam in sua libertate integra.

Nota autem hic, quòd in cursu Philosophico nostro sustinuimus problematicè opinionem Durandi, & P. Ludovici à Dola, tamquam probabilem, & quam, & catholicam ad quem remittimus lectorem, cui patebit quàm facilè ex hac sententia salvatur libertas hominis, & immunitas divina à concursu ad peccatum, licèt P. Mastrius hanc sententiam à Capuccino assumptam appellet ineptam, & imbecillem; quæ nota tamen Mastrii est magis inepta, & indigna, cum ipsam amplexatæ fuerint maximo plausu plures universitates tum Galliæ, tum Flandriæ, tum Germaniæ in quam notam, & censuram verè incidunt, qui Dolæ opusculum non legerunt, nec ejus mentem assequuti sunt, ut nos diximus in Philosophia; hic autem in hoc cursu Theologico sectari, & defendere debemus sententiam communem Seraph. Doct. ideò ipsam missam facimus majoris brevitatis causa.

QVÆSTIO VII.

De concursu Dei ad actiones peccati; seu An Deus velit mala fieri.

253 PRo complemento quæstionis antecedentis proponitur hæc quæstio; tùm ad retundendum maledicta impiorum hæreticorum asserentium, Deum esse authorem peccati; tùm ad explicandum quomodo catholicè salvari possit simul concursus Dei ad actionem peccati, & ejus immunitas omnimoda à peccato.

Phalangem hæreticorum evomentium hanc blasphemiam enumerat Bellarminus *tom. 4. l. 2.* Valentia, Bovetrus noster *tom. 1 in tract.* contra Atheistas quorum Dux, & antesignanus fuit Simon Magus, quem secuti sunt Cerdonistæ, Marcionistæ Manichæi, Priscillianistæ; item & Albigenses, contra quos scribit Seraph. Doct. *l. 2. d. 34. a. 1. q. 1. & a. 2. quæst. 1.* His novissimis temporibus hanc hæresim suscitarunt Quinglius Magister Calvini; Calvinus, aliique moderni hæretici, qui omnes docent, Deum authorem peccati; dicunt tamen eum non peccare, attamen velle malitiam positivè, & ad eam impellere homines. Eos tamen excusant Mastrius *d. 4. q. 3. a. 2. n. 5 2.* Smising. & Pennot. & dicunt, hæreticos solùm facere Deum authorem peccati quoad entitatem naturalem, sed malè, & falsò, ut notat P. Gaud. *d. 16. quæst. 13.* qui contra ipsos hanc quæstionem fusissimè etiam ad satietatem eam pertractat. Hinc sententia unanimis Catholica astruit, Deum non velle positivè peccatum secundùm se. Pro solutione, &c.

Not. 1. quòd cum quæstio moveatur non de concursu ad privationem, quam dicit peccatum, cum secundùm hunc respectum non habeat causam efficientem, sed deficientem; sed de concursu ad entitatem materialem peccati, quæritur quomodo dato tali concursu Dei, ipse non debeat dici author, & causa peccati, sicut dicitur de voluntate creata; & cum salvanda sit omnimoda immunitas à peccato in Deo, varii varias invenere vias. Durandus, & P. Dola in sua de concursu causæ primæ quadripartita quæstione per concursum mediatum Deum eximunt à tali causalitate; qui modus, licèt videatur aptior omnibus, tamen non mihi probatur, cum sit contra unanimem sensum Theologorum, & Seraph. Doctoris. Caietanus cum Thomistis asserit Deum concurrere ad malitiam peccati secundùm quid, quæ est conversio ad bonum commutabile, non verò aversionem, quæ est malitia simpliciter; qui modus expendetur suo loco *l. 2. sent.* ubi sermo est de peccato.

Communis sensus Doctorum Jesuitarum salvat Deum à malitia peccati, eò quòd Deus exhibet concursum indifferentem, qui posteà à voluntate creata determinatur, ut dictum est in præcedenti quæstione: At hìc quæstio movetur de causalitate in actu secundo quomodo Deus concurrens non debeat dici author peccati, sicut & creatura, cum uterque concursus sit simultaneus, & secundùm ipsos identificatus: Alii alias vias sequuti sunt, quas refert Mastrius in Metaph *d. 5. num. 5 1.* Nos verò ut sensum Seraph. Doct. aperiamus sequentia addimus.

Not. 2. quòd Deus dicitur velle aliquid, vel voluntate antecedente, vel consequente; sic docet S. Bon. *l. 1. d. 45. a. 1. q. 1. & q. 2. ad ult. & l. 4. d. 15. p. 1. dub. 4.* Voluntate antecedente vult aliquid absolutè quantùm est ex se, ad quod præparat quantum ex se quæ sunt necessaria intendendo talem finem, v. g salutem hominum: Voluntate consequente vult aliquid non absolutè, sed conditionatè tantùm, scilicet ex suppositione, & præter suam intentionem, hoc secundo modo tantùm vult damnationem hominum; vult actus malos secundùm substratum ipsorum, scilicet ex suppositione, quod ipse decrevit relinquere creaturam liberè pro libito agere & bonum, & malum; hincque licèt concurrat ad substractum peccati quoad esse naturæ, non tamen dicitur concurrere ad malitiam etiam ipsi actui inseparabiliter annexam, quia illum actum vult voluntate consequente, & hoc nec causalitate phisica, nec morali, ut rectè docet Seraph. Doct. *l. 2. d. 32. a. 3. q. 2. ad 2. & d. 37. q. 2. ad 2 & q. 3.* ad hoc enim ut possit dici aliqua causa per se alicujus effectus, requiritur, ut effectus directè sequatur ad aliquod factum intermedium, & secundùm ordinationem operis, & secundùm intentionem operantis; ut est in eo, qui aperit fenestram, ut illuminetur.

Not. 3. *ex l. 2. d. 37. q. 1. per tot. & 3. & a. 2. q. 1. & l. 1. d. 40. a. 4. q. 2. ad 6. & 7.* quòd quando duæ causæ partiales concurrunt ad eundem effectum, benè potest stare, quòd defectus possit in effectu evenire ex parte unius tantùm, & non ex parte alterius, idque patet in causis naturalibus, unde Deo concurrente actionibus creaturarum, si in ipsis interveniat defectus, attribuendus est causæ deficienti, non efficienti perfectæ, universali, ut patet in Sole, & aliqua causa particulari, cum Deus sit paratus ex se, quidquid est de complemento actionis, nisi adsit defectus ex parte causæ secundæ, nec tenetur suspendere suum concursum, quia ut prima causa decrevit concurrere ad omnes actus creaturarum relinquendo eas in suo innato statu. 254

Not. 4. quod adhuc remanet difficultas, quomodo Deus non dicatur author peccati in concurrendo ad actus phisicos, & morales, quibus inseparabiliter est annexa malitia, ut in odio Dei, blasphemia, mendacio: Ut autem id intelligatur, rursus adnotandum est, quod in actu odii v. g. requiruntur sequentia: primò ut sit actus vitalis voluntatis creatæ intrinsecè ab ea fluens: Secundò ut sit actus in specie odii; & hæc duo habent ratione materialis positivi indifferentiam ad bonum, & malum: Tertiò ut habeat Deum jam cognitum pro objecto; & in hoc tertiò stat formalitas peccati, quia ut est deficientia, & declinatio à rectitudine debita, cum deviet per odium à Deo, amore, non odio, dignissimo, Sic & blasphemia, in qua est pronunciatio verborum significantium contumeliam in Deum, & istud est materiale: & si addatur formale, scilicet combinatio cognitionis consequentis ad illam expressionem contumeliæ Deo illatæ; Sic in hoc stat deficientia, & deviatio à rectitudine. Ex quibus patet qualiter sunt separabilia materiale, & formale peccati in quolibet peccato etiam dum actu voluntas peccat, & deficit: quæ doctrina est Seraph. D. *loc. cit.* & infra citand. His positis, sit.

Concl. 1. Nec Deus, nec creatura est causam per se rationis formalis peccati: est communis, excepto Cajet cum quibusdam paucis. De Deo infrà probabitur: De creatura probatur; quia privatio, & negatio est nihil etiam si connotet aliquid positivum: ergo non habet causam efficientem; sed tantùm deficientem. Prob. consequentia, quia influxus causæ debet terminare ad aliquid positivum, ergo, 255

ergo, &c. hæc conclnſio magis patebit proprio loco in 2. ſenteut. ubi examinabitur ratio formalis peccati.

Concl. 2. Licèt Deus concurrat ad materiale peccati, non poteſt tamen dici cauſa vel per ſe, vel ex conſequenti peccati formaliter ſumpti, etiam neceſſariò conſequentis, vel annexi ad tale ſubſtratum. Eſt communis omnium Theologorum catholicorum, præcipuè Seraph. D. loc. cit. contra hæreticos ſupra allatos.

Prob. 1. Innumeris ferè textibus clariſſimis Sacræ Scripturæ exprimentibus odium, quod habet Deus in peccatum, & in peccatores ratione peccati, quæ fusè à Bellarm. Boverio, Becano, aliiſque controverſiſtis afferuntur retundentibus reſponſa Sophiſtica hæreticorum, & noviſſimè à Patre Gaud. fuſiori calamo expenduntur, & Teſtimoniis SS. PP. præcipuéq. Seraph. Doct. contra hæreticos ſtabiliuntur.

Prob. 2. rationibus, & primò ea S. Bonavent. *l.* 2. *d.* 46. *q.* 2. Omnis voluntas aut denominat volitum, aut denominatur à volito, ergo, ſi Deus vult malum, ergo aut malum denominat bonum, aut ipſum malum denominat voluntatem Dei malam, & peccatricem: Sed dicere Deum peccatorem eſt blaſphemia horribilis, ergo.

Prob. 2. quòd nec malum poteſt Deus velle per accidens: Tunc malum poteſt appeti per accidens, quando bonum, cum quo eſt conjunctum, magis eſt appetibile, quàm aliud bonum, quo privat; ſed nullum bonum, cum quo ſit conjunctum malum culpæ, eſt magis appetibile, quàm bonum illud, quo privat malum culpæ, ergo, &c. Min. probatur: nullum enim bonum eſt appetibile magis, quàm divinum, & rectus ordo creaturæ ad illum; nam in hoc continetur ratio boni honeſti, quæ eſt omnium optima: ſed hæc ratio boni honeſti privat culpa: ergo hoc magis appetibile, quod culpam omnem tollit. Et confirmatur, quia quod tollit bonum honeſtum eſt inordinatio contra rationem, ſed in Deo non poteſt eſſe inordinatio, ergo, &c.

Dicunt hæretici, ordinari à Deo ad patefaciendam ſuam juſtitiam. Contra arguit Gaudentius: quia ſic Deus eſſet Turcimanus, ducens ad malum ut puniat, ſicque injuſtè nos puniret: Nam non eſt pœna juſta quæ non invenit reum puniendum, ſed facit, quod ſequeretur in Deo, ſi non impelleret ad malum: Sic arguit S. Fulgent. & hinc ſequeretur, nos impunè peccare, quod eſt contra Dei juſtitiam, qui toties nobis prohibet peccata, & ut ipſa evitemus, toties contra nos minatur pœnas.

Dicunt hæretici, peccatum bonum eſſe, quia eſt medium ad Dei miſericordiam, & juſtitiam exercendam. Contra arguit Seraph. Doct. *d.* 46. *q.* 3. & 5. Peccata fieri nullo modo eſt bonum, ergo falſa reſponſio. Probat. Antecedens à Seraph. Doct. Triplici via aliquid conducit ad bonum: primò tanquam cauſa efficiens, & influens ex intentione: ſecundò influendo caſu, ut effoſſio terræ cauſat inventionem theſauri: Tertiò ut occaſio, v. g. patientia ex percuſſione elicitur. Occaſio autem alia eſt activa, quæ quidem non influit, ſed excitat: Alia paſſiva, quæ nullo modo influit, ſed arripitur, ut ex mala alicujus vita occaſionem accipimus rectè vitam traducendi: Sed primo modo malum velle non eſt bonum: & probatur, quia omne, quod eſt cauſa boni, bonum eſt, & ordinabile ad bonum; ſed malum non habet in ſe bonitatem, ergo nec ordinabile ad bonum. prob. min. Tum quia productio mali eſſet bona: Tum quia malum fieri eſt tollere de medio bonum: Tum quia malum fieri, & malum facere ſunt convertibilia, ergo ſi malum fieri eſt bonum, & malum facere erit bonum: Tum quia ſequeretur, quod bonum fieri eſſet malum: Sicut enim ſe habet oppoſitum ad oppoſitum, ita & propoſitum: Tum quia, ſi malum fieri eſt bonum ex bono, quod conſequitur, ergo benè dicebant illi impii reprehenſi à Paulo 3. ad Rom. Faciamus mala, ut eveniant bona: quòd verò nec ſit occaſio activa, quia nihil bonitatis in ſe habet ad excitandum ad bonum, ergo tantùm facere malum erit occaſio paſſiva, quatenus Deus ex ſua immenſa bonitate, cum deberet peccatorem exterminare, anſam arripit miſericordiæ.

Prob. 3. Si malum fieri eſt bonum, hoc erit, quia eſt ordinabile ad bonum, ut dicunt hæretici; ſed hoc eſt falſum, ergo, &c. Prob. min. quia, id quod eſt propriè, & ſubjectivè ordinabile ad bonum, eſt ſolùm ens; non verò privatio, ut eſt peccatum; ergo, ſi eſt ordinabile, id eſt per accidens, & non per ſe: ideſt erit diſpoſitivè ordinabile ad juſtitiam exequendam ratione demeriti; quia Dei providentiam non poteſt effugere homo; vel quatenus eſt ſignum divinæ ordinationis, & hoc, non antecedenter, ſed conſequenter poſt factum, ergo Deus nullam cauſalitatem habet ad peccatum.

Concl. 3. Ad omnem actionem, etiam ſubſtratam peccato, Deus concurrit immediatè: Eſt S. Bon. *l.* 2. *d.* 37. *q.* 1. & communis: ratio eſt, quia quidquid eſt verè, dependenter eſt à Deo & in fieri, & in eſſe, ſed actio eſt verè ens, ergo, &c. idque ſupra probatum eſt in anteced. quæſt. 256

Probatur 2. præcisè de actione poſitiva peccati: Defectus in actione proveniens à duabus cauſis, altera univerſali, altera particulari, illa indeficiente, iſta deficiente, ſolùm tribuitur illi, quæ eſt deficiens; ſed Deus, & creatura ſunt duæ hujuſmodi cauſæ; & Deus eſt indeficiens, creatura eſt deficiens, ergo non Deo, ſed creaturæ tribuendus eſt defectus.

Et ſi quæras, *qualis defectibilitas ineſt creaturæ rationali?* Reſp. S. Bon. *l.* 1. *d.* 45. *q.* 1. triplicem defectum in ea eſſe: primus eſt, quia eſt ex nihilo, ideoque poteſt deficere: Secundus, eſt vicinior peccato, quia voluntas noſtra non eſt ipſa bonitas, ut eſt voluntas Dei, ideo longe diſtat à fine, ex quo fit, ut non attendat ad primam regulam: tertius eſt proximus peccato, quia ſæpe non advertit ad regulam rationis; unde voluntas non operatur ad præſcriptum ejus; qui defectus eſt carentia voluntaria, quatenus eſt in poteſtate ejus attendere, vel non attendere ad regulam rationis dum operatur: hic autem defectus eſt malus non quatenus præcedit, ſed quatenus comitatur actu. Sic Belarm. c. 18.

Obj. 1. Plurimos textus S. Scripturæ dictantes, Deum decreviſſe deſerere peccatorem, & ipſum impellere in peccatum, v. g. in obdurationem, &c. quos textus omnes fusè expendit P. Gaud cum aliis Controverſiſtis: quibus omnibus R. ex Seraph. D. Deum voluntate antecedente velle ſalutem omniū, & tolli peccatum, ideoque Ipſum prohibere: & cum iſta voluntate antecedente relinquere hominē in manu conſilii ſui, ut, ſi velit ad Deum converti, auxiliis ſuis utendo, poſſit converti, & ſi nolit obedire, permiſſivè ſe habere: prævidiſſeque ſua

scientia conditionata malam voluntatem hominum, sic voluntate consequente decrevisse suum concursum phisicum ad actionem materialem peccati, tamquam causam universalem, & ut Authorem naturæ. Vide S. Bon. *l. 1. dist. 47. dub. 2. & q. 1. & 3.*

Objic. 2. quod est causa causæ, est causa causati, & qui vult antecedens, volt quoque id, quod necessariò indè sequitur: sed Deus vult, & causat actionem peccati phisicam, ex qua necessariò sequitur peccatum, ut est actus odii Dei, ergo & vult, & causat peccatum. R. Durandus cum P. Dola, Deum non concurrere immediatè ad actiones creaturarum, quibus dedit suam virturem, ut ipsa utentur secundum propriam naturam, naturales naturaliter, liberæ ad libitum suum: unde salvatur optimè per hoc immunitas à peccato à Deo: sicuti, dato tali concursu, tamen verè salvatur, quidquid dicat P. Gaud. num. 362. seipsum citans in quæst 5.

At nos cum Seraph. D. & communi admittentes concursum immediatum respondemus cum eodem S. D. *l. 1. d 41. a. 1 q. 2. & d. 46. a. 1. q. 2. ad ult. & d. 12. a. 1. q. 3. & l. 2. d 37. a. 2. per totum*: & præcisè ad majorem resp. *d. 34. a. 1. q. 1. ad 4. & d 37. q. 1. ad ult.* quòd illa propositio, quidquid est causa causæ est causa causati, vera est, quando effectus ita convenit uni, quod non est extraneum alteri: sic Deus est causa creaturæ operantis malum, & non ipsius mali, quia facere malum est proprium creaturæ, non prout est à Deo, sed ut est in se deffectiva: ideo hoc argumentum laborat fallacia accidentis. Hinc applicando hanc doctrinam ad rem nostram. Resp. quòd, cum Deus sit concausa actionis positivæ, & materialitatis substratæ peccati, & hoc per concursum diversum à concursu voluntatis humanæ, cum ipsi sit extranea deficientia, quæ est propria tantùm creaturæ, non sequitur in Deo causalitas talis deficientiæ: Unde argumentum est fallax, quia Deus concurrit ad id, quod est naturæ, non ad id, quod est moris, & malitiæ, quæ est à voluntate deficiente: patet id exemplo virtutis motivæ animæ, quæ causat mosum progressivum animalis, sed non claudicationem conjunctam, nam hæc causatur à tibia deficiente: *sic d. 37. q. 1. ad* 4.

Dices: Actio est mala, quia est deliberativa; sed hæc deliberatio est etiam à Deo, ergo, &c. Resp. S. Bon. quod actio ut deliberativa est etiam à Deo ut Anctore naturæ, sed malitia non est præcisè à deliberatione, sed à privatione rectitudinis, licèt sit in actione deliberata: unde hac distinctione respondetur ferè omnibus objectis in hac materia: & verè rationabiliter: nam Deus ut causa universalis tenetur ita concurrere cum causis secundis, ut motus suos proprios possint agere secundùm propriam ipsorum naturam: nec defectus potest reduci nisi in causam secundam, non in Deum causam primam, com de se sit paratus concurrere ad omnes actus positivos, & cum ad illos, qui sunt de genere boni gratuiti, exhibeat dona gratiæ, &c.

Instant, quòd Deus præfinivit omnes actus ab æterno: sic videtur, quod libertas causis liberis non suffragetur: sed jam responsum est in superioribus, & infrà ex professo de hac præfinitione agemt: nunc autem respondetur, quod hæc præfinitio nihil impedit libertatis in creatura, &c.

Nota, quod Theologi sequentes ordinem summæ. D. Thomæ hic subjiciunt quæstionem: An detur aliqua causa divinæ voluntatis: sed quia de hac materia à nobis agendum est in quæstione de prædestinatione an fiat ex prævisis: hinc à nobis brevitatis causa hic omittitur.

QUÆSTIO VIII.

An rectè, & quomodo assignetur ordo instantium, & signorum in actibus divinis.

QUia etiam de hac materia à nobis est agendum in quæst. de prædestinatione, & repro 258
batione, & in materia productionum divinarum, & de Incarnatione, hinc solvenda est breviter, & perstrictìm: In quam Gabriel cum multis eliminat ordinem instantium, vel signorum ab actibus divinæ scientiæ, & voluntatis: communiter tamen admittitur, sed secundùm diversa cujusque scholæ principia.

Not. 1. quod ordo signorum in divina cognitione, & voluntate potest considerari ex parte Dei ad intra, & ad extra: Ad intra certum est (ait S. Bon. *l. 1. d. 12. q. 1.* & alibi sæpissimè) dari prioritatem originis inter generationem filij, & spirationem Spiritus sancti, quæ prioritas, & posterioritas non importat ordinem vel durationis, vel dignitatis, vel perfectionis, sed tantùm emanationem unius personæ ab alia ab æterno, estque verè realis, quam explicant etiam Scotistæ, appellando prioritatem, in quo, non secundùm mensuram durationis, sed secundùm modum intelligendi: prius enim intelligitur Pater in se, & à se; postea filius à Patre, & Spiritus sanctus ab utroque: quæ prioritas, licet à Thomistis, & à D. Bon. non admittatur, tamen in re non est discrepantia, ut advertit Meldul. *d. 2. num. 208. & deinceps*: de qua materia alias redibit sermo. Ad extra verò etiam communiter admittitur ordo prioris, & posterioris, non quidem propriè à parte Dei, cum sit purissimus actus, sine variatione, sed ex parte objectorum: & hinc Theologi admittunt in hoc sensu secundum respectum rationis, & ex parte objectorum varia signa: certum est enim priùs Deum intelligere, & amare ipsum, postea creaturas; & inter creaturas quoad esse objectivum dari etiam ordinem tum dignitatis, tum durationis, tum perfectionis, tum causalitatis, & dependentiæ: In qua assignatione signorum variant DD. ut diximus, secundùm varia ipsorum principia.

Not. 2. quòd inter varios modos assignandi ista instantia, seu potiùs signa, duo expeditiores menti occurrunt: primus est, cum ex parte divinorum actuum non sit pluralitas, ob idque nec possit ordo aliquis reperiri, per consequens desumendus est secundùm ordinem, qui in nostris actibus occurrit, sublatis imperfectionibus, in quibus prior est cognitio, postea volitio, & in hac consultatio benè ordinata; ideò exhauriendus est à subordinatione objectorum inter se secundùm ordinem aliquem causalitatis, & independentiæ, ita ut, quæ objecta inter se habent ordinem, ea quoque in divinæ processu consultationis, in actibus divinæ voluntatis rationis ordinem constituant. *Sic Suar. lib. 3. de Attrib. div. cap. 3. & 3. part. sect. 1.*

Alter modus expeditior, & conformior principiis Seraph. Doct. quem tradit etiam Granad.

tract.1. in 3. p. controverf.1. tract.3. d.1. sect.4. n.82. & fusè Savedra in suo aureo opusc. *de Deipara vestig.* 2. *dist.*20. *sect.*4. quem innuit etiam Suar. cit. & ex professo tradit Gabr. *l.*3. *d.*2. *q.*1 *& ad dub.*3. qui eliminant omnem ordinem instantium, vel signorum à divinis actibus, licèt non negent posse à nobis excogitari varia hæc signa, sed secundùm nostrum modum intelligendi: ratio evidens est, quia ut dicit S. Bon. *lib.*1. *d.*45. *q.*1. *& seq. per totam, & alibi sæpe*: Divina voluntas ob sui eminentiam, & eminentem efficaciam, & independentiam, & simplicitatem, potest mutuò connectere ea, quæ inter se ullam necessariam connexionem habent, ita ut potest velle unum, vel absque alio, vel aliud propter aliud: ideò potuit velle. v. g. Incarnationem secundùm se ad sui gloriam tantùm absque connexione cum peccato, & absque eo, quòd decreverit modum, potuit & ipsam post modum ordinare ad remedium peccati: nihil enim impedit in divina voluntate independente à quacumque re creata, & hoc in opinione omnium catholicorum: unde sua scientia necessaria vidit ab æterno infinitos modos, quibus poterat condere mundum, aliosque, & disponere creaturas in ipso, decernere Adam ut caput naturale, & morale omnium posterorum, & si peccasset, posse se peccato remedium afferre tali, vel tali modo, vel absque ordine ad peccatum decernere Verbi incarnationem ex Virgine nasciturì, ob multiplices fines: primò ob sui gloriam: secundò ob remedium peccati, licèt nullam connexionem haberet peccatum ad talem Incarnationem: His omnibus cautis, videt & simul scientia conditionata quid in tempore venturum erat: & hinc decrevit Christum venturum, primò ad sui gloriam manifestandam, secundò ut esset caput omnium prædestinatorum, tertiò ob remedium peccati absque eo quòd adspiceret ad connexionem istorum objectorum, sed solùm ob suam eminentissimam independentiam, & dominium. Idem & dicendum est de aliis actibus divinæ voluntatis. His positis.

Unica concl. Ad rectè intelligendum divinas dispositiones ad extra certè statuitur aliquis ordo accommodatus tenuitati nostri captus, qui ex parte Dei nullam prioritatem, vel posterioritatem importat, sed tantùm ex parte objectorum, prout à nobis concipiuntur. Est ferè communis, & Seraph. Doct. *l.*1. *d.*45. *& seq. distinct. & lib.*3. *d.*1. *a.*2. *q.*2. Prima pars patet, quia per hæc signa à nobis excogitata faciliùs ducimur in cognitionem actuum divini intellectus, & voluntatis, ut in sequenti patebit: Secunda pars etiam patet, quod ex parte Dei nulla datur prioritas, & posterioritas, cum sit purissimus actus, independens omnimodè à creatura: Tum quia certum est, Deum ad salutem hominum non semper præbere efficaciora media, sed aliis, etiam reprobis, majora, aliis minora, idem & prædestinatis; sed ea tribuit pro suo libito, & secundùm ordinem suæ justitiæ, sapientiæ, & providentiæ magis expedita: sed quia aliàs de hac materia erit sermo, hinc ad ulteriora transeundum.

QUÆSTIO IX.

Traditur, & explicatur multiplex divisio voluntatis divinæ.

Divina voluntas unica in se est, actusque purus, & simplicissimus, ut suprà dictum est, quo non obstante, per ordinem ad objecta, & ob attributionem, & circumstantias rerum, & prout sumitur in actu secundo, multipliciter dividitur, sicuti dictum est de scientia divina; quæ multiplicitas habetur ex multis locis sacræ Scripturæ apud Suar. Valentiam, Caspensem, aliosque plurimos, &c. Et quæstio solvetur per varia dubia, & quæsita. 359

Prima divisio celebris est, in voluntatem signi, & beneplaciti: & quæritur qualis sit utraque? Respon. ex Seraph. Doct. *l.*1. *d.*45. *a.*3. *q.*1. *&* 2. quòd voluntas beneplaciti est ipsa volitio Dei, vel propensio in objectum à se cognitum; & hæc est vera voluntas Dei. Voluntas signi est signum nobis indicans, Deum aliquid velle à nobis: Affert Seraph. Doct. loc. cit. dub.11. exemplum de præcepto dato à Deo Abrahæ immolandi filium: tale enim præceptum fuit signum, quòd Deus volebat aliquid ab ipso, non quidem immolationem, sed promptitudinem obedientiæ, ipsamque muodo ostendere: unde non semper voluntas signi est voluntas beneplaciti directè, sed indirectè, quatenus per tale signum vult aliquid à nobis, & coincidit cum voluntate antecedenti: unde hæc voluntas signi dicitur metaphoricè voluntas. Voluntas beneplaciti dicitur verè voluntas Dei, qua sibi complacet in aliquo volito. Signa voluntatis divinæ ad quinque capita reducuntur: suntque præceptum, prohibitio, consilium, permissio, & impletio: primum est circa bonum necessarium futurum: secundum circa malum oppositum futurum: tertium circa opus supererogationis: quartum est circa malum permissum præsens: & quintum est circa bonum præsens. *Vide S. Bon. quæst. ultim.*

Secunda divisio est in voluntatem antecedentem, & consequentem: & quæritur qualis sit utraque? Resp. hanc divisionem fuisse primò inventam à SS. Joan. Chrisost. & Damasc. & postea ab omnibus Theologis unanimi consensu, & plausu amplexatam: discrepant tamen ipsi in assignanda ratione discriminis, & quidditatis utriusque. Bannes, Valentia, aliique Thomistæ dicunt, voluntatem antecedentem esse voluntatem signi, quatenus scilicet dicitur quædam velleitas, quæ explicatur per vellem, & consequentem esse beneplaciti: & ad hunc sensum trahitur de more ab aliquibus invitus Seraph. Doct. qui patenter *d.*46. *q.*1. talem modum rejicit tamquam improbabilem.

2. Opinio vult, voluntatem antecedentem respicere solùm media, non finem, idest salutem, & glorificationem: sic Durandus, Hervæus, aliique apud Suar.

3. Sententia docet, hanc voluntatem antecedentem Dei esse ipsam puram voluntatem Dei, prout antecedit omnia nostra merita, causas, & occasiones: Consequentem verò consequi ad nostra merita; sic aliqui apud Suar. *l.*3. *de Attribut. n.*6. & ab ipsis citatur etiam S. Bon. sed malè.

4. Sententia communior est Seraph. Doct. voluntatem antecedentem esse voluntatem beneplaciti, & simplicis complacentiæ non connotantem effectum, & ideò esse inefficacem involuereque, & media, & volitionem finis: Consequentem verò esse inefficacem, & connotare effectuio: & hinc talem voluntatis divisionem non inservire ad omnia opera Dei, sed tantùm ad ordinata ad solum negotium salutis enodandumt hinc fit.

260 Concl. 1. Voluntas antecedens non est mera voluntas signi, neque solùm mediorum, verùm etiam finis, sed inefficax: Voluntas verò consequens est post prævisionem meritorum, & ob id est efficax. Est S. Bon. *l.* 1. *d.* 46 *q.* 1. Et prob. quia cum Deus velit omnes salvos fieri, nec omnes salvi fiant, sequitur, quod ista voluntas est inefficax, sed tamen vera voluntas nostræ salutis, quantum est ex se, ergo debet involuere etiam media ad assequutionem talis finis: Et hinc Ser. Doct. subdit hæc aurea verba, prout dicitur Deus velle salutem omnium, quantum in se est, & antecedenter connotatur in omnibus; (ly, *in omnibus*, scilicet tam Fidelibus, quàm infidelibus; tam parvulis, quàm adultis; tam præscitis, quàm prædestinatis, quidquid dicant alii in contrarium apud Patrem Gaudentium *q.* 9. *d.* 16.) connotatur in omnibus ordinatio ad salutem, tum ex parte naturæ datæ, tum ex parte gratiæ oblatæ, quod postea explicat, ut videre est in textu: unde velle antecedenter salutem, non connotat assequutionem salutis, sed ordinationem ad salutem, ob idque & media, & finem: Voluntatem verò consequentem connotare assequutionem salutis, ob idque includere media, patet, quia ista est efficax, & consequitur ipsa merita: unde ista differentia voluntatum non est secundùm diversitatem affectionum, seu modi volendi, qui sit in Deo, sed secundùm rationem connotandi, & intelligendi: Ex quibus sequitur, Deum velle salutem præscitorum voluntate antecedenti, & ipsorum damnationem voluntate consequenti.

Concl. 2. Voluntas antecedens Dei est absoluta, simulque conditionata: Consequens est absoluta. Est S. Bon. cit. patet ex traditis: nam quod Deus velit omnes homines salvos fieri, id dicit rationem absolutam complacentiæ divinæ ex parte Dei: sed quia includit conditionem, quoad efficaciam, dummodo media, & merita amplexentur: hinc involuit etiam conditionem, licet magis propriè spectet ad voluntatem consequentem, quæ importat efficaciam: unde utraque est voluntas beneplaciti. Sic Seraph. Doct. *d.* 47. *q.* 1. Ex quibus remanet etiam explicata alia divisio voluntatis divinæ, in absolutam, & conditionatam; efficacem, & inefficacem, &c.

Sequitur etiam, quod Deus omnibus hominibus, quos, quantum ad se vult salvos, providit auxilia sufficientia necessaria ad salutem: de qua materia infrà agendum est in dispot. de divina providentia, ubi etiam solventur objectiones in contrarium, quæ hic possent afferri de pueris morientibus ante Baptismum de Gentilibus, & Infidelibus non habentibus Magistros instructores eorum, quæ sunt necessaria ad salutem, &c.

QUÆSTIO X.

An omnem voluntatem Dei necesse sit impleri: & an voluntas Dei importet necessitatem.

Titulus quæstionis quærit de voluntate signi, & beneplaciti, & antecedente, & consequente, an sit radix contingentiæ? R. primò quoad voluntatem signi, posse aliquem facere contra tria signa divinæ voluntatis, scilicet præceptum, prohibitionem, & consilium; ratio est (ait Seraph. Doct. *l.* 1. *d.* 47. *q.* 2.) quia ista signa respiciunt futura. ideo contra ipsa potest operari homo, ergo non semper implentur: Contra verò alia duo scilicet impletionem, & permissionem, non potest contra ipsa voluntas, quia respiciunt opus præsens, & quia res, dum est, necesse est, ut sit igitur suppositis actu talibus actibus, non potest fieri, quod non sint. 261

Resp. 2. Voluntatem antecedentem, & consequentem Dei non posse superari, nec cassari: est S. Bon. cit. in corp. Quod non possit superari patet, quia si homo non facit, quod Deus vult voluntate antecedenti, Deus facit de homine, quod vult voluntate consequenti, & ita voluntas Dei semper impletur, vel de homine, vel ab homine: ab homine, quando facit, quod Deus vult, de homine, quando Deus facit de ipso, quod vult: sic enim homo non implens voluntatem Dei cadit ab ordine misericordiæ in ordinem justitiæ, sique Dei voluntas nunquam superari potest, quin impleatur.

Quod verò non possit cassari, eaque privari suo effectu proprio ad quem est: probatur primò de voluntate antecedente Dei, quæ, & si non ponat effectum, connotat tamen ordinationem naturæ, sive naturam ordinabilem ad salutem; nam quantum est ex parte Dei, vult omnes salvos, eisque auxilia exhibet necessaria. De voluntate consequenti patet, quia ista semper habet suum effectum: ex quibus patet, quod voluntas Dei antecedens potest impediri, scilicet non impleri, quoad effectum; non verò consequens.

Respond. 3. Voluntatem consequentem importare necessitatem consequentiæ, non consequentis, ratio est, quia sicut præscientia infert tantùm necessitatem consequentiæ, quia non dat esse, sed supponit: sic & hæc, Deus vult hoc eo modo, quo futurum est, sicque ex suppositione necessariò erit: Voluntatem verò antecedentem nullam importare necessitatem: non enim connotat effectum; sed illud, quod est ordinabile ad eventum: non enim sequitur, Deus vult omnes homines salvos fieri, ergo omnes salvabuntur.

Obj. 1. Voluntas Dei est in se necessaria, & necessariò infert effectum, ergo ponit circa illum absolutam necessitatem. R. S. Doct. voluntatem Dei in se esse necessariam, non verò comparationem ejus ad futurum contingens, quod in superioribus fusè fuit explicatum.

Obj. 2. Videtur contradictio in supradictis, dicendo, quod voluntas antecedens Dei potest non impleri, & tamen quod non potest cassari, quia habet proprium effectum, ergo videtur contradictio in his. R. neg. sequi contradictionem, ratio

ratio est, quia duo sunt effectus voluntatis antecedentis: primarius, & secundarius: primus, & proprius est ordinabilitas ad salutem, & quantum ad hunc non cassatur, sed immutabilis est: secundarius, estque improprius, & est ipsa salus actu, & secundùm hunc, non semper impletur, sed tamen ex hoc secundo sequitur, quod Deus facit de homine nolente implere voluntatem Dei antecedentem, quod de ordine misericordiæ, cadat in ordinem justitiæ: sed cum ista sint omnino disparata, nulla intervenit contradictio.

Dices: Deus vult, hominem benè facere, ergo non faciens bonum tunc impedit voluntatem Dei. Resp. Velle Deum, ut homo faciat bonum, spectare ad voluntatem signi, non beneplaciti.

Obj. 3. Effectus voluntatis divinæ absolutæ est contingens, & liberè producitur, ergo potest illa voluntas impediri: Nam si non potest aliter evenire, erit necessarius, ergo potest non impleri. Et confirmatur, quia causa, quæ per aliam expletur potest per illam deficientem impediri, si illa possit deficere, sed divina voluntas est hujusmodi, quæ vult multa per causas secundas, & liberas, quæ possunt deficere: tum etiam, quia Deus potest velle oppositum, cum non arctetur à volito, ergo, &c.

Resp. Seraph. Doct. *l. 1. d. 47. q. 1. ad arg.* quod comparatio divinæ voluntatis ad volitum, & eventus voliti se necessariò commutantur, & utrumque est contingens, ob idque manente comparatione, & ordinatione divinæ voluntatis ad volitum, effectus necessariò evenit necessitate consequentiæ, non antecedente: & hinc ad confirmationem Respond. quod cum divina volitio connotet effectum, connotat etiam efficientiam causæ particularis prævisam per scientiam mediam, & præscientiam, quæ ambit totum velle, & posse, & agere, nec potest falli: & hinc etiam oritur necessitas impletionis voluntatis divinæ: *Sic ibid. ad ult.*

Et ad id, quod voluntas divina potest velle oppositum, cum sit fons libertatis: Resp. subtilissimè Seraph. Doct. quod in hoc assumpto adest posse Dei, & velle ejus: divina voluntas non arctat potentiam in possendo: potest quidem in actu primo & hoc, & oppositum, sed in actu secundo non potest, nisi quod vult, & voluntas arctat potentiam in agendo, & impossibile est, quod actio superexcedat voluntatem: unde nihil potest facere, nisi quod vult. Igitur, quando dicitur, quod Deus potest contrarium suæ voluntatis, potest intelligi duobus modis, aut voluntate movente ad contrarium, & sic notatur repugnantia universalis ad potentiam, & hoc est impossibile, ut dictum est, quia potentia non potest superexcedere voluntatem, nec voluntas potest velle contrarium ei, quod vult actu absoluto. Secundo modo voluntate non movente ad contrarium, & sic notatur in divina voluntate non impedimentum, nec repugnantia: Sed quando voluntas libera est, & liberè velle potest hoc, & oppositum absque sui mutatione: sed hoc secundo modo sumitur voluntas secundum se, non cum ordine actuali ad hoc volitum.

261 Quæres *quænam sit radix, & origo libertatis nostræ?* D. Thomas cum discipulis sustinet esse judicium practicum, & formaliter postea esse ipsam voluntatem liberam. Scotus è contra duplicem radicem libertatis recognoscit: aliam extrinsecam, aliam intrinsecam: Extrinsecam esse non intellectum, sed ipsam voluntatem, quæ essentialiter est libera, cui præivit Seraph. Doct. *l. 1. d. 25. p. 2. q. 1.* dicens, quod libertas à coactione importat quandam excellentiæ dignitatem, quæ in creaturis liberis est æqualis: Excellentiùs tamen est in Deo, in quo est hæc dignitas summa, & prima, propter quam, & infra illam, est dignitas hæc in creaturis, scilicet per participationem ab illa, & summa, & prima: *Sic & in l. 1. d. 45. art. 2. q. 1.* quod & fusè explicatum est à nobis in Philosoph. de *An. tr. 3. q. 2.*

Probatur autem prima pars ex Seraph. Doct. *l. 1. d. 45. cit.* Voluntas divina est causa rerum, ergo & voluntatis nostræ, sed est causa, vel quia sciens, vel quia volens: Non primum, vel secundum, quia multa potest, & scit, quæ non facit, nec vult, ergo ut volens, ergo ut voluntas divina est prima radix libertatis nostræ: Et confirmatur, quia omnis perfectio creaturæ est ens per participationem, ergo libertas nostra est perfectio participata à libertate divina. Pr. 2. pars, quia per indifferentiam libertatis distinguitur voluntas à potentia naturali: Tum quia dato quocumque judicio practico, potest voluntas pro libito quidquid vult.

Obje. contra primam partem: Causa rerum est divina omnipotentia, ergo & libertatis humanæ: Antecedens patet, quia causat res ratione virtutis agendi, sed hæc est omnipotentia, ergo, &c. R. Seraph. Doct. *l. 1. d. 45. cit. & d. 47. q. 1. ad 3.* Antecedens esse verum identicè, non præcisè: & ad probat. respond. Deum non causare res præcisè ob virtutem agendi, sed ob modum agendi, scilicet prout divina potentia, non in possendo, sed in agendo est modificata, & arctata à voluntate; nunquam enim potentia aliquid agit, nisi quod vult.

Objectiones contra secundam partem sunt solutæ à nobis in cit. loco Philos. ad quam remitto Lectorem: est enim quid spectans ad Philosophum.

QVÆSTIO XI.

De permissione peccati. *Quid sit, & an sit actus positivus Dei.*

PRima opinio est Ricardi *artic. 7. de lib. arb.* 236
concl. 9. & 10. permissionem Dei nihil aliud esse, quàm concedere homini libertatem, & relinquere illum in manu consilii sui, ut si vult, eligat bonum, & si non vult declinet ad malum: Sic & Casp. de provid. *d. 2. 4. 5. n. 35.*

2. Opinio est Scoti *d. 47. q. un.* Permissionem esse negationem actus positivi, scilicet non velle prohibere illud fieri, sive non velle dare auxilium efficax ad non peccandum: Esse vero actum positivum reflexè, quatenus cognoscit, se permittere, & non dare auxilia impeditiva talis peccati, & sic secundariò dicitur velle illam permissionem, sicque dicitur volita permissio, non verò peccatum permissum.

3. Opinio est, permissionem esse actum Dei positivum: Sic Seraph. Doct. *l. 1. d. 47. dub. 3. q. 3.* D. Thom. seq. aliique cum Mastrio *d. 4. q. 3. n. 5 4.* Pro solutione

Not. 1. quod cum dicatur, Deum in permissione

sione peccati non cohibere, vel impedire peccatum, hoc dupliciter potest intelligi: primò auferendo omnia auxilia necessaria homini ne possit aliquod bonum facere, & evitare malum: Secundò negando aliqua peculiaria auxilia efficacia, quibus homo efficaciter, & infallibiliter faceret bonum, & vitaret malum: permissio autem, prout dicitur non exhibitio, vel impeditio mali, intelligenda est hoc secundo modo: Nam Deus nunquam privat hominem suis auxiliis sufficientibus ad faciendum bonum, & vitandum malum, quæ debentur homini jure redemptionis factæ per Christum, licèt sæpe ipsum privet efficacioribus aliis auxiliis, quæ possunt dici supererogationis; ex qua privatione sæpe contingit, hominem labi in peccata: quæ doctrina infra in disputatione de divina providentia hujus tradetur.

Not. 2. ex Seraph. Doct. *d.* 47. *q.* 3. quòd duplex est ordo rerum: Unus in universo: Alter in finem, & uterque exigit, quòd Deus permittat mala fieri. Ordo in universo exigit, ut ad ejus perfectionem adsit in mundo creatura arbitrio libera, & potens peccare: cum autem recta administratio exigat, ut Deus sic res conditas administret, ut eas proprios motus agere sinat: ideo cum debuerit dare potentiam peccandi, & debuerit regere, salvo ordine suæ conditionis, si voluit peccare, debuit permittere, & si non voluit peccare, debuit conservare, idest dare auxilia necessaria ad ipsa vitanda: & hinc oritur ratio permissionis peccati. Ordo ad finem hoc etiam exigit: Finis iste est duplex, scilicet solus electorum, & divina laus: Ad salutem electorum spectat permissio peccati, & peccatorum, ut electi exerceantur in patientia, ut ex plagis alienis, Dei disciplinam ipsi addiscant: Ad Dei gloriam spectat manifestatio divinæ misericordiæ, & justitiæ: unde occasione mali maximè manifestatur divina misericordia in electis, in filii donatione pro inimicis: item & justitia in punitione reproborum. His positis, sit.

264 Concl. 1. Permissio peccati non consistit in relinquendo hominem in sua pura libertate naturali. Est contra Ric. & Caspensem, estque Seraph. Doct. Ratio est patens, quia nunquam homo omnibus auxiliis sufficientibus destituitur, ut dictum est in primo Not. Alioquin daretur excusatio in peccato; & probatur sequela ex Seraph. Doct. *l.* 1. *d.* 28. *a.* 2. *q.* 2. quia homo postulat à Deo, & ne nos inducas in tentationem, idest ne permittat cadere, non autem, ut sit liber, cum jam habeat liberum arbitrium: ergo petit auxilium, ut possit resistere tentationi, ne cadat; quæ conclusio, infra disp. seq. magis patebit: non enim hic est proprius locus.

Concl. 2. Permissio divina est actus positivus Dei, quo positivè privat hominem auxiliis specialibus, ipsumque justè in peccata sinit cadere, Est Seraph. Doct. & communis.

Probatur, quia est actus spectans ad divinam providentiam, & ad servandum rectum ordinem in universo, & in ordine ad finem, ut dictum est *in* 2. *Not.* Sed volitio talis ordinis & finis utilitatis electorum, & glorificationis suæ misericordiæ, & justitiæ est actus positivus Dei, ergo, &c.

Objicies primò: Videns malum, & illud non impediens, videtur ei consentire, sed Deus non potest consentire, in malum, ergo nec permittere. Respond. Seraph. Doct. disting. si illud nullo modo impedit quantùm est ex se, dicitur, consentire, transeat: si aliquo modo cohibet, v. g. præcipiendo, prohibendo, minando, non dando, auxilia necessaria, negatur: Sic enim Deus permittit, volentem contra suam voluntatem liberè agere, & hac distinctione satisfit omnibus objectionibus, &c.

Conclusio igitur hujus quæstionis sit, quòd permissio peccati est justa & sancta in Deo, quia ex ipsa eliciuntur plura, & maxima bona: primò, quia ex malis bonum limpidiùs cognoscitur, quia opposita juxta se posita magis elucescunt: 2. Quia ex malis bonum necessarium producitur, tum in rebus naturalibus, quia ex conceptione unius fit generatio alterius, tum maximè in moralibus, quia si non esset persecutio Tyrannorum, non esset patientia Martyrum, si non esset pœna aliqua, non esset patientia, vel cautela, vel humiliatio, &c. 3. Quia ex malo bonum speciosius redditur: Bonum enim universi pulchrius redditur (ait Sanct. August.) & ordinatione bonorum, & malorum consurgit.

Quæres ergo, *An Deus, cum permittat actu positivo malum, illud positivè velit?* Respond. Seraph. Doct. *d.* 46. *quæst.* 2. negativè, quia Deus positivè vult solùm bonum; malum autem non involvit ullam rationem boni, nisi consecutivè aliquando: unde licèt permittat positivè malum in homine, tamen illud positivè omnino reprobat.

Quæres secundò: *An malum fieri sit bonum?* Respond. Seraph. Doct. negat vè secundùm se, cum sit omnimoda privatio boni: & licèt ex consequenti possit esse occasio boni, id tamen ei est per accidens. *Vide S. l cit. q.* 3.

Q. 3. *An malum fieri sit verum?* Respond. Seraph. Doct. quæst. 4. affirmativè: Nam veritas propositionis est veritas signi, quæ signat, rem esse, sicuti est: & si objicias, verum, & bonum convertuntur, ergo malum est bonum. Respond. negando consequentiam: Unde, licèt signum sit verum, & ut tale bonum, non tamen sequitur, quòd res signata sit bona, imò hîc est fallacia accidentis: Verum enim prædicatur de propositione ratione compositionis, & bonum prædicatur de propositione attributionis, & proprietatis, ut si dicas: omne verum est à Deo, sed verum est istum furari, ergo est à Deo.

4. *An malum sit ordinabile à voluntate Dei?* Resp. Seraph. Doct. affirmativè, ut dictum est in superioribus, &c.

QUÆSTIO III.

An Deus ab æterno decreverit singulas actiones liberas: & an talis prædefinitio stet cum libertate humana: vel an circa liberos actus creatos Deus habeat decreta ex natura sua efficacia: An verò ex se solùm sint indifferentia, efficaciaque ex suppositione prævisi consensus nostri?

QUæstio hæc à pluribus agitatur in hac dispu- 265
tatione de Voluntate Dei, ab aliis in disputatione de prædestinatione: sed quia est fundamentalis

mentalis, & præcipua, viam parans ad faciliùs intelligendum ea, quæ in eadem materia prædestinationis agitantur: hinc, ne ibidem cogamur repetere eadem, hîc fusè à nobis expendentur, & resolventur: pro cujus tituli clariori notitia.

Duo sunt, quæ oportet explicare, ut pateat, in quonam consistat punctus difficultatis. 1. est, quid intelligamus nomine decreti ex natura efficacis, & ex natura sua solùm indifferentis. 2. quæ sit ratio continendi hoc; specialiùs circa actus liberos nostros, quàm cæteros effectus creatos, quia in reliquis videmur pro certo relinquere, quòd efficacia Dei sit omnino absoluta, & independens à prævisione comparationis causæ creatæ: solùm autem in liberis actibus invenimus scrupulum, ut non nisi eorum consensu prævisio possit Deus efficaciter velle, quòd sint.

Circa primum, decretum Dei efficax duobus modis potest intelligi. 1. Absolutè à Deo factum sua virtute independente à creatura, nihil expectans ex parte creaturæ, vel supponens, sed totum ex se causans, & suo influxu tangens, vel causam, vel effectum: Causam secundùm Thomistas, ipsam prædeterminans, & secum determinatè concurrens ad effectum: Effectum secundùm aliam opinionem Seraph. Doct. & communiter recentiorum; sicque cum decretum, virtusque divina sit de se infrustrabilis, infallibiliter ponit effectum determinatum. 2. Hoc decretum, quod, licèt, ex natura sua sit efficax, tamen, quia contemperatur cum concursu libero creaturæ, ideo dicitur efficax ex aliquo extrinseco extra se, & sic vocatur indifferens, non quia indifferentiam nostræ libertatis conservet tantùm, sed etiam quia de se non habet aliud, quàm offerre duplicem concursum, vel motionem ad duplicem actum: Expectat autem, ut voluntas se determinet ad quod voluerit, & tunc concurrit Deus eo influxu, qui priùs erat indeterminatus, nunc determinato, quem voluntas eligit: sicque tale decretum non habet connexionem determinatam antecedentem cum effectu, seu consensu, quia non determinat illum, sed tantùm consequentem, ratione mediorum, quæ adhibent, quibus mediis positis, consequitur effectus, juxta quod voluntas illis allecta, & nunc mota, vel excitata, se determinat, prævidendo per scientiam mediam, quale medium in hac, vel illa occasione de facto trahat voluntatem ad consensum, & quale non: & hoc secundo modo explicant cum Seraph D. Recentiores contra Thomistas prædefinitionem decretorum Dei.

Notandum tamen hîc est, quòd hæc præfinitio Dei potest sumi vel in toto rigore in ordine ad actus supernaturales, & meritorios spectantes ad divinam prædestinationem, quo pacto absolutè decrevit ab æterno velle dare gloriam, vel involvendo in tali decreto media oblata, & ab homine amplexata, vel per aliud decretum consequens, ut volunt variè DD. de quo Mastrius *d. 5. n. 229*, seq. & de hac hic non est sermo, quia de ea agetur in disputatione de prædestinatione: sed sumitur hic præfinitio in sensu latiori, ut significat actum internum voluntatis divinæ in Deo ab æterno existentem per quem decernat absolutè, & efficaciter effectus liberos voluntatis creatæ priusquam in tempore fiant, & à Deo cognoscantur scientia visionis, ut futuri, quo quidem sensu omne divinum decretum præfinitio dici potest effectus futuri, utpote antecedens tempore, & causalitate, executione rei definitæ; & de hac secunda præcipuè est sermo, prout abstrahitur ob effectibus merito iis ordinatis ad gloriam.

Circa secundum, triplex genus effectuum in hac parte distinguitur, 1. est, quod à solo Deo procedit sine consortio causæ creatæ, ut creatio, glorificatio, &c. 2. Genus est eorum, quæ procedunt à Deo cum consortio causæ secundæ, sed non liberæ, ut illuminatio solis, calefactio ignis. 3. Genus est eorum, quæ procedunt à Deo cum consortio causæ liberæ, qui effectus sunt liberi, ut amor, odium, &c. De primis duobus non controvertitur inter DD. nam unanimiter conveniunt, decretum Dei antecedere: Sed quæstio est de tertio genere: & quia istorum alii sunt moraliter boni, alii moraliter mali, alii indifferentes: & rursus actus moraliter boni, alii sunt ordinis naturalis, alii ordinis supernaturalis, quamvis ad omnes quæsitum propositum extendatur, specialis tamen difficultas est de actibus malis moraliter. In hac igitur quæstione 1. opinio est Thomistarum asserentium, Deum prædeterminasse omnes effectus liberos causarum secundarum, & in ordine ad causas secundas, in quas influit qualitatem ipsas determinantem ad hunc, & non alium effectum.

2. Opinio est opposita, Deum non prædeterminasse antecedenter, sed potius consequenter, vel ut Scotistæ dicunt, concomitanter suum concursum ad hunc, & non ad alium, ex eo, quod scientia conditionata prævidit quid in tempore voluntas creata electura erat positis omnibus circumstantiis.

Sed tamen isti opinantes sunt divisi inter se; Nam aliqui cum Molina dicunt, Deum non prædeterminasse omnes effectus in individuo, sed tantùm aliquos moraliter bonos: Nam v. g. mors natanti succedens præter intentionem dicitur non prædefinita, sed à Deo permissa; nec item actus malos: Præterea admittunt duplex decretum Dei; aliud in communi indifferens ad utramque partem; aliud determinatum ad partem ad quam concurrit voluntas creata.

Communior opinio & verior, & rationabilior docet, omnes actus liberos, & naturales, & supernaturales, & bonos, & malos in individuo prædefinitos ab æterno fuisse à Deo, & hoc post prævisionem ipsorum per scientiam conditionatam, & absque læsione libertatis: Sic Seraph. Doct. infrà cit. sed cum limitatione infra ponenda quoad actus malos, Suar. Vasq. & communis ex Mastrio, Gaud, aliisque recentioribus. Pro solutione quæst.

Not. 1. Quod præfinitio alia est permissiva, 166
alia est propria & positiva, quæ est voluntas efficax alicujus rei, ut fiat: Prima supponit actus ipsos, & est consequens, qua Deus sinit aliquid fieri, & de hac non procedit quæstio præsens; sed de secunda propriaque: Et quia hoc decretum, seu prædefinitio dicitur efficax: quæritur, an non solùm duratione, sed etiam causalitate præcedat effectus creaturæ: Utroque modo præcedere, dicunt Thomistæ: Alii dicunt præcedere tantùm duratione, quia ab æterno est, non verò causalitate, sed vel concomitari, ut Scotistæ, vel consequi ad actus prævisos per scientiam mediam, ut conditionatè futuros, ex qua po ea consecutum est decretum absolutum, & efficax futuritionis absolutæ ipsorum, & hinc etiam scientia visionis.

Not. 2. quod efficacia divinæ voluntatis poteſt ſumi dupliciter: vel ſecundùm voluntatem antecedentem tantùm, vel ſecundùm conſequentem etiam: Voluntas antecedens dicitur primaria, voluntas conſequens dicitur ſecundaria, ſcilicet ex ſuppoſitione: & quia poteſt dari, quod Deus velit aliquid voluntate antecedenti, & velit oppoſitum voluntate conſequenti, ſicut enim primaria antecedente, & quantum ex ſe eſt abſolutè, & efficaciter vult ſalutem omnium pro qua ordinat omnes ad gloriam, & præparat in tempore media ad ſalutem neceſſaria, quibus, niſi per hominem ſteterit, ſalutem conſequitur, ſed quia multi in hoc deficiunt, hinc voluntate conſequente vult damnationem multorum, & hæc eſt voluntas ſecundaria, ideſt, ut loquitur Damaſc. conceſſio ex noſtra cauſa, ſeu quædam condeſenſio divinæ voluntatis ad noſtram voluntatem, ne illam propria libertate privet. Hinc ſequitur quod poſſit Deus efficaciter præfinire actus noſtros aliquos voluntate primaria, & antecedente, non verò voluntate conſequente, quodque potiſſimum evenit in actibus pravis, quos voluntate antecedente non vult, illos prohibet, & ne committantur, offert auxilia ſufficientia: ſed quia multi, his non obſtantibus, volunt ea committere, ſic hac condeſcenſione pro noſtra libertate decernit, ſe concurſurum ad ſubſtratum peccati, in quo nulla apparet repugnantia, & per quod optimè ſalvatur immunitas ad peccati malitia in Deo.

267 Not. 3. quod in hac graviſſima materia pondus majoris difficultaria eſt in componendo iſta decreta divinæ voluntatis abſoluta cum libertate formali noſtræ voluntatis: hinc varii modi ſecundùm cujuſque Scholæ principia excogitati ſunt à Scholaſticis. Thomiſtæ cum ſua prædeterminatione dicunt, voluntatem in actu primo eſſe liberam, non verò in actu ſecundo, contra quam agemus in diſputatione de prædeſtinatione, & demonſtrabimus, non poſſe jure libertatem ſubſiſtere, nec in actu primo, nec in actu ſecundo. Scotiſtæ conciliant, ponendo decretum Dei, licèt duratione præcedens, tamen in tempore ſimul concomitans liberum arbitrium creatum operans, taliquè pacto non prædeterminatur voluntas, ſed liberè ſe movet pro libito, adjuta à concurſu concomitante Dei: qui modus patitur graves, & ferè inextricabiles difficultates: ſi enim eſt concomitans ſecundum cauſalitatem actualem, neceſſariò debet eſſe præcedens in actu primo, ſicque & determinans, & neceſſitans voluntatem noſtram ad unum: Tum quia in exeundo in actum ſecundum eſt determinans ad unum, ergo & voluntas noſtra remanet determinata ad unum, ſicque libera nomine, ſed non re.

Alii verò cum ſancto Bon. dicunt, decretum eſſe ſubſequens noſtram libertatem, & determinationem, ideoque nec lædere libertatem, quod Seraph. Doct. pluribus locis docet, tum *lib.* 1. *d.* 35. *q.* 1. *tum d.* 38. *q.* 1. *tum d.* 40. *a.* 2. *q.* 1. *ad* 5. *tum d.* 45. *a.* 2. *q.* 2. *tum d.* 48. *q.* 1. Explicatorque tali pacto, Suppoſita ſcientia media, & conditionata, qua Deus videt, quem actum eliceret arbitrium, ſi in tali, vel tali occaſione poneretur ipſum decernere, & exhibere parata ad plures actus auxilia, ſimulque ſe determinare cum libero arbitrio cooperaturum, ſicuti de facto in tempore applicat auxilia, & concurſum ad actum, qui à voluntate creata producitur. His poſitis, ſit.

268 Concl. 1. Omnes actus hominum liberi cujuſcumque conditionis ſunt ab æterno à Deo præfiniti & decreti. Eſt communior, & vera fere omnium, exceptis aliquibus paucis excipientibus aliquos actus in tempore à tali prædefinitione; ut ſunt, quæ ſpectant ad caſum, & ad generalem Dei providentiam, vel ſunt connexi cum malitia. Probatur primò à Seraph. Doct. *in Sap. cap.* 1. *v.* 7. *&* 12. *ſeq. & ex cap.* 8. *num.* 1. *& c.* 11. *v.* 21. *&* 23. In quibus locis docet Spiritus Sanctus, Deum attingere omnia à fine uſque ad finem fortiter, ſcilicet, explicat Seraph. Doct. ab æterno in æternum efficaciter, & Deum omnia diſpoſuiſſe in menſura, numerò, & pondere, & omnia tanquam momentum ſtateræ ſtare ante ipſum, ideſt omnia diſponere etiam minutula. Videatur P. Gaud. *quæſt.* 15. qui congerit alia loca S. Script. ex S. Bon. & plures textus SS. PP. maximè D. Aug.

Prob. 2. ex Seraph. Doct. *l.* 1. *d.* 45. *dub.* 9. *& d.* 38. *a.* 2. *quæſt.* 1. *&* 2. Quidquid à Deo præſcitur futurum, præſcitur futurum eo modo, quo in tempore eſt futurum, ſed in tempore futurum eſt ſuppoſito decreto divino talis futuritionis, ergo totum voluit ab æterno eſſe futurum in tempore, ergo omnia præfinita à Deo ab æterno.

Hic reſp. adverſarii, tale decretum fuiſſe conditionatum, non abſolutum ab æterno, ſcilicet ſuppoſita conditione, quod cauſa ſecunda ſe determinaverit.

Sed contra, quia hæc reſponſio prævertit totum ordinem ſcientiæ, & decretorum Dei: Primò enim ſupponitur ſcientia media, & conditionata cum conditione decreti: deinde ſequitur decretum abſolutum Dei, determinans velle concurrere abſolutè ad illam partem contradictionis, quam ſcientia media vidit in voluntate creata poſita in tali, & tali circumſtantia ſe determinaturam, & hinc ſequitur præſcientia infallibilis Dei de futuritione rei determinatæ in tempore; ſed hæc præſcientia eſt infallibilis, & innititur talis infallibilitas utrique cauſæ, ſcilicet decreto Dei, & voluntate creatæ præviſæ, cum ejus determinationa: hinc ſequitur, quod ſi in tempore vult Deus hoc, illud ab æterno voluit.

Et confirmatur, quia ea, quarum Deus habet exemplaria, ſeu Idæas practicas, ſunt à Deo volita; Ideæ enim rerum, dum ſuperaddunt futuritionem in tempore, dicuntur, & fiunt exemplaria, ſed Deus habet omnium entium futurorum exemplaria, ergo ab æterno ea voluit.

Probatur 3. Quod fit in tempore exigit decretum Dei concurrens ad ipſum, ſed iſte actus, ſeu decretum non tranſit in præteritum, nec in futurum, ſed de ſe ſemper eſt præſens, & in Deo immutabile, ergo ſi admittitur in tempore, debet admitti & præſens in æternitate, & fuiſſe ab æterno in Deo. Sic Seraph. Doct. *l.* 1. *d.* 40. *a.* 2. *quæſt.* 5 qui etiam *d.* 45. *dub.* 9. advertit, valdè differre, dicere: Deus voluit hoc ab æterno: & Deus vult hoc in tempore: ab æterno voluit actu puriſſimo, indiviſibili, & continuato, ſed connotatio effectus eſt pro tempore, quando cauſa unitur actui: Voluit quidem ab æterno, ſed pro tali tempore, ergo, &c.

Obj. 1. Talis præfinitio Dei ab æterno tollit libertatem noſtram in tempore. Probatur ſequela, quia dato decreto determinato ad unum voluntas noſtra non poteſt oppoſitum, ergo, &c. Tum etiam idem dicunt hæretici, negantes ex talibus præfinitionibus Dei libertatem noſtram.

Reſp.

Resp. neg. sequelam : ad probationem resp. Ista decreta Dei non præfinire antecedenter ad usum nostræ libertatis, ipsam præmovendo, sed tantùm post prævisam in scientia media nostram determinationem liberam : Et quia præscientia Dei est infallibilis, videtque, quod in tempore liberè operatura erat, hinc ad ipsam determinationem secutum est decretum : Unde remanet libera in tempore, in quo se liberè determinat, nec ab alio extrinseco determinatur ; sed quia, licèt possit oppositum, tamen cum ex prævisione scientiæ mediæ, Deus viderit quid operatura erat, hinc secutum est decretum Dei, nil lædens ejus libertatem : Et hinc patet quale discrimen est cum hæreticis, qui omnino ex decreto Dei præcedente, non solùm duratione, sed & causalitate auferunt libertatem. Nos verò dicimus præcedere totum duratione, non verò causalitate, ut mox patebit.

269 Concl. 2. Decretum, seu prædefinitio Dei absoluta non antecedit usum libertatis nostræ, sed comitatur. Hic autem supponenda sunt, quæ in superioribus tradita sunt ex Seraph. Doct. aliisque Theologis de scientia media, ex quibus infertur hæc ratio validissima : Prædefinitio, seu decretum absolutum infallibiliter debet impleri, ergo talis infallibilitas debet inniti vel efficaci promotioni factæ à Deo voluntatis humanæ, vel infallibilitati scientiæ mediæ ; sed non primum, quia talis præmotio poneret necessitatem absolutam consequentis, ob idque & aufert libertatem, ergo secundum, ergo post prævisionem per scientiam mediam determinationis nostræ voluntatis infallibilem consequitur decretum absolutum.

Prob. 2. Pars, scilicet quod tale decretum comitatur nostram determinationem, quia ex prævisione determinationis voluntatis nostræ consequi necessariò debet id, quod ad positionem talis futuri in tempore, & actu est necessarium, sed id est actualis concursus causæ superioris, & particularis, ergo tale decretum comitatur nostram determinationem, & operationem.

Hic P. Gaudent. *quæst.* 16. multa congerit, quæ non videntur satis ad rem, nec sibi videtur constare, cum totus fuerit in rejiciendo concursum concomitantem Scotistarum, hic autem & in ultimo asserto ipsum admittat, sicut & nos sed cum hac limitatione. In scientia media negamus necessariò involvi formale decretum conditionatum, sed sufficere conditionem decreti, quæ tamen virtualiter habet rationem ipsius decreti : hîc autem admittimus ipsum concursum concomitantem absolutum post prævisionem determinationis nostræ voluntatis, quia, ad hoc ut effectus ponatur in esse, requiritur antecedenter causa ipsius, sed hæc est Deus, & voluntas creata, ergo, &c.

Prob. 2. quia, si ante decretum Dei absolutum actus esset absolutè futurus, iste esset independenter à Deo, quod est impossibile ; quod enim est ante aliud, non est causatum ab eo, quia causa non est posterior effectu ; & quod non est, non potest aliquid efficere, ergo necessariò debet supponi decretum, vel antecedenter, & hoc non, ut probatum est, & fusiùs probabitur in disputatione de prædestinatione ; ergo vel consequenter, & hoc non, ex ratione adducta, ergo concomitanter.

Resp. Neutrales (illi, qui non omnes actus volunt esse præfinitos à Deo, negantes hunc concursum absolutum) Deum destinire suum concursum ad actus liberos solùm sub conditione, & hypothesi, si causa secunda se ad hunc, vel illum actum determinaverit, posita autem tali determinatione causæ secundæ decretum Dei conditionatum transire in absolutum : quæ responsio à nostra sententia non discrepat, nisi nomine, neque aliquid prodest pro stabilienda adversantium sententia ; est enim conformis iis, quæ tradit Seraph. Doct. de actu divinæ voluntatis, qui est unicus, & actus æternus, & continuatus, solumque mutationem secundùm modum nostrum intelligendi dicitur accipere penes comparationem ad connotata, ut in superioribus dictum est.

Ex quibus patet, P. Gaud. non satis se explicare, cum toties rejecerit concursum comitantem Scotistarum : hîc autem *q.* 16. *num.* 430. cogatur ipsum admittere ; licèt *num.* 418. se protestetur non admittere ipsum ad modum Scotistarum : In qua limitatione verum dicit : nam, ut patet apud Mastrium *d.* 3. *quæst.* 3. *per totam*, ipsi negant scientiam mediam tanquam necessariam ad connectendum decretum absolutum Dei cum actu libero nostræ voluntatis, sed dicunt sufficere ipsum decretum absolutum Dei concomitans, qui modus certè patitur gravissimas, & inextricabiles difficultates contra libertatem nostram, quas nos per scientiam mediam positam à Seraph. Doct. & Neutralibus, facillimè evitamus : hinc Faber, Cavallus, & alii ab illo modo Mastrii discedunt, etiam de mente Scoti.

Concl. 3. quo ad actus moraliter malos. Actus 70 moraliter mali secundùm entitatem phisicam à Deo sunt absolutè præfiniti, non antecedenter, sed post prævisionem conditionatam determinationis nostræ voluntatis. Hæc conclusio est contra Thomistas, admittentes suam prædeterminationem phisicam in actibus malis : Item contra Scotistas, admittentes prædeffinitionem divinam concomitantem determinationem creaturæ : Item contra aliquos Auctores scientiæ mediæ, negantes omnino istas præfinitiones ad actus malos, sed tantùm admittentes voluntatem permissivam Dei. Nostra autem conclusio est communis Auctorum scientiæ mediæ cum Seraph. Doct. licèt trahatur violenter à Trigosio ad partes Thomistarum, imò addit *q.* 14. *a.* 2. *dub.* 3. nimis incautè, & falsò Seraph. Doct. admittere præfinitionem etiam ad peccatum : fundatque Trigosius suum assertum ex eo, quod Seraph. *l.* 1. *d.* 46. *q.* 3. dicit malum esse à Deo ordinabile ad bonum, ergo, ait ipse, Deus præfinivit malum, seu malitiam peccati in ordine ad bonum, sed mala est consequentia : nam Seraph. Doct. dicit, quòd Deus ordinat bonum in malum solùm post factum, ergo malitiam tantùm permittit, qua data, Deus ordinat ad bonum eo modo, quo supradictum est.

Prob. igitur concl. prima pars, scilicet, quod Deus antecedenter non vult peccati substratum ad determinationem nostram ex Seraph. Doct. *lib* 1. *d.* 46. *ad ult.* & *l.* 1. *d.* 37. *q.* 1. *arg. ult.* Quia qui vult antecedenter se solo, vult omne illud, quod necessariò ad illud sequitur, sed Deus per Thomistas vult se solo substratum peccati secundùm suam totam entitatem, ad quam sequitur necessariò malitia peccati, ergo & vult deformitatem necessariò consequentem : cum enim creatura non interveniat primariò ad substratum, ergo malitia sequitur, non ex determinatione creaturæ, sed Dei.

Hic mirum est, quàm torqueantur Thomistæ, ut effugiant vim hujus argumenti, qui tamen postea concludunt communiter, ut videre est apud Nazaium, Morandum, aliosque, quòd Deus concurrit quidem determinatè, non solùm ad actum ut sic, sed ut talem specificum moraliter, cui est annexa inseparabiliter malitia, sed tamen ad hanc concurrere tanetùm nostram voluntatem, quia sola est deficiens, non verò Deum, cum sit extra objectum ejus adæquatum; quæ responsio petit principium: Quia si necessariò sequitur malitia deficiens, sequetur respectu omnis agentis, qui cognoscit malitiam inseparabiliter sequi, ac proinde vult id antecedenter, ergo intra ejus objectum clauditur.

Prob. 2. ex Seraph. Doct. *lib.* 2. *d.* 37. *q.* 1. Causa prima, & principalis præmovens voluntatem ad actum est auctrix illius voluntatis, & volitionis; sed Deus per adversarios est causa prima præmovens ad actum moralem malum secundùm esse positivum, qood inseparabiliter habet adnexam malitiam, ergo, &c. Totum argum. est D. Aug. *l. de spiritu, & lit. c.* 31. *& l. de prædestinat. Sanct. c.* 10. & D. Fulgent ad maximum *l.* 1. & confirmatur, quia, licèt Deus cooperando non esset causa defectus concausæ, determinans tamen voluntatem ad talem actionem, dicitur etiam concausa peccati: Tum etiam, quia Deus esset causa positiva obstinationis peccatoris, illum determinando ad talem actionem, & culpam, quæ meretur, subtractionem gratiæ: Tum quia homo non esset liber ad vitandam illam culpam: posita enim prædeterminatione, non potest homo non peccare.

Prob. 2. pars, scilicet, quòd Deus prædefinierit actus malos post prævisionem determinationis voluntatis per scientiam mediam, primò, quia nihil agit Deus in tempore, quod ab æterno non prædefinierit se facturum, alioquin (ut advertit Seraph. Doct. *lib.* 2. *d.* 37. *q.* 1. *& l.* 1. *d.* 45. *dub.* 9.) Nova ei adveniret determinatio, cum nihil operetur absque prævia voluntatis determinatione, sed omnes actus etiam mali quoad entitatem positivam sunt in tempore voliti, & præfiniti post scientiam mediam, ergo, &c.

Resp. Lezana com aliis, concursum causæ primæ esse quidem necessarium ad substratum peccati, non verò præfinitionem, sed sufficere permissionem. Contra, quia hæc est petitio principii: Tum quia Deus non concurrit, nisi volendo; sed ejus actus est æternus, necessarius, & ab æterno. ergo ab æterno illud præfinivit, & necessariò. Resp. neg. istam præfinitionem esse necessariam, ex eo quòd præfinitio est inferens causalitatem, non quamcumque, sed cum intentione, & volitione efficaci effectus, quæ intentio in ordine ad malum abest à Deo: Sic Resp. Pennotus. Sed contra ex Seraph. Doct. cit. quia, si potest dari effectus non volitus efficaciter à Deo ab æterno, & postea efficaciter cœlitus in tempore, sequitur necessariò in Deo mutatio.

Confirmatur, quia voluntas permissiva non respicit effectum, ut fit, vel non fit, sed solùm causam, quam vult esse liberam; & è contra volitio efficax respicit effectum, ut fit, vel non fit determinatè, quia vult esse, vel non esse, ergo si efficaciter vult in tempore, quod tantùm permissivè voluit ab æterno, sequitur mutatio in Deo. Pr. 2. directè, quia prædefiniendo istos actus supposita notitia determinationis futuræ in voluntate humana, sequitur Deum non velle peccatum antecedenter, &c.

Objic. 1. cum Thomistis plures textus S.Crip. 171
in quibus videtur, Deum inducere homines ad peccatum, ut *Psal.* 104. convertit cor eorum, ut oditent populum suum: & *Isai. cap.* 3. *quare errare nos fecisti*, &c. aliosque, quos citant hæretici, ut faciant Deum auctorem peccati. R. Seraph. Doct. *l.* 1. *d.* 37. istos textus loqui de actione peccati, prout actio est, non prout est culpa, sicut diximus in quæstione de concursu.

Objic. 2. Deus est causa prima, & causa omnium, si prima, ergo debet primò omnia causare, determinare, præcedere, alioquin, si ipsa determinarentur à causa secunda, inverteretur omnis ordo causarum, si ergo est prima causa, omne ens erit ab ipsa prima causarum: Et confirmatur ex D. August. contra Julianum *l.* 15. *c.* 3. Ubi ait, Deum inclinare voluntatem hominum quocomque voluerit, sive ad bonum pro sua misericordia, sive ad malum pro meritis eorum: In qua auctoritate fundantur, & clamant contra nos Thomistæ.

Resp. conced. Deum esse causam primam omnium entium, sed neg. ipsom ut causam primam prædeterminare, &c. id enim non est proprium præcisè causæ primæ: Causa prima, ait Seraph. Doct. *l.* 2 *d.* 37. *q.* 1. *ad* 5. *& l.* 1. *d.* 45. *a.* 2. *q.* 1. est, quæ dedit omnibus secundis virtutem pro cujusque conditione, & se exhibuit, modo ipsarum accommodato, concurrere ad singulas operationes; & in concurrendo, non id facit sicut duo homines ad portandum unum lignum partialiter: sed quia Deus est intimè agens in omni actione, & intimus ipsi operanti, ita ut potentia ipsa non exeat in aliquid, quod non fit ab ipso, neque ob id actio erit tota bona, & tota mala; nam Deus dat illi actioni solùm esse bonum naturæ, quo bono voluntas sua malitia non privat, licèt eam privet bonitate moris: Sic enim est bona bonitate naturæ, mala malitia moris; & hoc evenit (ait Seraph. Doct. *ibid. l.* 2. *ad ult.*) quia Deus ita cooperatur, ut sinat simul causam secundam nutus suos facere: Unde ibi intervenit cooperatio, non præventio, vel subsecutio. Hinc ad confirmationem ex auctoritate D. Aug. Resp. Deum non inclinare voluntatem ad malum, ut mala sit, sed dicitur inclinare voluntatem malam permissivè, vel justè privando eam donis gratuitis, ob quam privationem postea cadit in peccata, quæ sunt pœna peccatorum præcedentium: sic communiter exponunt Theologi eum D. Aug. ut videre est apud Meldulam *d.* 4. *n.* 55. *seq. &* P. Gaud. *d.* 16. *q.* 13. *&* 17. Ergo præsupponitur voluntati creatæ determinatio. R. ex Seraph. D. *l. d.* 36. *dub.* 2. *& q.* 1. *& d.* 35. *dub.* 4. Præfinitionem dicere antecessionem durationis, non causalitatis, ob idque non prioritatem in quo, sed à quo.

Objic. contra 2 partem conclusionis. Nullum ex SS. PP dixisse, Deum præfinire actus malos, maximéque eos, qui habent annexam malitiam, sed semper in permissionem divinam eos reducunt. Resp. ex Seraph. Doct. *l.* 2. *d.* 37. *q.* 1. *ad arg. & ar.* 2. *q.* 1. Divinam præfinitionem diverso modo applicari à Theologis actibus bonis, & actibus malis: bonis quidem, quia dicitur Deus eos formaliter, & totaliter præfinisse: malos autem præfinivit quoad entitatem positivam, sed quia ipsis annexa est malitia, non dicuntur absolutè, & plenè præfinitos, ob idque neque absolutè dicitur Deus ad eos concurrere (licèt concurrat solùm ad materiale) ex eo quia denominatio fit à formali, ad quod Deus concurrit tantùm permissivè, ob idque non dicitur Deus velle actus malos voluntate antecedenti (sicut dicitur de bonis, quatenus pro eis

anteceden

antecedenter præbet gratiam excitantem) sed tantùm voluntate consequenti, supposita scilicet notitia determinationis futuræ voluntatis nostræ.

Quæres, *An data præfinitione divina ad actus futuros habeat Deus potentiam physicam, ut illi non sint?* Resp. ex traditis supra de immutabilitate divinæ voluntatis, quòd, licèt Dei voluntas sit de se immutabilis, tamen ratione connotati contingentis dicitur mutabilis, & phisicè posse velle oppositum: ratio est, quia adest indifferentia tam in voluntate Dei, quàm creaturæ, ergo potest fieri oppositum. Addimus tamen, licèt hoc sit verum, nunquam tamen adveniet talis mutatio, data præfinitione divina, & prævisione certa de tali futuritione, cum talis præscientia sit infallibilis, nec possit in divina præscientia cadere error; non enim dependet ab objecto cognito: quæ omnia explicata sunt in superioribus traditis de præscientia, & immutabilitate divinæ cognitionis, & voluntatis.

QUÆSTIO XIII.

An in Deo sint omnes actus, & affectiones voluntatis?

2 SUpponendum ex Philosophia plures actus, seu affectiones, seu passiones voluntati adscribi; suntque, Amor; estque affectio prima, & primogenita voluntatis, desiderium, dilectio, odium, fuga, tristitia, spes, desperatio, audacia, timor, & ita: hic autem quæritur, an sint in Deo, quæstioque resolvetur per varia dubia, & quæsita, ut brevitati consulatur.

Quæritur ergo primò, An amor sit in Deo, & qualis ad seipsum, & ad creaturas? Suppon. 1. ex Seraph. Doct. *lib.1. d.10. q.1. & l.3. d.26. art.2. q.5. ad 2. & comp. Theol. l.1.c.24. & Cent. d. p.3. sect.44. & op. de sept. itin. aetern. itin.4. d.2.* quòd amor dicitur quasi animorum unio, ferturque per se in bonum, qui etiam dicitur dilectio, quasi duorum ligatio; & charitas, idest cara unitas: Triplexque est amor, naturalis, gratuitus, & vitiosus; & singuli dividuntur in amorem concupiscentiæ, quo scilicet voluntas amat objectum in sui utilitatem: & amicitiæ, quo amat objectum propter se: Amor verò, vel est naturalis, estque inclinatio in bonum non actu ex aliqua cognitione, estque inditus in omnibus rebus ad sui conservationem: Amor item alius est animalis, quo appetitus fertur in bonum ex cognitione sensitivâ: Alius est intellectualis, ferturque in bonum ex cognitione rationali antecedente: & hic vel est ex cognitione naturali, & dicitur simpliciter amor: vel ex cognitione aquisitus, & dicitur dilectio; & si producitur per habitum supernaturalem, dicitur charitas, & sic est in homine cum admixta imperfectione, & in Angelo purissimè: Amor item alius est divinus, & dicitur à D. Dionis. circulus in bonitate gyrans, & permanens, trahensque ad se omnia, sicut adamas ferrum. Hinc patet quomodo amor noster differat ab amore Dei: nam in nobis est quidam motus, & affectio nihil tribuens rei amatæ, imò potius recipiens, quia excitatur, & alteratur ab objecto, & transformatur in ipsum: At in Deo est affectio, & communicatio boni divini, quo assimilatur, & transformatur dilectus in Deum amantem; & hoc vel per modum vestigii, vel imaginis. Sic Seraph. Doct. *l.3. dist.22. quæst.2. ad 3.*

Et licèt in Deo voluntas sit unus simplicissimus actus, in eo tamen eminenter est ratio plurimorum actuum nostrorum, quos in Deum nostro modo intelligendi transferimus, ut modum volendi Dei exprimamus.

Quæritur igitur, *An in Deo sit propriè, & qualis sit amor ad seipsum, & etiam ad creaturas?* quoad seipsum aliqui negant, ex eo quod amor est via tendendi in objectum, sed Deus non est in via ad se, sed in se quiescit: tum etiam, quia amor abstrahit ab existentia objecti, à qua in Deo nunquam abstrahit.

His non obstantibus dicendum, in Deum esse amorem propriè dictum ad seipsum. Probatur prima pars à Seraph. Doct. l.1. d.10. q.2. quia amor est prima inter affectiones voluntatis, & radix omnium aliarum: est enim donum, in quo omnia alia donantur; nec est perfecta cognitio sine dilectione: Tum quia Spiritus sanctus spiratur ut verus amor, ergo, &c. Probatur secunda pars in ordine ad creaturas, quia, ut supra probatum est, in Deo est voluntas, cujus objectum primarium est summa bonitas, secundarium est bonitas participata, sed eodem actu circumplectitur omnem bonitatem, ergo, &c. Nota tamen, quòd hic amor consistit in communicatione suæ bonitatis, non purè in affectione. *Vide l.3. d.32. q.1. ad arg.*

Hinc resp. ad objecta adversariorum, quòd, licèt amor abstrahat ab existentia, attamen non per hoc tollitur, quod amor non sit rei existentis, imò perfectior est: & ad aliud negatur, non ferri in propriam bonitatem.

Quæritur 2. an in Deo sit odium. Pro respons. Nota ex Seraph. Doct. *l.4. dist.14. p.1. a.2. q.1. ad 3. & op. declarat. termin.* quòd odium est voluntas affectans proximo malum, ut careat bono, quod ipsum odientem contristat: hocque vel est displicentiæ, & abominationis, scilicet mali, quod nos patimur, vel alii patiuntur: Aliud est inimicitiæ, & vindictæ; estque velle alicui malum, quatenus illius malum est ex displicentia personæ: primum est concupiscibilis: secundùm irascibilis: in primo est complacentia mali in ordine ad personam abominatam, & negatio, seu fuga ad personam: In secundo est negatio, & fuga in ordine ad personam, quæ displicet, & complacentia mali in eadem persona, &c. Hinc. 273

Resp. in Deo esse odium propriè & abominationis, & inimicitiæ, remota tamen affectione, & passione, sicut est in nobis: & prob. tum, quia Deus habet voluntatem contra peccatorem, ut malum ei inferatur, ut dicit Seraph. Doct. *l.1. d.41. q.1. ad 2.* Tum quia odio habet peccatores propter peccatum, ergo, &c. vult enim eis pœnam, ut malum est.

Dices: Seraph. Doct. *loco cit. in corp.* asserere in Deo non esse odium quoad affectum, sed quoad effectum, ergo non est in Deo.

Resp. ibi Seraph. Doct. docere non esse in Deo affectum, scilicet passionem, ut est in nobis: sed tamen negat esse in eo actum verum odii erga malos, quod tamen non advertit Trigosius.

Q. 3. An in Deo sit desiderium, & fuga? Resp. ex Seraph. Doct. *l.1. d.45. q.1.* non esse in Deo respectu sui: ratio est, quia appetitus, desiderium, & fuga est in nobis, eo quòd voluntas nostra distat à fine, ob idque est indigens, hincque in ea est fuga, & appetitus, caditque in ea tristitia, & malitia: In Deo verò est omninò conjuncta fini, ob idque summa lætitia, & justitia: Addimus tamen, quòd respectu nostri boni adest desiderium,

& fuga mali in Deo, de quo plena est sacra Scriptura, & Seraph. Doct. sæpè id inculcat. Ex quibus patet etiam, in Deo non esse spem, quia ejus voluntas summo bono est unita, & una; & multò minus desperationem; esse autem summam delectationem omninò divisam à quacumque tristitia.

Q. 4. An in Deo sit ira? Resp. cum communi negativè, loquendo de ira propriè dicta, quia de se involuit perturbationem animi: Ideò dicitur ira in Deo solùm tropicè, quatenus irasci videtur contra peccatores, eos puniendo, ideò solùm dicitur habere signa iræ in ordine ad nos. Vid. Seraph. Doct. *l. 1. d. 10. q. 2. ad 4. & d. 45. dub. 10. & de ira Christi l. 3. d. 15. q. ult.*

Q. 5. de aliis actibus voluntatis, an sint in Deo? R. esse in Deo intentionem, electionem, & usum, & fruitionem; ista enim sunt de ratione voluntatis, & dicunt perfectionem: non verò esse fidem, & spem, quia intrinsecè involuunt imperfectionem: Et quoad virtutes cardinales in Deo non sunt, quæ versantur circa passiones, ut temperantia, fortitudo, mansuetudo, licèt quoad effectus prædicentur aliquando de Deo: quæ verò circa voluntatem, & operationes puras voluntatis versantur, sunt verè in Deo, ut liberalitas, magnificentia, aliæque similes.

274 *Q. 6. An justitia, & misericordia sit in Deo?* Nota, quòd hìc non est sermo de justitia generali, quæ amplectitur omnes virtutes, & rectificat omnes operationes ad Deum, ad proximum, & ad nos ipsos, & constituit hominem justum, & sanctum, de quo Seraph. D. *Comp. Theol. l. 5. c. 34. & 37.* Sed de justitia, quæ in æqualitate communicationum, & distributionum stat: Ideò alia est commutativa, quæ dicitur arithmetica, quæ consistit in mutua datione, & receptione: Alia distributiva, in distributione bonorum communium secundùm qualitatem meritorum.

Resp. primò, quod justitia commutativa in rigore accepta, & quatenus importat obligationem rigorosam, non est in Deo: hæc enim respicit quidem justitiam meritorum, dignitatemque, & ob id debitum in Deo; quatenus tamen fundata est in donis gratuitis datis à Deo, in ipso Deo verè invenitur: Prima pars patet, quia Deo implicat obligatio debiti ad nos: Secunda pars est clara, quia hoc est proprium divinæ largitatis, & fidelitatis divinæ, & promissionis: Verum tamen est, quod ultra fidelitatem, & promissionem aliquid aliud actus concurrit ad remunerationem meritorum, quod spectat ad justitiam non rigorosè sumptam: de qua materia alibi agendum est, & fusè disserunt doctissimè è penu Seraph. D. P. Gaud. *d. 19. q. 1. & alii.*

Quoad justitiam distributivam, quia ista essentialiter continet obligationem distribuendi dignitates justè secundùm proportionem meritorum, & non ex liberalitate: nec ista est rigorosè in Deo, cum sit ipse Dominus omnium absolutus, & independens, donans sua dona pro libito suo, & secundùm dictamen suæ infinitæ sapientiæ: Addimus tamen etiam intervenire aliqualem rationem talis justitiæ distributivæ, supposita tamen sua infinita liberalitate; de qua materia. Vide Seraph. Doct. *l. 4. d. 46. a. 1. q. 2. & l. 3. d. 27. quæst. 2.* & P. Gaud. *cit. q. 2.*

Quoad misericordiam. Resp. in Deo esse misericordiam prout dicit promptitudinem ad sublevandum alienas miserias: non verò prout importat compassionem internam: illud enim dicit perfectionem, istud imperfectionem: Et hinc addimus, in omnibus operibus Dei, concurrere Dei misericordiam, & justitiam: De quo Seraph. Doct. *lib. 4. d. 46. art. 2. per totum*, & P. Gaud. *cit. q. 4. & seq.*

DISPVTATIO VII.

De divina Providentia.

Consideratis iis, quæ absolutè, & specialiter ad divinum intellectum; & voluntatem spectant, procedendum consequenter est ad considerationem eorum, quæ respiciunt simul intellectum, & voluntatem, quatenus ordinantur ad perducendum creaturam in suos fines, & præcipuè in finem supernaturalem: suntque providentia respectu omnium creaturarum, prædestinatio, & reprobatio respectu rationabilium, & in ordine ad æternam salutem, & damnationem: hinc præsens Disputatio erit de providentia, quæ est voluntas Dei, per quam res omnes aptè, & congruè gubernantur, ut notat Seraph. Doct. *ad cap. 14. sap. ut mox dicetur.*

QVÆSTIO I.

Quid, & qualis sit providentia? Et an sit in Deo?

276 Titulus quæstionis quærit, quid sit providentia, nempè qualis virtus, & an sit actus intellectus, an verò voluntatis; & ista an sit in Deo: Quoad primam partem tituli quæstionis, cum omnes Theologi fateantur in divina providentia concurrere actum intellectus, & voluntatis, quæstio est, *An ratio formalis consistat in intellectu, an in voluntate, an in utrisque simul.*

Prima opinio est Thomistarum, asserentium consistere in actu intellectus disponentis media ad finem, quatenus tamen est à voluntate imperatus; undè post tale imperium, subsequitur providentia: sic Joan. à S. Thoma, *d. 7. a. 2.*

2. Opinio est opposita, docens, consistere in

voluntate, ad hancque partem P. Gaud. quæst.1. trahit Seraph. Doct. sed malè.

3. Opinio communior est Seraph. Doct. Molinæ, Becani, aliorumque docentium, consistere in intellectu, & voluntate, in primo inchoative, in secunda completivè, sicuti & prædestinatio. Quoad primam partem Atheistæ, Philosophi gentiles, Cicero, & alii infideles negant in Deo providentiam: sed communis Catholicorum est de fide, in Deo esse providentiam circa omnia creata. Pro solutione.

Not. 1. quod cum prædestinatio sit species providentiæ, eodem modo discurrendum in hac materia de utraque: & cum utraque sit species providentiæ, consequenter eamdem rationem formalem debemus recognoscere in ordine ad intellectum, & voluntatem. Providentia igitur cum sit habitus virtutis, necessariò exigit ad suam rationem ordinationem mediorum ad finem, & hoc spectat ad intellectum, sed tamen ut sit habitus virtutis; debet ipsi addi supra cognitionem aliquid, quod distrahat in genus virtutis, respiciens voluntatem: & ratio est, quia, hæc ordinatio, & cognitio est non speculativa, sed practica, quæ consistit in executione: sic & eodem modo discurrendum de providentia, & prædestinatione, quæ dicit duplicem ordinem: Unus est dispositio rerum in universo, & hîc appropriatur scientiæ: Alter est directio activa in finem, & hic appropriatur bonitati, & voluntati, & sic complectitur scientiam cum voluntate. Sic Seraph. Doct. *lib.1. d.40. a.1. q.1. corp. & ad 1. & 2.* Et hæc est ratio, quare providentia multipliciter deffinitur a Sanctis Patrib. ut videre est apud Seraph. Doct. *op. Centil. p.3. sect.41. & op. declarat. termin.* S.Theol. Qui ipsam deffiniunt modò sub ratione cognitionis, modò sub ratione voluntatis, & executionis: & quia ad cognitionem ordinatio activa, & executio necessariò consequitur ad completam providentiam, hinc inchoativè dicitur esse in intellectu, completivè in voluntate.

Ordo providentiæ ita explicatur. Primò enim per scientiam mediam Deus prævidet omnia media, quibus potest quisque pervenire ad beatitudinem, si in hac, vel illa hypothesi rerum constituatur, & hoc ante decretum liberum Dei: hinc data hac prævisione, & ostenta voluntati tali ordinatione, additur complementum providentiæ ex actu voluntatis acceptantis ista media: indè enim habet efficaciam providentia, & prædestinatio divina. *Sic & Seraph. Doct. cit. & ar.2. q.1. Suar. l.1. de prædest. c.7. aliique plures.*

177 Not. 2. quòd in hac sententia Seraph. Doct. major difficultas est intelligere quomodo idem habitus virtutis possit pertinere simul ad intellectum, & voluntatem (quæ difficultas etiam currit in prædestinatione, ut infra dicetur) sunt enim duæ potentiæ distinctæ, habentes diversa objecta, & simul ordinem inter se, difficileque videtur qualiter convenire possunt ad constituendum unicum habitum per se: & licèt in Deo sint unum, & idem formosissimè, tamen diversificantur penès objecta connotata: Undè pro intelligenda, & solvenda hac difficultate, facit mirabiliter doctrina, quam in simili tradit Seraph. Doct. *l.2. d.25. p.1. q.5.* dicens, quod liberum arbitrium de formali dicit, quid unum spectans ad intellectum, & voluntatem, non quòd superaddatur utrique nova qualitas, sed quatenus sunt simul istæ duæ potentiæ idem realiter in anima identificatæ, intellectus dicit relationem ad voluntatem; in ordine ad concurrendum ad unum actum secundùm naturalem aptitudinem, eo modò, quo plures concurrunt adferendum pondus, potentia unius non addit ad potentiam alterius aliquid, sed tantùm facilitatem, & concomitantiam ad unum actum. *Sic & lib.3. d.23. a.1. q.5. corp.* applicat eamdem doctrinam habitui fidei, qui simul informat intellectum, & voluntatem, estque una ratione unitatis substantiæ animæ, in qua identificatur, sicut una sanitas dicitur in omnibus membris: ita tamen, quod id, quod attingit intellectum se habet per modum materialis, & id quod respicit voluntatem, per modum formalis: sic & in casu nostro docet *l.1. d.40. part.2. ad arg.*

Concl. 1. Providentia prout dicit ordinationem rerum in finem spectat essentialiter ad intellectum, & voluntatem, sed principaliter ad voluntatem. Est Seraph. Doct. *l.1. d.40. a.1. q.2. Brevil. p.1. c.9. Centil. aliisque locis.* Prob. primò, quia providentia est prudentia, sed hæc primò dicit ordinationem activam intellectus mediorum ad finem, & secundariò completivè executionem voluntatis, ergo, &c. major est certa, nec minor potest negari, quia disponere spectat ad intellectum simul & proponere voluntati, sed causalitatis executio spectat ad voluntatem, ergo, &c. Prob.2. ex multiplici definitione, quam tradunt Patres, & Philosophi, ut dictum est, & affert S. Bon. *in Centil. cit.* sed istæ modo ei tribuunt cognitionem, modo causalitatem voluntatis, ergo, &c. subsumo, sed ordinatio intellectus non est providentia completa, ergo aliud superaddi debet; ergo directio activa voluntatis, quæ complet ipsam rationem providentiæ: gubernatio enim est complementum formale providentiæ, sed ista est actus voluntatis, ergo, &c.

Objic. cum Joan. à S. Thoma *cit. num.1*. Providentiæ objectum proprium est aliquid ut ordinabile, & cognoscibile ad agendum, & ordinatè disponendum, sed hoc spectat ad rationem veri, ergo & ad objectum solùm intellectus: Confirmatur, quia voluntas nihil potest rectè agere, nisi præostenso ordine, ergo, &c. Resp. disting. majorem, objectum providentiæ est aliquid ordinabile, ut agendum ab intellectu inchoativè, concedo; completivè, nego: Si enim ordinatur medium ad agendum, ergo requiritur causalitas voluntatis executiva, & actualiter dispositiva ordinata ad actum secundùm.

Concl. 1. In Deo est providentia de omnibus 178
rebus. Est articulus de fide, & ideò omnium Catholicorum, & habetur ex locis plurimis sacræ Scrípturæ adductis à Seraph. Doct. sparsim in suis scriptis, quorum multos textus adducit P. Gaud. *cit. q.2.* Probat autem Seraph. Doct. *op. Brevil. p.1. c.9.* doctissimè hanc veritatem tali pacto: Voluntas Dei, quia est recta, imò ipsa rectitudo, ideò non potest obliquari, & sic efficax, quod nullo modo potest impediri, sic etiam una, ut tamen multiformiter habeat significari: & cum sit prima & summa causa omnium specierum, & motionum, ideò nihil in universa creaturæ Republica potest esse, vel fieri, quod non de illa imperiali aula summi Imperatoris, aut jubeatur, aut permittatur, secundùm ineffabilem justitiam, præmiorum, pœnarum, retributionum, & gratiarum.

Et quia ista voluntas ratione regulata dicitur providentia, hinc est, quod omnia quæ in universo fiunt aguntur, & reguntur divina providentia, quæ per omnia est irreprehensibilis, quæ nihil præcipit, prohibet, vel consulit, nisi justè, nihil agit nisi benè, nihil permittit injustè: ratio autem prædictorum

dictorum est, quia primum principium, cum sit summè nobile, & voluntatem habet, & nobili modo habet, idcóque rectissima, & efficacissima est: rectissima, quia idem in Deo est voluntas, & veritas: efficacissima, quia in eo idem est voluntas, & virtus, sive potestas, hinc & est regula rectitudinis, & fons, & origo totius efficaciæ: hinc omnis causa secunda necessariò dependet in operari ab ipsa, &c. Vide reliqua, quæ subdit altissimè ibid. Seraph. Doct.

Dices: multa mala, & inordinata, & casualia, fortuitaque in mundo eveniunt, ergo non omnia subjiciuntur divinæ providentiæ. Resp. S. Doct. peccata directè non subjacere divinæ providentiæ, quia ipsa non vult, sed tamen & ipsa aliqualiter subjiciuntur, supposito, quod creatura liberè ipsa committat, quia à Deo ordinantur vel ad bonum nostrum, vel ad manifestationem suæ infinitæ bonitatis, vel justitiæ: Ideò prout permittuntur sunt objectum divinæ providentiæ: Et quoad casualia, & fortuita, & inordinata, licèt ut talia à causis secundis eveniant, tamen à Deo, ut suprema causa ordinantur rectissimè ad gubernationem universi: unde licèt in eis deficiat ordinatio causæ particularis, non tamen causæ universalis: de qua materia aliàs actum est: Et Seraph. Doct. *l. 1. d. 46. q. 5. Vide P. Gaud. q. 3 cit.* qui plurimos textus, & eventus ex sacra Scriptura congerit ad id probandum.

Ex quibus duo præcipua in hac materia infert Seraph. Doct. Primum est ea D. Hieron. quod magis peccat, qui divinam providentiam accusat, quàm qui eam omninò negat: nam primus fatetur, Deum gubernare mundum malè, & perversè: secundus verò, quia credit, Deum esse ignorantem, & cæcum. Secundum est, quod providentia Dei est mystica scala Jacob (sic serm. 3. fer. 2. Pasch. & op. Brevil. cit.) per quam sicut res producit secundùm altitudinem virtutis summæ, sic ea regit secundùm rectitudinem virtutis, & perficit secundùm plenitudinem bonitatis, per media infima ordinando, & reducendo ad summa.

Quæres, An providentia divina, non solùm ordinet media ad finem, sed etiam ipsum finem consequatur semper? Prima opinio Cajet. aliorumque est affirmativa: secunda est negativa: Respond. autem Seraph. Doct. quod licèt Deus voluntate antecedente sua providentia ordinet media ad finem, qui sæpè non obtinetur, sumendo finem particularis causæ secundæ, tamen semper obtinetur aliquis finis. *Sic Seraph. Doct. l. 1. d. 46. q. 1. & per totam:* nam si quis ab assignato fine speciali, ordineque discesserit, necesse est, ut in alteram ordinis rationem relabatur, si evitat ordinem bonitatis, relabitur in ordinem justitiæ: undè semper quocumque modo operetur secunda causa, facit voluntatem Dei, & hoc ad sui utilitatem, vel ad sui damnum, & pœnam.

QUÆSTIO II.

An Deus providerit omnibus hominibus auxilia necessaria ad salutem?

179 CUm ad perfectam providentiam spectet, non solùm ordinare bonum finem, sed & tribuere, & providere media necessaria ad assecutionem talis finis: & cum Deus ordinaverit hominem ad beatitudinem, quæritur an etiam providerit omnibus media necessaria: Quæstio autem non proponitur de mediis remotis, seu remotè sufficientibus generalibus, ut sunt merita Christi, prædicatio Evangelii post ejus mortem, & in tempore legis naturæ, & scriptæ, prædicatio verbi Dei facta per Prophetas, & ministros sacros; institutio Sacramentorum tum veteris, tum novæ legis, & similia: nam certum est, Deum providisse mundum talibus auxiliis in omnibus sæculis: sed quæstio procedit de auxiliis proximis, tam internis, quàm externis: Nec item quæstio procedit, an omnes, & singuli habeant de facto talia auxilia necessaria: nam certum est, multos ea de facto non habere ex parte sui: sed quæstio est ex parte Dei, an Deus omnibus hominibus offerat auxilia sufficientia necessaria ad salutem, an aliquando, & aliquibus ea deneget.

1. Opinio negat, omnibus dari à Deo talia auxilia, sed aliquibus, ea de facto denegare: In qua opinantes sunt divisi in varia placita, & sensus: Aliqui negant ea in multis parvulis: Alii addunt etiam adultos, eisque denegant auxilia sufficientia intuitu solius originalis culpæ, ut infidelibus: Alii etiam denegant ea adultis Christianis ob demerita peccatorum actualium, ut legitur de Antiocho, Esau, aliisque peccatoribus perversissimis, quos relinqui volunt à Deo in puris naturalibus, de quo multiplici sensu. *Vide Gregor. l. 1. d. 46. q. 1. Abul. c. 4. Exod. q. 11. & c. 2. Deut. q. 10. Roffens. a. 36. aliosque paucos apud Suar. de providentia infra cit. &c.*

2. Opinio communissima omnium ferè Theologorum, & maximè classicorum Alens. D. Thomæ, Seraph. Doct. Scoti, aliorumque apud Belarm. l. 2. de gratia, & lib. arbitr. Vasq. Suarez de provid. *cap. 3. & 4. & in 3. part. d. 8.* de præscientia, & l. 3. de auxiliis *c. 8. n. 3 & cap. 6.* Deum quantum ea se tribuere omnibus auxilia sufficientia necessaria ad salutem. Pro solutione hujus gravissimæ quæstionis.

Not. 1. quod ab omnibus Theologis supponitur dari in Deo duplicem providentiam: Aliam phisicam, & aliam moralem: prima est, qua Deus regit, & dirigit omnes res secundùm proprium esse naturale, & phisicum: secunda est, qua dirigit, & regit actus morales, & liberos: & utraque est vel naturalis, scilicet secundùm exigentiam naturæ: vel supernaturalis, nempè super exigentiam naturæ, de qua naturali sufficienter actum est supra in quæstione de concursu Dei ad effectus causarum secundarum: In hac quæstione autem agitur de providentia ad actus morales in ordine ad creaturas rationales, liberè agentes. 280

Not. 2. quod aliud est non dare auxilium sufficiens, & aliud est illud negari à Deo: primum importat exhibitionem, sed negat acceptionem, ideò importat solùm negationem effectus, undecumque illa proveniat. v. g. ob indispositionem subjecti: Secundum importat negationem positivam auxilii ex parte Dei; & licèt aliæ causæ ad effectum satis dispositæ adsint, Deus tamen ad illas non vult concurrere: sic & dare auxilia dupliciter stat: Uno modo prout est correlativum cum accipere: Alio modo absque correlatione, prout dicit tantùm exhibitionem. Sic Seraph. Doct. *l. 1. dist. 18. q. 2. ad arg. & l. 4. d. 29. q. 1. ad argum.*

Not. quòd, sicut statutum est in pluribus Conciliis contra Pelagium, & Semipelagianos, ad actus supernatu-

supernaturales requiritur auxilium supernaturale, cum tales actus sint supra vim affectivam naturæ, ideoque requiritur talis concursus supernaturalis, tum ex parte causæ liberæ, ut elevetur, & ponatur in actu primo supernaturali, tum ex parte actus, ut entitativè sit supernaturalis.

281 Istud auxilium supernaturale à Theologis communiter ad duo capita reducitur: Aliud dicitur sufficiens: Aliud efficax: Sufficiens ponit voluntatem in statu sufficienti, ad hoc ut possit in actum secundum bonum exire: Efficax verò est semper conjunctum cum effectu, & conversione vera ad Deum: Sufficiens aliud est habituale, ut sunt fides, spes, aliæque virtutes infusæ, quæ præcisè de se non justificant animam, sed viam tantùm sufficienter parant, ipsamque disponunt ad justificationem: Aliud est actuale, quod per modum transeuntis concurrit ad sublevandam voluntatem, & adjuvandam in actuali productione actuum bonorum: Et hoc auxilium actuale sortitur diversa nomina, secundùm diversos effectus, ait Seraph. Doct. *l.* 2. *d.* 15. *a.* 2. *q.* 3. nempe nomen gratiæ excitantis, quatenus primò excitat, & movet voluntatem, præveniendo ad bonum opus; nomen gratiæ, adjuvantis, & operantis, cooperantisque, quatenus concurrit simultaneè cum voluntate ad elicitionem actus supernaturalis: dicitur & subsequens, quatenus pertingit simul cum voluntate ad effectum ultimatè.

Advertendum tamen quòd hoc auxilium sufficiens, seu præveniens maximam habet latitudinem, ut dicemus in sequenti fundamento: est enim, tum extrinsecum, tum intrinsecum, & utrumque est vel essentiale, idest debitum homini jure creationis, & redemptionis, quodque prævenit omne aliud meritum, præter meritum Christi Redemptoris. Aliud est supererogationis, consistens in peculiaribus illustrationibus, occasionibus, & excitationibus, quæ cadere possunt sub ratione aliqua meriti, nempe faciendo, quod in se est, supposito auxilio essentiali.

282 Not. 3. Quòd auxilium sufficiens habet aliquam rationem prædeterminativam, seu potiùs prædispositivam voluntatis, non phisicè, sed moraliter tantùm, quia prævenit quidem, sed tamen relinquit voluntatem liberam ad utramque partem contradictionis: Auxilium verò efficax, secundùm Thomistas, consistit in quadam gratia superaddita ipsi sufficienti, quatenus infunditur in anima, & per quam phisicè prædeterminatur ad eliciendum infallibiliter, & efficaciter actum justificationis, & conversionis perfectè, de qua infrà, & de qua fusè Joan. à S. Thoma *q.* 19. *a.* 5. *d.* 3. Nos verò cum communi dicimus, loquendo jure ordinario consistere, non quidem in aliqua gratia superaddita ipsi sufficienti, sed tantùm in cooperatione liberi arbitrii, quatenus amplectitur gratiam sufficientem, eique toto corde cooperatur, ob idque connotat infallibiliter effectum, pertinetque ad gratiam operantem, qua Deus ita hominem vocat, & in illo ita operatur, ut illum liberè operari, & consentire sinat, & coadjuvet: ad quam efficacitatem duo sequuntur: primum quòd detur à Deo ex proposito concurrendi, & salvandi hominem, ob idque appellatur à D. August. vocatio secundùm propositum gratiæ: Secundum, ut sit congrua vocatio, idest, quòd sit vocatio facta congruo tempore, & congruis circumstantiis, in quibus Deus scientia conditionata prævidit, hominem consensurum: Et hinc talis efficacia non est phisica, ut volunt Thomistæ, sed moralis, talisque est non secundùm propriam virtutem phisicam, vel motionem factam in homine, sed tantùm prout progreditur à Deo, & ut est sub divina directione: hocque modo salvatur omnimoda libertas hominis, dum per talem efficacitatem non ponitur antecedenter aliquid in voluntate præmovens causaliter voluntatem efficaciter, nec aliquid includitur in ea, quod non includatur in sufficiente, si homo hanc amplectatur: Et hinc sequitur, ut notat Lessius disp. de prædestin. quòd gratia, quæ à Deo datur prædestinatis non distinguitur ab ea, quæ datur reprobis, nisi ex effectu, & cooperatione nostra, quæ pendet à libertate nostra; unde ante absolutam prævisionem nostri usus liberi arbitrii, eodem modo se habet Deus cum electis, & reprobis; alioquin, cum sit adjutor electorum, videretur Deus insidiator salutis reproborum: Si enim Deus solùm præberet electis gratiam, quam scit habituram effectum, licèt eos sua providentia adjuvaret; his tamen videretur insidiari, eis dando solùm illam gratiam, quæ frustranda esset, & non efficaciorem: de qua materia aliàs. Vide Suar. de auxil. *l.* 3. *c.* 14. *num.* 4. *seq.* & *l.* 5. *c.* 29. *n.* 13. *tom.* 2. *de gratia.*

Not. 4. ex Trigosio nostro, *q.* 16. *a.* 8. *dub.* 5. quòd 283 auxilia, quibus Deus solet concurrere cum peccatore sunt in quadruplici ordine: In primo sunt bona naturalia, ut potentiæ animæ, animi dotes, bona indoles, bona extrinseca, ut cibum, elementa, aliaque similia: In secundo ordine sunt particulares eventus, ut bona valetudo, morbi, divitiæ, casus, quæ omnia, sicut & antecedentia, etiam à Sanctis appellantur nomine gratiæ, nempe quatenus conducunt ad salutem, in quo sensu sunt effectus prædestinationis: de quibus Seraph. Doct. *l.* 2. *d.* 4. *a.* 1. *q.* 2. *ad* 1. & *d.* 27. *dub.* 1. & *d.* 28. *a.* 2. *q.* 1. *per totam*, & Centil. *p.* 3. *serm.* 35. & Breuil. *p.* 5. *c.* 2. & Comp. Theol. *l.* 5. *c.* 3. In tertio ordine sunt auxilia extrinseca supernaturalia, ut doctrina revelata prædicatio Verbi Dei, lectio sacra, miracula, bona exempla, Sacramenta, & similia: In quarto ordine sunt interiora, quæ respiciunt intellectum, & voluntatem, ut sunt cognitiones, illustrationes, motiones, excitationes internæ, & peculiares, in quibus Deus servat, & procedit ut plurimùm gradatim exemplo ignis, qui primò gradum primum caloris introducit, deinde secundum, & cæteros successivè, & tandem ignem: Sic Deus ordinariè primò incipit à generalibus auxiliis, semper præsto existens cum sua gratia præveniente, quibus, si non ponatur obex, superaddit alia, & alia ulteriora, quod tamen intelligendum est de lege ordinaria, non de vocationibus extraordinariis factis à Deo, ob bonum universale Ecclesiæ, appellanturque vocationes singularis excellentiæ, ut fuit consensus B. Virginis ad Incarnationem, Vocatio Apostolorum, Sanctificatio Joannis, Conversio Magdalenæ, & D. Pauli, in quibus fit vocatio cum tanta efficacitate gratiæ, & cum tanta, & tali exhibitione motionum, circumstantiarum, & objectorum, quòd, licèt ipsorum voluntas non cogatur, infallibiliter tamen trahitur suaviter ad consensum.

Advert. etiam, quòd, cum vocatio præveniens maximam habeat latitudinem, ponatque voluntatem in actu primo, datur à Deo aliquando cum majori intentione, & copia uni, quàm alteri, & aliquando cum minori fit conversio in uno, & non in altero cum majori: Ad hoc etiam concurrunt complexio, capacitas, habitus boni, vel

mali, affectus humani, occasiones proximæ, &c. quæ maximè vel conducunt, vel difficiliorem reddunt conversionem. Vide Seraph. Doct. *l.* 2. *d.* 27. *a.*2. *q.* 1.

284 Not. 5. quod potissima difficultas in hac quæstione est in ordine ad parvulos decedentes sine Baptismo, Gentiles, reprobos, & obstinatos, quibus videtur prima facie, Deum non præparasse, vel non exhibere media sufficientia ad salutem consequendam, neque eis voluisse gloriam nec mediatè, nec immediatè, nec formaliter, nec virtualiter in mediis: Unde videntur isti miseri exclusi ab illa generali voluntate, qua Deus vult omnes homines salvos fieri, vult, inquam, efficaciter, quantùm est ex parte Dei; & quia vult quantùm est ex se, ideo præparavit, & præparat in tempore media necessaria, ut in superioribus diximus ex Seraph. Doct. & communiter ex aliis Theologis: In qua difficultate Vasq. nimis rigidè contra sensum aliorum Theologor. concedit quosdam, ut parvulos, exclusos fuisse ab hac generali voluntate, eisque positivè negatum, ut eis adhiberentur, applicarenturque media sufficientia ad salutem, qui, ut dictum est, rejicitur communiter à recentioribus apud Mastrium, *d.* 5. *n.* 26.

Pro tollendo tamen hoc nodo, advert. quòd ad hoc, ut per Dei providentiam media necessaria ad salutem dicantur, v. g. parvulis, præparata, sufficit, quod verè fuerint ab ipso in finem supernaturalem ordinati, & ex ordine ad talem finem ea media sint illis eo modo præparata, ut per diligentiam humanam possint verè ipsis applicari, nisi per concursum alicujus causæ contingentis, talis applicatio fuerit impedita: (dixi notanter, nisi per concursum causæ contingentis talis applicatio fuerit impedita) quia, si talis applicatio impediretur per concursum causæ necessariæ regulariter inimpedibilis, frustra diceremus hæc media præparata, cum ex adverso præparata quoque fuerit causa necessariò eorum applicationem impeditura: Ad generalem autem Dei providentiam non spectat, quòd omnem concursum cujuscumque causæ secundæ contingentis impediturae talem applicationem suspendat (sicut in fornace Babilonis suspendit ignis concursum) sed tantùm ad specialem, quam circa electos exercet, & sufficit, ut sufficientia remedia jam ab ipso constituta ita præparet, ut omnibus infantibus applicari possent interventu causarum secundarum, cursu earum non immutato: Unde si impedimentum ex parte ipsarum acciderit, quominus applicari valeant, illud Deus nequaquam auferre tenetur, ex ratione, qua vult illos salvos fieri, quia ratione generalis providentiæ vult omnes salvos fieri voluntate antecedente concursu causarum secundarum non immutato: Et hinc sequitur ejusmodi impedimentum, quo applicatio remedii sufficientis infantibus interdum impeditur, non esse ex primaria intentione divina, sed ex secundis tantùm volitum, & ordinatum eo modo, quo dicitur à Theologis, eosdem infantes, & reprobos creatos à Deo, ut salvi fierent ex primaria intentione Dei, ex secundaria verò tantùm, ut damnarentur, scilicet supposito impedimento proveniente ex causis secundis contingentibus: hocque impedimentum, si sumitur ex parte providentiæ particularis ad illum infantem, dicitur evenire præter intentionem Dei, & permissivè: si sumitur ex parte providentiæ generalis naturalis, non dicitur evenire præter intentionem Dei, sed volitum positivè, quatenus legem statutam conservant sinendi causas secundas agere motus suos: Idem & dicendum de eo, qui existens in peccato mortali incidit inopinatè in amentiam. Hæc ex Mastrio loc. cit. qui etiam fusè probat, Deum præbere sua auxilia gentibus omnibus. His prænotatis, sit.

Concl. 1. Auxilium sufficiens collocat hominem in actu primo ad exeundum in actum secundum, absque eo, quòd necessariò requiratur aliud auxilium prædeterminans voluntatem, loquendo de adultis. Est Seraph. Doct. *l.* 2. *d.* 7. *p.* 1. *q.* 1. *in corp.* & *d.* 27. *q.* 6. & *d.* 27. *dub.* 2. & *d.* 28. *a.* 2. *q.* 1. & *seq.* *n.* 3. *corp.* & Brevil. *p.* 5. *c.* 2. Cum Seraph. Doct. communiter sentiunt, exceptis Thomistis, alii Theologi apud Suar. *l.* 3. de auxiliis *c.* 6. Becan. Lessius, &c.

Probatur autem, quia si talis gratia gratis data non esset verè sufficiens ad disponendum de congruo peccatorem ad recipiendam gratiam justificantem, esset auxilium sufficiens tantùm nomine, non re, quod est contra determinationem Conc. Trident. Tum quia aliàs non esset tribuendum culpæ, si homo non converteretur, cum de se non possit habere auxilium illud prædeterminans: Tum quia aliàs impossibilia juberentur, quod est contra Conc. Trid. ergo, &c.

Concl. 2. Omnibus hominibus post Adæ lapsum 285 sic provisa, & parata, & oblata sunt à Deo auxilia sufficientia ad salutem, ut nemini unquam ea deneget. Sic Seraph. Doct. plurimis locis, præcipueque *l.* 1. *d.* 39. *dub.* 6. ubi expendit illud Sap. *c.* 6. & *c.* 12. æqualiter est illi cura de omnibus: dicitur (æqualiter) ut excludat à Deo acceptionem personarum: dicitur (de omnibus) ut ibi distribuat pro hominibus, nempe pro magnis, & parvis, pauperibus, & divitibus, sicque est ei cura æqualiter de omnibus, quia ita vult salutem omnium: quem textum etiam ibid. in exposit. lib. Sap. exponit, dicens, quòd providentia est in ordine ad naturalia de omnibus: de rationalibus autem est cura disciplinæ, & quoad gratuita: Idem & fusè probat in illud 1. Tim. *c.* 2. Vult omnes homines salvos fieri & *l.* 2. *d.* 18. *a.* 1. *q.* 3. *ad* 1. & *a.* 2. *q.* 1. *corp.* & *d.* 29. *a.* 1. *q.* 2. *ad* 5. & *l.* 3. *d.* 32. *a.* 1. *q.* 3. *ad* 5 & *d.* 37. *q.* 1. *ad* 5. Sic & Alensis plurib. loc. & communis alior. Theolog. apud Bellarm. l. 2. de grat. & *lib. arb. c.* 5. & 7. Suar. &c.

Prob. 1. ex Ecclesiastico *c.* 15. ubi docet esse in manu nostra observare mandata Dei, & ante nos positum esse bonum, & malum, &c. & Deuter. *c.* 30. *Mandatum, &c. non est supra te*: Et ad Phil. *c.* 4. *Omnia possum in eo, qui me confortat, &c.* Explicat Seraph. Doct. ista loca, sic: quia gratia Dei semper est nobis prompta, & oblata: Adsunt & alia plura loca S. Script. apud citatos Theol. quibus patenter probatur, Deum offerre suam gratiam, & auxilia omnibus, ut salvi fiant: quod si effectus non sequitur, id non Deo, sed nobis est imputandum, ut verè docet Seraph. Doct. Centil. *p.* 3. *serm.* 36 & *l.* 3. *d.* 25. *a.* 1. *q.* 1. *ad arg.*

Prob. 2. Deus condidit rationalem creaturam, ordinando illam in finem supernaturalem beatitudinis, nec enim eam in pura natura creavit, ut ibi sisteret, sed in natura elevata in finem supernaturalē, ergo dare voluit omnibus hominibus voluntate vera, & positiva, & reali gloriam, & beatitudinem: Antecedens est de fide, consequentia est evidens: Implicat enim, Deum quempiam ordinare in finem aliquem, & positivè non velle, saltem inefficaciter illius finis consecutionem: media enim non dantur, nisi in ordine ad finem, sed consecutio talis finis exigit media supernaturalia excedentia

vim naturæ, quæ à ſolo Deo poſſunt haberi, ergo, ſi hominem vult ad gloriam, ei etiam debet offerre media neceſſaria.

Prob. 3. quia voluntas, qua Deus vult ſalutem noſtram, non eſt ſimplex complacentia, quæ habet tantùm pro objecto poſſibilitatem ſalutis: nam (ut docuimus *in lib. de anima tract. 3. q. 6.*) ſimplex complacentia correſpondet ſimplici apprehenſioni, & ideo præſcindit ab exiſtentia objecti voliti, ſed eſt efficax, ordinans de facto hominem ad beatitudinem, & illi exhibens media neceſſaria, ergo Deus omnibus providit apta media: Deus enim verè deſiderat noſtram ſalutem, ob idque de ſe, quantùm in ſe eſt, ponit cauſam proportionatam, ut ſequatur objectum, & effectus volitus.

286 Dices: cum multi damnentur, ſequitur non eſſe efficacem illam voluntatem, ob idque non dare illis media neceſſaria.

Reſp. Dei voluntatem ex parte ſui eſſe efficacem, non verò omnino abſolutam, ſed cum limitatione relinquendi hominem in ſua libertate, ideo, quia multi nolunt, ideo ex parte objecti ſolùm, dicitur inefficax. Vide quæ notat Seraph. Doct. *l. 1. d. 46. q. 1.* Sed hæc concluſio magis patebit ex ſolutione objectionum, quæ ſunt multæ, & graviſſimæ: hinc ad ipſas tranſeamus.

Objectio prima deſumitur ex variis textibus Sacræ Scrip. ex quibus videtur, quod Deus velit poſitivè damnationem multorum, eoſque excæcare, & indurare, ſic Joan. *c. 12. Excæcavit eos, propterea non poterant credere:* Et ad Romanos 9. *Cujus vult miſeretur*, & quem vult *indurat*, & Exod. 9. ſic & plura alia loca conſimilia afferuntur à Theologis, & à Seraph. Doct. *Ioan. c. 12.* & à Caſpenſi, de prædeſtinatione *d. 5. ſect. 3. & aliis.*

Pro ſolutione, advertendum, quòd aliquid dicitur impoſſibile multis modis: primum dicitur aliquid impoſſibile conſequens, proveniens ex electione libera conditionaliter præcognita, & dicitur conditionatum: Secundum provenit ex libero amore alicujus finis, quo liberè tenento, neceſſarium eſt eligere media neceſſaria ad hunc finem conſequendum, & impoſſibilè amplecti ea, quibus ejuſdem finis conſecutio, & amor impeditur: Tertium dicitur impoſſibile, quod involvit difficultatem boni, & proclivitatem ad malum, de quo etiam agit Ariſt. *l. 1. de cælo cap. 11.* Quartum, quod raro contingit: Quintum, quòd valdè abhorret voluntas: Sextum quod oritur ex diuturna conſuetudine, unde conſuetudo dicitur altera natura: Unde textus Sacræ Script. objecti debent intelligi ſecundùm ſubjectam materiam; nempe ob difficultatem rumpendi malam conſuetudinem, vel ob permiſſionem divinam, ſic exigentibus peccatis, vel ob deſtitutionem auxiliorum, non quidem eſſentialium, ſed aliquorum ſpecialium de quo vide Seraph. Doct. in Ioan. c. 12. Caſpenſ. &c.

Ob. 2. Multi parvuli moriuntur in utero matris abſque Baptiſmo, vel occiduntur, vel pereunt, ergo patet, illos deſtitui omni auxilio ſufficienti.

Nec valet, ſi dicas cum Faſolio, Deum velle iſtos ſalvari conditionatè, ideſt, ſi ipſi velint, vel eorum parentes, quia multi moriuntur, etiam invitis parentibus. Multò minus valet reſponſio aliorum dicentium, Deum providiſſe remedium generale: nam aliud eſt loqui de inſtitutione remedii, aliud de applicatione: Unde argumentum urget, non de inſtitutione remedii, ſed de applicatione, quæ à Deo volita non videtur, & preparata nonnullis parvulis.

Vaſq. Reſp. Deum velle ſalutem omnium, ſcilicet adultorum, ſed tamen aliquibus parvulis negatum eſſe poſitivè auxilium ſufficiens: quæ reſponſio ab omnibus rejicitur, ut nimis dura, imò etiam periculoſa, ut advertunt Suar. Pennot. & alii: nam propoſitio Pauli eſt generalis, loquens de omnibus, ut patet ex contextu, ut rectè notat Suar. *l. 1.* de prædeſtinatione, & *l. 4. de auxil. c. 8. n. 4.*

Cajet. *q. 68. a. 11.* Reſp. ſic Deum providiſſe ſufficientia remedia parvulis omnibus ad eorum ſalutem neceſſaria, ut tam in materni uteris periclitantibus, ibique morientibus, quàm etiam aliis ad Baptiſmum pervenire non valentibus ſubveniri poſſit, eaque alia non eſſe, niſi eundem Baptiſmum in voto parentum ſuſceptum, cum aliquo præcipuè exteriori ſigno, ſcilicet cum aliqua ipſius prolis benedictione, ſeu illius oblatione ad Deum facta cum invocatione Sanctiſſimæ Trinitatis: quæ ſententia ab omnibus rejicitur, ut parum tuta, & adverſans teſtimonio claro Chriſti Joan. *cap. 3. Niſi quis renatus fuerit ex aqua, &c.* ſic Vaſq. & Meldul. Imò Vaſq. addit juſſu Pii quinti, hanc ſententiam Romæ expunctam fuiſſe ab operibus Cajetani: Certum enim eſt, ſolùm baptizatos vel Baptiſmo aquæ, vel ſanguinis ex peculiari privilegio ſalvari, reliquoſque damnari.

Communis reſponſio Theologorum eſt, Deum etiam parvulis providiſſe auxilia neceſſaria quantùm eſt ex ſe, ex hoc, quod ordinati fuerunt à Deo ad finem ſupernaturalem, & ex tali ordine ad talem finem ea media ſunt illis præparata, ita ut per diligentiam humanam poſſint verè applicari, niſi per concurſum alicujus cauſæ contingentis, talis applicatio fuerit impedita.

Dices: Agens liberum non removens prohibens conſecutionem alicujus effectus, quando poteſt, cenſetur velle talem effectum; ſed Deus præſcit talem mortem eventuram, poteſtque ipſam impedire, nec impedit, ergo patet, ipſum non velle ipſius ſalutem. R. doctiſſimè Seraph. Doct. *l. 2. d. 32. a. 3. q. 2. ad 6. & in corp. & l. 1. d. 46. q. 1. & d. 47. q. 3* quem etiam ſequuntur alii Doctores: nempe quia Deus, cum ſit omnium rerum Conditor, Conſervator, & univerſalis Proviſor, & Adminiſtrator, debet plus adſpicere ad rectum ordinem univerſi; hic autem exigit, ut res conditas ſic adminiſtret, ut ſinat ipſas agere proprios motus, nec ob id debet impedire per miracula operationes ſecundarum cauſarum, & maximè liberarum: quare ſi impedimentum aliquod accidit contingenter ab aliqua cauſa ſecunda, quæ poterat ipſam evitare, non ob id Deo eſt imputandum: ſufficit enim, ut generaliter provideat media neceſſaria, & maximè, quia Deus, cum ſit omnipotens, ſcit, & valet elicere majora bona ex talibus malis, quæ ex primaria intentione ipſius non evenirēt, alioquin totius orbis ordo cōtinuè immutaretur.

Ob. 3. Sunt in mundo multi gentiles, & infideles, qui nunquam Evangelium audierunt, & per conſequens carentes fide, quæ eſt ex auditu; ſed fides eſt unum, & præcipuum ex mediis neceſſariis ad ſalutem, ergo iſtis non exhibentur media neceſſaria ad ſalutem. R. quod infideles ſunt in triplici ordine, ut obſervat Suar. cit. Alii ſunt, quibus non ſolùm prædicata eſt fides, ſed etiam donata, ab illa tamen poſtea per apoſtaſiam ceciderunt, ut ſunt Lutherani, &c. Alii, quibus ſufficienter prædicata eſt, ſed illam noluerunt amplecti, licèt confirmata fuerit per maxima miracula, aliiſque proportionatis circunſtantiis, ut factum eſt tempore perſecutionis Eccleſiæ, & nunc apud Turcas: Alii, qui vel nihil audierunt de fide, vel ſufficienter non eſt illis propoſita.

De primis, & ſecundis nulla eſt dubitatio, ipſos

habuisse sufficientia media externa, & simul interna, quibus Deus infoitès revocare voluit eos à pessimo statu, in quo vivebant: De tertiis dicendum est cum Apostolo, eos velle salvos, & ad agnitionem veritatis venire; & ad hoc exhibuit eis legem naturæ, in qua nulla datur excusatio (ait Seraph. Doct.) eis remulsum conscientiæ in malorum perpetratione indidit; eis illuminationes in intellectu tradit ille, qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum; eis per Angelus Custodes inspirat falsitatem suæ sectæ: unde si obtemperassent talibus auxiliis internis, & externis, eis etiam majora auxilia, & fidem per aptos ministros inspiraret, ut patet in Gentile Centurione per Petrum converso: Unde si damnantur, non est ob deffectum fidei, sed ob alia gravia perpetrata contra legem naturæ.

Quæstio Lateralis.

187 Ut autem hæc doctrina magis pateat, disquirunt Theologi, in quo sensu sit vera illa propositio Theologica, quæ per ora omnium versatur: facienti, quod in se est, Deus non denegat gratiam. Suar. affert varia Theologorum responsa, & præcipuè dicentium; facienti, quod in se est, scilicet secundùm vires naturæ, Deus non denegat gratiam, quatenus non ponit obicem gratiæ. Quæ responsio rejicitur communiter, cum accedat ad errorem Semipelagianorum, qui admittebant in viribus naturæ aliquam dispositionem ad gratiam. Seraph Doct. *l. 2. d. 28. dub. 4. & a. 2. q. 1. & 4. & q. ult.* Sic exponit accutissimè: facere, quod in se est, potest intelligi dupliciter: primò positivè: secundò privativè: primo modo est facere aliquid ordinatum ad gratiam, & disponens ad illam, vel de congruo, vel de condigno, & hoc fit auxilio gratiæ gratis datæ, & prævenientis: secundo modo est facere aliquid, non ut ordinatum, & disponens ad gratiæ susceptionem, licet sit bonum moraliter, quod fit, & hoc non est dispositivum ad gratiam, nisi impropriissimè: hoc secundo modo homo destitutus omni gratia, solo lumine naturali, & instinctu bono innato potest facere aliquod bonum, sed tamen non dispositivum ad gratiam. Addit Seraph. Doct. *q. 1. d. 16. cit.* quòd vix, aut nunquam homo destituitur omni gratia gratis data: nomine autem gratiæ gratis datæ non solummodo intelligitur illa, quam enumerat Apostolus *1. Corint. cap. 12. Alii datur sermo, &c.* Sed etiam, quidquid illud sit, quod superadditum est naturalibus adjuvans aliquo modo, & præparans voluntatem ad habitualem gratiam, vel ad usum ipsius; sive illud gratis datum sit habitus, sicut timor servilis, vel pietas aliquorum visceribus inserta ab infantia; sive etiam sit aliquis actus, ut aliqua vocatio, vel locutio, qua Deus excitat animam, ut se præparet, quæ omnia semper sunt conjuncta cum aliqua excitatione interna grans data: Et hinc optimè respond. Theologi, facienti, quod in se est, idest obtemperanti nutoribus auxiliis, sive remotis, sive proximis, Deus confert ulteriorem gratiam, ex eo quod Deus semper præsto est in opportunitate, quæ est, dum adsunt occasiones bonæ, & præcipuè quando fiunt operationes bonæ supererogationis, ut sunt eleemosinæ orationes, auditio verbi Dei, &c. sic Suar. *cit. cap. 10.* Et ideo, si homo ista negligit, mirum non est, quòd Deus ulteriora auxilia deneget, sed sibi homo imputare debet suam ruinam.

Ob. 4. de reprobis, quibus videtur omnino Deus denegare auxilia ad salutem necessaria ex eo quòd videtur Deus eos creasse non alio fine, nisi ut in eis exerceat suam potentiam, & justitiam: idque colligitur à Calvino, Beza, aliisque hæreticis apud Bellarm. *l. 2. de amiss. gratia c. 12* ex aliquibus textibus Sacræ Scripturæ malè intellectis, ut Exod. *c. 9.* ubi dixit Deus Pharaoni: Idcirco posui te, ut ostendam in te fortitudinem meam: vel ut legit Apostolus ad Rom. *c. 9. In hoc ipsum excitavi te, ut ostendam in te virtutem meam:* & proverb. *16. Universa propter se ipsum operatus est Dominus, impium quoque ad diem malum:* Idem ad Rom. *cap. 9.* & confirmatur ex Aug. pluries dicente, Deum decrevisse aliis gloriam, aliis damnationem, aliisque conferre sua auxilia, aliis denegare, alios eripere, alios nequaquam, &c. quæ loca possunt videri apud Penotum *l. 5. c. 16.*

Resp. malè ab hæreticis interpretari illos textus Sacræ Scripturæ: nam ex illis habetur solùm, quòd Deus prævidit eos velle antecedenter salvare, & dato, quòd ipsi liberè nollent, ex voluntate secundaria intentione, & consequente eos punire, & ex ordine divinæ misericordiæ, transferre ad ordinem divinæ justitiæ, ut rectè advertit Seraph. Doct. *l. 1. d. 46. q. 1.* & per totam; & ad id de anctoritatibus S. Aug. Respond. S. Doctorem debere exponi per alia ipsius dicta: licèt enim aliquando videatur duriuscula loqui, quia scribebat contra Pelagium, videtur ad aliud extremum aliquando declinare, ut divinam gratiam magis exaltet; attamen semper loquitur de voluntate consequente, & ipsa, Deum velle damnationem, &c. De quo *vide Meldul. d. 5. n. 15. seq.*

Ob. 5. de induratis, & obstinatis, quia ex pluribus locis Sacræ Scripturæ videtur Deus eos derelinquere destitutos aliquando omni divino auxilio; Deumque eos positivè indurare, & excæcare: sic Exod. *cap. 9.* legitur de Pharaone: sic de Judæis *Isai. 6. Psal. 80.* Jerem. *c. 5.* sic de Antioco *1. Machab. c. 9* aliisque pluribus locis apud Meldul. *num. 38.*

Quæstio alia Lateralis.

Hæc objectio celebrem suscitat quæstionem: 188 An aliquando homo in hac vita destituatur à Deo omnino omni auxilio supernaturali? In qua Henr. Abul. & Gregor. respondent affirmativè (licet Abul. non tam claré loquatur) quos citat Suar. *tom. 3. de loco infr. cit.* nempe aliquando peccatores, ob maximam multitudinem peccatorum, pervenire ad totalem destitutionem omnium auxiliorum Dei: contra quos tamen mordicùs consurgunt omnes Theologi cum Seraph. Doct. Divo Thoma, & Scoto, &c. negando Deum unquam relinquere hominem in hac vita destitutum auxilio suo divino gratuito: Et ad id de anctoritate, &c. Respond. Seraph. Doct. *l. 1. d. 40.* obdurationem peccatoris efficienter non esse à Deo, sed à peccatore semper liberè à Deo discedente, & in peccata se præcipitante, ex quo sequitur, & permissio justa Dei, & privatio multarum gratiarum, ex qua privatione postea incidit in talem foveam: Sed tamen nequaquam destituitur omni gratia, & auxilio. *Vide Suar. de pœnitentia d.* · *sect. 2.* qui optimè hanc veritatem explicat.

Queres primo: An Deus det omnibus sua auxilia pro quocumque momento temporis. Resp. ex Seraph. Doct. *l. d. 40. q. ult. corp.* & præcipuè ad argumenta, & *d. 46. q. 1. & l. 2. d. 28.* supra cit. quòd ex parte Dei semper parata sunt auxilia, qui assistit omnibus

nibus hominibus suo influxu, & semper promptus est offerre auxilia, tum ad bonum faciendum, tum ad malum evitandum; alioquin daretur tempus, in quo homo necessariò peccaret, nec posset ea vitare: unde si non dat ea Deus, id evenit ex deficientia peccatoris, ipsa liberè nolentis, ut est, dum actu peccat, & actu dormit.

Q. 2. An in hac vita detur peccatum irremissibile? Resp. negativè: & licèt aliquando in Scriptura dicatur, quod aliquòd peccatum non remittitur in hac, & in alia vita, id intelligendum est, dum actu peccator vult permanere obduratus in eo, & consequenter numquam peccator à Deo omninò deseritur, nisi ipse priùs Deum deserat, ut notat Concil. Trid. *sess. 6. cap. 11.*

Q. 3. An detur ignorantia invincibilis in iis, quæ sunt fidei? Resp. quod si est invincibilis per naturam, vel statum (*de qua Seraph. Doct. p. 1. §. 7.*) sic excusat, ut est in eo, qui est instructus in sua secta ab iis, quos existimat pios, doctosque, nec unquam audivit aliquid de lege christiana: iste dicitur habere solùm infidelitatem materialem, & negativam absque peccato formali. *Vide Seraph. Doct. l. 3. d. 35. a. 1. q. 2. & 3. Vasq. p. x. d. 120. Castrum l. 2. de leg. pænit. c. 14.*

Q. 4. In quo sensu dixerit D. Aug. quia homo noluit vitare peccatum, dum potuit, inflictum est, ut non possit, cum velit? Resp. ex doctrina Seraph. Doct. *l. 2. d. 28. a. 1. q. 1. ad 5.* quod in quocumque statu potest pervenire homo ex multiplicatione peccatorum ad statum, quod multoties non potest non peccare, ex hoc quod adjutorium gratiæ ei semper præsto est, ipsamque voluntariè rejiciendo, & conculcando deserit; & ideò merito suæ ingratitudinis, relinquitur in sua concupiscentia, quæ ipsum præmit, & inclinat ad malum, & hinc destitutus ulterioribus auxiliis, remanet cum sola velleitate boni, & cum mala voluntate habituali mali, ideò pervenit ad statum, in quo vellet, sed velleitate remissa, sed absoluta non potest. Hinc de Antioco legitur, quod orabat iste Scelestus Dominum, à quo misericordiam non erat consecuturus; sic Apostulus ad Hebr. & 2. *Mach. c. 9.* & de Esau, qui cum lacrimis petiit, & non est exauditus: & hoc ait Glossa, quia eorum pænitentia fuit non propter offensam Dei, sed ob timorem flagelli.

Ex quibus omnibus paratur nobis maxima messis meditationum misticarum: & primò, quod Deus nemini deficit, sed omnibus assistit, exhibens suam gratiam, nec potest dari excusatio in nostris peccatis: secundò, quod Deo non obtemperans in minimis, ulteriora dona non concedit: gradatim enim Deus procedit in donatione suarum gratiarum: tertiò, quàm periculosum sit rejicere, vel relinquere infructuosè inspirationes divinas, sic enim paulatim aquiruntur mali habitus: quartò, quod datur mensura in mente divina peccatorum, qua impleta, statim veniunt desolationes temporales Regnorum, & Civitatum, tum in subtractione gratiæ justificantis, tum & auxilii interni, tum & externi, tum in excæcatione, quæ est maximum ex flagellis divinis. Vide Lessicum de justitia, & ira Dei *c. 11. & 12.* ubi mirabilia tradit pro concionatoribus verè digna, &c.

DISPVTATIO VIII.

De Prædestinatione.

289 POST expensam providentiam divinam in communi, ordo doctrinæ postulat, ut de prædestinatione, quæ est pars providentiæ, agamus, deindè de reprobatione: quæ licèt de se sit incomprehensibilis, cum dicat Apostolus: *O altitudo divitiarum sapientiæ, & scientiæ Dei, quàm incomprehensibilia sunt judicia ejus, &c.* non per hoc tamen omninò hæc materia sub silentio sepelienda est, sed de ipsa tractandum est, non ut incomprehensibilia præstringamus, sed ut Altissimi arcana contemplantes, summa animi veneratione recolamus, & ut summa spe animati, ad promissa nobis in Cælo beatitudinis bona corruptibilibus persfundatis, alacres evolemus: Vnde cum maxima humilitate, reverentia, & modestia est tractànda, quippé quæ est difficillima, quia pendet ad divina voluntate, quæ lumine naturæ percipi non potest: Est & periculosissima: ut patet in tot hæreticis, qui confidentes in sua ipsorum scientia, prolapsi sunt in tot errores: Est & amplissima, quia complectitur ferè omnia misteria nostræ fidei: Est & suavissima, quia per istam detegitur divina benignitas, & misericordia erga nos.

De prædestinatione igitur primò contemplabimur naturam; secundò causas; tertiò effectus: In quo progressu servanda est regula à Joanne Echio assignata, nempè, ne nimium divinæ efficacitati detur, ita ut auferatur libertas nostra, in quo peccavit Calvinus; nec tantum libertati detur, ut auferatur concursus divinæ gratiæ, ut fecit Pelagius, sed medio modo procedendum est.

Ante omnia autem Lectorem admonemus in hac materia de prædestinatione nostræ mentis esse, nos non attingere quidquam de illa controversia divinorum auxiliorum, de qua scribere fas non est, obsistentibus decretis summorum Pon-

tificum, & præcipuè Urbani octavi, videlicet in quo consistat efficacia divinæ gratiæ, & divinorum auxiliorum, scilicet an in aliquo intrinseco, & phisicè impressio in voluntate: An in aliquo extrinseco: solúmque agemus de Decretis divinis ex parte Dei: Et si quando aliquid de determinatione efficaci, & antecedenti nostræ voluntatis dicimus vel pro, vel contra, non ideò est, ut explicemus per hoc efficaciam auxiliorum divinorum, sed quia decreti divini ratio, & efficacia, sine ordine ad hunc effectum explicari, nequit; quidquid sit, an in hoc consistat efficcia, vel non. de hoc nihil determinando, quam protestationem etiam infra repetemus *in 3. quæstione ad num. 297.*

QUÆSTIO I.

An detur prædestinatio: quid sit, & importet: & an sit actus immanens, æternus intellectus, an voluntatis?

290 PRimò advert. est, quod prædestinare idem est ac ante destinare, idest movere, statuere, & ad aliquod munus designare: quare prædestinatus dicitur ille, qui est à Deo præmissus, & præordinatus ad vitam æternam: Et licèt hoc vocabulum in lata significatione sumptum competat etiam reprobationi, tamen propriè solùm dicitur de ordinatis in vitam æternam, & ratio est (*ait Seraph. Doct. l.1. d 4. dub.3.*) quia reprobi sunt quidem destinati ad pœnam æternam, sed ex ipsorum culpa, potiúsque à seipsis, at electi sunt ordinati à Deo per sui gratiam ad beatitudinem.

Advert. 2. quod cum in prædestinatione importetur antecessio, tum scientiæ divinæ, tum ordinationis, & volitionis, hinc etiam duplex antecessio, seu ordo in prædestinatione recognoscitur, nempè intentionis spectans ad causam finalem, & executionis, spectans ad efficientem: priùs enim est intentio finis, quam executio mediorum: hinc exquiruot Doctores, ao utrumque exigat duplex decretum, priùs decernens finem, postea media: Thumistæ, & Scotistæ exigunt duplex decretum; Seraph. D. unicum tantùm, & unico Deum, velle finem, & media.

Advert. 3. quod licèt actus Dei sit unus, & simplicissimus complectens indivisibili modo omnia objecta sua, tamen quia inter ipsa est ordo, & distioctio, unumque sæpè est propter aliud, ideò idem actus divinus, cum sit virtualiter multiplex, admittit etiam varia signa, seu instantia adinventa à Theologis ut necessaria ad explicanda varia fidei nostræ mysteria, quæ diversitas desumpta est, vel penès nostrum modum intelligendi tales terminationes ad objecta, dempta omni imperfectione, vel penès ipsa objecta, scilicet penès diversitatem perfectionum objectorum, vel connexionem existentem in connotatis: sic concipimus divinam voluntatem, primò in actu primo; secundò in actu secundo, sicut & concipitur divina scientia terminans primò ad creaturas possibiles, secundò ad existentes: hinc in hac materia prædestinationis varii varia signa assignant, secundùm propria cujusque scholæ principia.

Nos tamen ex traditis, secundùm principia Seraph. Doct. *in disp.5. q.8.* dicimus, quod iste processus à multis assignatus est merè voluntarius, nec ullum fundamentum verè habet, eo quod divina voluntas, ob sui eminentiam, simplicitatem, & independentiam (idem & de intellectu proportionaliter dicendum) cum omnia cognoscat uoico actu simplicissimo, potest & connectere, & velle unum sine alio, unum cum alio, unum propter aliud, &c. sicut in citato loco fusiùs expositum est: quibus à parte rei stantibus, potest tamen secundùm nostrum modum intelligendi assignari in ordine prædestinationis triplex signum: In primo Deus cognoscit. v. g. Petrum in puris naturalibus: Secundum signum dicit statum neutrum salvationis, & damnationis: Tertium voluntatem divinam determinantem Petri salutem, sed tamen in secundo statu per scientiam mediam videt Deus quid operatura est creatura in tali, vel tali statu cum adjutorio gratiæ prævenientis communis reprobis, & prædestinatis: videt rejectionem futuram conditionatè reproborum, & hinc sequitur decretum prædestinationis, & reprobationis: undè certitudo salutis, & damnationis oritur primò non ex intrinseca efficacia mediorum deducentium nos ad finem, sed ex præscientia conditionata, qua Deus prævidet quid nostra voluntas factura sit cum tali, vel tali gratia, quibus suppositis, sit.

Concl. 1. Prædestinatio necessariò admitti debet in Deo. Est de fide, & patet ex pluribus locis sacræ Scripturæ apud Seraph. Doct. *op. Comp. Theol. l.1. cap.30.* aliisque Theologis: Tum ex eo, quod Deus creavit hominem ad beatitudinem, sed ad haoc non potest pervenire mediis, & viribus naturalibus, ergo cum Deus sit agens per rationem discretè, & ordinatè, debuit ipsum per media supernaturalia ordinare ad beatitudinem. 291

Concl. 2. Prædestinatio, quadrupliciter definitur à Sanctis Patribus apud Seraph. Doct. *in Comp. cit.* Primò. Prædestinatio est præscientia, & præparatio beneficiorum Dei. 2. Prædestinatio est ad gloriam præordinatio. 3. Est propositum miserendi. 4. Prædestinatio est gratiæ & gloriæ præparatio: Ratio autem hujus multiplicis descriptionis est hæc, quia operans rationabiliter ex intentione, primò scit, & cognoscit, ideò in prima recensetur scientia, & cognitio: quia verò eligit deliberata voluntate, ideò in secunda recensetur electio, & in tertia voluntas; & quia opus dirigit in finem, ideò in quarta apponit finem. Ex quibus patet, prædestinationem involvere, vel formaliter, vel eminenter, vel præsuppositivè omnia ista, scilicet præsuppositivè, præscientiam; formaliter, voluntatem; concomitanter, finem, & potentiam exequentem: Unde ex omnibus istis rationibus resultat hæc definitio congrua.

Prædestinatio est præscientia, & præparatio beneficiorum Dei, quibus certissimè liberantur, & salvaotur quicumque liberantur: dicitur præscientia, & præparatio loco generis, per quod convenit cum cæteris actibus divinæ providentiæ: aliæ particulæ habent rationem differentiæ, per quam differt ab aliis actibus Vel meliùs etiam potest sic definiri: Ordinata destinatio, vel præparatio

paratio creaturæ intellectualis ad gratiam, & gloriam facta ab æterno liberè à Deo agente. In qua septem tanguntur: primum est actus divinus, cum dicitur ordinata destinatio, vel præparatio. 2. Est objectum beatificale, scilicet creatura rationalis, per quam bruta excluduntur. 3. Est medium, scilicet gratia: quartum est finis, scilicet gloria. 5. Est mensura, cum dicitur, facta ab æterno, æternitas enim est mensura prædestinationis. 6. Est agens, nempè Deus. 7. Est modus, cum dicitur, liberè facta à Deo: Unde duplex ordo in hac definitione involuitur, nempè ordo æternitatis, & ordo dignitatis circa hominem super alias creaturas irrationales. Ex quibus elicitur in nostra sententia, quod nomine præscientiæ intelligitur primò scientia media, qua Deus ante omne decretum cognoscit quid operatura sit voluntas in tali, vel tali statu: Secundò scientia visionis post decretum: nomine præparationis beneficiorum, intelligitur præparatio auxiliorum prævisa ex nostra cooperatione: nomine certitudinis, intelligitur certitudo orta, non ex intrinseca efficacia mediorum, sed ex præscientia conditionata primò, & secundariò absoluta operum nostrorum. Vide Lessium *disp. de prædestinat.*

Concl. 3. Prædestinatio est actus immanens Dei, & formaliter quid æternum. Est Seraph. Doct. *lib.* 1. *dist.* 40. *quæst.* 1. Prob. prima pars, quia prædestinatio est actus Dei, & præordinatio divini intellectus, & voluntatis, ergo est actus immanens Dei. Prob. 2. pars, ex Seraph. Doct. Prædestinatio dicit duo, scilicet connotatum, & principale significatum: Significatum principale est divina Essentia: connotatum est gratia, & gloria, & persona prædestinata, sed hæc duo importat prædestinatio cum antecessionis ordine unius ad alterum ratione præpositionis (præ) sed ratione divinæ essentiæ est quid æternum, & ratione antecessionis, & hoc non duratione temporis, cum non sit in Deo, ergo ratione æternitatis: Tum quia prædestinatio est præscientia, & electio divina, & propositum, quæ sunt in Deo, ergo ab æterno, &c.

Objic. primò. Prædestinatio dicit relationem ad personam prædestinatam ad gratiam, & gloriam, sed non potest ista relatio ab creaturam esse realis in Deo, ergo est in creatura, ergo temporalis. Confirmatur, quia prædestinatio est actio, ergo supponit passum, sed hoc est in tempore, ergo & prædestinatio. Resp. sec. Seraph Doct. dicere relationem in potentia, nec ob id ponit extrema actu, sed tantùm in potentia, ideò nec involuit aliquid temporale: Ad illud de actione respond. esse veram majorem, de actione transeunte, ut est creatio, non de immanente respiciente futurum, quod sicut potest cognosci non existens, ita & prædestinari: Unde Deus, cum sit agens non indigens materia præjacente, ut artifex creatos, in qua actu præparat necessaria, sed est agens nullo indigens, operans quando vult, & quomodo vult, ideò totum est immanens, & æternum.

292 Concl 4. Prædestinatio secundùm se, & actu considerata, Deum solùm dicit, nihilque actu ponit in prædestinato. Est Seraph. Doct. *cit. ad* 1. & 2. Ratio primæ partis est, quia de principali significatione importat divinam essentiam: Secundæ partis ratio est, quia prædestinatio dicit respectum ad id, quod est tantùm in potentia, non actu, ergo nihil actu ponit in prædestinato: Tum quia prædestinatio dicit tantùm præcognitionem, & propositum, ergo nihil aliud ponit actu, nisi Deum.

Dices: Ex prædestinatione denominatur homo prædestinatus, sed denominatio fit per formam inhærentem, ergo, &c. Resp. denominationem in absolutis ponit aliquid in denominato, in relativis verò solùm actualis relatio ponit aliquid; non verò potentialis, undè denominatio prædestinati in homine actu solùm dicit Deum, in quo est, ideò non sequitur, Petrus est prædestinatus ab æterno, ergo est salvus, vel actu habet gratiam, & gloriam, sed sequitur, ergo habebit, &c.

Dices. 2. saltem sequi, quod potentia ponatur in prædestinato ad gratiam, & gloriam. Resp. neg. consequentiam, quia illa potentia activè, & passivè est tantùm in Deo, & quia importat causalitatem in connotato pro tempore determinato, ideò connotat tantùm futurum.

Concl. 5. Prædestinatio, licet includat actum 293 intellectus, principaliter tamen, & formaliter est actus voluntatis divinæ. Est Seraph. Doct. *lib.* 1. *dist.* 40. *quæst.* 2. Scoti & plurimorum contra D. Thomam, & Thomistas, & Alensem. Prima pars probatur, quia prædestinatio præsupponit actum intellectus excogitantis, ordinantis, & disponentis media ad finem: Secunda pars probatur, quia prædestinatio importat de formali infallibilem consecutionem ultimi finis, sed hæc efficacia futuri eventus est à divina voluntate acceptante media proposita ab intellectu, ergo, &c. Probatur secundò, quia prædestinatio, & reprobatio sunt actus ejusdem potentiæ, cum unus sit alteri oppositus, sicut velle, & nolle, sed reprobatio est voluntatis, ergo, & prædestinatio. Probatur tertiò, quia prædestinatio est causa gratiæ, & gloriæ, ergo est actus voluntatis: probatur antecedens, quia si Deus præsciret, aliquem habiturum gratiam, & gloriam ab alio, quàm à seipso, non diceretur prædestinare, ergo de se dicit causalitatem: Probatur quartò, quia prædestinatio importat scientiam, & voluntatem, sed voluntas consequitur ad scientiam, ergo se habet per modum differentiæ, & complementi, & à tali est denominanda.

Objic. primò Prædestinatio est præordinatio, sed hæc est intellectus, ergo, &c. Resp. Seraph. Doct. Est præordinatio rerum in universo, conced. sed est simul directio in finem.

Objic. 2. Prædestinatio definitur præscientia in recto, & propositum voluntatis in obliquo, ergo scientia est quid principalius. Resp. neg. consequentiam: nam dicitur in recto præscientia, ut quid antecedens, voluntas verò prout dicit causalitatem, dicitur in obliquo, ut designetur effectus ipsius causæ; Unde ratio scientiæ se habet per modum materialis, & voluntas per modum differentiæ. *Vide l.* 5. *d.* 25. *p.* 1. *dub.* 1.

Ex supradictis primò sequitur, quod prædestinatio respicit primò gratiam, ut medium, 2. gloriam, ut finem, 3. personam prædestinatam, scilicet Angelos, & homines. 2. sequitur, quod, cum includatur in prædestinatione scientia divina, hæc se habet per modum formæ exemplaris gratiæ, & voluntas, quæ se habet per modum efficientis liberæ; & dispositio voluntatis per modum causæ finalis. Sic Seraph. Doct. *dub.* 7.

QUÆSTIO

QVÆSTIO II.

An prædestinatio sit electio, & propositum, & dilectio?

194 NOt. 1. quod Seraph. Doct. *l.* 1. *d.* 40. *a.* 1. *q.* 1. & 2. Hæc quatuor proponit; nempe dilectionem, propositum, electionem, & prædestinationem, eaque inter se comparat, ut meliùs natura prædestinationis innotescat: licèt enim omnia respectu Dei, sint unum, & idem formaliter, tamen secundum rationem intelligendi differunt: Sicut enim Artifex in suo opere attendit quinque: primò enim præconcipit, vel excogitat opus. 2. Proponit illud agere. 3. Diligit opus, quod intendit facere. 4. Elegit segregando, & secernendo. 5. Dirigit in aliquem finem: Ita se habet Deus in prædestinatione: Primò enim præcognoscit, scilicet notitia approbationis, ab æterno conformes fieri, non difformes imagini filii sui: & hinc prædestinatio dicitur. 1. Præscientia beneficiorum Dei. 2. Est propositum, quo vult communicare suam beatitudinem hominibus; hinc prædestinatio dicitur propositum miserendi eis, quibus vult misereri. 3. Est dilectio, qua vult æternam beatitudinem alicui. 4. Est electio, quæ est segregatio, non ab irrationabilibus, sed ab his, qui nati sunt participare eundem finem: Et quia omnes creaturæ rationales habent eandem capacitatem, inter eas, quasdam eligit Deus ad æternam illam beatitudinem, segregando, & discernendo eas à reliquis: Sicque aliter contingit electio in Deo, aliter in nobis: Nam in Deo dilectio præcedit electionem, quia dilectio est communicatio boni, & ratio potissima electionis divinæ, ob idque electio semper præsupponit disparitatem inter eos, quorum aliqui eliguntur, cæteris explosis; quia dilectio, & electio facit bonos: In nobis verò ex opposito, electio præcedit dilectionem: hinc prædestinatio dicitur præordinatio alicujus gloriam. 5. Est directio ad vitam æternam, excludendo omnia impedimenta, & conferendo omnia promoventia, hinc dicitur prædestinatio præparatio gratiæ in præsenti, & gloriæ in futuro. In qua diffinitione tria connotantur, ait Seraph. Doct. *ad ult.* scilicet prædestinatus, nempe homo: ratio præordinandi, nimirum gratia: & ratio finis, videlicet gloria. His prænotatis, sit.

Unica Concl. Electio, dilectio, propositum, & prædestinatio realiter, & formaliter sunt unum & idem, sola ratione differentia. Prima pars patet, quia in Deo & respectu actus Dei sunt unus simplicissimus actus: Secunda pars etiam, quia respectu connotatorum important aliquam differentiam, ut supra probatum est, ergo, &c.

Dices: Si dilectio præcedit electionem, cum Deus omnes diligat, vult enim omnes salvos fieri, sequitur, quod electio sit etiam communis omnibus. Resp. Seraph. Doct. Deum voluntate antecedente diligere omnes voluntate beneplaciti; sed voluntate efficaci, diligere tantùm bonos: Sic negatur consequentia.

Dices 2. Si electio est idem, quod prædestinatio, sequitur, quod sit æterna, consequens est falsum, quia prædestinatio, & electio connotat aliquid temporale, sicut vocatio, & justificatio, ergo, &c. Resp. Seraph. Doct. neg. min. Ad probationem, Respond. prædestinationem, & electionem connotare non aliquid existens ad extra, sed tantùm in potentia, ob id esse actum purè immanentem in Deo; non sic vocatio, & justificatio, quæ sunt actiones transeuntes, & hinc est quod istis non præponitur præpositio, præ, prævocatio, præjustificatio, quia hæc verba significant actionem divinam, quæ ex tempore in creatura recipitur.

QUÆSTIO III.

An prædestinatio inferat necessitatem, tollatque libertatem voluntatis humanæ; & an involvat certitudinem?

PLures difficultates, & quidem maximè involuuntur in hoc titulo: sed præcipua est, quod 295
cum prædestinatio sit formaliter actus voluntatis, præsupponens tamen actum intellectus præscientis, & præordinantis infallibiliter ad gratiam, & gloriam, & cum prædestinatio sit certa, & infallibilis, simulque ita efficax, ut nemo possit ei resistere, videtur per hoc quod auferatur humana libertas: Major autem difficultas est de voluntate, quàm de scientia: Scientia enim supponit objectum in suo esse constitutum, ipsumque, se sola non immutat: At voluntas, cum ipsa sit causa rei, & efficax, à nulloque impedibilis, videtur imponere necessitatem objecto volito, & hinc ortæ sunt variæ hæreses; & inter Catholicos variæ sententiæ.

Quoad hæreticos: orta est pugna inter Pelagium ex una parte, & Lutherum, & Calvinum ex alia: nam cum conveniant in hoc communi principio, quod efficacia divinæ voluntatis sit invincibilis, infallibilis, & inimpedibilis, è contra voluntas nostra sit ita indifferens, ut quocumque posito, vel volito, illud respuere; vel admittere possit. Ex hoc fundamento isti hæretici ex prava intelligentia divinæ efficaciæ deduxerunt duos errores extremos pessimos: Pelagius enim ut salvaret libertatem humanam, negavit gratiam, quæ ex nolentibus faceret volentes, quæ est antecedens, & independens à libero arbitrio: è contra Calvinus negavit libertatem humanam, ut totam efficaciam tribueret divinæ gratiæ, in determinando voluntatem nostram. Confutato verò Pelagio à Divo Aug. aliisque SS. Patribus, insurrexerunt alii, qui dicti sunt Semipelagiani Massilienses, qui rejicientes alios errores Pelagii, in hoc erraverunt, dicentes, Deum sese exhibere omnibus, quantum in se est, sed tamen cum diversitate distribuere sua dona, idque evenit, non ex libera Dei dispositione, ut sancti Patres docent, sed ex diversitate operum hominum, qui in suis puris naturalibus faciunt opera bona moraliter, quæ moraliter sunt dispositiva ad hanc diversitatem gratiarum, & hinc intuitu talium operum naturalium, Deus prædefinit aux illa, sicut & illorum privationem ex prævisione defectus ipsorum: In quo tamen se jactabant contra Catholicos, licèt falsò, dum hæc initia non appellabant propriè bona opera, sed actus voluntatis imperfectos, seu semina virtutum, quæ post peccatum remanserunt in homine, sicut etiam naturale desiderium fidei, orationes, petitiones, & procurationes auxiliorum divinorum: At opera perfecta, dicebant

non

non posse fieri absque auxilio supernaturale Dei, ut pœnitentia; justificationis opera: & quia abyssus abyssum invocat, cum hoc errore etiam alios miscuerunt, ut videre est apud Joan à sancto Thoma *q. 19. d. 3. a. 4.*

E contra Catholici Theologi docent, efficaciam divinæ gratiæ, & simul libertatem humanam posse simul esse, & compati, sed cum hoc discrimine, quod Thomistæ recognoscentes efficaciam divinæ gratiæ ex qualitate prædeterminante nostram voluntatem: & quia ex tali concursu divinæ voluntatis dependet nostra voluntas, ipsiusque operari, & modus operandi: hinc licèt voluntas nostra determinetur à divina; attamen non tollitur ipsius libertas: habet enim & esse, & virtutem, potestatemque operandi liberè, & ipsum velle, & modum operandi liberè ab ipsa voluntate divina efficaciter concurrente: Huic aiunt Thomistæ cum Joan. ad S. Thoma *cit. a. 5. n. 15.* Ipsi differunt à Calvino, quia Calvinus docet, gratiam Dei solùm movere purè voluntatem ad extra, sicut sessor equum, ob idque, & aufert libertatem. Thomistæ verò docent, non solùm movere, sed & causare, scilicet causare non solùm ipsam voluntatem, sed & date nobis, ut actu sit in manu nostra in causando modum libertatis.

Ut autem clarius pateat hoc discrimen Thomistarum à Calvino, notat Joan. à S. Thoma cit. duplicem inevitabilitatem, & efficaciam provenientem à Deo, ut à prima causa: Altera est tollendo, sua auferendo: altera est dando: prima est, quæ coarctat causas inferiores, vincendo earum contingentiam, & stabiliendo id, quod vult per ablationem contingentiæ, & potestatis impeditivæ, & impositionem necessitatis, qualis est in causis naturalibus particularibus, & hanc admittit Calvinus auferens è voluntate nostra omnem actionem etiam malam: Altera est, quæ consistit in dando, & derivando à se id, quod vult fieri, & potestatem impedibilem, & contingentiam præbendo, cum qua vult aliquid fieri: Et hinc non solùm admittunt Thomistæ motionem passivam voluntatis nostræ cum Calvino, sed & actionem purè provenientem à voluntate nostra, cooperante Deo, licèt à Deo prædeterminante etiam comproducta.

E contra Jesuitæ, & multi recentiores ex omnibus Scholis, non solùm recedunt à Calvino in affirmanda libertate nostra, sed etiam in negatione gratiæ, seu qualitatis prædeterminantis voluntatem: hanc enim non posse stare cum libertate nostra contendunt, ut mox dicetur. Ex quibus patet diversitas opinionum inter Catholicos Theologos, scilicet inter Thomistas ex una parte, & recentiores, maximè Jesuitas ex altera, quorum Antesignanus fuit Seraph. Doct. Pro solutione quæstionis.

296 Not. 1. quòd potior, & maxima difficultas in hac materia est concordare simul efficaciam decreti divini prædestinantis infallibilis, & inevitabilis, cum indeterminatione, indifferentia, & nostræ voluntatis, quæ videtur deserui ex positione ipsius decreti antecedentis, & moventis infallibiliter, & determinantis voluntatem ad unum, ut volunt Thomistæ, credentes salvare nostram libertatem, ex eo, quod talis concursus, non solùm dat posse, & agere, ipsumque causat, sed & modum agendi liberè.

Hinc recentiores admittunt decretum benignius, tribuens concursum, & motionem indifferentem voluntati, non antecedentem, sed consequentem ipsam voluntatem operantem, quam Seraph. Doct, *l. 1. d. 46. a. 1. q. 1. ad arg.* appellat voluntatem, ob idque nullo modo prædeterminantem ipsam, cum quo concursu tamen coaptant congruitatem moralem, scilicet exhibito tali concursu, vel tali tempore, occasione, & talibus circumstantiis, in quo statu prævidetur à Deo per scientiam mediam voluntas cooperatura, & concursura ad talem vocationem. Et quia nullum est momentum, vel occasio in qua quæcumque voluntas non possit præveniri, & adjuvari tali congruitate, & modo, in quo prævideatur consensura, si tali, & tali modo excitetur per gratiam prævenientem, ut vocetur, ideo ex tali prævisione datur concursus indifferens, & moraliter tantùm, per cogitationem movens, & benignum decretum est ex se, ut pote non efficienter, sed moraliter determinans, & infallibile ex ejus adjuncta prævisione, quod faciet in tali occasione liberum arbitrium, cum tali, vel tali adminiculo. Ex quibus patet, quod hæc sententia, & via defendendi efficaciam infallibilem Dei, nisi innitatur scientiæ mediæ, quæ prævidet quid voluntas sit factura de se cum auxilio gratiæ prævenientis antecedenter ad omne decretum absolutum; sicque ex prævisione consensus voluntatis nostræ, decretum Dei est infallibile, & ex indifferentia concursus divini, libera remanet voluntas.

Ex qua doctrina patet discrimen inter Thomistas, & nostram sententiam in respondendo ad consequentiam illatam à Calvino ex efficacia divinæ voluntatis, & gratiæ, nempe sequi ablationem, & destructionem nostræ libertatis, ex eo, quod gratia Dei determinat, & necessitat voluntatem ad id, quod vult, & hoc non liberè, sed necessariò utens pro libito nostra voluntate, sicut nos utimur ligno, vel æquo. Thomistæ negant hanc illationem, ex eo, quod, licèt Deus prædeterminet nostram voluntatem, eamque operari faciat, id tamen vult, ut liberè operetur, tribuens suum concursum, non solùm ad causalitatem, sed & ad modum liberum. Sic Joan. à S. Thom. *p. 19. d. 3. a. 5. n. 5.*

Nos verò contradicentes Calvino & in antecedente, & in consequente, & in consequentia, quod & prætendunt etiam Thomistæ, ut patet loco cit. Joan. à S. Thoma *n. 15.* sed verè tenuiter: Hinc dicimus efficaciam antecedentem divinæ voluntatis tollere libertatem nostram: ideo ad illud antecedens Calvini, & Thomistarum, gratia est ex se, & antecedenter efficax ad consensum nostrum, distinguimus: ex se, & ex natura sua est efficax, prout præcisè descendit ab omnipotentia divina, negamus: prout descendit simul à præscientia divina præsupponente nostrum consensum, ipsumque inclinante, non efficienter, sed moraliter, transeat: Sic enim Deus præsciens per scientiam mediam, quid in tali, & tali occasione operatura sit nostra libertas, & cum tali concursu indifferente, & exhibitione gratiæ prævenientis, tali pacto decretum Dei est infallibile. Sic Seraph. Doct. *l. 1. d. 40. a. 2. q. 1.* Unde falsum est primò, quod nobis impingunt Thomistæ, scilicet, nos negare, talem efficaciam descendere ab omnipotentia divina: Sed dicimus provenire ab ipsa omnipotentia divina præbente concursum simultaneum cum supradicta moderatione, & indifferentia ad salvandam sartatectam nostram libertatem: Falsum est etiam secundò quod dicit P. Gaud. noster *d. 21. quæst. 7. num. 17. & seq.* nempe nihil facere scientiam mediam ad decretum

absolutum Dei nostræ salutis, quòd infra in propria quæstione, an ex prævisis meritis fiat prædestinatio, expendetur.

297 Not. 2. Antequam in hac difficillima materia ulteriùs procedamus, Lectorem monend. (quod & ad majorem cautelam supra notavimus ad n. 289.) non attingere nos in præsenti quidquam de ea controversia divinorum auxiliorum, de qua scribere fas non est, obsistente sedis Apostolicæ edicto, videlicet in quo consistat efficacia gratiæ, & divini auxilii; an in aliquo intrinseco, & phisicè impresso in voluntate; an in aliquo extrinseco: solùm de decretis divinis agimus ex parte Dei: & si aliquando aliquid de determinatione efficaci, & antecedenti nostræ voluntatis dicimus vel pro, vel contra, non ideò est, ut explicemus per hoc efficaciam auxiliorum, sed quia decreti divini ratio, & efficacia sine ordine ad hunc effectum explicari nequit, quidquid sit, an in hoc consistat efficacia auxilii, vel non, de hoc nihil determinando: Unde omittendo expensionem efficaciæ divinorum auxiliorum, solùm nos tractamus de divinæ voluntatis, & prædestinationis efficacia, prout se tenet ex parte Dei.

Not. 3 quòd, cum Deus sit prima, & efficacissima causa omnium rerum modificans omnes causas secundas, & omnem concursum in genere causæ efficientis, inde est, ut ait Seraph. Doct. quod habet rationem causæ universalis, & causæ particularis, demptis imperfectionibus: est enim causa universalissima. *Sic l.1. d.40. a.2. q.5. & d.35. a.1. q.1. ad 3.* Unde causa secunda, secundùm modum, quem habet in se à Deo receptum modificat concursum Dei in genere causæ materialis. v. g. ego modifico hunc calamum ad scribendum epistolam, quia sum causa efficiens istius scripturæ, tamen iste calamus modificat materialiter meum concursum, cum actu scribo: modificatio autem nostræ voluntatis facta à Deo secundùm Thomistas, est talis, quatenus prædeterminat voluntatem, & ipsam movet ad hoc determinatè agendum. In nostra sententia verò modificat ipsam, ei exhibendo suum concursum, tùm phisicum, tùm supernaturalem, sed indifferentem, tùm suadendo, tum illuminando, tùm pulsando, tum excitando, & relinquendo in sua libertate plena, & totali. Vide Seraph. Doct. *lib.1. dist.40. a.2. q.1. corp. & quæst.2.*

Not. 4. ex Seraph. Doct. *l.1. dist 40. a.2. q.1.* quòd prædestinatio duo importat; & rationem præscientiæ, & rationem causæ: prout dicit rationem causæ, non necessariò ponit effectum, quia non est causa per necessitatem, sed per voluntatem, non necessaria, sed libera; & iterùm non est tota causa, sed cum alia causa contingente, scilicet libero arbitrio, ob idque effectus est contingens, cum sit à causa particulari contingente. Et cum importet rationem præscientiæ, ideò hæc præscientia totum includit in cognitione, & liberum arbitrium, & ejus cooperationem, & vertibilitatem, & totum, & præterea non est nisi veri, & etiam de verò contingente, ideò est infallibilis; hinc & prædestinatio infert salutem, sed non necessariò necessitate consequentis, sed tantùm consequentiæ, & per consequens nec infert necessitatem libero arbitrio: ideóque prædestinatio in Deo involuit certitudinem immutabilitatis, cum tota cognitio habeatur à Deo in sua essentia, in qua repræsentatur, quid operatura sit voluntas creata. & hoc per scientiam mediam. His positis; sit.

Concl. 1. Prædestinatio divina non potest cohærere cum libertate nostra, si involvat prædeterminationem phisicam. Est communis extra scholam Tomisticam: Estque Seraph. Doct. *l.1. d.40. cit. & l.2. d.37. q.1. ad ult.* ubi supponit in voluntate tantùm gratiam excitantem prævenientem, non verò prædeterminantem qualitatem. 298

Prob. primò ex D. Ansel. *l.2.* cur Deus homo, &c. *cap.18.* Necessitas antecedens repugnat libertati quoad usum, & exercitium, & sola consequentiæ potest cum libertate nostra coherere; sed phisica prædeterminatio ponit necessitatem antecedentem, ergo, &c. Prob. min. quia phisica prædeterminatio est influxus antecedens operationem, & dicit quid impressum in voluntate, sine qua nihil potest, & cum qua infallibiliter operatur, nec est in potestate voluntatis ipsam habere, vel non habere, (cum merè à voluntate divina dependeat,) nec velle oppositum, ergo, &c. Et confirmatur, quia ex sententia adversariorum talis præmotio phisica ea intrinseca ratione est necessaria voluntati nostræ, ob sui indigentiam, ad hoc, ut possit operari, & de facto operetur, ergo sine illa non potest exercere actum, ob idque & tollitur libertas ad oppositum: Hinc etiam sequitur, quod, cum talis præmotio sit necessaria intrinsecè voluntati, etiam ad actus malos, daretur excusatio in peccato.

Responsio itita Thomistarum est, concursum primæ causæ esse suavem, atque ideò non lædere libertatem, & ideò argumenta contraria probare tantùm effectus creatæ voluntatis esse tantùm necessarios secundùm quid, scilicet necessitate consequentiæ, vel infallibilitatis, vel suppositionis, non consequentis: quæ necessitas suppositionis non repugnat consequentiæ, seu libertati: non autem probare esse necessarios absolutè, & simpliciter: & hanc responsionem communiter tradunt aliis terminis, scilicet, illos effectus esse necessarios in sensu composito, non in sensu diviso, de qua responsione, & distinctione sibi ipsis blandiuntur, ut videre est apud Alvarez, & novissimè apud Joan. à S. Thoma *quæst.19. dist.5. art.6. num.23. & seq.*

Hanc distinctionem variè Thomistæ explicant, incedentes per varias vias, & modos, sed semper involuti in majoribus anxietatibus difficultatum: aliquis dicunt esse necessarios in sensu composito, scilicet composita tali prædeterminatione phisica cum voluntate, non verò in sensu diviso ab illa.

Sed quia revera non satisfacit talis responsio, collocatque semper magis, & magis mentem nostram involutam in tenebris, & difficultatibus, cum ipsi admittant hanc qualitatem prædeterminantem, ut necessariam voluntati de se insufficienti ad operandum, & ut ponatur voluntas in actu primo completo, ideò talis voluntas divisa à tali qualitate, est veluti truncus recisus à sua planta, nihil valens agere, ob idque nec in sensu diviso potest dici libera, cui si superaddatur auxilium prædeterminans, tunc existit in actu primo, sed cum necessitate antecedente, & absoluta.

Hinc Joan. à S. Thoma loco cit. alium modum excogitavit explicandi dictam distinctionem de sensu diviso, & composito, dicens, quòd in utroque sensu comprehenditur auxilium prædeterminans, sed cum hoc discrimine, quòd tale auxilium prædeterminans potest sumi vel ex parte rei causatæ præcisè, vel ex parte Dei causantis: Ex

parte rei causatæ, id quod in nobis causat illa voluntas prædeterminans est aperire cor, & duritiam tollere, hoc est determinare, & inclinare ad tale objectum, conservando in voluntate potentiam ad oppositum, in quo stat modus libertatis, idest, hoc est tollere indeterminationem suspensivam, quod est determinare, & resolvere, ut talem actum faciat, & conservare indifferentiam potestatis, & dominii, quod habet ad utrumque actum ad facere, & non facere: & hic est sensus divisus: Sic enim Deus, sicut determinat voluntatem ad actum, ita etiam causat modum libertatis, & contingentiæ, qui hîc modus cadit sub providentia Dei, & hoc totum pertinet ad rem causatam, scilicet determinatio actus, & modus ejus; & hinc si consideremus voluntatem efficacem Dei, ejusque fluxum cum tali modo, facimus sensum divisum, etiam stante tali auxilio, quia consideramus ipsum effectum Dei in nobis præcisè, & divisè à modo, quo Deus causat illum.

Et hinc si consideremus effectum causatum in sensu composito, scilicet cum modo se tenente ex parte Dei, quo iste procedit à Deo, qui modus est infallibilis, immutabilis, actuſque purissimi, ipsumque conjungimus cum re causata, sic facimus sensum compositum, & sub hoc respectu sequitur infallibilitas, & cum non sit resistentia, nec possit esse ex parte creaturæ ad Deum, quia illo modo immutabili operatur quidquid operatur: hinc sequitur infallibilitas, & necessitas productionis actus, sed secundariò, & necessitate suppositionis, quia talis modus Dei, licèt ex se sit immutabilis, non tollit, imò servat, & causat modum creaturarum liberum: sicque dicitur voluntas libera in sensu diviso, non in sensu composito, scilicet prout totum hoc sumitur, prout subest modo immutabili Dei. Hæc fusiùs affert cit. Auctor, quæ verè non solùm non placant animos turbatos, sed potiùs magis perplexos relinquunt, quia, ut ait Delph. cum Meldul. *d.3. num.*150. libertatem quandam logicam, seu metaphisicam dumtaxat in nobis salvare videntur, non verò phisicam, & realem, qualem tribuunt Scripturæ, Concilia, & Patres nostræ voluntati. Contra igitur hunc modum dicendi arguo.

299 Primò (ex Scoto *lib.* 2. *dist.* 37. *quæst. un.* §. ideò meritò.) Quandocumque aliquod consequens sequitur necessariò ad aliquod antecedens, in cujus potestate non est illud antecedens, nec minùs erit in illius potestate illud consequens; sed futurum contingens necessariò sequitur, saltem necessitate consequentiæ, determinationem absolutam divinæ voluntatis, ergo in cujus potestate non est talis determinatio, nec erit in ejus potestate id, quod ad illam necessariò sequitur, scilicet futurum contingens: subsumo: sed determinatio omnis antecedens usum libertatis creatæ, nec ullo modo eum involuens potest esse in potestate voluntatis creatæ, ergo nec ipsius usus. Minor ab adversariis conceditur.

Major prob. ex D. August. *lib.* 5. *de Civit. Dei, cap.*10. *& l.*3. *de lib. arbitr. cap.*3. *& ex D. Ansel. lib. de concordia, c.*1. *&* 2. *& lib.* Cur Deus & homo, *cap.*18. *& pluribus locis trad. à Seraph. Doct. l.*1. *d.*38. *q.*1. *& art.*2. *q.*1. *& d.*47. *quæst.*1. *& l.*2. *d.*7. *p.*1. *a.*2. *quæst.*2. *ad* 3. *& d.*14. *art.*3. *q.*2. *ad* 5. *& dist.*25. *q.*1. *ad* 4. *& dist.*30. *quæst.*2. *ad* 6. *& lib.*3. *d.*12. *a.*1. *quæst.*1. *ad* 5. Necessitas antecedens nostram voluntatem tollit libertatem, non consequens, illa enim rem facit, ista fit à re supposita in esse: sed auxilium prædeterminans, tum ex parte Dei, tum ex parte rei creatæ, antecedit & effectum, & voluntatem, ejusque usum, non solùm ordine æternitatis, sed etiam causalitatis, nec est in nostra potestate ullo modo, ergo repugnat libertati.

Contra secundò, ad hominem, contra Thomistas, & præcipuè contra Joan. à S. Thoma: quia si decretum prædeterminans ex efficacia sua, non solùm dat voluntati creatæ operari, sed etiam modum operandi liberè, scilicet cum indifferentia proxima ad utrumlibet, positis etiam omnibus requisitis ad agendum, ergo ex suppositione talis decreti, & in sensu composito cum illo, vel etiam in sensu diviso fieri potest oppositum absque ulla necessitate: & hoc est contra sensum Thomistarum. Resp. Joan. à S. Thoma, neg. consequentiam, quia tollitur indifferentia in actu secundo per modum operandi Dei immutabilem: Ex qua responsione patet id, quod supra dictum est, ipsos ponere libertatem logicam, & nomine tantùm: Dicunt enim Deus dat voluntati modum operandi liberum, sed determinando ad unum necessariò, quomodo ergo iste modus potest dici liber, simulque determinatus necessariò ad unum? Resp. in sensu diviso esse liberum non in sensu composito.

Contra tertiò, quia voluntas creata cum divino auxilio efficaci in sensu composito tollit libertatis usum, ergo & in sensu diviso: probatur consequentia: In sensu composito summitur totum, scilicet & ipsum effectum causatum in voluntate, & modum causandi Dei: In sensu divisò sumitur tantùm ex parte effectus causati in voluntate, sed tali pacto est per qualitatem prædeterminantem, ergo voluntas determinata ad unum, omninò non potest in oppositum, quia utroque modo importat efficaciam, & determinationem, ergo & aufertur libertatis usus utroque modo: sic patet qualem implicantiam involuat hæc responsio data à Joan. à S. Thoma cum tanto apparatu: si enim Deus præbendo tale auxilium prædeterminans voluntatem ad actum, quomodo potest esse, imò intelligi, quòd per illud tribuatur libertatis usus, si usus ei aufertur per talem prædeterminationem? Resp. cit. Auctor. *num.*44. hanc determinationem esse respectu actus, non potentiæ, quam non tangit, sed relinquit in suo esse libero, quam tamen determinat ad actum determinatum, cum quo est incompossibilis actus oppositus.

Sed contra: primò, quia per hoc ipse adversarius fatetur liberam voluntatem determinatam ad unum, quia licèt antecedenter sit indifferens, tamen in actu secondo non potest simul esse ad duos actus oppositos; sed hoc est pervertere naturam libertatis, quæ debet esse in potentia ad utrumque oppositum, sed per talem determinationem, & tangitur potentia, & tollitur indifferentia proxima, ergo nulla est responsio: præterea quomodo non tangitur potentia per auxilium prædeterminans, si illud infunditur in potentia, ipsamque determinat quoad usum, & exercitium, & quoad objectum, & sine qua nihil potest agere? Ecce contradictio manifesta in tali responsione: Et hinc est, quod D. Thom. *p.*1. *q.*23. *ad* 1. ait, talem prædeterminationem esse solùm propriam rerum naturalium; sic & Zumel, Bann. Naxar. fatentur ingenuè non posse componi ipsam cum libertate.

Alvarez respond. conced. voluntatem in actu primò esse liberam ad utrumque, sed tamen infal-

libiliter operare id, ad quod est prædeterminata: quæ responsio non est melior cæteris, in ò contradictoria involuit: Si enim est libera, & verè potest in actum oppositum, ergo illa prædeterminatio est superflua: & si non potest in oppositum, ergo erit libera tantùm nomine.

Respondent ne videantur petere principium, quod ideò necessitas ex suppositione primæ causæ non tollit libertatem, ex eo, quod decretum prædeterminans voluntatem nostram ex summa efficacia, non solùm dat operari, sed etiam modum operandi, scilicet necessariò in causis secundis necessariis, & liberè in liberis: vult enim alias operari necessariò, alias liberè, & hoc determinando suaviter, & proportionabiliter ad naturam ipsarum. De qua responsione sibi ipsis blandiuntur, quasi è medio per ipsam tollant omnem difficultatem talis sententiæ.

Sed contra primò, quia talis responsio destruit suppositionem ab ipsis factam de decreto prædeterminante, & infallibili: Si enim tale decretum dat operari, & modum liberè operandi, ergo relinquit in sua indifferentia voluntatem ad oppositum, etiam in sensu composito. 2. quia falsum est, primam radicem libertatis nostræ esse ejus efficaciam, vel omnipotentiam, cum sit ab extrinseca voluntate divina, à qua descendit per participationem omnis secunda causa libera: Intrinseca autem radix est nostra voluntas de se, & essentialiter libera: omnipotentia enim divina dat posse agere, voluntas dat sic, & sit agere. *Sic Seraph. Doct. l.2.d.25.p.2.q.1.* quem adamussim secutus est Scotus, & nos probabimus *in lib. de anima tract.3.q.2.* 3. quia per talem responsionem adhuc non resolvitur punctus difficultatis: in qua quæritur, an dato decreto Dei absoluto ad aliquem actum liberum, possit in tempore fieri liber: & respondent Thomistæ id, quod est in quæstione, petitionemque principii, nempè voluntatem creatam liberè agere, quia divina voluntas ita efficax est, ut faciat effectus liberos certò, & necessariò evenire, & hoc liberè; hinc involuitur implicantia in hoc decreto, & responsione, nempè dicendo, decretum prædictum terminare meam voluntatem ad hoc objectum, ita ut non possit oppositum, etiam se vellet, & simul relinquere potentiam proximè liberam ad utrumque, qua responsione salvatur libertas solùm in causa prima, non in secunda, sed ei advenit necessitas consequentis, quia consequens sequitur ex antecedente, quod non est in mea potestate.

300 Prob. 2. principaliter, & magis confirmatur ratio supradicta: Data tali prædeterminatione Thomistarum: Voluntas vel potest velle verè oppositum, ad quod est determinata à Deo, vel non: Si dicatur primum, ergo potest frustrari illud decretum prædeterminans, quod ipsi negant: si dicant, potest velle oppositum, sed non volet: si hoc, cur non volet? nihil aliud possunt respondere, nisi quia est prædeterminata ad unum, ergo stante prædeterminatione, non potest oppositum, sicque tollitur libertas: probatur consequentia, quia potentia de se non potest, & est impedita, invalida, nec valens exire in actum, secundùm Thomistas, exigens comprincipium determinans ipsam potentiam ad talem actum secundum determinatum, & excludens oppositum.

Contra instat contra nos retorquens argumentum Joan. à S. Thoma *cit. num.* 8. quia posito decreto indifferenti, & determinatione orta ex consensu præviso nostræ voluntatis, adhuc voluntas manet libera ad oppositum actum; nec enim tollitur ab ipsa potestas ad utrumque actum, & tamen in sensu composito necessariò eveniet actus, ergo, si non læditur libertas in nostra sententia, nec in sua ipsorum: Item & nos dicimus, quod prædestinatus in sensu diviso, non in sensu composito potest fieri præscitus: Item & stante prædeterminatione concursus divini cum actu nostro, non potest voluntas actu velle oppositum; & tamen nos dicimus, non lædi libertatem nostram: Ad quid ergo tot clamores contra sensum divisum, & compositum Thomistarum, cum & ipso utamur in nostra sententia?

Sed contra est: quia instantiæ dicti Auctoris non sunt ad rem, nec enervant nostra argumenta in contrarium adducta: Nam in primis respondemus, maximum esse discrimen inter necessitatem in nostra sententia, & eam, quam ponunt Thomistæ, qui admittunt necessitatem antecedentem, si non nomine, saltem re, cum ex prædeterminatione phisica necessitas invehatur in voluntate antecedens ad actum, & ponens determinatum actum in re: Nos verò dicimus esse necessitatem consequentiæ, scilicet ex suppositione nostræ determinationis liberæ, & liberè factæ prævisæ infallibiliter à Deo, cum qua actus oppositus in sensu composito, idest supposita productione libera hujus actus, non potest esse oppositus, licèt potuisset esse antecedenter in sensu diviso: Idem & dicendum est de propositione illa; prædestinatus potest fieri præscitus, quod & infrà magis explicabitur.

Ex quibus sequitur etiam confirmatio supra facta, quia daretur excusatio in peccato: si enim voluntas mea de se non potest exire in quemcumque etiam minimum actum bonum, vel malum, cum de se sit insufficiens, indigensque præmotione prædeterminante non existente in mea potestate, sed à Deo exhibita pro libito, cui ipsi magis libuerit, & qua data, non possum non exire etiam in actum pravum, quomodo poterit mihi imputari in damnationem ipsum peccatum, si non præbuit mihi concursum ad actum oppositum non peccaminosum, imò cum dederit ad peccatum.

Sed videatur Joan. à S. Thoma *cit. n.57.* ubi varia involucra, & verè inintelligibilia, & inter se pugnantia proponit, ut se eximat ab hoc nodo, imò potiùs semper in pejores difficultates incidit. Hìc autem omitto ea, quæ tradit Meldul. *dist.3. n.133.* comparans inter se propositiones Calvini, & Thomistarum, quos adnumeratos ego sentio, & firmiter credo inter Theologos catholicos, & valdè differre à sensibus iniquis ejusdem Calvini, quod fusè probat, & doctissimè Joan. à S. Thoma loc. cit. superest, ut solvantur objectiones in contrarium.

Prima objectio sumitur ex D. Aug. cit. à Joan. 301
à S. Thoma *d.5. a.5. n.33. seq.* ex quibus videtur apertè stare pro determinatione phisica, & præcipuè in lib. de correpe. & gratia, & in lib. de gratia, & liber. arb. c.21. quæ loca fusè expenduntur à P. Gaud. *d.21. q.7.* ibique exprimit mentem S. Aug. probatque nihil urgere contra nostram sententiam: Idem & Suar. *Tom. 2. de gratia l.5. c.50. & 55. & de divino auxil. l.5. c.15.* quæ brevitatis causa omitto, quia iterum erit de hoc expensio in quæstione de prædestinatione, & prævisione meritorum. Citat & Scotum, afferens plura loca ipsius, quæ tamen à Fabro exponuntur probante nihil

facere

facere pro sententia Thomistarum. Citat etiam Seraph. Doct. quasi admittentem prædeterminationem in hanc Thomisticam; affertque duos textus Seraph. Doct. ex *lib. 2. d. 26. q. 6.* ubi quærit, an gratia habeat rationem motoris in animam: Et respond. quòd gratia dicitur movere voluntatem ad opus bonum duobus modis: primo quatenus disponit, & elevat animam in ratione moventis, ad hoc ut motum liberum arbitrium, seipsum moveat ad opus: Secundo quatenus non solum gratia operatur in libero arbitrio, sed etiam quatenus ipsa est veluti instrumentum, & concausa simul cum voluntate ad faciendum bonum. Alius textus est ex *lib. 2. d. 37. q. 1.* ubi quærit, An Deus concurrat ad omnem actionem nostram: & respond. affirmativè, scilicet, quòd Deus cooperatur libero arbitrio, non sicut duo homines ferentes pondus, unus cooperando alteri, sed quia Deus est intimè agens in omni actione, & intimus est ipsi potentiæ operanti, ita quod potentia ipsa in nihil erit, quod non sit ab ipso: quæ loca tamen nihil faciunt, vel favent prædeterminationi Thomistarum, ut observat Suar. *loc. cit. l. 2* de gratia: Nam Seraph Doct. *ibid. & præcipuè ad arg.* se clarè explicat, dicens, quod in actibus naturalibus, opus naturale, cum habet à Deo virtutem operandi, tamen nihil potest agere, nisi Deo concurrente: In actibus verò supernaturalibus ait requiri gratiam prævenientem, quæ excitat voluntatem, ipsamque elevat ad opera supernaturalia, sed tamen relinquendo ipsam in sua plena libertate ad amplectendam, vel respuendam talem gratiam. *Sic & l. 2. d. 17. dub. 1. ad 1. & l. 1. d. 40. q. 2.* unde nihil ad rem.

Ob. 2. Deus est prima radix, & causa omnium entium creatorum, ergo, & voluntatis creatæ, ejusque potestatis, ergo est causa volitionis ipsius voluntatis creatæ; sed Deus dat efficaciter esse ex sua omnipotentia creatæ voluntati, ergo & ipsius modo operandi liberè. Hanc rationem appellat Joan. à S. Thoma cit. insolubilem, & ineluctabilem existimat: quam etiam objicit Sgema. *l. 2. phisicorum:* Sed tamen nihil concludit pro dicta prædeterminatione, ut notant Suar. & Meld. *d. 3. q. 3. n. 164.* quia in antecedente, & in majori latet maxima æquivocatio, quæ tollitur à Seraph. Doct. *l. 1 d. 38. a. 1. q. 1. & d. 45. a. 2. q. 1. ad 1. & l. 2. d. 14. p. 1. a. 3. q. 1. & d. 37. dub. 1.* qui sic discurrit: aliquorum enim Deus est tota causa sine adminiculo creaturæ, ut creatio, sic est immediata causa voluntatis, ejusque virtutis: aliquorum verò tota causa, sed non sola, scilicet operationis creaturæ, licèt enim ad ipsam concurrat, vult, ut exeat ab ipsa creatura secundùm statum proprium, nempe si est naturalis, naturaliter; si est libera, liberè: & si operatio est naturalis concurrit immediatè, & si est libera ad actus liberos naturales concursu generali; si est moralis, & meritoria concursu gratuito, etiam præveniendo ipsam gratia excitante, & elevante actum ad statum supernaturalem, sed tamen non prædeterminante: unde tanta multiplicatio verborum Joan. à S. Thoma non erat necessaria, cum laboret in æquivoco.

Ob. 3. & est ratio ex principiis metaphisicæ à priori, ait Joan. à S. Thoma: Determinatio, & consensus voluntatis creatæ, unde decretum divinum dicitur accipere determinationem efficaciæ (quod aliàs esset indifferens) est aliquod creatum subjectum dominio voluntati creatæ, & ordinabile ad aliquem finem, atque ab aliqua providentia dirigibile: ergo à fortiori causatur entitativè, & efficaciter ab omnipotentia Dei, sine qua factum est nihil, & ob id dirigitur in finem efficienter à potentia divina efficacitate infallibili, non solùm in ratione sciendi, sed & operandi, & hoc per decretum prædeterminans: ergo, &c. Confirmant Thomistæ hoc totum ex philosophia, in qua habemus virtutem divinam esse virtutem causarum secundarum, dari unum primum motorem, omnem causam secundam esse dependentem in esse, & operari à causa prima, & ob id etiam applicationem causarum secundarum dependere essentialiter à prima.

Resp. Totum istum discursum probare concursum simultaneum primæ causæ voluntatis, quod & nos admittimus, sed negamus esse antecedentem, & prædeterminantem; sed concomitantem tantùm exhibitum virtute scientiæ conditionatæ, attingentem non causas, sed effectus, ut in superioribus probavimus: Et idem respondemus ad confirmationes: & ad illud, quòd virtus divina est virtus creaturæ, qua agit, respond. Seraph. Doct. virtutem creaturæ dici virtutem causæ primæ, non formaliter, sed efficienter, quatenus à Deo datur creaturæ, & conservatur, sed hinc non infertur rectè, talem virtutem divinam prædeterminare voluntatem creatam: unde ista omnia objecta sunt extra chorum, & non ad rem propriæ difficultatis.

Ob. 4. ex cit. Ioan à S. Thoma *a. 5. n. 13.* Voluntas, cui non potest resisti, est efficax, & infallibilis per locum intrinsecum, & antecedenter ad prævisionem nostri concursus: Sed talis est voluntas Dei, ergo, &c. Confirmatur: quia si voluntas Dei esset indifferens, & expectaret nostrum concursum, posset ei resisti, & posset frustrari, quod est valdè absurdum, ergo, &c.

Urget ampliùs vis argumenti: quia si Deus expectat nostrum concursum, ad hoc ut determinet proprium, sequitur, quòd iste concursus erit non à Deo proveniens, & ab ipso erit independens, v.gr. resistentia, nolitio: Item sequitur, quòd sine ipsius gratia poterit voluntas creata præbere consensum; quòd est etiam objectio P. Gaudentii cit. in fine primi notab. licèt in conclusione conveniat nobiscum. R. Voluntatem Dei de se esse efficacem quando vult, sed in exhibitione sui concursus se contemperat, & modificat secondùm quod exigit natura causæ secundæ: unde, ut ait Seraph Doct. *l. 1. d. 15. p. 2. q. 5.* exhibet suam gratiam prævenientem, ut possit se movere, & consentire vocationi propositæ relinquendo eam in sua pura libertate; & quia scientia media videt assensum futurum voluntatis adjutæ per gratiam prævenientem, hinc absolutè decernit suum concursum: & ad id, quod potest ei resisti: distinguo; in actu primo, concedo, quia non est prædeterminata, in actu secundo, nego: hinc instantiæ nihil concludunt.

Ob. 5. Quidquid producitur, à tota serie creaturum, potest produci à Deo solo, in quo casu haberent propriam contingentiam, ergo pari modo discurrendum est de decreto prædeterminante, non tollente propriam contingentiam rerum. R. conced. anteced. nempe res haberent quidem propriam contingentiam, sed non eodem modo, quia eam non haberent à causis secundis: cum autem habeant suam contingentiam à Deo, ut à causa universali, & à propria causa particulari; hinc negatur consequentia, & eò maximè, quia videtur argumentum concludere quòd tota contingentia sit à voluntate divina, quod est falsum.

Concl. 2. Prædestinatio, licèt ex parte sit actus æternus;

æternus, & necessarius, tamen nullam necessitatem infert in prædestinatis absolutam, & consequentis. Est de fide & communis cum Seraph. D. *l.1.d.40.a.2.q.1.* Prima pars patet, quia prout stat ex parte Dei est actus æternus, & idemet quod Deus, ergo est quid necessarium. Probatur secunda pars primò: si necessitatem prædestinatio infert in prædestinato, hoc est vel ratione præscientiæ, vel decreti absoluti Dei, vel ratione gratiæ efficacis, sed ex nullo ex his capitibus, ergo, &c. Probatur minor: Præscientia non infert necessitatem, quia ut supra tradidimus, est post decretum, nec item decretum ipsum salvandi hominem, quia non antecedit voluntatem, sed est concomitans, ut supra probatum est: Tum quia est indifferens, & indeterminatum de se, determinaturque aliquo modo à voluntate humana: Tum quia dependet à scientia conditionata, ut in superioribus, ergo, &c. Nec provenit à gratia, quia non est causa totalis prædeterminans, sed cooperans, ergo, &c. Tum quia prædestinatio est causa salutis non totalis, sed includendo merita, quæ à voluntate libera proveniunt: Tum quia cum effectus procedit à duabus causis, si altera est contingens, & effectus est contingens, sed prædestinatio terminat, seu procedit à Deo, & à libero arbitrio, ergo erit contingens.

Obj. 1. Prædestinatio ex parte Dei est necessaria, ergo necessariò ponit effectum: si enim qui est prædestinatus necessariò salvabitur, ergo, &c. Resp. Seraph. D. ad omnia ista argumenta, & instantias; hæc omnia inferre necessitatem consequentiæ, non consequentis, quia insunt prædestinationi, scilicet necessitas inferendi, impossibilitas cassandi, & discordandi, non per rationem causalitatis, sed tantùm præscientiæ, quæ concors, certa, & infallibilis est: concors quia vera; præcognoscit enim Deus rem præsentem esse sicuti est, & futuram sic evenire, sicut eveniet: est certa, quia est independens, ad objecto præcognito, sed cognoscit ex Idæa, primaque, & summa veritate, in qua nulla cadit dubietas, sed certitudo summa, ideo de omnibus æqualiter certa: est & infallibilis, quia totum posse, totum velle, & omnia possibilia, & futura præcognoscit, ideo non potest falli. Hinc ergo, quia prædestinatio claudit præscientiam, ideo concordat cum libero arbitrio, nec potest discordare, vel cassari, ob idque necessariò infert salutem prædestinati, sed non necessariò efficit, cum involuat actum liberum voluntatis nostræ.

Obj. 2. Si impossibile est, prædestinationem posse cassari, & falli, ergo infert necessitatem in prædestinatio: prob. consequentia, quia ideo non potest cassari, quia decretum divinum ab æterno factum, verbi gratia, de salute Petri est absolutum, & irrevocabile, & ab æterno præcedens executionem, ergo infert necessitatem, non solùm consequentiæ, sed consequentis: quo tiescumque enim ad positionem alicujus antecedentis, necessariò sequitur effectus, nec possit impediri, tum idest necessarium necessitate absoluta, & consequentis, ut supra diximus de prædeterminatione phisica, &c. Hæc objectio excitat maximam difficultatem in hac materia, quæ indiget diligenti expensione, ideo solvetur in sequenti quæstione, licèt etiam ex supra traditis possit sufficienter solvi.

QUÆSTIO IV.

An decretum prædestinationis divinæ possit stare cum contingentia objecti: & an prædestinatus possit fieri præscitus, & è contra: Ubi de certitudine prædestinationis, & de numero prædestinatorum.

HÆc est una ex præcipuis difficultatibus in hac materia; ideo mirum non est, quod ad solvendum talem nodum Theologi varios, & diversos modos dicendi excogitaverint, ut rectè notat Pater Gaud. noster *d.20.q.2.n.172.* 103

Primus modus est Vasq. *d.99.c.2.* proponentis opinionem Durandi, nempe Deum immediatè non concurrere cum causis secundis, sed tantùm mediatè, quatenus dedit ipsis virtutem operandi, easque reliquisse in suo statu, ad hoc ut sine decreto illo Dei possint exire in suos actus: sed revera malè, & falsò affertur modus Durandi in hac materia, cum ipse loquatur tantùm in ordine naturæ, nec negat decretum concursus divini gratuiti immediati ad opera supernaturalia.

2. Modus est Caiet. nempe ex decreto Dei non sequi evitabilitatem, vel inevitabilitatem nostræ operationis, sed quid medium, quod est ineffabile: Sic. p. 1. q. 22. a. 4. quem modum aliqui Prædicatores extollunt, & præcipuè eruditus Emanuel Orcus noster in Conc. de prædest.

Qui modus tamen cum sit mera fuga, indignus videtur tanto viro: ratio est, quia evitabile, & inevitabile sunt duo contradictoria, sicut possibile, & impossibile, in quibus non datur medium: Tum quia stante decreto Dei absoluto, vel possimus evitare opus, vel non: Si primum, ergo decretum Dei erit mutabile: Si secundum, ergo inducitur necessitas antecedens ad modum causæ.

3. Modus est Thomistarum admittentium prædeterminationem phisicam, per quam Deus sua virtute trahit voluntatem ad operandum, relinquendo ipsam in sua libertate: contra quam scripsimus supra q. 2.

4. Modus est Catherini *Op. de præsc. cap. ult.* Cordubæ, & aliquorum aliorum, dicentium, nostrum liberum arbitrium primò excitari moraliter, attamen determinationem esse primò à libero arbitrio in omnibus actibus bonis, & malis, ex quo colligunt priùs prædestinari nostram determinationem, quàm operationem Dei: quem modum rejiciunt multi Theologi tanquam sapientem errores Semipelagianorum, inter quos est cit Gaud. *n. 4 9.* sed meo videri malè, & perperam talis censura istis Theologis Catholicis impingitur, cum præsupponant in voluntate nostra præmotionem gratiæ prævenientis, ex cujus adjutorio consequitur determinatio nostræ voluntatis, prævisa per scientiam mediam, ex qua sequitur postea decretum divinum: & hoc idem est, quòd dicit Seraph. Doct. ut patebit: Utque id clariùs pateat, suppositis iis, quæ supra in quæst. de scientia media tradita sunt.

Primò Not. ex Seraph. Doct. *l.1.d.40. a.2. q.1. corp.* quòd prædestinatio duo importat, scilicet præscientiam divinam, & rationem causæ, ratione præscientiæ totum includit in cognitione liberi arbitrii, & ejus cooperatione, & vertibilitatem: rationem

rationem causæ includit hoc pacto, scilicet quatenus inficit effectum non necessariò, sed per voluntatem, cujus effectus non est tota causa ipsa voluntas, sed concausa cum voluntate nostra libera, indifferente, variabili, & volente ad oppositos actus exire: Vnde divina voluntas, prout est causa, intrinsecè in nobis ponit cooperationem gratiæ, quæ phisicè non præmovet, vel prædeterminat liberum arbitrium, sed tantùm moraliter excitat, phisicè verò cooperatur: Nun enim ratio liberi convenit voluntati naturæ, & actibus ejus per respectum ad divinam voluntatem, nisi ab extrinseco, ut dictum est supra in quæst. 2 neque actus nostri sunt liberi, quia à solo Deo decreti antecedenter sint fieri, & de facto fiant per talem concursum prædeterminantem, ut volunt Thomistæ, sed liberi sunt, & dicuntur per respectum ad modum operandi causæ liberæ, qualis est essentialiter voluntas nostra: Hinc sequitur necessitatem ortam ex prædestinatione, & operatione Dei esse solùm comitantem, & sequentem nostram operationem præcisam, cum præfinitio Dei non antecedat ordine causalitatis, sed tantùm durationis. Cum autem Deus in tempore operetur sicut ab æterno decrevit; & cum in tempore præmoveat solùm moraliter, alliciendo, invitando, & phisicè solùm cooperetur: (de qua præmotione morali, quæ etiam appellatur inductio libera, vide Seraph. Doct. *l.* 2 *d.* 25. *p.* 1. *q.* 4. *&* 5.) Ita etiam ab æterno statuit facere: & sicut cooperatio Dei in tempore nil lædit libertatem nostram, ita decretum Dei æternum; quod quidem concursum suum extrinsecum ordinavit ex media scientia, per quam hinc talis ordinatio concipitur, scilicet in primo signo decrevit tali vocatione prævenire, cui responsurum esse jam scientia conditionali novit: In secundo signo decrevit cum determinatione voluntatis nostræ prævisa conditionatè, absolutè cooperari, & hinc ex tali concomitantia, solùm necessitas consequentiæ oritur. Vid Seraph. Doct. hic *d.* 40. *a.* 2. *q.* 1. *&* *d.* 38. *a.* 1. *q.* 2. *&* *d.* 46. *quæst.* 1.

304 Not. 2. ex eodem Seraph. Doct. *l.* 1. *d.* 40. *cit.* quòd, ut tradit Philosophia; mensura, & mensuratum debent esse ejusdem rationis, hinc est, quòd ad perfectè cognoscendam naturam rerum, requiritur propria ipsarum mensura, & ob id ad mensurandum temporalia utimur tempore; æviterna, ævo: Sic & ad divina mensuranda utendum est illa mensura, qua mensuratur Deus, scilicet æternitate, quæ non subest præterito; vel futuro, cum in uno istanti indivisibili permaneat semper eadem: quare actus Dei, cum sit purissimus, actualissimus, & æternus debet (ait Seraph. Doct.) considerari, ut semper præsens in sua mensura, nec cum tempore fluens, & abiens in præteritum ad modum actus nostri: Itaque Deus semper est in actu perfectissimo, & libero prædestinandi, non libertate ad oppositos actus, sed eodem simplicissimo ad diversa objecta, & oppositos effectus: unde mutatio fit solùm in objectis, & in effectibus, non in Deo. Et hinc immutabiliter Deus, secundùm quod ipsi offert homo etiam cum prædestinat, vel reprobat; & licèt objectum transeat in præteritum, non tamen actus Dei, nec in eo propriè potest tribui præteritum, vel futurum, nisi secundum nostrum imperfectum concipiendi modum, & tali pacto nobis mortalibus pro captu nostro loquitur S. Script. Elegit nos, &c. Eph. 1. aliisque locis.

Not. 3. ex eodem Seraph. Doct. loco cit. quod hæc propositio, prædestinatus potest damnari, debet admitti absolute, sine ulla distinctione, eo, quia esse prædestinatum, vel præscitum est contingens, etiam si à parte Dei sit actus necessarius: & patet, supponendo quatuor vera: Primum est, quod præsens æternitatis divinæ complectitur omne tempus sine sui mutatione, & variatione, successionéque; unde, ut supra dictum est, semper actus Dei est unus, & præsens immutabiliter, etiam ad mutationem objecti, & termini. Secundum est, quòd Deus seipso, & unico actu purissimo cognoscit omnia: Tertium est, quod cum dicimus, divinam cognitionem, vel decretum voluntatis ordinari ad hoc, vel ad illud, non ponitur ordo, vel relatio realis in Deo ad creaturam, sed solùm in objecto creato, & hic respectus non est in actu, sed in habitu, & in potentia tantùm, nec de præsenti, sed de futuro: Quartum, futurum sub ratione futuri, quod ponitur semel verum, semper fuisse verum; & quod ponitur semel falsum, semper falsum fuisse: & ideo cum ponitur posse esse, non ponitur nec mutari, nec incipere.

His præsuppositis, facile est intelligere, quòd prædestinatus potest esse præscitus, & quod Deus præscivit, quod potuit prædestinare, ratio est clara: quia salus istius præsciti potuit ab æterno prævideri, cum possit evenire ista salus in tempore, & si potuit ab æterno ordinari ad divinam cognitionem, & voluntatem, potest & nunc: ratio est, quia præsens, & æternum totum est actu, & nihil de eo transit in præteritum, & nihil futurum est, quod sit necessarium esse factum, ergo, si potuit ab æterno prædestinari, potest & nunc, scilicet in suo nunc æternitatis, & prædestinasse, & non prædestinasse: Cum autem actus divinæ cognitionis æternus non possit cogitari non fuisse, vel ad hoc contingens ordinatum non esse, ideo nec ponitur in loco mutatio in æterno præsenti, quia non ponitur in eo successio, nec alia cognitio: Nec item in ordine ex parte cognoscentis, quia non ponitur in Deo alius ordo: Item nec in ordine ex parte cogniti, in quo solùm ponitur futurum, quod, cum non sit, potest intelligi esse, & non esse futurum sine mutatione: hocque patet considerando significationem horum vocabulorum, prædestinatus, & præscitus, qui termini, quantùm ad principale significatum, significant divinam essentiam: quantùm ad connotatum, significant contingentia non necessaria, & quia sunt futura, quæ nihil actu sunt, ideo possunt inesse, & non inesse sine mutatione, cum enim ponuntur in esse vera de futuro, ponuntur semper fuisse: & hinc patet, quàm sit vera propositio hæc: Prædestinatus potest esse præscitus: Sed quia prædestinatus est, verum est ab æterno esse prævisus prædestinatus, ideo cum veritate infallibili stat contingentis. His positis, sit.

305 Concl. 1. Prædestinationis decretum, licèt sit immutabile, tamen stat cum contingentia effectus. Est Seraph. Doct. qui hanc doctrinam desumpsit ex D. Anselm. ut ipse fatetur, & communior est inter Theologos. Probatur primò, quia decretum divinum non est tota prædestinationis causa, sed concausa cum libera voluntate humana; sed tale decretum non antecedit, prædeterminando, sed concomitatur simul cum gratia præveniente, ergo nullam necessitatem ponit in prædestinato. Major est certa, minor in superioribus probata est.

Prob. 2.

Prob. 2. Prædestinatio nihil intrinsecum ponit, nisi gratiam in voluntate, nec aliquid extrinsecum, præter decretum, sed gratia nil lædit libertatem humanam, quia moraliter tantùm prævenit, & phisicè solùm cooperatur ipsam amplexanti; decretum verò dandi gratiam correspondet executioni: sed executione nulla læsio obvenit libertati: quippe firmatur decretum vocandi, supposita cognitione conditionali, ergo, &c. Confirmatur ex pluribus textibus Sacræ Scripturæ, in quibus patet, prædestinationem posse mutari: Sic dicebat Apostolus *Cor. 9. Castigo corpus meum, ne cum aliis prædicaverim, ipse reprobus efficiar*: Et Ecclesia patenter id dicit in collecta missæ quadragesimæ: *Deus cui soli cognitus est numerus electorum in superna fælicitate locandus, tribue quæsumus, ut omnium fidelium nomina liber adscripta retineat*. Meldula respond. ideo orari, quia Deus vult, hoc beneficium peti, ut cum metu nostram salutem operemur; non autem quia nomina prædestinatorum valeant deleri, quæ expositio est extorta, & extra rem, & potius illusio: nam potius debemus agere gratias, quod prædestinati sint scripti in libro vitæ, non autem, ne deleantur deprecari. Idem & docet S. Aug. *l. 6.* Hypognost. in fine clarissimè, ex quo textu eruitur illud dictum, quod huic Sancto Doct. adscribitur: Si non es prædestinatus, fac, ut prædestineris; & in tractatu 26. in Ioan. Si non traharis, ora, ut traharis. Vid. P. Gaud *q. 20.* qui alios textus D. Aug. & Ambrosii, aliorumque Patrum expendit, & exponit ad mentem Seraph. Doct.

307 Objic. primò ex Mastrio: quod ab æterno decrevit non potest non evenire: sed ab æterno Deus prædestinavit omnes salvandos, ergo impossibile est, id non evenire, & aliquem damnari: minor probatur: Ad præteritum non datur potentia, sed decretum Dei transit in præteritum, quia tot jam ante sæcula firmatum est decretum, ergo sicut non potest esse, quod diluvium non fuerit, & creatio mundi, & alia præterita: Sic & decretum prædestinationis: Nec valet confugere ad decretum concomitans, quia etiam hoc est immutabile, & jam factum ab æterno: Et hinc multi appellant hoc argumentum formidabile.

Respond. formidabile esse forsan aliis scholis, sed non Seraph. Doct. qui facilimè ipsum solvit, & cujus solutione etiam mutuatus est Scotus *d. 40. ad prim. &* Faber *d. 54. c. 5. n. 50. & d. 56. c. 2. n. 29.* quam & desumpsit Seraph. Doct. ex D. Ioan. Chrysostom. Hom. 75 *in Joan.* & D. Cirillo *in Ioan. l. 10. c. 6.* & D. Ansel. estque eadem Conc. Trid. apud Ruiz *d. 55. sect. 5.* Respond. igitur, conced. majorem, si decretum Dei est se solo, & non cum causa secunda: Ad min. Deus non est tota causa, sed concausa: Ad min. probationem, neg. decretum Dei transiisse, vel transire in præteritum, cum sit semper præsens, ideo cum sit concausa, sicut homo se Deo exhibet, vel prædestinatur, vel reprobatur: Unde falsum est transiisse tot sæcula efficta à Mastrio, & aliis.

Sed hic occurrit textus Seraph. Doct. contra supratraditam conclusionem, & doctrinam, eo quod loco cit. *a. 3. q. 1. & 2.* dicit, Prædestinatio infert salutem, nec potest cassari, nec discordare à libero arbitrio: & quia præscientia nullam imponit necessitatem consequentis, sed consequentiæ, similiter nec prædestinatio: & *q. 2. in corp.* Prædestinatio est certa certitudine immutabilitatis, quia divina dispositio, & ordinatio non variatur, ut modo hunc eligat, modo alium, sed qui semel electus est, semper fuit, & erit, & non alius: Et in responsione *ad 1.* quando dicitur, quod locus alicui debetur secundùm præfinitionem æternam, posset quidem cadere, & locum perdere, & alius, qui non est prædestinatus, posset aquirere, sed tamen hoc nunquam eveniet; Idem & *d. 44. a. 2. q. 1. & l. 3. d. 3. q. 1.* ergo nostra conclusio est contra sensum Seraph. Doct.

Sed resp. Seraph. Doct. in prima quæstione probare, prædestinationem non inferre necessitatem, nisi consequentiæ ex doctrina supra tradita in fundamentis: Et *in q. 2.* probat, certum esse eventum nostræ salutis certitudine immutabilitatis, ex eo, quod Deus ab æterno præscit, quid operaturus sit in tempore voluntas humana, & quod merita aquiret, ex quorum prævisione, eligit hunc, & non alium: unde sequitur immutabilitatis certitudo: Quare Mastrius decipitur confundens cum certitudine necessitatem ex decreto divino, & ideo non sunt ad rem isti textus, &c.

Ob. 3. cum cit. Mastrio: Vel decretum Dei ita asseritur semper præsens, ut non sit ultimatè completum usque ad ultimum vitæ Petri, in quo omnes effectus complentur, sed tunc incerta esset divina prædestinatio, aut si certa, redderet eadem difficultas, circa libertatem, quomodo liberè Petrus pervenit ad metam salutis: & si certò non cognoscit, ergo ejus cognitio est fallax: Vel secundò asseritur tale decretum præsens, ut Deus possit in tempore reprobare, quem ab æterno prædestinaret, & è contra: sed tunc sequeretur mutatio in Deo, ergo, &c. Vel tertiò asseritur decretum ut semper egrediens à Deo, & licèt fuerit ab æterno, nunquam tamen in præteritum transivit, sed semper præsens: sed decretum Dei est immutabile, ergo etiam tali pacto læditur libertas hominis, &c.

Respond. committi maximam æquivocationem in his instantiis, in quibus fit transitus ab actu Dei ad effectus connotatos: actus Dei est unus, idemque Deus, & æternus, & semper præsens; connotatum verò non compleri, nisi in fine vitæ: & ideo decretum respicit de præsenti tale connotatum, nec unquam transit in præteritum, licèt connotatum transeat: Idem & dicendum est de præscientia Dei æterna, quæ est posterior decreto, & importat notitiam rerum in esse objectivo, ex quibus non infertur necessitas, nisi consequentiæ, ut toties probatum est.

Ob. 4. cum Molina contra hanc doctrinam: si decretum Dei non transit in præteritum, sequitur dari potentiam ad præteritum, quo ad effectus liberos egressos à libera voluntate Dei, v. g. in ordine ad creationem mundi: Si enim respectu Dei non transierit iste actus, poterit nunc decernere contrarium, quod est absurdum.

Mirum est verè quomodo vir tam doctus erigat suam sententiam de actibus æternis Dei in fundamento tam labili, & æquivoco: Jam dictum est, quod actus Dei est unus, purissimus, æternus, necessarius, sicut est ipse Deus; ob idque immutabilis, nec subjacere mutationi temporum per se, sed denominativè tantùm, ratione connotatorum, quæ verè subjacent variationi, & transiivi à futuro, ad præsens, & præteritum: Hinc Resp. neg. sequelam, quia enim mundus transiit in præteritum, hinc actus Dei denominativè dicitur transiisse in præteritum, licèt de se sit semper unus, & præsens,

Cum

Cum autem in effectu connotato ſint duo, ſcilicet actus divinus, & ipſum connotatum, & altero deficiente, non poteſt poni in eſſe, ipſi actui divino competit indifferentia antequam ponatur effectus in eſſe: poſito verò in eſſe, non amplius indifferens dicitur ex neceſſitate ſecuta in effectu, non verò in actu: Unde tranſire ab actu ipſo divino ſecundùm ſe ad ipſum ſumptum cum connotato, eſt patens fallacia à ſimpliciter ad ſecundùm quid, & talis generis ſunt alia argumenta, quæ Molina cum aliis congerit.

308 Concl. 2. Certitudo prædeſtinationis ſumpta à parte rei evenientis ſeu effectus non habet certitudinem majorem, quàm habeant alia contingentia futura: Sumpta à parte Dei præſcientis, habet certitudinem infallibilitatis: Reſpectu divini decreti, habet certitudinem immutabilitatis. Eſt Seraph. Doct. *cit. q.* 2. Ut pateat ſenſus, & veritas hujus concluſionis, & ſtatus diverſitatis ſententiarum.

Notandum, quòd quæſtio poteſt ſumi in ordine ad ipſam prædeſtinationem, vel in ordine ad numerum: an utrumque ſit certum, vel reſpectu noſtri, vel reſpectu Dei: Certitudo autem eſt duplex: Alia eſt immutabilitatis, quæ opponitur mutabilitati: Alia infallibilitatis, quæ opponitur fallibilitati, & deceptioni; alia neceſſitatis, quæ opponitur contingentiæ, & non poteſt aliter ſe habere: alia firmitatis, quæ opponitur dubitationi. Rurſus certitudo, alia eſt cognitionis, qua quis judicat de re ſicut eſt verè: alia ordinis, eſtque illa, penès quam res certò conſequitur ſuum effectum. Hinc.

Prob. prima pars concluſionis, quia certitudo opponitur contingentiæ, ſed effectus prædeſtinationis ex parte noſtri eſt contingens, ergo non eſt certus: Tum quia in numero electorum non eſt major certitudo, quàm in aliis contingentibus, ergo, &c. Tum quia eventus noſtræ, prædeſtinationis pendet ex noſtra libertate, ergo ex parte noſtra non habet certitudinem.

Prob. 2. pars, nempe certitudo ex parte Dei, tum ex præſcientia, tum ex divina diſpoſitione, & decreto: quam prædeſtinatio deffinitur præſcientia, ſimulque propoſitum, ergo includit præſcientiam, & voluntatis decretum, & diſpoſitionem, ſed iſta ſunt certiſſima; præſcientia quidem certitudine infallibilitatis, quia non pendet à re, ſed eſt ratione æterni luminis, & primæ, & ſummæ veritatis: propoſitum verò. & decretum divinum, certitudine item immutabilitatis, quia non poteſt variari circa objectum, ergo, &c. Igitur ex duplici capite prædeſtinatio ex parte Dei eſt certa: primò ex parte præſcientiæ divinæ, quæ non poteſt falli; tum quia non pendet à rebus; tum quia ſupponit decretum antecedenter, & ob id dicitur certitudo infallibilitatis: Secundò ex parte ordinis, & diſpoſitionis divinæ ſecundùm cauſalitatem moralem, qua Deus per congrua media movet infallibiliter liberum arbitrium creatum ad actus bonos, & effectus à Deo intentos: & cum per ſcientiam mediam videat quid eveniendum ſit in tempore, ſuppoſita conditione decreti concomitantis ipſam voluntatem operaturam, decernit ſe velle concurrere; hincque oritur certitudo immutabilitatis ſine læſione libertatis. Addimus ex eodem Seraph. Doct. Non nobis, ſed ſoli Deo eſſe notum numerum prædeſtinatorum, & ſequitur ex dictis, & patet ex 2. *Tim.* 2. ubi dicitur, quod novit Dominus, qui ſunt ejus, aliiſque locis Sacræ Scripturæ.

Nota autem, quod hujuſmodi certitudo colligitur ex certitudine prædeſtinationis, & reprobationis, ſed differenti modo: nam certitudo prædeſtinationis eſt certitudo cognitionis, & ordinis, ſeu cauſalitatis: reprobationis verò, certitudo cognitionis tantùm, quia Deus prædeſtinatos præordinat quidem ad merendum, non verò reprobos ad peccandum.

Objic. primò: In Apoc. *cap.* 3. dicitur; *Tene,* 309
quod habes, ne alius accipiat coronam: ubi Gloſſa ait, *Dum unus labitur, alius in locum ejus ſubducitur*, ergo non eſt certitudo eventus, quantùm ad perſonas. Et Luc. *cap.* 5. ibi rumpebatur rete, ait Gloſſa: Non tot intrant de Judæis, quot ſunt prædeſtinati: ergo non eſt certus numerus, quoad perſonas, dum pauciores ſalvantur, quàm ſint prædeſtinati: ſic & Deut. *cap.* 1. *Addat Deus ad hunc numerum multa millia*: Addit Gloſſa: Ad hunc numerum prædefinitum in Dei præſcientia, qui novit, qui ſunt ejus, ergo ſi addit, vel addere de facto poteſt, non eſt certitudo, quantum ad numerum ſalvandorum.

Reſp. quod prædeſtinatio, & reprobatio poſſunt conſiderari, vel ſecundùm præſentem juſtitiam, vel ſecundùm prædefinitionem æternam ex præſcientia divina: primo modo poteſt fieri mutatio in objecto, & maximè, quia decretum Dei non tranſit in præteritum, ſed ſemper eſt præſens: Secundo modo, licèt fiat mutatio ſecundùm præſentem juſtitiam, & verè poſſit prædeſtinatus fieri præſcitus, non tamen id eveniet, & hoc quia præſcientia Dei eſt infallibilis, ut dictum eſt. Et ad id de additione, Reſp. ibi ſermonem eſſe de primitiva Eccleſia, in qua multi intrabant in gremium Eccleſiæ, ſed in fine multo plures addentur: Cum verò nemo ſciat, an ſit prædeſtinatus, an præſcitus, clamat Deus inceſſanter: Tene, quod habes; ut ſemper vivamus cum metu, & tremore, & toto ſtudio ad bona opera exercenda nos ipſos applicemus, ne alius accipiat coronam nobis oſtenſam, & promiſſam.

Objic. 2. Si apud Deum datur hæc certitudo infallibilis, ad quid ergo laborare? cum præſcientia, & prædeſtinatio ſit infallibilis? Reſpond. Seraph. Doct. hoc eſſe argumentum ſtultorum: ſi enim Deus tibi prædiceret, te eſſe victurum uſque ad centeſimum annum: ergo non oporteret comedere, neque bibere, ſi ergo Deus determinavit aliquid eventurum, etiam determinavit media ad hunc finem: Tu dicis, quòd Deus certè prædeſtinat: & ego dico tibi (ait Seraph. Doct.) quòd Deus tanquam juſtus Judex juſtè remunerat: nullum ergo bonum irremuneratum, nullum malum impunitum, ergo nullus laborat ſine fructu: nullus torpet ſine damno: Præterea addo: quod Deus prædeſtinat, non in omnem eventum, & abſolutè, ſed prædeſtinat per merita, & cum velit omnes ſalvos fieri, & omnibus gratiam impartiri, ſolùm ex noſtra malitia, vel negligentia venit deffectus noſtræ ſalutis: Aurea quidem verba, & diligenter notanda maximè à prædicatoribus, &c. Pro complemento autem ſolvenda ſunt aliqua dubia.

310 Quæres igitur primò. *An sit in nostra potestate esse prædestinatum, &c.* Resp. quod si prædestinatio sumatur secundùm se totam, prout involuit præscientiam divinam, & ordinationem Dei, oblationem gratiæ, & mediorum, & glorificationem, non est in nostra potestate: ratio evidens est, quia omnia effectivè sunt in Deo, & gratis ab ipso exhibita adjumenta gratiæ, quibus inchoatur, & perficitur prædestinatio: si verò sumatur, quatenus ad efficaciam gratiæ requiritur nostra cooperatio, sic est in nostra potestate: possumus enim verè actu assentire, & dissentire: & hac distinctione soluuntur omnia objecta in contrarium.

Q. 2. *An numerus prædestinatorum possit variari, vel mutari?* Resp. Seraph. Doct. primò quod loquendo de potentia Dei absoluta, potest variari: de potentia verò ordinaria non potest: nam supposito, quod Deus prædestinavit, non potest non prædestinasse, vel è converso, & in hoc sensu,) ait Seraph. Doct.) dicitur à D. Aug. quod anctus est numerus electorum, qui non possunt minui, nec augeri: Secundò quod absolutè loquendo, seclusa determinatione Dei, potest fieri additio, vel diminutio, quod tamen numquam eveniet.

Q. 3. *An prædestinatus possit esse certus de sua prædestinatione?* Resp. neminem esse certum de sua prædestinatione, seclusa revelatione divina: idque est de fide determinatum ex sacra Scriptura in Concil. Trid. contra Calvinum, aliosque hæreticos: nemo enim scit, an odio, an amore dignus sit: sic & Sancti Patres. Resp. 2. hominem posse esse certum de sua prædestinatione certitudine conditionata: nempè quatenus scit certò, operantem benè, & observantem divina præcepta, præmiandom esse in vita æterna. Resp. 3. quod homo, licèt non sciat certitudinaliter suam prædestinationem à sacra Scriptura, tamen dantur signa aliqua prædestinationis, ex quibus certitudine conjecturali potest quis cognoscere suam prædestinationem: Quorum primum signum est patienter tollerare passiones, & tribulationes hujus vitæ: Secundum est libenter audire verbum Dei: Tertium, testimonium bonæ conscientiæ: Quartum est misericordia, & charitas in proximum: Quintum est sollicitudo in exercitio bonorum operum, &c. Vide Seraph. Doct. *serm.* 1. *Dom.* 1. *post oct. Paschæ*, ubi assignat signa ovium Christi propè finem.

Q. 4. *Cur voluit Deus, ut tam prædestinati, quàm reprobi laborent in bonis operibus?* Resp. ex Seraph. Doct. quoad prædestinatos: id vult Deus primò, quia non necessariò determinat unumquemque hominem ad salvandam: Secundò, quia cum gratis Deus eum ab æterno prædestinaverit, tantò magis debet conari ad complacendum sibi ex gratitudine: Tertiò, quia scientia Dei de futuris contingentibus non est ita determinata, sicut de necessariis, sed est conditionata, sicut sunt omnes promissiones sacræ Scripturæ: Quartò propter ordinationem prædestinationis, quæ est, non solùm ad gloriam, sed & ad merita, quæ per bona opera habentur: Quintò propter justificationem prædestinationis, juxta illud Petri: satagite, ut per bona opera certam vestram vocationem, & salutem faciatis.

Quoad reprobos Deus vult ab ipsis bona opera: primò quia Deus diligendus est propter seipsum, ut summum bonum, ideòque purè propter Deum debet quis, etiam reprobatus benè operari, & propter bonum virtutis peccata vitare: Secundò quia Deus novit mutare decretum, si tu noveris mutare delictum, ait D. August. cum sit actus contingens ipsa prædestinatio: Tum quia quisque tenetur gratias Deo agere pro infinitis beneficiis, &c.

Q. 5. *An major sit numerus electorum, an reproborum?* Resp. quod in hoc varius est sensus Doctorum: Communiter enim tenetur, quod in communi loquendo de tota massa hominum, plures Damnantur: loquendo de Christianis paticulis, plures salvantur: loquendo de solis adultis Christianis. Vide Recupitum in tomo de signis prædestinationis; Drexellium de prædestin. qui fusè hanc materiam tractant, & aptissimè ad usum Prædicatorum.

QUÆSTIO V.

An prædestinatio ponat aliquid in prædestinato? Vel, an prædestinatio habeat aliquos effectus? Ubi de effectibus prædestinationis.

Quæstio ista à pluribus proponitur post expensionem causarum prædestinationis, cum tota versetur circa effectus prædestinationis: attamen hic ipsam proponimus, eo, quia immediatè tangit actus intellectus, & voluntatis Dei prædestinantis: Cujus tituli sensus est: *An Deus prædestinando hominem efficiat in prædestinato aliquid, quod habeat rationem medii ordinati ad hunc finem:* In qua, licèt certum sit, prædeterminationem habere aliquos effectus in prædestinatis, in quo omnes catholici conveniunt, cum sit de fide: discreptatio tamen est circa modum, vel qualitates ipsorum effectuum. Pro solutione. 311

Not. 1. Et supponendum ex Seraph. Doct. *l.* 1. *dist.* 40. *dub.* 7. quod prædestinatio involuit rationem omnium causarum nobilium: prout enim claudit in se scientiam practicam, & actum divinæ voluntatis, habet rationem formæ; cum sit actus vitalis Dei: prout verò dicit dispositionem, & ordinationem voluntatis, est causa efficiens, scilicet vocationis, justificationis, & glorificationis: prout verò hæc ordinatio est mediorum, & prædestinati in finem, scilicet salutis, habet rationem causæ finalis: Est enim Deus horum causa eminentissima, complectens omnes perfectiones omnium causarum efficientium: habet enim rationem causæ universalis, extendens se ad omnes effectus, excludensque simul inefficaciam causarum universalium creatarum: est & causa eminenter particularis, quatenus est efficax, & immediata, non tamen se restringens ad unum, vel aliquos effectus: est & causa eminenter contingens habens libertatem absque mutabilitate: est & causa eminenter necessaria, habens immutabilitatem, sed excludens inevitabilitatem.

Not. 2. quod conditiones communiter assignatæ à Theologis, ad hoc ut aliquid sit effectus prædestinationis, sunt sequentes. Prima, ut ille effectus sit à Deo productus, ratio est, ait Seraph. Doct. *lib.* 1. *dist.* 40. *dub.* 3. quia prædestinatio importat scientiam practicam ratione beneplaciti, & voluntatis divinæ ordinantis totum conno-

tatum ad ſuum finem : in qua ratione implicatur etiam ſecunda conditio, ſcilicet ordinatio effectus efficax ad gloriam, ratione cujus ordinationis ſpectat ad providentiam Dei ſupernaturalem, & ſit ſub ordine gratiæ, ſaltem reductivè : prædeſtinatio enim tria eſſentialiter involuit, ait Seraph. Doct. *lib.1. diſt.4. dub.1. & 2.* ſcil.que prædeſtinatus, gratia, & gloria, & conſequenter ut procedat ex meritis Chriſti : Tertia conditio, ut ille effectus ſit datus ex intentione ducendi hominem ad finem ſupernaturalem gloriæ, per quod excluduntur bona ſpiritualia data reprobis ; iſta enim ſunt providentiæ generalis effectus, ſicut ſacramenta, aliaque remedia omnibus communia, quæ tamen dicuntur effectus prædeſtinationis inchoatæ, ſcilicet voluntatis, ſeu antecedentis Dei : ideò ſolùm propriè dicuntur effectus prædeſtinationis, quæ perducunt, vel in ſe, ut eſt perſeverantia, vel in radice, ut vocatio efficax, ad vitam æternam.

Not. 3. quod ad ſeptem capita poſſunt reduci iſti effectus prædeſtinationis : Primum eſt vocatio cum omnibus donis, quæ præcedunt juſtificationem : Secundum eſt juſtificatio tam continuata, quàm per peccatum interrupta : Tertium eſt glorificatio : Quartum eſt peccatum, quatenus ex eo ſumitur occaſio profectus : Quintum permiſſio peccati : Sextum bonus uſus liberi arbitrii : Septimum bona naturalia conducentia ad ſalutem : De quibus majoris claritatis gratia, ſingillatim, ſimulque ſolvemus quæſtionem propoſitam.

313 Primò ergo *quæritur : An vocatio ad gratiam ſit effectus prædeſtinationis ?* Reſpond. In hac quæſtione varia ſunt placita Theologorum : Prima ſententia eſt aliquorum excludentium vocationem ab effectibus prædeſtinationis, inter quos Vaſquez, & Trigoſius adnumerant Seraph. Doct. ex eo, quod *lib.4. d.15. p 1. art. 2. q.5.* concedit meritum congruum juſtificationis, & conſequenter (ait Vaſquez) etiam prædeſtinationis, ergo ſecundùm principia Seraphica excludi debet vocatio, in qua nullum meritum præcedit : ſed mala, & congrua eſt hæc illatio, ut mox patebit. Secunda ſententia eſt Gabr. & Ocham. contendentium, ſolam vitæ æternæ conſecutionem eſſe effectum prædeſtinationis, quæ opinio communiter rejicitur tanquam falſa, & parum tuta, cum ſit contraria ſacræ Scripturæ & Sanctis Patribus. Tertia ſententia eſt Durandi negantis, aſſecutionem gloriæ eſſe effectum prædeſtinationis : de qua in ſecundo quæſito.

Sed vera, & communis omnium aliorum Theologorum eſt, vocationem eſſe effectum prædeſtinationis, eſtque Seraph. Doct. *lib.1. diſt.40. a.3. q.1. ad ult. & Comp. Theol. lib.2. cap.30.* aliiſque pluribus locis, quæ examinabuntur in ſequentibus quæſtionibus. Sed tamen adnotandum, quod duplex eſt vocatio : alia eſt efficax, eſtque perſeverantium uſque ad finem : alia inefficax : Prima eſt effectus prædeſtinationis proprius : Secunda eſt prædeſtinationis inchoatæ, ſcilicet voluntatis antecedentis, de qua *lib.1. diſt.46. q 2.* De prima ergo vocatione, quæ eſt efficax, dicimus, ipſam eſſe effectum prædeſtinationis : Probatur primò ex Ep. ad Rom. cap 8. quos prædeſtinavit, hos & vocavit, &c. Tum quia nemo ſalvatur, niſi ſit vocatus, & hoc vel immediatè, ſi eſt adultus, vel per alios, & in aliis, ut parvuli : ſed vocatio hæc includit omnem gratiam gratis datam, excitantem, operantem, &c. ergo, &c. Tum quia vocatio efficax conducit ad aſſecutionem vitæ æternæ, quia vocatio retrahit à modo oppoſito illi fini gloriæ, ergo, &c.

Dices cum Ocham : Vocatio eſt communis juſtis, & reprobis, ergo non eſt effectus prædeſtinationis. Reſp. Vocatio inefficax, concedo : efficax, & conducens ad juſtificationem, & perſeverantem uſque ad finem, nego.

Ad dictum verò Seraph. Doct. de vocatione : Reſp. Seraph. Doct. admittere aliquod meritum de congruo auxilio gratiæ excitantis, ſeu vocantis, ut ibi ſe declarat ; & clariùs *lib.2. diſt.28. a.2. q.1.* Unde (ut notat etiam Suar.) malè citatur Seraph. Doct. pro illa ſententia, quare non ſine temeritate aliqui Theologi Hiſpani notam temeritatis innuunt Seraphico Doctori, cum nec ipſe ſomniaverit dari aliquando meritum ex puris viribus naturæ cum Pelagianis : Addimus ad hoc caput vocationis reduci etiam externa motiva juvantia ad benè operandum, ut ſunt miracula, prædicationes, lectiones ſacræ, & alia hujuſmodi prout juvant, & conferunt ad juſtificationem perſeverantem in finem, ut etiam innuit Seraph. Doct. *loco cit. l.2.*

Q. 2. An juſtificatio, & gratificatio ſint effectus prædeſtinationis ? Durandus negat : ſed communiſ- 314
ſima ſententia, & magis catholica affirmat. Not. 1. quod juſtificatio alia eſt perſeverans uſque ad finem : alia eſt interrupta per peccatum mortale, ſed tamen per pœnitentiam requiritur : alia eſt non perſeverans. Not. 2. quod in gratificatione involuuntur etiam opera bona facta in gratia. Hinc.

Reſp. Iuſtificationem perſeverantem uſque ad finem, & aliam interruptam per peccatum mortale, ſed poſtea reaquiſitam per pœnitentiam eſſe effectus prædeſtinationis proprios : ſic etiam opera bona : omnia enim conducunt ad conſecutionem gloriæ : Idem & dicendum eſt de perſeverantia, ob rationem allatam.

Dices : Infantes moriuntur ſine perſeverantia, ergo hæc non eſt neceſſaria. Reſp. mortem immaturam eſſe eis loco perſeverantiæ : unde dicitur ſap 4. Raptus eſt, ne malitia mutaret intellectum ejus.

Q. 3. An glorificatio ſit effectus prædeſtinationis ? Reſp. cum communi affirmativè : & patet ex D. Paulo : quos prædeſtinavit, hos & vocavit, &c. & glorificavit, &c. Tum quia providentia non ſolùm reſpicit media, ſed etiam aſſecutionem finis : Tum quia glorificatio dependet à perſeverantia, & præparatione mediorum, ergo, &c.

Q. 4. An peccatum poſſit dici effectus prædeſtinationis ? Reſp. quod peccatum poteſt ſumi ſecundùm ſe ; & abſolutè ; ſicut etiam actus malus, cui inſeparabiliter eſt annexa malitia : poteſt & ſumi prout permittitur à Deo ad bonum & ſalutem peccatoris : primò modo non eſt effectus prædeſtinationis, cum ſit ipſi oppoſitum, & à Deo nolitum, & prohibitum : Secundò modo eſt aliquando effectus prædeſtinationis, quia à Deo ordinatur ad ſalutem. *Sic Seraph. Doct. lib. 1. diſt.40. & 41. & diſt.46. quæſt.3. & op. Diæ. tit.7. cap.1.*

Objic. Vaſquez. Effectus prædeſtinationis eſt aliquod donum gratuitum, ergo non poteſt eſſe permiſſio peccati. Reſp. negando conſequentiam : nam ſufficit, ut ordinetur ad ſalutem. Reſp. ſecundò, talem ordinationem divinam eſſe donum gratuitum.

Q. 5. An bonus usus liberi arbitrii entitativè supernaturalis sit effectus prædestinationis? Resp. cum communi affirmativè: licèt enim entitas actus sit quid naturale, tamen prout ad ipsum concurrit Deus aliqua gratia, conducit ad vitam æternam.

Q. 6. An bona naturalia, ut creatio, conservatio, bona indoles, & ingenium, honesta educatio, bona corporalia, & fortunæ sint effectus prædestinationis? Resp. quòd, si considerentur in puro statu naturæ, non sunt effectus prædestinationis; sed prout ipsis utimur ad operandam salutem, sunt tales: ratio primæ partis patet, cum sint purè naturalia, & communia etiam reprobis: ratio secundæ partis est, quia diligentibus Deum, omnia cooperantur ad salutem; ergo conjuncta cum gratia elevantur à suo statu naturali: idem & dicendum de malis pænæ.

De causis prædestinationis ex parte nostra.

315 Quia prædestinatio vel est electio, vel involuit electionem, quæ est, (ait Seraph. Doct. *lib. 1. dist. 40. a. 3 q. 1. & 1.*) aliquorum ordinabilium ad aliquid aliud, quod est in potestate eligentis, ordinatio, seu præparatio, relicto altero pariter ordinabili: ad quam electionem, sequitur propositum conferendi media: unde prædestinatio est quasi antecedens destinatio in finem, ob idque includit media ad finem: hinc oritur quæstio de elevatione, seu prædestinatione in ordine non solùm ad gloriam, sed etiam ad media, & ad effectus prædestinationis, nempè ad gratiam: An ex parte nostra detur aliqua causa, vel aliquod motivum, quare Deus potiùs hunc eligat ad gratiam, & gloriam, quàm alium: & an electio ad gloriam sit primus actus prædestinationis; An verò sit priùs prævisio meritorum. Et quia hæc materia gravissima est, propter varios errores hæreticorum, & diversas sententias Catholicorum, hinc majoris claritatis gratia, ipsam dividemus in duas quæstiones: quarum prima erit circa electionem, & prædestinationem ad gloriam; secunda circa prædestinationem ad gratiam.

QUÆSTIO VI.

An electio, & prædestinatio ad gloriam sit primus actus prædestinationis? An verò sit priùs prævisio meritorum?

316 Ratio dubitandi est, quia in deliberationibus intentio finis dicitur prima, & antecedens media; Ideò quæritur, an primus actus Dei fuerit electio aliquorum ad beatitudinem ante præparata auxilia, & merita prævisa, ex auxiliis manantia; sicque primò gratis elegerit nonnullos ad gloriam: An verò post prævisa merita.

Not. tamen primò, quòd electio, & prædestinatio, secundùm nostrum modum intelligendi in Deo differunt: nam electio propriè dicit discretionem, & separationem, prædestinatio dicit præordinationem in finem: qua differentia tamen non obstante, sæpè promiscuè sumuntur.

1. Prima sententia est Magistri, Divi Thomæ, & plurimorum, quos longa serie citat Pater Gaud. *dist. 21. q. 2* asserentium, omnes electos esse primò ad gloriam, nulla præcedente prævisione meritorum per modum causæ.

2. Opinio est opposita Seraph. Doct. *lib. 1. dist. 40. art. 3. per totum, & dist. 41. quæst. 5. & lib. 3. dist. 4 art. 2. quæst. 1.* aliisque locis, Henrici, Baconi aliorumque plurimorum apud cit. Gaud. asserentium, primum actum non fuisse electionem ad gloriam, sed eam ex meritis esse factam. Pro solutione.

Not. 1. quòd licèt in superioribus supposuerimus ex Seraph. Doct. dari in Deo scientiam conditionatam, in cujus virtute Deus decernit suum concursum concomitantem cum voluntate prævisa in tali, vel tali occasione, seu conditione posita operaturam esse, ut sic salvetur libertas humana, non tamen talem scientiam, licèt supponatur antecedenter ad decretum prædestinationis, influere præcisè in tale decretum, sed tantùm præsuppositivè se habere ad conciliandam, ut dictum est, libertatem cum concursu Dei: nam stante tali scientia media, adhuc dubium remanet in sua vi: An electio efficax fiat priùs ad merita, an ad gloriam: Sic Mastr. *dist. . num. 54.* & Gaud. cit. cum Seraph. Doct. Addimus tamen, etiam data tali scientia media in ordine ad hoc decretum electionis absolutum, non hinc rectè inferri, tales assertores incidere in errorem Massiliensium, ut notat P. Gaud. *num. 72. seq.* cum rectè salvetur integra, & intacta libertas, ex vi talis scientiæ mediæ, ut monet Seraph. Doct. *lit. d 4. q. 1. ad arg.*

Not. 2. quòd, cum quærimus, an electio, seu 317
prædestinatio sit prior gratiæ, & meritorum ipsâ gloriâ volitâ: non quærimus de causa ex parte Dei, sive phisica, sive motiva, quia in Deo non admittitur talis causalitas creata, nec in creatura motio divinæ voluntatis: quidquid enim volt, habet pro objecto motivo seipsum, suamque bonitatem: sed quærimus de ratione terminativa, an scilicet priùs terminet ad media, postea ad finem.

Not. 3. quòd, ut dictum est in superioribus, licèt ordinentur varia signa, seu instantia in volitionibus Dei, tamen omnia sunt secundùm nostrum modum intelligendi: Deus enim cum sit omninò independens à creatura in agendo pro libito, & prout ratio dictat, vult omnia unico simplicissimo acto; & unum propter aliud, vel unum per aliud; vel priùs terminate ad unum objectum, postea ad aliud, etiamsi objecta terminantia essent disparata, & ex natura sua inter se non ordinata: Unde decretum divinum potest habere plura motiva, etiam partialia, vel sint connexa extrinsecè, vel intrinsecè ex solo beneplacito Dei volentis illa dependentia inter se, vel quòd unum sequatur ex alio, vel per aliud.

Not. 4. quòd, dum quærimus, an prævisio meritorum sit prior electione ad gloriam, non est sermo de meritis solo libero arbitrio comparatis, sed ex adjutorio gratiæ aquisitis: *Sic Seraph. Doct. l. 1. d. 41. q. 1. & l. 2. d. 28. per totum:* Quæstio autem proponitur pro adultis: nam infantes salvantur ex pluribus meritis Christi prævisis.

Not. 5. & supponendum, quod cum commu- 318
ni ex Seraph. Doct. aliàs traditum est de voluntate antecedenti, & consequenti, Dei nempe quòd voluntas divina antecedens est respectu

Dei

Dei vera, & efficax, & absoluta quoad salutem omnium volitam, quia nec meritum nostrum respicit, ut motivum dandi gratiam, & gloriam, sed est merè gratuita: Verum quidem est, quod involuit conditionem, non tanquam motivum, & causam volendi, sed quatenus talis conditio est simul volita cum fine, in quo præordinatio est, quatenus, inquam, talis finis investitus est tali conditione cooperationis nostræ, quæ cooperatio spectat ad voluntatem consequentem: Unde respectu mediorum sumptorum ex parte solius Dei, voluntas divina dicitur efficax, & absoluta: respectu verò cooperationis humanæ est conditionata, cum in executione solis cooperantibus propriis meritis ordinetur gloria.

Not. 6. quòd D. Aug. videtur variè loqui in materia ista: aliquando enim assignat prædestinationem ex prævisis meritis, aliquando negat: sed tamen advertendum quòd Sanctus Pater. (cui innititur communis Theologorum sensus in hac materia) antequam scriberet contra Pelagium, semper docuit prædestinationem factam ex prævisis meritis, postea verò cum calamum sumpsit contra Pelagium impugnatorem divinæ gratiæ, totis viribus docuit, electionem factam esse ex pura misericordia Dei: Unde (ut observat Seraph. Doct. *l.1.d.40. a.3. & d.41. dub.2*) ponit discrimen inter prædestinationem, & electionem: nam electionem sumit in ordine ad gratiam, hancque vult esse ex pura misericordia Dei; alioquin gratia non esset gratia: Prædestinationem verò sumit in ordine ad gloriam, quam præcedunt merita, & ordine intentionis; hinc est quòd nulla contradictio occurrit in D. Aug. qui loquens de electione, scilicet ad gratiam, vult esse ex pura misericordia: Prædestinationem verò, ex gratia, & meritis, non quidem nudi arbitrii, sed fundatis in gratia, quod fusè ex textib. ejusd. S. Aug. expendit, & probat doctissimè P. Gaud. *d. 21. q. 7. n. 92.* cum aliis Theolog. & præcipuè Ariaga *d.36. sect.2. n.12.* His positis, sit.

Concl. 1. Electio ad gloriam est ex meritis prævisis prædestinatorum. Est Seraph. Doct. plurimorumque apud P. Gaud. cit.

Prob. 1. Pluribus sacræ Scripturæ textibus, in
31 quibus gloria dicitur data ut merces, corona, & præmium: Sic Luc. *cap.6. & c.20. ℣ 21. & Sap.3. & 2 Tim.* in quibus primò intentio ad mercedem terminatur præparatam, & debitam operantibus; Sic Psal. 30. *quàm magna multitudo dulcedinis tuæ Domine, quam abscondisti timentibus te*, scil. ex æterna intentione arcana: Deinde transit ad executionem, dicens, perfecisti eis, qui sperant in te, Ex his, & aliis locis adductis à P. Gaud. Becano Lessio, aliisque infert Seraph. Doct. argumentum validissimum, quo etiam utitur Vasquez tanquam suo proprio marte invento, sed tamen ipso usi sunt D Fulgent. D Aug. & D. Thom. apud Valentiam *tom 1.d.1. quæst.23.& tom.4.d.1. q.2.p.8.* Et S. Bonaventura *in cap.14 Ioan.* ad illa verba: *In domo Patris mei mansiones multæ sunt*, ubi infert tanquam articulum de fide, inæqualem fore gloriam pro meritis: deinde subdit Christus: *Vado parare vobis locum*: Super quæ quærit Seraph. Doct. qua ratione jam paratæ mansiones dictæ sint, cum hîc dicantur parandæ? Et respond cum D. Aug. mansiones, quas præparavit prædestinando, præparat operando, sicut dicitur Eccl. c. 1. *quid est, quod futurum est?* ubi alia littera legit, *fecit quæ futura sunt*, Fecit prædestinando, quæ facturus est operando: Sic ex parte ista mansiones sunt, ut ait, hic in prædestinatione, sed nondum hic in operatione: parat enim mansiones mansionibus parando mansores: Ex quibus clarè patet, Deum eligere ad gloriam, sed propter merita.

Hinc efformatur argumentum à Seraph. Doct. *l.1.d.41.a.q.1. fund.3.* Eo modo Deus exequitur in tempore, & operatur, quo ab æterno decrevit operari: sed in tempore dat gloriam, ut mercedem, coronam, & bravium meritorum; ergo, & sic in æterna electione voluit, & decrevit facere.

Confirmat Seraph. Doct. loco cit. Deus prædestinavit, & elegit Abraham ex meritis, ut esset donis cælestibus æternaliter fælix, quia in tempore ita statuit Gen. 18. Tum quia voluntate efficaci non omnes salvantur, quia tali voluntate non omnes elegit, sed tantùm eos, qui ex meritis ab æterno fuerunt electi electione efficaci; ergo propter merita: Seraph. Doct. *d.41.q.1.ad 3.* Idem efficaciter probat in Diæt. *tit.10. cap. 2. ex Apost.1. ad Cor 2. Oculus non vidit, &c.* quæ præparavit (scilicet ab æterno) *diligentibus te*, nempe prævisis diligentibus.

Prob. item ex illo Matth. c. 25. *Venite benedicti, &c. percipite regnum vobis paratum*; Nota, ly, paratum, idest prædestinatum, quia prædestinatio est præparatio beneficiorum Dei: Reddit autem rationem, cur paratum: *esurivi enim & dedistis, &c.* & eodem modo loquitur de reprobis: *Ite maledicti, &c. esurivi enim, & non dedistis, &c.* Ubi ex bonis operibus redditur ratio, non solùm executionis in tempore, sed intentionis, & præparationis æternæ: cum autem eodem modo loquatur de electis, & reprobis, sequeretur ex sententia adversariorum, Deum ordine intentionis prius elegisse aliquos ad pœnam æternam ante demerita, quod est Calvinismum: & eodem modo, quo Seraph D. arguit ex Chrisost. in hunc locum Hom. 80 in Matth. dicens in persona Christi: Nam, quia sciebam vos antequam nati essetis, hujusmodi futuros, hæc vobis à me præparata fuere.

Prob etiam pluribus textibus S. Script. quos citatos habebis, & expressos à P. Gaud. ex quibus patet responsionem adversariorum de ordine intentionis æternæ non debere ista intelligi, sed executione in tempore frivolam esse.

Prob. 1. Ratione; voluntas efficax dandi gloriam sine meritis pugnat cum voluntate dandi gloriam ex meritis, ergo & pugnant ad invicem intentio absoluta æterna Dei dandi gloriam sine meritis, & executione voluntas ex meritis in tempore. Probatur anteced. velle dare aliquid gratis, & non dare, nisi ex titulo oneroso justitiæ sunt pugnantia, inferuntque vel mutationem in Dei actibus, vel mendacium: ergo, &c.

Resp. Mastrius cum aliis, neg. antecedens, ex eo, quòd voluntas dandi gloriam sine meritis non excludit aliam dandi ex meritis, sed includit hoc decretum virtualiter: sicque illa prior voluntas ex parte actus est gratiosa, non tamen ex parte objecti; scilicet ex parte Dei dantis gloriam, est gratiosa: ex parte verò gloriæ datur ex meritis: ob idque gloria non est absolutè futura ex vi primi decreti, sed tantùm radicaliter, & quasi inchoativè, licèt completè postea detur ex meritis. Sic etiam subdit (Meldula) nos dicimus, Deum velle omnium salutem inefficaciter, efficaciter

verò, & completivè non velle omnium salutem.

Hæc est responsio communis adversariorum, in qua patenter involvunt pugnantia, vel reducunt ipsam ad quæstionem de nomine solùm: contra quam primò insurgo.

Vel prior illa voluntas est efficax, absque dependentia ex meritis, vel involuit etiam merita: Si hoc secundum, id & nos dicimus, nempe ex parte actus Dei non dari causam, sed tantùm terminationem ex parte nostra: Si primum, sequitur pugnare ad invicem istas duas voluntates, & decreta: Et ad id de voluntate inefficaci, & efficaci, Respond. non currere paritatem, ut de se patet: voluntas enim efficax involuit executionem effectus: Tum etiam, quia voluntate antecedenti (ait Ser. Doct. *d.* 46. *q.*1.) vult omnium salutem per media ab ipso exhibita.

Ex quibus patet sequi, data eorum responsione, primam voluntatem non esse efficacem, nec completam; sed inefficacem, confusam, & incompletam, & si involuit merita ex istis compleri; & formaliter dicere priùs ordinem ad merita: Exemplum affert Suarez, sed ineptum de Rege, qui decrevit dare ex liberalitate equum Petro, sed velle, ut ipsum pugnando aquirat ex justitia: currit enim eadem ratio pugnans: si verò daretur Rex, qui proponeret equum in præmium pugnæ, licèt victorem prius amaret, tamen nunquam daretur, nisi in præmium, dum expectare vellet exitum pugnæ.

Prob 3. ratione deducta à Seraph. Doct. *d.*41. *q.*1.*a.*2. & ex aliis scripturæ textibus: Deus ex se sinceram habet voluntatem salvandi omnes, ut patet, ex 1. Tim. 2. *Deus vult omnes homines salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire*, & 2.Petri 3. *Nolens aliquos perire, sed omnes ad pœnitentiam venire*, alioquin esset acceptator personarum *ex Act.* c.10.*Eph.*6. *Coloss.*3. 1.*Petri* 1. sed hæc nullatenus verificari possunt, si Deus pro suo mero beneplacito, & absque respectu ad bona electorum opera, ut absolutè futura, certos quosdam, & quidem pauciores elegit, posthabitis, seu negativè reprobatis cæteris; ergo non elegit quosdam ante prævisionem meritorum: Major est omnium Theologorum, etiam Adversariorum, & SS. PP nec est verum quod dicit Vulpes, hanc voluntatem tantùm ad media à Patribus applicari, quia ex ipso contextu Apostoli, oppositum patet, ubi dicit, Deum velle omnium salutem, quia unus mediator dedit semetipsum redemptionem pro multis, scilicet pro omnibus, & singulis: ergo eodem modo vult omnes, & singulos salvos, & hoc positiva voluntate, qua exhibet media, ut probat S. Bon. *d.* 46. *q.* 1. ergo ex parte Dei est efficax: Minor probatur evidenter: nam electio, ait Ser. Doct. est discretio aliquorum, aliis relictis: Sed secundùm adversarios illa selectio est primus actus Dei ante merita prævisa, ergo non stare potest cum voluntate antecedenti salvandi omnes; quomodo ergo dicitur, quod neminem vult perire? quomodo sincerè omnes invitat, si jam in primo actu majorem partem saltem negativè reprobat? si alios tantùm paucos efficaciter vult?

Resp. Mastrius & Macedo etiam nos premi hoc argumento, dicentes, Deum magis inclinare antecedenter ex beneplacito ad electos, dando eis majorem gratiam, quæ suppositio est falsissima; nam ut docet Ser. Doct. Deus voluntate antecedente æqualiter se habet ad omnes.

Caspensis n. 82. resp. Deum in primo signo æqualiter se habere ad omnes: sed in secundo signo, nequaquam: quæ responsio est frivola; nam si in secundo signo inæqualiter se habet, in quo aliquos elegit, alios reprobat, & excludit, sequitur, quod si positivè eos excludit, incidat in Calvinismum; si negativè, ergo destruitur illa voluntas antecedens: & si transit à primo signo ad secundum signum cum exclusione aliquorum, sequitur voluntate efficaci secundum merita, vel demerita eos Deum tractare. Probatur sequela, quia voluntate antecedenti æqualiter Deus se habet, ergo si consequenti voluntate se habet inæqualiter, id erit ob aliquod de novo superveniens: & quid hoc? nisi ob merita, vel demerita, ex Sacra Scriptura?

Prob.4. Si decretum Dei ante merita est efficax, sequitur ablatio libertatis humanæ ad aquirendam, vel recusandam gloriam, sed hoc repugnat Sacræ Scripturæ Matth. c.22. Apoc. c.3. 1. Cor. c.9. &c. ergo, &c.

Vasquez protestatur, hoc argumentum desumptum ex libertate esse novum ab ipso excogitatum: sed est quidem novum suo calamo, sed vetus calamo Seraph.Doct.*l.*1.*d.*40.*a.*2.*q.*1.*in corp.* dicentis: Prædestinatio non infert necessitatem saluti, nec libero arbitrio, quia prædestinatio non est causa salutis, nisi includendo merita, & ita salvando liberum arbitrium: Majoris sequela patet, quia per tale decretum efficax prædeterminatur voluntas humana, qua prædeterminatione data, cum infallibiliter homo salvandus sit, poterit tutus dicere cum illis stultis Sap. Venite fruamur bonis, ut rectè arguit Seraph.Doct. *d.*40. *a.*2. *q.*1. *arg.*3. & 4.

Prob. iterum majoris sequela: quod semel Deus vult, semper vult, & ab æterno, & in tempore; sed secundùm adversarios ab æterno vult efficaciter dare gloriam non ex meritis, & hoc secundùm ipsos transiit in præteritum, ergo & in tempore, ergo in tempore non est amplius in libertate ipsam rejicere, cum factum fuerit decretum antecedenter ad merita.

Et confirmatur, quia per adversarios in primo decreto nullam connexionem habent ad invicem merita, & gloria; ergo si semel, & antecedenter non sunt connexa, nec etiam consequenter, nisi cum variatione opposita: duo enim decreta absoluta in Deo non possunt constitui absque diversis connotatis ad extra, ergo si cadit variatio, hæc erit, vel in decretis, quod est impossibile; vel in re volita, quod est etiam impossibile, cum pugnent ad invicem, scilicet gloria ex mera liberalitate, & non ex liberalitate.

Obj. adversarii plures textus Sacræ Scripturæ,
dicentes, non ex mera Dei gratia electos ad glo- 310
riam, & non ex operibus nostris. Item ex sanctis Patrib. maximè D.August. quibus omnibus unico verbo respondetur: vel ipsos loqui de electione ad gratiam, vel ad gloriam: Si de electione ad gloriam, id dicitur quatenus opera nostra meritoria dicuntur merè gratuita, cum sint fundata in mera gratia Dei, licet adsit noster concursus liber: & in hoc sensu locutus est S.August. ut supra in not. 6. dictum est. Advertunt enim plures Theologi examinatores diligentes doctrinæ Augustinianæ, quod cum scriberet contra Pelagium, semper steterit ex alia parte opposita Pelagio, nempe ex parte divinæ gratiæ, ut ex ipsa recognosceretur initium nostræ salutis: In aliis verò scriptis non agentibus contra Pelagium, semper supposuit merita: quod & fusè

expenduut

expendunt Becanus, & P. Gaud. ex Seraph. Doct. *l. 1. d. 33. a. 3. q. 1. ad* 1. & ex Scoto ibid. & Mastrius *dist. 2. n.* 68. Instant adversarii, quod sancti Patres admirantur de hoc mysterio, eo quia ignorant causam prædestinationis: at si prædestinatio esset ex meritis, jam ratio in meridie eluceret.

Respond. Seraph. Doct. *d. 41. q. 2. corp.* Id potius esse contra adversarios: Nam si Deus elegit, quia vult, clarè omni creaturæ elucet, notaque est causa, neque judicia Dei mirabilia esse, & incomprehensibilia, sed voluntaria. Addit Ferchius: essent non occulta, sed manifesta: voluntaria, non prudentia, idest non ratione aliqua providentiæ involuta: Nota quod Seraph. Doct. utitur hoc nomine (essent non mirabilia, sed voluntaria) sensus enim est idem supra allatus contra explicationem Mastrii *n.* 101 afferunt S. August. admirantem de divina electione, de spirit. lit. *c.* 34 Ep. 105. & de prædestin. *c. 9.* & de persev. *c.* 8. sed oportet advertere, quod tunc S. August. agitabat quæst. de gratia contra Pelagium, ob idque ibi loqui de electione ad gratiam, ideo meritò admirabatur.

Obj. 2. (& est Achilles adversariorum) omnis ordinatè volens, priùs vult finem, quàm media ad finem consequendum conducentia: sed Deus est ordinatissimè volens, ergo priùs prædestinationis finem, scilicet gloriam vult, quàm media, scilicet merita: Major est Arist. 7. met. t. 23. & patet, quia electio mediorum est propter finem, v. g. medicina propter sanitatem, &c. unde ratio volendi media est volitio finis. Vasq. plura dicit, ut respondeat huic argumento *d. 89. c. 9. num. 78. & d. 82. c. 5. n.* 21. sic & alii.

Nos verò cum Seraph. Doct. *ex l. 1 d. 38. dub.* 4. breviter respondemus quod intentio finis sub ratione objecti actu distincto à mediis à nobis intenditur: sub ratione verò præmii, nequaquam, quatenus in tali volitione includuntur media, eo quia non habet rationem finis puri, & purè voliti, sed sub ratione complementi mediorum: Applicando autem hanc doctrinam ad rem nostram respondetur, quod intentio finis ut objecti prior est intentione, & volitione mediorum, quia id est intendere finem, sed tamen quia gloria intenditur, non purè secundùm se, sed ut corona, & præmium, idque est propriè actus prædestinationis, & præordinationis in finem, ut notat Ser. Doct. *l. 1. d. 40. a. 3 quæst. 2. ad ultim.* ideo in hac volitione, non priùs Deus vult gloriam, quàm media, sed simul utrumque, & gloriam per media: Idem & docet Och. *l. 1. d.* 41. & ratio est, ait Vasquez, & prius Ser. Doct. *serm. 2. de S. Agnete*, quia licèt in actu divino non sit prius & posterius, intervenit tamen in objectis, & terminis voluntatis secundùm qualitatem naturæ propriæ: & cum Deus non sibi præfigat assecutionem gloriæ, sed nobis ipsam vult nobis eo modo, quo ab ipso nobis confertur, nempe ut corona, & præmium, quæ ratio primitatis non habet rationem causalitatis phisicæ, sed moralis tantùm: Unde cum finis intentus sit talis constitutus per media, scilicet ut præmium, etiam prius debet constitutivum intendi ipso constituto, vel saltem simul.

Objic. 3. Mater Dei fuit efficaciter prælecta ante merita, vel absque ordine ad merita; ergo similiter potuit id facere in ordine ad gloriam. Resp. neg. paritatem: Nam maternitas Dei spectat ad ordinem gratiæ, quæ non præexigit merita non sic gloria: Sed de hoc materia tangente maternitatem Mariæ, vide apendicem ad calcem disputationis.

Objic. 4. Parvuli aliqui à Deo providentur sufficientibus mediis, ut salventur, alii relinquuntur, & præmaturè sine Baptismo moriuntur, sed hæc diversitas non potest provenire, nisi ex electione efficaci, ergo si id dicitur de parvulis etiam dicendum est de adultis: non enim est major ratio, &c.

Respond. ex supra traditis, Deum providisse omnibus media necessaria ad salutem, sed debet etiam relinquere causas secundas agere motus suos: & si aliqui salvantur parvuli, idest ex prævisione meritorum Christi: unde objectio nihil concludit.

Objic 5. Ex data nostra conclusione sequitur, quod homo est causa suæ perditionis, & primorum effectuum, consequens est falsum, ergo, &c. Confirmatur, quia merita sunt effectus prædestinationis, ergo non sunt causa. Respond. negando sequelam; vel distinguendo majorem: Si discretio salvandorum à reprobis intelligatur provenire præcisè à nobis, neg. sequelam: Si intelligatur provenire à Deo, sed (ait Seraph. Doct. *d. 4. a. 1. quæst. 1. & 2.*) non ut à tota causa, sed simul cum concursu meritorio nostro, sic Conc. major. Ad confirmationem Resp. merita involui in prædestinatione, ut ait Seraph. Doct. tanquam media, & effectus prædestinationis divinæ, sed tamen ut talia, præintelliguntur ad consecutionem finis: sicque possunt dici & effectus, & causa, vel ratio. Conclusio ergo Seraphica est, quod electio ad gloriam involuit media, nempe merita, & bonas operationes: electio enim est discretio aliquorum ab aliis: & cum omnes sint æquales in volitione antecedenti Dei, in consequenti verò fit à Deo discretio prædestinatorum, & reproborum, ratione meritorum, & demeritorum. Seraph. D. *l. 1. d. 40. a. 3. q. 1. & 2.*

Quæres: *Quale discrimen est inter electionem, & prædestinationem?* Resp. ex Seraph. D. quod sæpe unum sumitur promiscuè pro alio: sed tamen propriè electio cum discretione est in ordine ad media ordinata in finem: Unde electio æterna Dei est discretio prædestinatorum à reprobis ex prævisione meritorum.

QUÆSTIO VII.

An detur causa prædestinationis ex parte effectuum?

IN superioribus expendimus effectus prædesti- 321
nationis, sed tamen nihil egimus de electione ad gratiam, ideoque cum probatum fuerit supra, dari rationem moralem, seu causam in ordine ad gloriam prædestinatorum, consequenter cum Seraph. Doct. *l. 1. d. 41. a. 1. q. 2.* quærimus de electione ad gratiam: An ex parte prædestinati, & nostra, detur aliqua causa, seu ratio, seu meritum de condigno, vel de congruo, vel conditio, sine qua non, ob quam Deus det gratiam homini existenti in puris naturalibus, vel aliquem effectum prædestinationis exhibeat, ob cujus privationem Deus ipsa negaverit reprobis. In qua quæstione est nobis concertatio: Primò cum hæreticis: 2. cum Theologis Catholicis variè super hanc materiam sentientibus: Errores autem Hæreticorum recensentur varii.

Primus

Primus error fuit Manichæorum, qui negantes liberum arbitrium, prædestinationem omnem, ejusque effectus in siderum influxus, in factum, hominisque temperamentum projiciebant: Idemque asserunt Priscilianistæ: quem errorem everterunt S. August. S. Prosper, aliique SS. PP. cum Seraph. Doct. *l.* 2. *d.* 14. *q. ult.* cum sit manifestè contra sacram Scripturam dicentem, sapientem dominari astris: 2. error fuit Origenis, qui asserebat, animas hominum simul creatas cum Angelis, & secundùm qualitates operum à Deo collocatas fuisse in corporibus, & in ipsis habere suam retributionem. Contra quem errorem scripserunt D. Cirillus, aliique Patres apud Sixtum Sen. fuitque damnatus à pluribus Conciliis, qui etiam à Seraph. Doct. *l.* 2. *d.* 28. *art.* 2. *q.* 2. tribuitur manichæis, ubi ipsum confutat. 3. fuit Pelagii, & Cælistii, qui prædestinationem meritis nudi arbitrii ait ibuebant: Parvulos verò ad vitam æternam prædestinatos dicebant per baptismum, quo tamen negabant ablui ab originali: hi errores damnati sunt in pluribus Conciliis, contra quos scripserunt D. August. aliique SS. PP.

Addebat etiam Pelagius, parvulos salvari, vel damnari virtute operum bonorum, vel malorum, quæ erant patraturi, si vixissent: contra quem S. August. fusè pluribus in locis, cum impium sit dicere, Deum damnare hominem pro peccatis non patratis.

Errores Pelagii consequuntur, & imitantur aliqua ex parte Semipelagiani, dicti Massilienses, qui contra Pelagium asserebant quidem necessitatem gratiæ Christi & exteriorem, & interiorem: sed tamen addebant in nobis esse initium salutis ex nostro proprio labore sine ulla gratia movente interiùs, quibus incipientibus, & facientibus, quod in se est (aiebant) Deus dat gratiam: Unde inter ipsos vertebantur hæc proloquia, prout notat S. Prosper; labori humano subjungitur gratia, conatus nostri irriti sunt, nisi gratia adjuventur: Invitat Deus volentem, attrahit desiderantem erigit admittentem. Quos errores damnat Concil. Arausic. nempè asserere sine gratia credentibus, volentibus, desiderantibus, conantibus, laborantibus, studentibus, pulsantibus, petentibus dari misericordiam Dei; vel qui humiliati, aut obedientiæ humanæ subjungit Dei adjutorium: sicque in viribus naturalibus ponebant initium salutis, & prædestinationis: Inter hos errores Vasquez *d.* 89. *cap.* 5. non sine maxima temeritate miscet plures SS. PP. & Theologiæ Columnas, & inter hos Seraph Doctorem, licèt falsissimè, cum ad illud: facienti, quod in se est, Deus non denegat gratiam *l.* 2. *d.* 28. *art.* 2. *q.* 1. & alibi sæpè, & semper præsupponat aliquod donum à Deo gratuitum exhibitum peccatori: de qua re Seraph. Doct. *l.* 1. *d.* 41. *q.* 1. *&* *l.* 4. *d.* 15. *p.* 1. *q.* 3. *&* *l.* 2. *d.* 35. *a.* 3. *q.* 1. *ad prim.* Unde meritò, & cum maxima ratione Faber *d.* 58. *n.* 116. conqueritur contra chimerizantem Vasq. aliquosque alios modernos, tam faciliter, & temerariè notantes erroris Sanctos Patres, & Theologos superno lumine illustratos, de quo errore nec minimum quidem somniarunt, &c. Sed vide citatum Fabrum & P. Gaud. nostrum *dist.* 21. *q.* 11. qui fusè defendunt eosdem sanctos. His præmissis quoad hæreticos, subjungimus varias sententias Catholicorum.

Sed quia ad duo capita potest reduci punctus difficultatis, ideò sit primum. An in ordine ad gratiam, detur causa meritoria, loquendo de proprio merito, quod solùm propriè, & in rigore est meritum de condigno ex Seraph Doct. *l.* 1. *d.* 41. *q.* 1. ubi distinguit meritum in condignum, in dignum, & congruum: Primum est æquale præmio; Secundum est partim æquale, partim inæquale, ut cum justus orat pro peccatore: æquale est ex parte justi; inæquale ex parte peccatoris: Congruum dicit solam decentiam, de quibus infrà: & in hac parte de merito de condigno, nulla est diversitas, vel saltem modica, non dari meritum de condigno in ordine ad prædestinationem ad gratiam. 2. caput est circa meritum de congruo: An detur aliqua congruitas, vel ratio, ob quam magis Deus conferat effectus prædestinationis, & gratiam huic, quàm alteri: In qua.

Prima opinio est negantium omnem, & quancumque rationem ex parte prædestinati, sed Deum dare gratiam, & hos effectus homini, solùm quia sic vult.

2. Opinio est Henrici, aliquorumque aliorum, dicentium rationem prædestinationis ad gratiam ex parte voluntatis creatæ esse non repugnantiam prævisam à Deo ad talem gratiam: quæ tamen communiter rejicitur, cum ista non repugnantia sit etiam effectus prædestinationis.

3. Opinio est Molinæ, asserentis, opera facta viribus naturæ esse rationem dandi gratiam, non præcisè ex vi sua, sed ex pacto inito inter Christum, & Patrem, dicentem. *Dedit eis potestatem filios Dei fieri Ioan. cap.* 1. qui tamen communiter rejicitur, cum non constet de tali pacto, & quia ille textus loquitur de Christianis, &c. Referuntur etiam aliæ sententiæ aliorum Theologorum à P. Gaud. *q.* 22. in varia placita aberrantes, quæ tamen reduci debent ad aliquam ex supradictis.

4. Tandem opinio est Seraph. Doct. asserentis dari motivum prædestinationis ad gratiam, & effectus ejus in prædestinato antecedens in divina cognitione decretum divinum, è cujus præscientia sit prædestinatus hic, vel ille præ cæteris non prædestinatus ad primam gratiam, quæ est vocatio: *sic l.* 1. *d.* 41. *q.* 2. Pro solutione.

Not. 1. quòd valdè differunt dicere, dari cau- 322
sam, & dari rationem: nam causa vera est quæ influit in effectum, & ad rem nostram, si daretur causa prædestinationis, sive ad gratiam, sive ad gloriam, verè influeret effectivè ad consecutionem finis: & hanc, certum est apud omnes Theologos non dari, nec ex parte Dei, nec ex parte medii, nec ex parte finis; cum istorum omnium causa producens sit solus Deus: ratio autem latiùs patet, & hæc est vel movens aliquem, vel est id, ad quod aliud consequitur; ut in divinis, immutabilitas dicitur ratio æternitatis: hæc ratio motiva latiùs patet, quàm ratio meritoria: In Deo enim potest dari ratio motiva terminativa; non verò ratio meritoria nostræ prædestinationis, & hoc ex parte creaturæ: Hæc ratio alia est phisica respectu effectus, ut calor in igne: alia moralis, & meritoria propriè, uti sunt bona opera facta in charitate: alia est congruitatis, & decentiæ diciturque etiam moralis, & ordinatur ad voluntatem ejus, qui intuitu talis rationis, tribuit finem, seu effectum. *Sic ex Seraph. Doct. l.* 1. *d.* 41. *q.* 1. *&* 2. *a.* 1. 45. *dub.* 5. Igitur dum quæritur causa prædestinationis ex parte creaturarum, nil aliud est, quàm quærere causam donationis gratiæ tanquam effectus prædestinationis: an nempè sit ex meritis.

Not. 2. quòd, ut supra innuimus, triplex meritum datur, ex *d.* 41. *q.* 1. scilicet meritum de condigno, quod propriè est meritum, quod dicit æqualitatem ad effectum, & præmium: Meritum

digni,

digni, quod supra explicatum est; & meritum de congruo, quod dicit solam decentiam; dicit enim aliquam dispositionem congruitatis respectu ejus, ad quod illa dispositio ordinatur, quæ tantùm deficit à ratione indignitatis; ut est quandò peccator facit quantum est in se, ait Seraph. Doct. intellige cum adjutório gratiæ gratis datæ, ut se benè explicat, de quo sequenti notab.

323 Not. 3. quod præcipua difficultas in hac materia est circa intelligentiam illius propositionis, quæ versatur in ore omnium, & elicitur ex doctrina S. Aug. facienti, quod in se est, Deus non denegat gratiam: In cujus explicatione Vasquez de more, & ex suo genio malo trahit plures Theologos & Patres gravissimos catholicos quasi sentientes cum Semipelagianis: nempe, facienti, quod in se est, etiam in puris naturalibus, Deus non denegat gratiam, veluti ex ipsis operibus promeritam, quod non sine nota temeritatis potest illa asserere, cum omnes supponant semper aliquod donum gratuitum præveniens: Seraph. autem Doctor illam propositionem pluribus locis expendit, & præcipuè *l. 2. d. 28. a. 2. q. 1. ad 4. & d. 27. a. 2. q. 1. & 2. & l. 4. d. 15. q. 5. & l. 2. d. 4. q. 2. ad 1. & 2. & d. 5. dub. 2. & a. 3. q. 1. in corp. fine:* In quibus, & aliis pluribus locis semper fortiter asserit, quod facienti, quod in se est, non quidem puris viribus naturæ, sed supposito auxilio supernaturali gratiæ gratis datæ (sive ista sit effectus prædestinationis, sive generalis providentiæ divinæ, ut diversimodè volunt Theologi) talis meretur de congruo, quod Deus illum prædestinat ad gratiam primam sanctificantem, & inde ad gloriam.

Ut autem hæc doctrina magis elucescat, notanda sunt verba sequentia Seraph. Doct. verè aurea, & spiritum cœlestem spirantia *l. 2. d. 28. a. 2. q. 1. corp.* Nomine autem gratiæ gratis datæ non solumodo intelligimus illa quæ enumerat Apostolus 1. *Cor. c. 12. Aliis datur per spiritum, &c.* Sed etiam vocatur gratia gratis data, quidquid illud sit, quod superadditum est naturalibus: de quo vide *l. 2. d. 4. a. 1. q. 2. ad* 1. adjuvans aliquo modo, & preparans voluntatem ad rectitudinem, nempe ad habitum, vel usum gratiæ, sive illud gratis datum, sit habitus, ut est timor servilis, vel pietas aliquorum visceribus inserta ab infantia, sive sit etiam aliquis actus, sive aliqua vocatio, vel locutio, qua Deus excitat animam hominis, ut se præparet (nota sequentia) sine hac quidem gratia gratis data vix, aut nunquam aliquis habens usum liberi arbitrii reperitur, & sine hoc concedendum est, liberum arbitrium nunquam sufficienter disponi, nec posse se disponere ad gratiam gratum facientem: ratio autem hujus est hæc: non quia gratia gratum faciens necessariò præexigat dispositionem hanc gratiæ gratis datæ, sed quia ipsa est quid divinum, & res existens super liberum arbitrium, & etiam super naturale judicium; ideo liberum arbitrium nunquam assurgit, nec ad cognoscendam gratiam, nec ad petendam, nisi aliquo modo à sursum excitetur, & per adjutorium gratiæ gratis datæ, quod tenet quasi medium inter gratiam gratum facientem, & naturalem libertatem voluntatis. Tenendum igitur est, quod liberum arbitrium, si excitetur per aliquod donum gratiæ gratis datæ, potest ad gratiam gratum facientem se de congruo disponere, & si omni tali gratia destituatur, nunquam poterit ad illam se disponere. Vid. op. de resurrectione à peccato.

Ex qua doctrina rectè infertur solutio hujus arduæ quæstionis, nempe, Deum dare nobis gratiam gratis datam, & prævenientem, hancque esse primum effectum prædestinationis, sive providentiæ generalis, quam habet Deus de cunctis hominibus, cum illam exhibeat (ait Seraph. Doct.) omni habenti usum liberi arbitrii, istamque non posse cadere sub ratione ullius meriti: ad hanc consequitur gratia concomitans, quæ datur nobis, sed non sine nobis, idest non sine nostro consensu: & hinc oritur meritum de congruo, quæ congruitas, vel efficacitas consistit in hoc, quod illa gratia ita contemperetur nostro arbitrio, nostrumque arbitrium ita ei congruat, ut consensum liberum à nobis eliciat: & inde sequitur, quod & nos sumus cum illa gratia concausa congrua nostræ prædestinationis, supposita semper gratia præveniente nobis sine nobis exhibita: Unde gratia præveniens, & cooperans sunt separabiles ab invicem quoad effectus, quia cooperans exigit nostrum consensum, *l. 2. d. 5. dub. 1. & l. 4. d. 7. a. 2. q. 2. ad arg.* His positis, sit.

Concl. 1. Prædestinatio, & reprobatio, prout dicunt actum voluntatis divinæ, ex parte Dei nullam causam creatam habent. Est de fide, quia Deus est causa causarum, & supra Deum non est ulla causa. 324

Concl. 2. Prædestinatio ad gratiam, pro ut hæc dicit vocationem, sive gratiam excitantem ex parte creaturæ nullam causam, vel rationem habet meritoriam, sive de condigno, sive de congruo. Hoc patet ex pluribus textibus Sacr. Script. *Rom. 9. Non est volentis, &c. cap. 11.* Si gratia est ex operibus, jam gratia non est gratia: & idem 2. *Tim. cap. 1. v. 9.* Et probatur ratione: quia ante gratiam prævenientem nihil est in homine, nisi peccatum, & virtus naturæ: Sed ista non habent ullam proportionem cum præmio supernaturali, & gratia: ergo, &c. Tum quia hæc prima vocatio est communis effectus divinæ providentiæ, quem omnibus exibet; fundaturque in pura natura à Deo recta: ergo, &c.

Objic. facienti in statu puræ naturæ, quod in se est, Deus non denegat gratiam: Sed hæc est prima vocatio: ergo, &c. Et confirmantur: quia multa dona naturalia superaddita naturæ veniunt sub nomine gratiæ: ergo adest aliquid in homine disponens ad primam vocationem. Resp. ex traditis ex Seraph. Doct. in ultimo fundamento, facienti quod in se est in puro statu naturæ, Deus non denegat vocationem: negatur major. facienti cum adjutorio gratiæ gratis datæ, concedo, sed hæc est prima vocatio; sic negatur consequentia.

Ad confirmationem resp. S. Doct. *l. 2. d. 4. cit.* Si illud superadditum disponit ad rectitudinem supernaturalem, concedo: quia multiplex genus vocationis, tum externæ, tum internæ datur: si non disponit: nego.

Concl. 3. Datur ratio congruitatis, ob quam Deus potius huic confert gratiam, quàm alteri. Est S. Bon. *l. 1. d. 41.* plurimorumque Theologorum, apud P. Gaud. *q. 12.* Pr. autem à S. D. quia cum Deus quidquid vult, velit rationabiliter, sequitur necessariò dari aliquam rationem penes Deum, ob quam magis vult justificare hunc, quam illum, & alium reprobare; tum quia cum Deus velit voluntate antecedenti omnes salvos, & cum voluntate consequenti alios salvos velit, alios damnatos, sequitur penes Deum dari aliquam justam rationem hujus discriminis. 325

Et si quæras: quæ nam sit ista ratio? Resp. S. Bon. in generali posse à nobis sciri, non autem in particulari. Ratio in generali ait S. Bon. quare non vult omnes justificare voluntate beneplaciti? Resp. quod hoc est propter suæ justitiæ ostensionem: Et quare

alios vult justificare ; hoc est ad suæ misericordiæ ostensionem. Rationes verò congruitatis multæ possunt adferri, sed cum dubietate præcisa revelatione. Nec istas voluit Deus revelare, quia non fuit nobis expediens ad salutem ista cognitio, sed utilior fuit ignorantia propter humilitatem. Sic & Apostolus noluit inquirere, unde ut ostenderet defectum nostræ intelligentiæ exclamavit Rom.c.11. O altitudo divitiarum, &c.

Concl. 4. Ratio congruitatis, quare Deus magis voluit hunc justificare, non illum, nobis minus occulta, & magis probabilis est cooperatio liberi arbitrii ad gratiam excitantem. Est ejusdem Seraph. Doct. Javelli, Mssilii, Alensis, plurimumque aliorum, apud P.Gaud. *num.* 253. seq. unde talis discretio non est reponenda in solam Dei voluntatem, sic enim non essent judicia Dei occulta. Pr. à Seraph. Doct. quia, ut dicitur 1. Cor. c. 3. *Adjutores Dei sumus*, idest cooperatores in itinere nostræ prædestinationis : tum quia Deus non justificat sine præparatione, & cooperatione nostra : sed hæc præparatio, & cooperatio stat in mera libertate nostra : ergo prævisa tali cooperatione, Deus eligit cooperatores, & reprobat ductos ; tum quia, ut sæpe dictum est, Deus voluntate antecedenti vult omnes salvos facere, ipsisque ab æterno præparavit vocationem, aliaque media, & tamen voluntate consequenti eos non salvat ? Cur hoc ? Non ex pura Dei voluntate, quia ejus voluntas est eadem antecedens, & consequens, & vera, & realis beneplaciti. Ergo provenit ex nostra cooperatione.

Confirmatur hæc conclusio pluribus testibus Sacr. Script. ut Joan.cap.10. *Oves meæ vocem meam audiunt, & sequuntur me, & vitam æternam do eis, & non peribunt*, ubi explicat infallibilitatem salutis prædestinatorum ex sua parte, & ex alia eorum libertatem complectendi, vel respuendi ista media : Idem ex 2. Petri c. 1. *Satagite ; ut per bona opera certam vestram vocationem faciatis :* ex quibus patet prædestinationem gratiæ Dei esse in potestate nostra, supposita aliqua gratia gratis data saltem tanquam in conditione sine qua non, non verò tanquam in causa.

Objic. 1. Quia plures textus Sacr. Script. innuunt, prædestinationem nostram esse gratiosam merè, referrique debere in solam Dei voluntatem: Sic ex Epist. ad Rom. c. 9. de Esaü, & Jacob : sic & prima Cor.4. *O homo quis te discernit, &c.*

Respond. istos textus loqui de causa vera meritoria : non verò de ratione congruitatis : tum etiam verum esse refundi debere in solam voluntatem Dei, si sumitur purè ex parte Dei, non verò si sumitur ratione connotati, ex hoc quod Deus non est tota causa Prædestinationis, sed concausa includens, ait S Bon. etiam cooperationem nostram liberam ; & hac distinctione solvuntur omnia objecta in contrarium.

De quibus patet, quàm accuratus fuerit Ser. Doct. in edocenda hac difficillima materia ; dum ex sua parte modestissimus Doctor eum solita sua humilitate, & submissione refundit in defectum nostrum ignorantiam rationis congruæ, & ex alia parte ipsam nobis toties innuit modestissimè; quam & supra probavimus.

Quæres : *Ad quodnam genus causæ reducenda sit ista ratio congruitatis ex parte nostra :* Resp. reduci ad causam materialem, cum enim consistat in dispositione liberi arbitrii facta ex gratia præveniente, & cooperante cum nostro libero arbitrio, & hæc potius spectat ad causam naturalem, hinc, &c.

QUÆSTIO VIII.

An prædestinatio nostra facta sit ex meritis Christi, vel aliorum Sanctorum.

HUcusque de causa intrinsecá prædestinationis 326
egimus, quam propriè Dei voluntatem esse probavimus sicut & dari etiam ex parte voliti aliquam rationem moralem ; Nunc agendum de causis extrinsecis meritoriis ; ipseque solum possunt excogitari in ordine ad Christum, Beatam Virginem, & alios Sanctos : an scilicet ex meritis Christi, vel Sanctorum fiat prædestinatio. Duoque membra continet hæc quæstio : alterum respiciens Christum ; alterum Sanctos.

Quo ad Christum. 1. opinio est ; Prædestinationem nostram esse omnino effectum divinæ misericordiæ, ut nullus nec etiam Christus, eam meruerint. Sic Joan. Oviedo, de captivitate, & redemptione generis humani *tom.* 2. Ricardus aliique alii.

2. Sententia docet causam prædestinationis nostræ, pro ut est dilectio, idest collatio gratiæ, & gloriæ, esse merita Christi, non verò prout electio, idest, prout isti fuerunt electi non illi, sed id provenire ex Dei mero beneplacito. Sic Suarez *lib. de prædest. cap.* 24. & 3 *p. dist* 41. *serm.* 4. Vulp. Aretin. Caspensis, Suar. 3. *part. tom.* 2. *disp.* 50. *serm.* 4. *num.* 29.

3. Sent. vult prædestinationem, ut sic, non cadere sub meritis Christi, sed solam executionem.

4. Sententia communissima S.Bonav. D.Thomæ plurimorumque vult, Prædestinationem de principali non factam ex meritis alicujus, sed, pro ut involuit connotatum, factam fuisse ex meritis Christi.

Quoad merita Sanctorum omnes fatentur, ipsos non posse mereri de condigno prædestinationem aliorum, hoc enim privilegium reservatum est Christo ratione infinitæ dignitatis ; quæstio igitur est : an Sancti congruè, vel dignè possint mereri prædestinationem quoad effectus ipsius, & ipsum decretum.

1. Opinio negativa est D.Tho. & sequac.

2. Opinio est affirmativa, quoad justificationem, & glorificationem. Ita Vasq. *d.*94.*c.*5. cum quibus adnectitur à P.Trigosio *q.* 58. *a.* 10. *d.* 3. Seraph. Doct. sed immeritò.

3. Sent. est affirmativa in ordine ad omnes effectus à vocatione ad glorificationem. Est Ser.D. aliorumque. Pro solutione.

Not. 1. Quòd prædestinatio, ut aliàs dictum est, potest sumi duobus modis : 1. Ratione principalis significati ex parte Dei : 2. Ratione connotati ex parte termini : primo modo certum est, & de fide, non posse dari causam in Deo ; secundo modo ratione connotati, potest excogitari triplex causa, scilicet efficiens, dispositiva, & excitativa : secundùm rationem efficientis, certum est, Christi prædestinationem, vel ejus merita non posse esse causam efficientem, quia à solo Deo est : solus enim Deus potest dare gratiam, & gloriam : loquendo verò de causa dispositiva per modum meriti, & excitativa per modum exemplaris, Christus potest dici causa nostræ prædestinationis : sic S. Bon. *l.* 3 *d.* 9. *q.* 3.

Not. 2.

Not. 1. ex Seraph. Doct. *l. 3. d. 13. per totam*, & Brevil. *p. 4. c. 5. & alibi*, quod Christus constitutus est à Deo Caput Ecclesiæ primitivæ, & finalis omnium hominum, & Angelorum, ut influens in omnes omnem sensum, & motum, scilicet, omnes gratias, nempe, ut Deus, efficienter, ut homo meritoriè daret efficaciam suis meritis, & plenitudinem gratiarum nostris meritis, & actibus: Ideoque ejus influentia se extendit ad omnes præteritos, præsentes, & futuros; hincque ab ipso provenit remissio peccatorum, infusio charismatum, & gratiarum, & communicatio omnium desideriorum in Cœlo, & hæc est ratio (ait S. Bon. *serm. 4. Dom. 13. post Pentec. & serm. 3. Dom. 14. ibid.*) quare Ecclesia terminat orationes. Per Dominum nostrum Jesum Christum, &c.

Not. 3. Supponenda esse, quæ supra tradidimus de merito: aliud enim est de condigno, quod importat æqualitatem inter meritum, & præmium: aliud de digno, in quo convenit dignitas in merente, & orante, & indignitas in eo, pro quo quis meretur, & tales sunt Orationes Sanctorum pro indignis, & peccatoribus. Aliud de congruo, quod importat tantum decentiam fundatam in Dei misericordia, &c. His positis.

327 Concl. 1. Prædestinatio de principali nullam habet causam certam meritoriam est S. Bon. *l. 3. d. 18. q. 3.* & communis: & ratio in superioribus tradita est, quia Deus nullam causam habet supra se, sed ejus causa est ipsissima sua voluntas, & bonitas infinita, ergo, &c.

Concl. 2. Christus est causa meritoria electionis, prædestinationisque nostræ, & omnium effectuum ejus, est S. Bonavent. cit. & communior DD. & Patrum. Et prob. 1. ex cap. 1. ad Ephes. *Sicut elegit nos in Christo ante mundi consummationem, ut essemus Sancti. Prædestinavit nos in adoptionem filiorum per Jesum Christum in ipsum, secundum propositum voluntatis suæ, in laudem gloriæ & gratiæ suæ, in qua gratificavit nos in dilecto filio suo, in quo habemus redemptionem.* Ubi observant SS. PP. ly, (in) importare causalitatem, non enim potest importare, vel identitatem, vel inhærentiam; qui sunt tres modi significationis hujus propositionis, ut notat S. Bonav. *l. 1. d. 36. dub. 1. & l. 2. d. 13. dub. 4. & d. 38. q. 3. ad*

Not. autem, quòd dicit, nos esse prædestinatos in adoptionem filiorum, per Christum; quia adoptio est extraneorum, & inimicorum in filios electio: & cum ista electio sit prædestinatio, hinc est ordinatio ad salutem, ad gratiam, & gloriam: ergo tota series prædestinationis fundata est in meritis Christi; & si elegit Deus prædestinatos per Christum, ergo & de Massa perditorum: quod est id, quòd contradicit Vasq. nempè, electionem ex Massa perditionis non esse ex meritis Christi. Huic textui respondent Suarez, Mastriusque, prædestinationem per Christum, esse quidem prout sumitur secundùm connotatum in tempore, & in executione: non verò prout dicit actum divinæ voluntatis ordinatum ad prædestinationem; quæ expositio est patenter contra textum sacræ Scripturæ, quia supponitur Christus caput totius Ecclesiæ, ob idque influens suis meritis gratiam, & gloriam; tum quia, si in executione, prædestinatio est per merita Christi, ergo & ab æterno, alioquin pugnarent ad invicem, velle dare gloriam gratis, & per merita. Prob. 2. efficaciora sunt merita Christi ad nostram salutem, quam merita Sanctorum, sed ista, sicut & eorum orationes, aliquid conferunt dispositionis ad nostram salutem; ergo multò magis merita Christi. Prob. 3. sicut se habet resurrectio Christi ad nostram, ita prædestinatio Christi ad nostram prædestinationem; sed resurrectio Christi est causa nostræ resurrectionis, ergo & prædestinatio. Prob. 4. per eundem sumus prædestinati, per quem sumus salvati: sed salvati sumus per Christum ex Epist. ad Tit. *cap. 3. & Ephes. cap. 4.*

Objic. 1. Si Deus elegit aliquos per merita 328
Christi ex Massa perditionis, ergo redemptio est manca, respectu cæterorum, quòd est contra rationem redemptionis cujuslibet. Confirmatur, quia Deus pro Apostolis specialiter oravit, & pro Petro, eisque applicavit sua merita speciali modo, & efficaciori: tum etiam, quia ista non possunt applicari pro Sanctis veteris testamenti, quia jam erant extra statum mundi; ergo non omnia media, & effectus innituntur meritis Christi.

Primæ objectioni (quæ verè frivola est, & inconveniens; quia si haberet aliquam vim, sequeretur, prædestinationem esse mancam, & cum acceptatione personarum) respond. Christi merita quoad sufficientiam omnibus hominibus voluntate antecedenti, à Deo fuisse applicata, & si inter istos, alii electi sunt, alii relicti; id est ex speciali motivo, nempè, quia liberè electi, amplexi sunt merita, vocationem, & gratias, per Christum emeritas, quæ acceptatio etiam libera prædestinatorum fundata fuit in eisdem meritis Christi, quibus efficaciter etiam applicavit speciales orationes: nec per hoc intervenit acceptatio personarum. Et ad id de prædestinatis ante Christi adventum, Respond. S. Bonav. etiam ipsos salvos esse per merita Christi, præexistentia in præscientia, & ordinatione divina. *Vide P. Gaud. in hac quæst. 13.* ubi fusè, & acuratè expendit textus varios sacræ Scripturæ ad hanc veritatem confirmandam.

Ob. 2. Si Christus prædestinatus est ad nostram redemptionem à peccatis, ergo merita Christi sunt effectus nostræ prædestinationis, ergo non sunt causa ejusdem. Huic argumento prima facie valdè difficili P. Trigos. & Vasq. varias adhibent responsiones, sed verè insufficientes, ut rectè expendit cit. P. Gaud. qui assignat tandem pro responsione signa varia decretorum divinorum. In quorum primo collocat voluntatem communicandi se creaturæ rationali nobilissimo modo: In secundo vult, hanc creaturam lapsuram: In tertio possibilitatem reparandi eam variis modis, & aptiùs per Incarnationem; hinc istam primò decrevit, & inde subsecuta prædestinatio hominum.

Nos verò consequenter, ad tradita in superioribus, dicimus, ista signa esse meras nostras imaginationes: Deumque pro libito posse, cum sit independens à creatura, velle unum ante aliud; unum per aliud; & unum propter aliud, & unum sine ordine ad aliud; sicque potuit velle primùm Incarnationem verbi pro redemptione hominum, vel propter alium finem: vel propter solum desiderium sese communicandi potuit, & merita Christi antecedenter applicare hominibus, & prædestinatis sine ulla connexione, vel cum ordinatione ad salutem hominum. Hinc non sequitur inconveniens, quòd posset ipsa velle, ut causam, & etiam aliqualiter, ut effectum nostræ redemptionis, etiam hoc admisso.

Concl. 2. Christi prædestinatio est finis, & 329
exemplar nostræ prædestinationis: Ita S. Bonav. *lib. 3. d. 18. a. 1. q. 1. & 2.* Prima pars patet ex traditis: quia finis legis Christus est, & Rom. *c. 10.* ergo & finis nostræ fælicitatis, & prædestinatio-

nis: tum quia est primogenitus omnis creaturæ, quia omnia per ipsum, & in ipso *Colos. c.1.* 2. Pars probatur. Quia, ad hoc, ut obtineamus prædestinationem divinam, requiritur in nobis conformatio ad Christum ex Rom. *c.8.* de quo vide S. Bon. in loco cit. quæ fusè examinabuntur *in 3. sent.*

330 Concl. 3. Omnium effectuum prædestinationis nostræ potest dari causa congrua in meritis, & intercessionibus Sanctorum: est S. Bonav. *l.1. d.81. q.1. ad 4. & l.3. d.11. a.1. q.3. in argum.* Est, & plurium aliorum Theologorum communior, item & D. Gregor. D. August. à Seraph. Doct. cit. Prob. autem, quia de fide est, dari intercessionem Sanctorum, cujus adjutorio multa bona spiritualia nobis à Deo dantur, ut patet ex pluribus locis sacræ Scripturæ, & sacrarum historiarum: Sic oratio Stephani impetravit conversionem Pauli: Oratio Sanctæ Monicæ conversionem August. tum quia ordo divinæ providentiæ exigit, ut unus juvetur per alterum, in obtinenda salute: dicit enim S. Jacob *c.5. Orate pro invicem, ut salvemini. Vide S. Bonav. lib. 3. dist. 9.*

DISPUTATIO IX.

De reprobatione, & obduratione.

PRædestinationi, opposita est reprobatio moraliter, hinc ordo doctrinæ exigit, ut materia de reprobatione post prædestinationem discutiatur.

QVÆSTIO I.

An detur reprobatio, & quid sit.

331 NOta quòd reprobare, est rem aliquam abjicere tanquam malam, hinc ex nomine reproborum veniunt mali, & iniqui. Hinc.

Concl. 1. In Deo datur reprobatio absolutè: Est communis omnium Theologorum, & de fide. Prob. à S. D. *l.1. d.41. q.1.* Ad reprobationem tria includuntur nostro modo concipiendi: Odium æternum, obduratio temporalis, & æterna damnatio: Sed hæc tria sunt in Dei reprobatione connotata: Primò odium Dei, quia dicitur Rom. 9. *Esau odio habui*; ubi Glossa: Esau subtracta gratia, per justitiam reprobatus est: adest obduratio temporalis in peccatore, & inde æterna damnatio.

Concl. 2. Reprobatio est actus intellectus inchoativè, & completivè, seu formaliter voluntatis, est Seraph. Doct. Alensis, Ric. Scoti, aliorumque plurimorum contra Thomistas. Et probatur. Quia oppositorum est eadem ratio, sed prædestinatio est actus intellectus incohativè formaliter voluntatis, ergo & reprobatio; Minor probata est in superioribus proprio loco; tum quia quando plura ad actum conveniunt, id dat esse formale, quod dat ultimum esse: sed ad reprobationem convenit intellectus rejiciens, & voluntas contraria approbanti, & hæc complet, ergo, &c.

Concl. 3. Reprobatio est præscientia iniquitatis quorundam, & præparatio damnationis: seu est propositum non miserendi: sic ex D. Aug. S. Bon. *op. Comp. Theolog. lib. 1. cap. 30.*

332 *Q. Cur reprobi appellantur potiùs præsciti ex actu intellectus quam rejecti à voluntate divina? Item cur hoc nomen reprobis datur, cum etiam prædestinati sint præsciti à Deo?* Resp. Seraph. Doct. *l.1. d.40. dub.5.* Hoc nomen præsciti, quamvis etiam prædestinatis in rigore conveniat; dicitur enim Rom. 8. *Quos præscivit, hos prædestinavit*, tamen speciali ratione reprobis adscribitur, quia in negotio reprobationis, Deus se habet consequenter in operando, & ex præscientia operationum malarum, ipsisque nihil operans reprobat: undè se habet potiùs videndo, quàm operando è placito: at in prædestinatione scientia Dei magis trahitur ad praxim, quia Deus circa totum effectum operationum, & effectuum operosè se habet; ipse enim confert gratiam prævenientem, cooperatur cum voluntate hominis; confert gratiam sanctificantem, & cum ipsa concurrit ad opus meritorium. Ad reprobatio malorum dicitur præscientia, quia est cognitio etiam eorum, quæ non sunt à præsciente, sed à peccatore. Ideò ad significandum, Deum esse causam omnium bonorum, quæ electis adveniunt; dicitur prædestinatio: at verò, ne ostendat Deus, se non esse causam malorum, quæ reprobis adveniunt, vocat eam præscientiam: hinc electis dicit: *Venite benedicti Patris mei* (idest quasi attracti à benedictione Patris) *ad regnum vobis paratum, &c.* Reprobis verò: *ite* (idest quasi propriis pedibus) *in ignem æternum paratum diabolo*, non vobis, sed tantum ex vestra culpa, & mala voluntate vobis collatum.

QUÆSTIO II.

An reprobationis in reprobis detur causa: seu, an reprobatio fiat ex prævisione demeritorum. Ubi de effectibus reprobationis.

PRimò supponitur à Theologis omnibus admitti duplicem reprobationem, aliam negativam, aliam positivam: negativa est carentia, & privatio electionis ad gloriam, quam aliqui vocant permissivam: Positiva est condemnatio positiva reproborum. Hinc variæ sententiæ, tum hæreticorum, tum Catholicorum circa hanc quæstionem in medium adferuntur. 333

Prima autem hæresis est Calvini, Zuinglii, Bezæ, aliorumque hæreticorum hujus temporis negantium, dari causam, seu demerita nostræ reprobationis ex parte reprobi, sed Deum homines creasse absolutè, alios ad salutem, alios ad damnationem, istosque impellere ad peccatum, ut damnentur:

nentur: unde volunt peccatum esse effectum reprobationis, Deique reprobantis, moventis, & impellentis reprobos ad peccatum: & hinc nullam ex parte reprobi admittunt causam reprobationis negativæ, seu positivæ, nec quoad ultimum effectum, qui est æterna damnatio, & pœna tam sensus quàm damni: Contra quam horribilem blasphemiam damnatam in Conc. Trid. Sess. 6 can. 45. & æb. scripsit Belarminus, cum aliis controversistis, qua omissa, eo quod contra ipsas supra satis dictum est in quæst. de concursu Dei ad actionem malam: sententiæ variæ Catholicorum nunc referendæ.

1. Opinio extrema est Thomistarum, qui existimantes omnem permissionem peccati in reprobis esse effectum reprobationis, asserunt, nullam reprobationis causam dari in reprobis, sed eodem signo Deum prædestinasse aliquos ad gloriam, & ad gratiam, & alios exclusisse à gloria, sicque æquiparant reprobationem prædestinationi. Unde in hoc conveniunt cum Calvino; dissentiunt postea ab ipso, negando Deum eos impellere ad peccatum: & quia hæc opinio est nimis sæva, hinc plures ipsorum in explicatione sententiæ, ut notam temeritatis effugiant, incidunt in graves contradictiones, quod notat, & explicat fusè P. Gaud. *d.* 21. *q.* 3.

2. Sententia extrema est Scoti, & Scotistarum, & plurium aliorum: Dari quidem causam reprobationis positivæ, non verò negativæ; ad hanc invitum pertrahunt Seraph. Doct. Trigos. & Coriol.

3. Sententia media est Seraph. Doct. *l.* 1. *d.* 4. *q.* 1. *&* 2. cum plurimis aliis, asserentis reprobationis, quoad principale significatum, scilicet quoad actum Dei præcisè, nullam dari causam, nisi Dei voluntatem, quia in Deo non potest dari causa creata, sed quoad connotatum dari causam, tum negativæ, tum positivæ reprobationis: Isti Auctores postea discrepant circa hanc causam: Nam alii asserunt dari causam reprobationis à gloria, scilicet peccata: Reprobationis verò à gratia congrua non dari, sic Vasq. *d.* 95. *c.* 5. *&* 6. & cum ipso sentiunt omnes tenentes prædestinationem ad gratiam congruam fieri ante prævisa merita, ad gloriam verò ex prævisis meritis: Alii dicunt causam istam esse peccatum originale, citantque pro se D. August. ut videre est apud cit. P. Gaudent. *num.* 19. Alii volunt esse primum peccatum Adæ. Alii volunt esse peccata actualia causam reprobationis, nempe permissionis peccati, quæ permissio est à Deo in pœnam præcedentium peccatorum, & damnationis æternæ.

Seraph. Doct. Duos effectus reprobationis admittens, nempe obdurationem, & permanentiam in peccato usque in finem, & damnationem æternam, sustinet utriusque dari causam veram, scilicet, malum meritum: ex quo tam clarè loquitur, ut mirum sit, ejus commentatores, ipsum extraxisse ad alias partes, ut notat eruditè P. Gaudent. num. 21.

334 Pro solutione quæst. Not. 1. Quod in hac quæst. aliqua sunt certa apud omnes Theologos, alia incerta: & primò certum est in executione, & de facto neminem damnari, nisi prius sit transgressor legis divinæ: Secundò; Quod Deus in peccantibus non operatur peccatum, sicut in prædestinatione cooperatur positivè merito: hoc enim est discrimen, ait S. Bonav. in prædestinatione, & reprobatione: quod in prædestinatione, Deus est concausa tum suo concursu, tum exhibitione gratiæ omnis operis boni, non verò in reprobatione, cum non possit esse causa deficitiva; quidquid dicat impiissimus Calvinus. Tertiò, quod Deus permittit peccatores cadere in peccata, cum hoc tamen discrimine, quod primum peccatum non posset esse pœna peccati; sed tantùm sequentia: Circa primum; peccatum autem à Deo permissum, ex quo postea sequitur etiam permissio aliorum sequentium in pœnam primi, est maxima concertatio, unde oritur ista permissio, cum ex traditis sit vera volitio positiva Dei, & quomodo dicatur non concurrere ad peccatum, vel non velle peccatum. Hinc.

Not. 2. quòd ex traditis in superioribus ex Ser. Doct. *d.* 46. *q.* 1. *& sequent. & d.* 47. *dub.* 2. *& in quæst.* Quod Deus voluntate antecedente vult omnes salvos facere, omnibusque exhibet dona, & media necessaria ad hoc ut amplectentur ista media, & cooperentur ipsis liberè, in quo signo Deus non vult peccata voluntate hac antecedente beneplaciti: sed quia ad servandum rectum ordinem universi relinquit hominem in sua plena libertate, qua adjutus gratia præveniente potest velle bonum, & qua etiam potest illam gratiam, & bonum rejicere; ex qua rejectione facta à peccatore, & à Deo prævisa, sequitur negatio ulteriorum auxiliorum, & hinc consequenter oritur permissio peccati: & hinc sequitur (ait Seraph. Doct. d. 46. q. 3. ad quartum,) quod malum fit bonum, & justum, ut dicit August. Ench. c. 96. sed occasionaliter tantùm, quatenus eo utitur divina providentia ad bonum, & hæc non est occasio activa, sed passiva ad bonum, quatenus Deus inde elicit justam punitionem, qua exhibet exemplum aliis, & suam justitiam ostendit, & ratione boni substrati est occasio activa, quæ sola volita est à Deo, in quo sensu dicitur Apoc. 22. Justum est, ut qui in sordibus est, sordescat adhuc. Hincque sequitur, quod velle permittere peccatum, non est velle peccatum: sed solum est velle substrahere sua ulteriora auxilia cadenti, quod justè fit volenti cadere: unde ordinando unum peccatum in pœnam alterius præcedentis, non vult antecedenter peccatum, sed volitum à peccatore, & à se permissum vult ratione pœnæ, & in hoc sensu dicitur, Deus obdurare peccatorem, obcæcare, & tradere in reprobum sensum: quia peccata sequentia permittit in pœnam præcedentium. Patet etiam quomodo justè Deus possit aliquod bonum, ex quo videt perversum sumpturum occasionem peccandi, ut ex signo visibili ostenso in sacrificiis Abel, Caïn sumpsit occasionem invidiæ, & fratricidii: ex victoria David, Saül sumpsit occasionem persequendi ipsum; quæ occasio non fuit activa, vel data, sed passiva, & accepta ex pura malitia peccatoris, & contra voluntatem Dei vocantis, & offerentis sua auxilia peccatoribus.

Not. 3. quod est discrimen inter Theologos circa effectus reprobationis; unusquisque enim procedit secundùm propria principia. In via tamen Ser. Doct. & ex ejus principiis, solùm Duo effectus reprobationis admitti debent: ex eo quod tales effectus sunt à Deo; ideo peccatum non potest esse effectus reprobationis: sed primus effectus est permissio ultimi peccati, & durationis ejus in finem, & hoc in pœnam justissimam alicujus præcedentis, vel pervicaciæ in illo ultimo, ex quo potest liberari peccator divino auxilio congruo non deficiente, quod tamen peccator liberè rejicit; ut 335 dicitur

dicitur Rom 2. *An ignoras quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit*, & hæc dicitur à D.Bon. *l.1.dist.40.a.4.q.1.& 2.* obduratio, sumendo tamen obdurationem non formaliter pro ipso peccato quo vocationi Dei resistitur, sed pro subtractione gratiæ, vel permissione durationis in peccato: Unde sequitur, quod permissio peccatorum, quæ ante finem remissa sunt, non est effectus reprobationis, nisi forsan in aliquo effectu. v.g. habita permanentia cum aliis, quatenus sunt causa perditionis. Ideóque cum Deus ex parte sua, etiam post prævisa peccata habeat voluntatem salvandi omnes, nec unquam cesset, ut redemptor omnium ex parte sua offerre gratiam congruam, tota ratio primi effectus reprobationis adæquata reducitur ad justissimam permissionem permanentiæ in peccato, & immissionem mortis: Hinc etiam sequitur, ut peccatum originis in infantibus sit causa reprobationis, non ut semel contractum, sed prout durat in finem vitæ ex occulto Dei judicio. Secundus effectus reprobationis, ut æterna damnatio, non prout dicit decretum, seu sententiam, quia hoc potiùs est ipsa reprobatio, sed perditionem reprobi, & in infernum præcipitium, & hic est effectus præcipuæ reprobationis secundùm omnes Theologos. Hinc.

Not. 4. quòd, ex principiis Seraph. Doct. & ex traditis sequitur, sicut diximus, dari duplicem prædestinationem, scilicet antecedentem, & incompletam, & consequentem completam. Sic & duplex datur reprobatio, alia antecedens, præcedens prævisionem peccati, alia consequens: Prima est, qua Deus negativè se habet ex vi voluntatis antecedentis, qua Deus inefficaciter ordinat omnes homines ad gloriam, & ipsis in tempore præparavit media necessaria, in quo signo Deus se habet negativè, quasi attendens ad id quod faciendum viderit ab homine, & videns rejectionem gratiæ oblatæ, & inde peccatum futurum, Deus subtrahit concursum, & auxilia efficacia, ex qua subtractione sequitur lapsus in varia peccata, & reprobatio positiva, & inde damnatio; sic S. Bon. *l.1. dist.41. q.1. in corp. & ad p.2. & 3.* & inde Faber cum aliis *dist.59.* & Smisingh. *tract.10. dist.6. num.694. & seq.* Ratio autem hujus explicationis desumitur ex differentia prædestinationis à reprobatione, quia prædestinatio facit bonum: reprobatio non facit malum, sed supponit malum, sicut approbatio supponit bonum. His, &c.

336 Concl. 1. Reprobatio pro connotato, & positiva, & negativa ex parte reprobi habet veram causam, ideò non est ex voluntate absoluta, & antecedenti, sed ex consequenti: Est Seraph. Doct. *l.1. d.41. q.1. & 2. & op. Comp. Theol. l.5. cap.35.* est & plurimorum aliorum apud P. Gaud. *num.17.* & Echium, contra illos, qui docent, non dari causam reprobationis positivæ, vel negativæ: & alios, qui docent dari quidem causam prædestinationis positivæ, non verò negativæ, suntque Scotus, Scotistæ, Vasq. Becan. Caspens. Coriolanus, & Trigosius pertrahentes. S. Bonav. immeritò ad hanc sententiam, cum Seraph. Doct. patenter dicat oppositum.

Prob. 1. ex Seraph. Doct. qui *lib.1. dist.41.a.1.* duas proponit quæstiones, in quarum prima quæris: An prædestinatio, & reprobatio cadant sub merito: & respondit, quoad reprobationem, non cadere sub merito, quoad principale significatum, id est, quoad actum propositi, quia est divina essentia: (hic autem allucinatum Trigos. & Coriol. inferentes ex hoc dicto Seraph. Doct. negare causam in reprobatione;) sed quis dubitat, non dari causam certam in Deo, cum sit de fide? Addit S. Bon. cadit tamen sub merito quoad connotatum: nam duo effectus reprobationis, qui sunt obduratio, seu permanentia in peccato usque ad finem, & pœna æterna sunt effectus peccati; ergo reprobatio habet causam, scilicet malum meritum. In secunda quæstione postea discutit: An prædestinatio, & reprobatio habeant rationem motivam: nempè quatenus in ratione voliti dicunt ordinationem ad divinam voluntatem: & respondit quod: si quæratur ratio causalis, seu meritoria, hæc non datur: si autem ratio congruitatis, & decentiæ, si assignatur ipsa Dei voluntas pura, scilicet, quia ipsi sic vult, & sibi complacet, cum sit ipsa summa rectitudo, hoc non sufficit, quia sic intendentes magnificare divinam voluntatem, potiùs ipsi derogant; nec prædestinatio, vel reprobatio esset occulta, omnibusque etiam vetulæ nota: Unde dicendum cum D. August. quod, cum voluntas divina sit rationabilissima, ideò rationem habet, & sicut ab æterno fuit, ita ab æterno rationem habuit, non aliam propter essentiam, sed propter connotatum: quod autem sit illud in electione hominum, vel reprobatione, nobis non omninò notum est, nec omninò ignotum; sic ex Compend. cit. Unde concludit; sicut in antecedente quæstione, maximè *in corp. & ad 6.* quod in prædestinatione ratio motiva est prævisio meritorum, quæ non excludit misericordiam; in reprobatione verò, causa est justa, nempè demerita.

Prob. 2. efficacissimè ex plutibus textibus sacræ Scripturæ, ut 2. *Tim. 2. Deus vult omnes homines salvos fieri*, & ex aliis, ex quibus vocat peccatores ad pœnitentiam, opera sua non reprobare ex titulo Creatoris, & Redemptoris, cum omnes peccatores sanguine suo redemerit; ipsamque redemptionem velle extendere ad omnes peccatores, tam ante originale peccatum, quàm post, & semper toto tempore vitæ nostræ: Si ergo vult antecedenter salutem omnium, & ob id, ipsis omnibus exhibuit sua auxilia sufficientia, ergo tantùm nolentibus dirigitur reprobatio tum negativa, tum positiva: Ait enim sic S. Bon. *in cap. 1. sap.* Deus mortem non fecit, ubi affert plures textus sacræ Scripturæ clarissimos. Vide etiam P. Gaud multa loca sacr. Script. & Concil. acutè & solidè ad hanc rem expendentem. Confirmatur, quia, si Deus vult verè, & sincerè salutem omnium, ob idque eis pararet necessaria auxilia, si postea voluntate absoluta reprobasset ante merita, tunc istæ duæ voluntates repugnarent ad invicem.

Resp. Thomistæ; Deum velle positivè salutem omnium, nec reprobare aliquem reprobatione positiva ante merita, sed tantùm reprobatione negativa: Hanc autem reprobationem negativam explicant plures Theologi apud Mastrium tali pacto: In primò signo Deus aliquos elegit ad salutem, & gloriam ex mero beneplacito Dei antecedenter ad omne meritum, alios verò tunc non elegit, sed negativè se habuit, absque eo quod demerita in ipsis prævideret, & hæc est reprobatio prima negativa, in quo signo positivè istos non excludit à salute, sed sic eos negativè relinquit: quatenus (ait Scotus) in illo instanti habet actum rectum, super istam negationem electionis ad gloriam, vel gratiam, quo actu reflexo noluit eligere reprobos, dum elegit prædestinatos, ac proindè electio istorum habes concomitantem voluntatem non eligendi

gendi cæteros: Addidit tamen Soarez rem mirabilem, sed incapibile: nempè in eo signo, Deum habere voluntatem complacentiæ de reproborum salute, cum positivè eos non reprobet.

Hæc sunt, quæ dicunt Auctores contrariæ sententiæ, quæ intellectui rationali verè repugnant: quomodo enim potest stare complacentia de salute reproborum, cum exclusione negativa ipsorum ad salutem, scilicet ad gratiam, & gloriam? Quomodo item vult Deus voluntate antecedente reproborum salutem, si in absoluta voluntate dandi gratiam, & gloriam prædestinatis, absque ordine ad demerita, non includuntur, sed excluduntur? Item quomodo potest separari reprobatio positiva à negativa (positivam appellat destinationem ad pœnam æternam in tempore ex demeritis) si infallibiliter à negativa sequitur? Ait Mastrius *n.* 166. Actum illum reflexum non esse terminatum ad gloriam, scilicet privationem gloriæ, sed solùm ad non electionem, & proinde pro illo signo nihil determinari de reprobo. Contra: Verus reflexus habet haber adnexum actum positivum concomitantem: nolo illi dare gloriam: ergo implicat actum illum terminari ad non electionem efficacem, & non terminari ad gloriæ privationem: Cum electio sit correlativa gloriæ, quam respicit, ut objectum, & sine qua non est electio; ergo implicat quòd sit electio, vel negatio electionis, & sit ad nihil. Et hinc S. August. de bono perseverantiæ *c.* 9. Vocat hanc non electionem, seu reprobationem negativam justum Dei judicium, ut ostendat, eam non esse, vel fieri ex mera Dei voluntate, sed cum ratione connotata in reprobis.

Prob. 3. Reprobationis primus actus est odium Dei, sed Deus nihil odit eorum quæ fecit; ergo odium Dei primò terminat ad id, quod non fecit: sed hoc est peccatum: ergo hoc est ratio prima reprobationis. Vnde D. Aug. ep. 105. & ad Simpl. *l.* 1. *q.* 2. ad illa verba: *Esau odio habui*, dicit: Non igitur Deus Esau hominem odit, sed Esau peccatorem: & Glosa: subtracta gratia per justitiam est reprobatus. Nota, ly, *per justitiam*: justitia respicit merita, ergo.

Prob. 4. à S. Bon. cit. *q.* 2. *arg* 6. Si Deus non propter peccata hominum, sed ex mera sua libertate reprobat, sequitur vel paucissimos, vel nullum damnari, quia ejus voluntas est liberalissima, & promptior magis ad misericordiam, quàm ad severitatem: sed consequens est falsum, *cum multi sint vocati, pauci electi*: ergo, &c.

Prob. 5. à S Bon. *q.* 2. *arg.* 2. *&* 7. Deus est summum bonum, & liberalissimus ergo non debet reprobare sine causa justa, alioquin esset crudelis. Pr. 6. ex eodem S. D. *ar.* 5. *q.* 1. & Conc. Trid. *sess.* 6. *c.* 11. Omnis reprobus potest se ad justificationem præparare, atque justificatus perseverare usque ad finem, nec unquam deseritur à Deo, nisi ipse priùs Deum deserat, ergo non sine sua culpa privabitur gratiâ finali, ergo nec sine culpa poterit reprobari: Resp. Suar. Vasq. & alii privati à Deo gratiâ congruâ, non incongruâ.

Contra. Ergo ipsi reprobo impossibilia est observantia divinorum præceptorum; ad quæ tamen efficaciter obligatur observanda à Deo usque ad finem. Prob. sequela: Ad servanda præcepta divina efficaciter, secundùm ipsos, necessaria est gratia congrua. Nota hanc consequentiam, quæ est hæresis Jansenistarum condemnata ab Innoc. X. Igitur si negatur à Deo, impossibilis redditur observantiæ talis. Respond. illam gratiam non esse incongruam antecedenter, sed fieri talem à liberò arbitrio malè utente.

Contra Deus dat reprobo gratiam, quæ de se non est incongrua, sed fit incongrua ex libero arbitrio malè utente: quæro; vel poterat in actu secundo benè uti illa gratia, & facere congruam, vel hæc congruitas dependet à beneplacito Dei: Si 1. ergo ex culpa sua reprobatur, non ratione reprobationis negativæ: Si dicatur, ut dicunt adversarii 2. sequitur, quod id sit proprium Medici crudelis, & callidè agentis, dum profitetur se istius Miserrimi suo sanguine redempti velle salutem, & hortatur, & promittit, quod frustra fit, dum consultò parat auxilium, quod non prodest: quorsum emptus tanti? Præterea: Cur non perseverabit ille reprobus, dum est justus? Numquid Deus aufert illi antecedenter gratiam? Absit: Ergo sua culpa cadet, ut probat S. Aug. toto illo lib. de perseverantia, & observat Valentia, ergo ita etiam ab æterno decrevit Deus, ut ex culpa reprobetur.

Resp. Tanerus *n.* 12. eam gratiam esse necessariam solùm, ut salvetur, non autem, ut possit salvari: quæ responsio verè est indigna, & inutilis: Deus enim præcipit non modo, ut possumus, sed ut efficaciter observemus legem suam usque in finem, ideo dat consequenter gratiam necessariam, ut efficaciter illam observemus usque in finem, atque salvemur.

Concludit igitur Seraph. Doct. cum D. Aug. *d.* 4 1. *q.* 2. Cur istum salvat, reprobo autem non dat, seu negativè reprobat? Hoc inscrutabile clamat Apostolus: & hinc deducitur, neque prædestinationem, & multò minus reprobationem negativam fieri sola Dei voluntate: alioqui, neque Apostolus, neque August. judicia Dei inscrutabilia exclamarent, sed ea nota, & manifesta dicunt: quæ enim vetula hanc rationem non caperet? Deus hoc fecit, quia voluit: ergo aliquod arcanum, soli divinæ sapientiæ patens intervenit, quo hîc reprobatur absolutè, seu hîc non prædestinatur: Ideo hæc judicia à D. Aug. ad justitiam, & veritatem, pro ut à misericordia distinguitur, reducuntur.

Concl. 2. Peccatum originale non est adæquata 337
causa reprobationis omnium, qui damnantur.

Explicatur, & prob. Peccatum originale potest considerari, vel ut præcisè contractum, vel ut permanens usque ad mortem. Primo modo non est adæquata ratio excludendi homines à gloria: & prob. quia multis remissum est, imò nonnullis in utero, ut Joanni, & Hieremiæ; similiter, & omnibus sanctis, qui sunt in cœlo; (excepta B. Virgine, & Christo, qui non contraxerunt hanc labem) remissum est, & sunt prædestinati omnes: imò è Sanctis aliqui fuerunt maximi peccatores, ut Paulus; Matthæus, Magdalena, Augustinus, & alii: ergo peccatum originale, imò nec quodcunque peccatum actuale, sive primum, sive sequens est causa præcisa reprobationis, ergo erit tantùm illud, in quo reprobus vult permanere usque in finem; nam pro omnibus culpis lavacrum sanguinis Christi exhibetur.

Ex quibus efformatur hæc ratio evidens: quia Angeli reprobati non fuerunt ob peccatum originale, tum quia multis in hac vita remittitur, & tamen damnantur: ergo illud non potest esse causa præcisa æternæ penæ. Sequitur ergo, quòd peccatum, sive originale, sive actuale, solum pro ut perseverat usque ad mortem prævisum à Deo, causa est reprobationis.

Antequam ad solutionem object. deveniamus unum notabile advertendum existimamus, nempe aliquos Theologos ex positione reprobationis Tho-

mistica

mifticæ non fine temeritate maxima, & Theologo indigna impingere Thomiftis hæresim, & erroris Calvini audent, quodque eft falfiffimum; de qua indigna cenfura meritò conqueritur Joan.à S.Thom. *q 23.d. 10.à 1.n.9.* & feq.ubi clarè difcrimen affignat pofitionum Thomiftarum Catholicorum, & errorum blafphemiarumque Calvini: In quam temeritatem multi recentiores præcipitant, per hoc oftendentes fe parum profeciffe in Scholis, five D.Thomæ, five S.Bon.five Scoti,& aliorum Theologorum claſſicorum veterum: qui femper in rejectione adverſantium fentent. modeftiſſimè, & cum fumma reverentia fuas doctrinas exponunt: *Vide cit. Joan. à S.Thom.*

338 Objic. 1. plures textus Sacr.Script.indicare,Deum prædeftinare, & reprobare ex fua pura libertate,& dominio, quod habet in omnem creaturam,abfque eo, quod refpectum habeat ad merita, vel demerita: Sicut ad Rom *c. 9. Cui vult miſeretur, & quem vult indurat*, & addit: *Non ex operibus, fed ex vocante Deo dictum eſt: antequam quidquam boni, vel mali feciſſent Iacob dilexi, Eſau autem odio habui.* R. Vafq.textum illum de Efau &c.loqui de electione ad paternam hæreditatem: & allegoricè de reprobatione populi Judaici, & electione gentilitatis. Suar. ait, *Eſau odio habui*, pro odio fumi minorem amorem: eò quia Deus non odit ea, quæ fecit, ut dicitur Sap. *c. 9.* Bellarminus ait, loqui de reprobatione negativa, fed non fatisfacit hæc refponfio, cum reprobatio negativa ex fupra traditis, non fit fine pofitiva.

Seraph.Doct expendit iftos textus *d. 41. q. 1. arg 3. & q. 1. ad 1. 2. & 3.* & refpondet Seraph. Apoftolum affignare notanter beneplacitum Dei pro ratione prædeftinationis, exclufis quidem, meritis, non tamen pro ratione motiva, quam tacuit, licèt hanc etiam fupponat pro connotato, & merito; quia Script. ordinatur ad noftram utilitatem: Utilius autem erat nobis ad humiliationem affignari divinum beneplacitum: Et de hoc beneficio collato ipfi Iacob, fuit directa intentio Apoftoli, ut Romanos ad humilitatem inclinaret, quibus apponit etiam exemplum Judæorum, qui cum ad jura primogenituræ effent electi, rejecto Efau jure naturæ hærede, ita ad eorum incredulitatem rejecti funt & ipfi, quamvis è germine Sanctorum veluti oleæ domefticæ, ac fructiferæ aptæ Civitati illi Hierufalem pacis, inferebat Apoftolus, Romanis quoque timendum, quippe ex oleaftro germani, ne ob eorum peccata reprobarentur:quod autem ibi Apoftolus loquatur de folo Iacob, non de electione ad gratiam, & gloriam, paret ex contextu verborum, qui locus defumptus eft ex Malachia, ubi de jure primogenituræ folùm loquitur: Ideò ad idem argumentum affertur ab Apoftolo ad probandum illud Gen. 25. *Major ferviet Minori*: Unde id non advertentes aliqui exponunt dictum Malachiæ de jure primogenituræ temporalis, textum verò Apoftoli de electione ad gratiam, vel gloriam, quod eft contra fenfum litteralem Apoftoli, qui loquens de reprobatione Efau fi trahitur in ordine ad gratiam, & gloriam, ipfam adfcribit divinæ juftitiæ, ut ait Gloſſa; & D. Aug licèt verior fenfus fit de reprobatione temporali; & patet ex eo, quod ibi componit Efau, & Ifmaelem reprobatos, & ex altera parte Ifaacum, & Iacobum electos, & tamen Ifmael Salvatus eft, ut notat etiam Toftatus,quæ refponfio fusè traditur à P. Gaud. Unde non verè aliquid concluditur contra noftram Conclnf.Concludit autem Seraph.Doct.in his, & aliis confimilibus textibus, qui videntur attribuere folùm divino beneplacito noftram reprobationem debemus credere, quod multa omittuntur ad noftram utilitatem,& ut humiles coram Deo, & timentes Deo ferviamus, nobis non confidentes, & noftris viribus, fed ea aliis inferre Deum folùm punire ob noftra demerita, & juftiſſimè: Sic & exponit S. Doct. illud Sap. 12. *neque Rex, neque Tyrannus*, &c. ut videre eft in comment.cit loci.

Objic. 2. In prædeftinatione non datur caufa creata, ergo nec in reprobatione: currit enim paritas ex ratione dominii abfoluti quod habet divina voluntas in nos. R. primò neg. antec. ex traditis: Refp 2. effe verum quoad principale fignificatum, nam in Deo non admittitur cauſa creata: Neque quoad connotatum ratione voliti: Refp. 3. negando paritatem; nam in prædeftinatione, caufa originalis eft in Deo, & à Deo nempe gratia; & ex parte prædeftinati eft occultiffima, folique Deo cognita, pro ut dicit electionem ad gratiam, pro ut verò dicit electionem ad gloriam eft meritum verum: In reprobatione verò eft caufa patens fcilicet demeritum, cum fit opus juftitiæ.

Contra: Si daretur caufa voluntaria in reprobis, fequeretur effe in poteftate noftra non reprobari, ergo & prædeftinari,quod eft falfum. Refp.conced. totum; effe nempe in poteftate noftra prædeftinari, fuppofitis auxiliis prævenientibus, quæ poffumus amplecti, & rejicere pro libito.

Ob. 3. Caufa reprobationis debet effe ante primum effectum reprobationis, fed primus effectus reprobationis eft primus effectus culpæ, & ante hanc non datur alia culpa, præter originalem, quæ poteft tolli per Baptifmum; ergo nulla caufa datur. R. ex traditis in fundamento; Primum effectum reprobationis non effe primam permiffionem peccati, fed illius, quod durat ufque in finem: quod in adultis femper habet aliam caufam in alio peccato præcedenti: idque patet, nam multi Sancti peccaverunt, & tamen funt Salvati, ergo primus effectus non eft prima permiffio peccati.

Ob. 4. Deus ex fua libera voluntate negat reprobis auxilia congrua, fine quibus non poteft Salvari; ergo reprobationis non datur Caufa ex parte reproborum. Refp. ex fupra traditis, Deum providiffe antecedenter omnibus hominibus auxilia fufficientia neceffaria ad falutem, nec aliquam poffe adducere excufationem validam fuæ reprobationis: quod verò fuperaddat aliquam congruitatem in aliquibus, id eft vel ex fuo beneplacito, vel etiam ex prævifione fidelitatis ipforum, in admittendo auxilia fufficientia, quam ingratis negat. Quæ omnia in fuperioribus fusè explicata funt ex doctrina, & fundamentis Seraphicis.

QVÆSTIO III.

De obduratione: an fit culpa, an pæna: an à Deo: an à reprobo?

Diximus fupra ex Seraph. Doct. *l. 1. d. 41. q. 3.* 339 In reprobatione tria contineri, odium æternum Dei, obdurationem temporalem, & damnationem æternam: Hinc ordo doctrinæ exigit, ut de obduratione expendamus, quid fit, an à Deo, an ab homine: obduratio verò(ait S.Doct) poteft fumi, vel pro ipfo peccato, quo vocationi Dei refiftitur, vel pro fubtractione gratiæ, vel permiffione durationis in peccato.

Hæretici, tum antiqui, tum & recentiores dixerunt,

dixerunt, obdurationem ita esse à Deo, sicut & gratiam, quæ hæresis condemnata fuit in pluribus Conciliis, & præcipuè in Trident. *sess. 6. can. 6.* hinc

Not. 1. Quod obduratio cordis desumpta est ex triplici proprietate obdurationis corporum; durum est enim, quod est inhabile ad suscipiendum, stabile ad permanendum, & forte ad resistendum: Sic cor dicitur obduratum tripliciter; 1. ex hoc, quòd est inhabile ad impressionem gratiæ suscipiendam: 2. ex eo, quòd est in peccato stabilitum per nimium amorem, & affectionem ad peccatum: 3. quòd est rebelle impugnans Deum, ejus mandata, & gratiam: hoc tertio modo est speciale peccatum in Spiritum Sanctum: Secundo modo est peccatum cum dispositione ad novum peccatum, seu est dispositio orta ex peccato præcedente aliud peccatum per quam fit voluntas inflexibilis ad pœnitentiam: primo modo verò, est passio, seu pœna consequens culpam, scilicet pœna contracta inclinans ad peccatum, qualis est fames, & concupiscentia, & explicatur exemplo Scabiosi, qui in scalpendo se delectat, sed postea sentit in carne ardorem: Sic peccator peccando se delectat, sed postea sentit passionem relictam à peccato, corruptionem bonorum naturalium, & hæc est pœna relicta à peccato, & ab ipso inseparabilis, quæ pœna consistit in hoc, quòd Anima redditur minus habilis ad rectitudinem recipiendam, ut docet S.D. *l. 2. d. 35. a. 1. q. 1.*

Not. 2. Et sequitur ex dictis, quod obduratio opponitur emollitioni gratiæ, quam gratia in corde permanens causat; quia enim peccator peccando expellit gratiam, ita repetendo eadem, & alia peccata duritiam contrahit per defectionem gratiæ, ejusque effectuum: Et hinc sequitur discrimen inter obduratos, & reliquos peccatores: Nam primò, reliqui habent motus, & cogitationes Sanctas, inspirationesque, quibus ad pœnitentiam vocantur, & emolliuntur, & hinc in ipsis existentibus in peccato Mortali, consurgit quædam displicentia peccati, & Amor Dei, licèt imperfectus: obdurati autem carent talibus bonis, ideoque resident in suis peccatis securi, & veluti dormitantes: Secundò indurati habent pessimum habitum ad malum, quem contraxerunt peccando: cæteri peccatores verò tali habitu carent: tertiò, indurati ex tali habitu ita fiunt propensi ad malum, ut facere malè fit eis quasi connaturale, non sic cæteri: quartò, quia cæteri peccatores sæpe cadunt, & sæpe resurgunt: Indurati verò ob malum habitum difficillimi sunt ad conversionem.

340 Not. 3. quòd obduratio, obstinatio, excæcatio sic differunt, quòd obduratio est per quam homo obviat mandatis Dei, & perseverat pertinaciter in malitia, per quam homo fit impœnitens, & hinc consequitur longa consuetudo peccandi, per quam intellectus contrahit cæcitatem, & affectus duritiem, tum ad operandum bonum, tum ad recipiendum inspirationes, & verbum Dei: Obstinatio verò est duplex: alia in toto rigore sumpta, estque eorum, quibus Deus jam decrevit nunquam dare gratiam, quique amplius non habent possibilitatem mutandi mentem in malitia, & hæc est damnatorum, & dæmonis, quos omnes dimisit Deus, de quibus Psal. 87. *Sicut vulnerati dormientes in sepulchris, quorum non es memor amplius:* de qua re videt S. Bon. *l. 2. d. 7. p. 1. a. 1. q. 1. & 3. & p. 2. q. 1.* Alia est mitior, estque pessimorum peccatorum hujus vitæ, hæcque supponit obdurationem, firmitatemque addit numquam revertendi ad pœnitentiam; Et licèt tales obstinati difficillimè redere possint ad pœnitentiam, tamen non aufertur ab eis possibilitas, cum nunquam deserantur à Deo suis auxiliis, nec ab Angelis custodibus. Vide S. Bon. *l. 2. d. 43. a. 3. q. 2. ad 5. & 6. & l. 1. d. 88. a. 1. q. 1. ad 5. & l. 2. d. 11. a. 2. q. 1.* Et hæc est peccatum in Spiritum Sanctum quatenus non desistit à peccato præterito, & præsenti, & futurum intendit; & hinc postea consequitur excæcatio animæ, nempe privatio illuminationis mentis: quando vero abhorret futurum saltem negativè, non est peccatum in Spiritum Sanctum *l. 2. d. 43. cit. & l. 2. d. 7. p. 1. q. 1. fund.* Nota tamen quod aliquando obduratio, obstinatio, excæcatio, reprobus sensus in sacra Script. sumuntur pro eodem, quatenus unum consequitur ex altero.

Not. 4. Quod obdurationis causa triplex assi- 341
gnatur ex S. Bon. *l. 1. d. 40. a. 2. q. 2.* nempe deficiens, merens, & ordinans: deficiens est liberum arbitrium liberè peccans, & multiplicans peccata: causa merens est peccatum originale in parvulis, & actuale in adultis, per quod meretur obdurationem, & excæcationem: causa ordinans est divina justitia, quæ ordinat talem pœnam.

Nota autem, quod in tali ordinatione Dei concurrit substractio gratiæ facta à Deo, ob quam dicitur Deus non misereri, sic exigente demerito peccatoris, in quo sensu dicitur Deus indurare cor peccatoris, scilicet negativè se habendo, vel subtrahendo suam gratiam. His.

C. 1. Obduratio sumpta formaliter non est à Deo, 342
est S. Bon. & communis Catholicorum contra Sectarios: Probatur primò ex Rom. 2. *Secundum duritiam tuam, & impœnitens cor tuum thesaurizas tibi iram in die iræ*: Ubi glossa; Obduratio est perseverantia mentis pertinacis, in malitia; tum quia, cùm sit culpa, & peccatum, dicit enim perseverantiam in malo, non potest esse à Deo. Vide S. Bon. *cit. ubi in q. 1 & 2.* plures textus sacr. Script. & rationes adducit.

Concl. 2. Obduratio, prout est substractio gratiæ emollientis cor, est à Deo: quia ex Rom. 9. *Cui vult Deus miseretur, & quem vult indurat:* sed vult non miserendo, vel tribuendo gratiam, ergo.

Et in hoc eodem sensu intelligendi sunt plures alii textus Sapientiæ, qui à S. Bon. & aliis adducuntur sic, & dicitur excæcare, scilicet eos non illuminando, & illud Joan. c. 12. *Non crediderunt, quia non poterant credere*, scilicet, quia (ut ait Chrisost.) volebant in sua obstinatione perseverate, &c.

Objic. 1. Omne ens est à Deo, obduratio est ens, ergo: Resp. omne ens positivum est à Deo positivè, concedo: privativum, & negativum, nego: talisque est obduratio, scilicet carentia gratiæ, & habilitatis ad divinas influentias.

Objic. 2. Deus curam omnium habere debet, ergo non debet ullum sinere perire, alioquin ipsi imputandum est; Et confirmatur: Si aliquid est causa alicujus, & oppositum est causa oppositi, v. g. habere pulmones est causa respirationis, ergo non habere est causa non respirandi: sed velle misereri est causa justificationis, ergo nolle misereri est causa obdurationis. Resp. habens curam alterius, & ad id tenetur si deficit ei imputari debet casus: hoc verum est; non verò, si non tenetur, & ad id, Deus curam omnium habet: concedo, & ratione istius providentiæ Deus providet omnibus necessaria ad salutem, nec ampliora tenetur dare: Et minus postea pertinacibus. Ad

aliod : Deus est causa gratificationis concedo : ergo & obdurationis, nego paritatem, ratio est ; quia Deus non est tota causa, sed concausa justificationis, unde deficiente concausa, scilicet voluntate humana, non tenetur dare gratiam, imò debet illam substrahere in pœnam ingratitudinis.

Ea quibus sequitur ; Neminem posse justè conqueri de Deo, cum omnibus offerat auxilia sufficientia tanta, & tam multiplicia externa, & interna : Vnde totus defectus venit ex parte nostra.

Appendix pro complemento materiæ Prædestinationis, & reprobationis de libro vitæ.

343 SEraphicus Doctor *l.4. d.43. art.1. & 3. in tract.* de resurrect. mortuorum, & de judicio proponit aliquas quæst. de libris vitæ, & conscientiarum, qui in judicio aperiuntur, quorum locus propositus est hic pro complemento materiæ prædestinationis, & reprobationis, & resolutio fiet per varia quæsita,

Quæres 1. *Quid sit liber vitæ, & an alius liber indicetur in sacra Scriptura?* Resp. Multiplicem librum nobis proponi in sacra Scriptura. 1. est sacra Scriptura, in quo legitur quidquid est necessarium ad salutem, de quo S. Bon. *op. tit.6 c.3. & serm.12. & 13. Hexam.* 2. Est Mundus totus, in quo magnalia Dei manifestantur, de quo idem Seraph Doct. *ibidem, & l.2 d.1.p.1. per tot.* 3. Est Christus crucifixus de quo S.Bon. *in Brevil. p.2.c.9. & op. stim. p.1. per tot.* 4. Est liber conscientiarum, qui in judicio aperietur, de quo S.Bon. *l.4.d.43.a.3.* 5. Est liber vitæ, de quo in præsenti. Hic est autem notitia Dei, quàm Deus retinet de prædestinatis : liber enim duo dicit : Primum est, scripturam descriptam : Secundum est habitudo, ad notificandum aliis id quod scriptum est, seu scripturam, & lectionem : prout dicit scripturam, significat notitiam, & sapientiam Dei, appropriaturque Filio, qui est intelligentia Patris : in ordine verò ad exprimendum aliis sequentibus convenit toti Trinitati, in qua electi legunt seriem divinæ providentiæ circa electos, eò quia ibi legunt (ait S. Bon.) creaturas, non ut egredientes à Deo per creationem, idest non totam seriem providentiæ divinæ generalis, sed ut revertentes ad eum per gratiam, & gloriam, idest totam seriem providentiæ divinæ circa electorum salutem : & quia gloria est finis, gratia medium, ideo denominatur iste liber à fine, diciturque liber vitæ, scilicet æternæ, & consequenter in hoc libro sunt propriè descripti solùm prædestinati finaliter : qui verò sunt tantùm prædestinati secundùm præsentem justitiam, non autem finaliter, dicuntur descripti in hoc libro secundùm quid tantùm, non absolutè.

Q.2. *An aliquis deleatur de libro vitæ?* Respond. 344
quòd licèt admittatur illa propositio supra expressa : Prædestinatus potest esse præscitus, & è converso, eò quia est propositio contingens ; tamen quia nunquam eveniet, quod, qui est verè apud Deum finaliter prædestinatus, possit esse præscitus, ideo prædestinati nunquam delentur de hoc libro, licèt aliquando ad tempus possint deleri, sed non omnino. Multæ objectiones proponuntur contra hanc responsionem, ut illa Exod.32. *Aut dele me de libro vitæ, aut dimitte eis hanc noxam.* In quo conveniunt Doctores, Moysen non loqui de prædestinatione æterna, sed de morte temporali, vel de aliis malis temporalibus, quibus se ea charitate subjiciebatur ad impetrandum remissionem peccatorum populi : vel ut dicit Seraph. Doct. Itin. 4. *de æternitate d. 5.* exhibebat privari visione Dei ad tempus, vel ut dicit *l. 3. d. 31. dub. 2*, quia sciebat, se non posse deleri de illo libro, ideo dicebat cum tanta fiducia ; *Aut dele me*, &c. quod sciebat esse impossibile, aut dimitte eis noxam, firmiter sperans, se hanc partem obtenturum : V de S. Bon. in Lucam c. 10. ad illa verba ; *Gaudete, quia nomina, &c.* ubi pulcherima habebis ad Moses, &c Comp. Theol. *l.1.c.3*, Centil. *p.1. serm 5.* Breuil. *p.7. c.1.* Diæt. *tit.9. c.1. serm.3. Dom.Pent.*

Q. 3. *An detur liber mortis, sicut vitæ.* Aliqui affirmant, sed Seraph. Doct. id negat : liber enim est notitia expressa in mente Dei, idcoque est tantùm rerum idæatarum in summa veritate ; sed mala, & mors non sic ideantur in Deo.



DISPVTATIO X.

De Divina Omnipotentia.

IN superioribus egimus de divina scientia, & divina voluntate : Hinc consequenter de Dei omnipotentia executiva in ordine ad creaturas ad extra agendum est, quod & facit Seraph. Doct. immediatè post expensionem prædeterminationis divinæ.

QUÆSTIO I.

An Deus possit aliquid aliud à se S. Bon. l.1. d. 42. q.1.

345 QUæstio hæc involuit quæstionem : an in Deo sit potentia, & an hæc sit aliquo modo distincta ab intellectu, & voluntate.

1. Opinio asserit in Deo, potentiam non esse, vel intellectum, vel voluntatem, vel aliud, scilicet potentiam executivam : sed esse formaliter ipsam essentiam divinam tanquam rationem proximam agendi phisicè, concurrentibus tamen intellectu, & voluntate, illo dirigente, hac applicante essentiam. Sic Suarez citans alios in Metaf. *s.17. num.45.*

2. Opinio asserit, voluntatem divinam solam esse

esse causam immediatam, & potentiam executivam, qua Deus operatur extra, intellectum verò concurrere, ut principium directivum; ita Molin. Vasq. Valentia; sic etiam Scotus *q. 4. prol.* Mastr. *d. 4. q. 6. n. 108.* aliique plurimi.

3. Sentent. asserit, dari potentiam executivam præter intellectum, & voluntatem distinctam virtualiter: Sic plures Thomistæ. Cum ista sent. est Seraph. Doct. qui *l. 1. d. 45. ap. q. 1. ad 3.* ait voluntatem esse causam immediatam rerum ratione potentiæ, idem *q. 2. fund. 2. pro solutione, &c.*

Not. 1. quod secundùm omnes Theologos, potentia in Deo non ponitur tanquam quid diversum ab intellectu, & voluntate, nisi secundùm rationem, & virtualitatem, pro ut dicit principium executivum: nam quoniam intellectus præcisè habet tantùm rationem directivam, non verò executivam, sic & voluntas, ut talis præcisè habet tantùm rationem volendi, & imperandi, & movendi virtutem ad operationem, at potentia, ut potentia est principium actionis, & ideo intellectus, & voluntas non formaliter, sed sub ratione principii effectivi ad extra sunt potentia executiva, & activa in Deo, quia sunt in Deo unum, & idem formalissimè, & realiter: non autem virtualiter, neque tamen dicunt actionem distinctam, cum Deus sit sua actio: Cum autem ista tria ab intellectu nostro reperiantur in creatura distincta, hinc intellectus secundùm rationem intelligendi transfert ista in Deum sine imperfectione ulla, & ob id indistincto modo, & cum tali ordine. Sic S. Bon. *d. 45. q. 1. comp.*

346. Concl. 1. Voluntas divina non se sola operatur ad extra immediatè, & ultimò, sed ad hoc necessaria est potentia executiva virtute distincta. Prob. à Seraph. Doct. *dist 45 q. 1.* Attributa divina in Deo formaliter existentia distingui debent, sumpta proportione à rebus creatis, sed in nobis intellectus, voluntas, & virtus, potentiaque executiva sunt diversæ, ergo in Deo identificatæ rationem virtualem distinctam retinent.

Resp. Mastrius cit. eas solas perfectiones distingui, quæ se mutuò excludunt, sicut intellectus, & voluntas; at potentiæ productivæ in unam coeunt potentiam infinitam, ob idque si aliqua remanet distinctio inter potentiam, & voluntatem, ea est excludentis, & inclusi, non autem adæquata: cum voluntas ratione infinitatis includat potentiam executivam.

Contra. Quia potentia volitiva in nobis excludit executivam; quia aliud est scire, aliud velle, aliud exequi; intellectus enim, & voluntas habent tantùm modum intentionalem, intellectus dirigendo, voluntas imperando, ad quos requiritur ulterior virtus, & potentia ad exequendum per modum agendi realem; ergo & in Deo proportionatam distinctionem admittunt: & ad id, de infinitate notat S. Bon. in comp. quòd, cum essentia divina sit quid unum simplicissimum, est tamen Pelagus infinitarum perfectionum, quæ omnes identificatæ formalissimo modo in unam coeunt infinitatem, & ideò unaquæque perfectio, & attributum in sua præcisa ratione continet perfectionem infinitam, v. g. Intellectus in ratione sciendi, voluntas in ratione volendi, tamen quia identificatio formaliter est penes essentiam; hoc & quælibet in ordinem ad ipsam essentiam est infinita, simulque ab alia ratione distincta: hinc non sequitur quod voluntas præcisè sumpta includat potentiam executivam; habent enim diversas definitiones, & entitates in nobis: ergo, & in Deo diversitatem virtualem: tum quia voluntas, & potentia executiva se habent ut determinans, & hæc est voluntas, & determinabile, & hæc est potentia, ergo, &c. tum quia intellectus, voluntas, & potentia sic se habent, quod voluntas supponit scientiam: potentia voluntatem: ergo habent aliquam diversitatem: Tum quia, ut notat Seraph. Doct. *ad 1.* Voluntas præcisè sumpta non connotat effectum, potentia ipsum connotat, ergo diversitatem important: vult enim Deus se, & tamen non producitur tunc effectus: ergo, &c. tum quia habent diversum modum tendendi in objectum; voluntas enim tendendo in effectum, illud amat, & decernit, potentia exequitur, &c.

Objic. 1. sacram Scripturam semper attribuere opera ad extra voluntati: *Omnia quæcunque voluit fecit, &c.* ergo, &c. Resp. ex S. Bon attribui voluntati, quia voluntas est determinans potentiam executivam.

Objic. 2. Voluntas divina est infinita, ergo non indiget ulteriori potentia. Resp. conced. in ratione volendi, non exequendi nisi ratione potentiæ executivæ.

Objic. 3. Idem omninò est actus voluntatis ut vult, & ut exequitur. Prob. assumptum: quia dicitur velle ab æterno, & dicitur creare in tempore: & creatio dicitur nova, ratione novitatis creaturæ: sed talis novitas est tantùm in ordine ad ipsum velle in tempore: nam si esset ratione potentiæ executivæ, tunc actus esset novus, quod implicat in Deo, quia sic vitari non posset otiositas in Deo ab æterno. Resp. imò ex hoc admittitur destinctio: quia si voluit ab æterno creare mundum, ab æterno non fuit creatus, quia non adfuit potentia executiva nisi in tempore.

Concl. 2. Potentia Dei est infinita: est de fide contra impiissimum Calvinum, & asseclas, qui ausi sunt negare in Deo infinitam potentiam: & patet ex pluribus sacræ Scripturæ locis adductis à S. Bon. *d. 42 & 43.* & patet; tum quia Deus est ens optimum, ergo habet posse se diffundere infinitè, tum quia est summum ens, tum quia ejus potentia formaliter identificata est cum essentia, &c. *Vide S. Bon. d. 47. q. 1. seq.* Nota autem, quod Seraph. Doct. hic multas congerit quæstiones: an Deus possit facere omnia. v. g. actum infinitum: an potuerit creare mundum ab æterno: an quod præteritum non fuerit præteritum, & an potuerit facere mundum meliorem, & alias quæstiones similes, quas solvimus in Philos. ideò ipsas omittimus.

Et hæc sufficiant de Deo uno è Seraph. Doct. exarata: ad laudem, & gloriam summi, & immortalis, & invisibilis Dei, ad cujus divinitatis mysterio enarrandam creatæ linguæ deficiunt, quia consummatio sermonis ipse est. Et, inquam, qui potest omnia facere superabundantius quàm possimus, aut intelligimus secundùm virtutem, quæ operatur in nobis, ipsi sit gloria in Ecclesia, penes cujus intemeratam fidem, & censuram infallibilem, quicquid hactenus, aut in posterum scripsero, pronus, humilisque relinquo.

Tractatus de Deo Trino, seu SS. Trinitate.

IN superiori, & primò Tractatu egimus de 347
Deo uno, & de iis, quæ ad Dei unitatem spectant: nunc doctrinæ ordo exigit pro complemento primi sententiarum, ut de Deo Trino agamus:

In quo hunc ordinem sequemur. 1. examinabimus SS. Trinitatis existentiam. 2. ejus cognoscibilitatem. 3. ipsius emanationes. Primò in generali; postea in speciali cum relationibus, & personalitatibus: & 4. consequentia ad hoc mysterium.

DISPUTATIO XI.

De existentia SS. Trinitatis.

QUÆSTIO I.

An Deus sit Trinus? S. Bon. l. 1. d. 2. art. 1. per totum.

Deum esse unum in essentia in superiori tractatu probavimus: quæritur autem hic, an, cum sit Unus unitate essentiæ, sit etiam Trinus in personis, & quomodo? Pro solutione quæst.

Primò supponimus (quod infra proprio loco fusiùs explicabimus) quòd personalitas, seu persona est incommunicabilis existentia intellectualis naturæ: dicitur existentia loco generis: quia est res extra suas causas: dicitur incommunicabilis, scilicet; ut quod, & ut quo; ut quod, idest secundùm identitatem, ut est communicabile superius ad inferiora, tali enim pacto non est communicabilis persona: ut quo, idest per informationem, uti est anima: dicitur intellectualis naturæ, ratione dignitatis, quia talis incommunicabilitas personæ competit tantùm rationalibus; sic essentia divina non est persona, est enim communicabilis, ut quod, & ut quo, perfectissimo modo: quæritur igitur, an cum unitate essentiæ sit pluralitas personarum?

348 Concl. 1. Pluralitas personarum, cum unitate essentiæ ponenda est, & recognoscenda in Deo: est de fide contra Mahometem, Judæos, Sabellium, aliosque hæreticos; & habetur pluribus locis in sacra Scriptura à Seraph. Doct. l. 1. d. 2. dub. 8. etc. Prob. etiam ex quatuor suppositionibus de Deo; scilicet ex ipsius summa beatitudine: summa perfectione: summa simplicitate: & summa primitate. Prob. primò ex summa beatitudine Dei. Ubi est summa beatitudo, ibi est summa bonitas: sed summæ bonitatis est summè se communicare, & summa communicatio est in producendo ex se æqualem, & dando ei suum esse: ergo ad hanc summam bonitatem requiritur pluralitas personarum. Prob. 2. ex summa charitate. Charitas non est amor privatus, sed est ad alterum: ergo ubi est Charitas summa, ibi est pluralitas. Pr. 3. ex summa jucunditate, hæc enim exigit processionem, & fruitionem summi boni cum societate: ergo & pluralitatem. Prob. 4. ex summa perfectione: Ipsius enim est generan talem, qualis est producens in natura, & amore fœcundo: ergo necesse est ibi esse multiplicationem; sed hoc non potest esse secundùm aliam essentiam, & naturam: cum nulla creatura possit esse Deo similis in summo: ergo ad perfectionem summam Dei requiritur emanatio personæ increatæ. Prob. 5. ex summa simplicitate. Simplicitas exigit, ut aliqua natura sit in pluribus, idque patet in universali, quod est simplicius singulari: sed ex defectu summæ simplicitatis est quod universale numeretur in suppositis inferioribus: ergo ad hoc, ut in Deo non sit deficiens ejus simplicitas, debet esse natura non multiplicata in suppositis. Prob. 6. ex summa primitate. In Deo est summa primitas: sed quantò aliquid est prius, tantò est fœcundius, & aliorum principium: ergo sicut essentia divina, quia prima, est principium aliarum essentiarum; sic persona Patris, cum sit prima, quia à nullo est principio habet fœcunditatem respectu personarum; sed fœcunditas in Deo respectu Dei non potest esse, nisi actùs conjuncta: ergo necesse est esse plures personas.

Objic. 1. Beatus per essentiam sibi soli sufficit 349
ad beatitudinem, nec alio indiget: ergo nec societate. Resp. Deum non egere alio beatificante, sed solùm communicante in beatitate: contra: si non ponitur hæc pluralitas ob indigentiam: ergo persona Patris de se est simpliciter perfecta: ergo superflua est pluralitas aliarum personarum? Resp. negando consequentiam: Pluralitas enim ponitur non ex necessitate, vel indigentia, sed ex naturali, & infinita exuberantia, plenitudine, & communicabilitate Charitatis, fœlicitatis, & gloriæ beatissimæ, & optimi, & amorosissimi Dei, omnia sua super-plenissimè communicantis: Unde ista communicatio est necessaria ad plenitudinem perfectionis divinæ.

Objic. 2. summè perfectum non capit additionem: ergo Deus non capit additionem personæ; est enim æque perfecta in se, & in uno, & in pluribus. Resp. Per pluralitatem personarum non addi perfectionem novam, sed communicari, & redundare ob talem perfectionem in alias personas.

Objic. 3. summa simplicitas magis servatur ubi non est pluralitas: ergo. Resp. conced. antecedens, nisi pluralitas dicit additionem non verò, ubi dicit originem: quæ nec addit, nec componit, nec repugnat simplicitati, sed potiùs solitudini, ut est in divinis.

Objic. 4. si in Deo est summa primitas: ergo cum status sit in primo principio, etiam erit in unitate: ergo primitas infert unam personam, non plures? Resp. primitatem hanc summam dicere statum in uno primo: scilicet. Respectu aliarum essentiarum Creatarum, statum esse in summa, & in prima essentia: respectu personarum, item esse statum in prima una persona, à qua aliæ: & cum hæc primitas importet summam fœcunditatem, hinc & involuit ordinem originis, & per consequens necessariò pluralitatem personarum.

Instas: Si prima persona est infinitè in se sibi sufficiens, & perfecta: ergo superfluum est, alias personas multiplicare? Probatur conseq quia etiam ex infinitate Dei probatur impossibilitas aliorum Deorum. Resp. negando conseq. & paritatem. Ratio disparitatis est, quia pluralitas Deorum est plu-

ralitas

talitas rerum, & naturarum diversarum, quæ in nulla identitate conveniunt: non sic pluralitas personarum, quæ est conjuncta cum convenientia identica in eadem essentia divina, ratione cujus quicquid est perfectionis in una, reperitur in altera: Pater enim, & Filius, & Spiritus sanctus (*ait S. Ioan.* 1. *cap.* 5.) Tres sunt, & unum.

350 Concl. 2. In hac pluralitate personarum divinarum, non potest poni infinitas numeralis. Est communis, cum Seraph. Doct. *l.* 1. *dist.* 2. *a.* 1. *q.* 3. Not. autem, quòd infinitas, alia est numeralis, & quantitatis discretæ, alia molis, quantitatisque continuæ, alia est immensitatis, vel virtutis. 1. dicit confusionem, & summam distantiam à suo principio, quia per divisionem fit. 2. est propriè tantùm in corporibus. 3. verò est per accessum ad unitatem: hinc sequitur, quod multiplicatio infinita personarum, non potest Deo competere, sed tantùm illa, quæ dicit perfectionem, quæ dicit ordinem, & terminationem secundùm perfectionem condebitam, quæ ob id reducitur ad ternarium, ut infra patebit.

Concl. 3. In divinis tantùm ponendæ sunt tres personæ. Est de fide plurimis locis expressa, quam doctissime probat S. Bon. *cit. quæst.* 4 rationibus validissimis, & necessariis suppositis principiis fidei Catholicæ: ut autem probet hanc conclusionem præmittit quatuor suppositiones supra allatas: scilicet; Beatitudinem summam; Perfectionem summam; Simplicitatem summam; Et primitatem summam in Beatiss. Trinitate: ex quibus infert Trinitatem personarum.

Prob. 1. Igitur ex summa Beatitudine essentiali Dei. Ubi est summa beatitudo, ibi est summa concordia, atque adeo summa germanitas, & summa charitas, at si essent plures personæ quàm tres non esset ibi summa; si pauciores non esset summa charitas; ergo tres sunt tantum. Prob. 1. pars minoris: Si esset ibi quarta persona; aut procedit ab una; aut à duabus; aut à tribus: si ab una aut à duabus tantùm; tunc non perfectè, & æqualiter convenit cum omnibus, sed cum aliqua earum nil habet relationis: si autem à tribus; tunc duæ personæ intermediæ, magis conveniunt ad invicem, quàm cum extremis, quia producuntur, & producunt, nec tertia produceret, & ita non est ibi perfectus nexus. Prob. 2. pars minoris: Perfectus amor, & est liberalis, & communis: quia liberalis tendit ad alterum: quia communis, vult alterum diligi ab altero, sicut à se: ergo est ibi dilectio, & redilectio: hoc autem non potest esse minus, quàm in tribus.

Prob. 2. ex divina perfectione. Vbi est summa perfectio, ibi producens persona perfectè producit, & quo ad modum producendi, & quo ad rem productam: sed non reperitur alius modus nobilis producendi, nisi per modum naturæ, & voluntatis ex Phil. 2. ph. t. 89. ergo his duobus modis, & his tantùm producit: sed persona utraque ex his modis est perfectissima, ideo si ultra perfectionem est omne, quod superfluit, & quod est citra, deficit, necesse est, duas esse tantùm personas emanantes, & non plures, nec pauciores, & unam primam, à qua emanant: ergo tantùm tres.

Prob. 3. ex divina simplicitate. Pater enim cum sit summè simplex totum dat absolutum cuilibet emananti: ergo emanantes non differunt natura, quam accipiunt, sed penes relativa, & modum accipiendi, & emanandi: sed duo tantùm sunt modi emanandi, scilicet per naturam, seu intellectum, & voluntatem; ergo non possunt esse, nisi duæ personæ relativæ emanantes, & tertia producens: ergo tres tantùm sunt.

Prob. 4. ex primitate. Primitas enim supponit unam primam personam producentem, in qua sit omnis nobilis fæcunditas: ergo debet esse prior omni productionis genere: ergo cum non possit aliqua persona divina producere aliam, ea productione, qua ipsa producitur; quia respectu illius productionis non est prior: & cum duo sint tantùm modi producendi perfecti, sequitur dari primam personam producentem secundùm utrumque modum: & cum per naturam producat Filium, sequitur, Filium non posse aliam generare cum non sit prior generatione: & cum per voluntatem producat Spiritum Sanctum, secundùm quam spirationem sit prior Filius, sequitur ad ipsam etiam concurrere Filium: & cum Spiritus Sanctus non sit prior generatione, & spiratione, sequitur nec posse generare, vel spirare: ergo tres tantùm personæ possunt esse: Prima, quia innascibilis, & inspirabilis, non generat, sed spirat: tertia, quia spiratur, & procedit à generante, & genito, nec generat, seu spirat.

Post has rationes quas Seraph. Doct. appellat necessarias, affert alias congruas, nempe varias combinationes in numero ternario expensas: & in amore gratuito, debito, & mixto; & in rationes, originem: quæ sunt pulcherrimæ, & subtilissimæ, & fusè explicatæ à P. Gaud. *q.* 1. & à P. Foresto: quas brevitatis causa omittimus, quia non demonstrativè, & necessariò concludunt, &c.

Objic. 1. Pater totum quod potest, dat Filio, ergo non potest amplius se communicare? Resp. 351 conced. antecedens, & negand. consequentiam est enim fallacia accidentis: Fit enim transitus à communicatione rei ad modum communicandi: dat quidem Filio totum, sed non omni modo.

Objic. 2. Multiplicatio personarum est ad declarationem virtutis, at Pater adæquatè declaratur per Filium, qui est verbum exprimens comprehensivè dicentem: ergo superflua est nova perfectio personæ? Resp. Verbum non esse declarativum Patris omni modo, quia non declarat voluntatis fæcunditatem liberalem, nisi quatenus spirat.

Objic. 3. Filius, quia non est spiratus, habet fæcunditatem spirativam: ergo, & Spiritus Sanctus, quia non generatus, potent generare? Respond. negand. anteced. Filius enim non solùm habet fæcunditatem spirativam, quia non est spiratus, sed etiam quia præcedit spirationem: at Spiritus Sanctus sequitur generationem, quæ in Filio exhauritur.

Objic. 4. In divinis est modus producendi per voluntatem perfectissimus; ergo, & per modum artis debet quarta persona produci? Resp. S. Bonav. Primum modum producendi per artem esse à voluntate, quæ satis exprimitur dum producit per modum liberalitatis. Respond. secundò melius: Modus producendi per artem, est producere simile secundum rationem exemplaris: dissimile vero in natura; ideo est impassibilis talis modus producendi ad intra: satis igitur est produci Filium similem in natura, qui est Verbum, arte facta autem sunt solum creata.

Objic. 5. Quæ sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se: sed tres personæ sunt idem voluntate cum essentia, ergo & idem inter se, ergo non sunt inter

se realiter destinctæ? Resp. Thomistæ, Majorem verificari in creatis: non in divinis: Sed Scotus cui præivit Seraph. Doct. *l. 1. d. 33. q. 3. ad 1. & d. 34. q. 1. ad 6.* ait esse veram in omni Materia: veram quidem, ea identitate qua sunt idem illi tertio, nempe ratione naturæ, & in natura, hinc negatur conseq.

Contra. Hæc essentia est Pater, hæc essentia est filius; ergo Pater, & filius sunt eadem essentia, quod argumentum cum sit expositorium, videtur rectè concludere. Resp Scotus negando esse expositorium; nam, ly essentia, est quid commune, non singulare; ideoque debet adæquatè distribui pro omni eo, pro quo potest accipi, scilicet, pro quo potest accipi essentia: ideoque argumentum procedit à non distributo ad distributum: ut autem cognoscatur fallacia, sic debet construi. Omnis res, quæ est hæc essentia est Pater: Filius est omnis res, quæ est hæc essentia: ergo filius est Pater; cum autem major sit falsa, sicut & minor hinc non concludit: ratio est quia, ly, omnis, potest addi res, idest persona, quæ est essentia, non autem essentia, quia est maximè una, & immultiplicabilis, res & personalitas autem multiplicabilis.

QUÆSTIO II.

An SS Trinitas sit à nobis cognoscibilis & quomodo l. 1. d. 3. p. 1. q 4.

352 DEterminata existentia SS. Trinitatis, in quantum creditur, nunc consideranda est in quantum est intelligibilis. Unde quæstio est, an à nobis possit cognosci.

Suppon. 1. Trinitatis, cognoscibilitatem posse sumi, vel per ordinem ad lumen naturale, vel ad fidem, vel ad apertam visionem. Hoc tertio modo certum est cognosci clarè à Beatis: quare quæstio, est de cognitione viatorum: an lumine naturali possit agnosci Trinitas: an per solam fidem: & dato quod solùm per fidem possit agnosci: quæritur, an sit probabile hoc misterium ex principiis fidei per veram, & evidentem demonstrationem? Item quomodo sit notum hoc misterium Diabolo, & Infidelibus?

In hac quæst. adferuntur ab aliquibus plures Philosophi antiqui, quasi cognoverint lumine naturali Trinitatem, inter quos præcipuè adnumerantur Mercurius Trismegistos apud Suidam, Zoroaster, Plato, quasi cognoverint divinam essentiam unam, & Trinam in personis, inter quos etiam adnumerant aliqui Raimun. lullum, Ricard. Vict. & Henricum quasi asseruerint posse Trinitatem cognosci lumine naturali, sed tamen hoc falsissimum est, ut notat Vasq. qui istos Patres, & Doct. Validè defendit, nunquam vel somniasse hunc errorem. Sic Vasq. *d.* 133. qui notat, istos D.D. asseruisse Trinitatem, suppositis fidei fundamentis posse evidenti demonstratione comprobari: Vera tamen, & communis Sent. est cum Seraph. Doct. etiam Supposito fidei lumine, aliave revelatione non posse evidenti demonstratione comprobari: Pro solutione quæst.

Suppon. 2. ex S. Bon. cit. quod duplex est habitus fidei: alius infusus supernaturaliter à Deo immediatè: Alius aquisitus. Primus est immediatè à Deo. Secundus est à creatura: talisque est ille habitus, qui aquiritur ex testimonio alterius: Sic talis habitus est in hæreticis, & fuit etiam in aliquibus Philosophis gentilibus. Hinc sequitur, quod aliquis potest assentiri Misterio Trinitatis sibi proposito, si vel auctoritati proponentis, vel communitatis credentis innitatur, aut etiam promoveatur simul miraculis, quæ in illius confirmationem facta narrantur, aliisque argumentis, quæ persuadent ea, quæ fides Christiana docet à Deo esse revelata: & hæc fides est Materialis, quam & potuerunt habere Philosophi gentiles ex Doctrina audita catholicorum, vel ex lectura librorum fidei, & eadem etiam est in hæreticis: formalis autem rationem superat, & intellectum captivat in credendo, & firmiter tenendo Misteria ista supernaturalia. His, &c.

Concl. 1. Mysterium SS. Trinitatis naturalibus 353 modis non potest cognosci, & comprobari: est de fide, omniumque Theologorum, & orthodoxorum. Habetur expressa hæc veritas plurimis locis Sacræ Scripturæ quam sæpe affert S. Bon. tum in op. *in Itin. 3. d. 5.* & *Itin. 5. d. 4* tum *in op. de dono intellectus, c. 4.* tum *in Phar.* ex SS. PP. *c. 1.* & potissimum est ex Matth. c. 11. Nemo novit filium nisi Pater, neque Patrem nisi filius, & cui voluerit filius revelare: & *cap* 16. Caro, & sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus, &c.

Prob & ratione à Seraph. Doct. cit. Omnis nostra cognitio naturalis habetur per sensus è Creaturis: at Creaturæ nequeunt repræsentare Deum, ut Trinum: ergo, &c. Major eruitur ex *cap. 13. Sap.* ubi dicitur, quod à magnitudine speciei, & Creaturæ, cognoscibiliter poterit Creator horum videri: & est etiam Arist. 3. *de Hevam. tit. 30. & 39.* Sensibile (ait) est via cognoscendi intelligibile Min. prob. quia quod est ratio cognoscendi aliud, debet illud continere, vel virtualiter, vel essentialiter secundum totum suum esse; at nulla Creatura datur habens eamdem unam naturam in pluribus suppositis, ergo, &c. Et confirm. quia in tantùm Creatura ducit in cognitionem Dei, in quantùm est ejus effectus, sed Creatura est effectus Dei, ut unius, non ut trini: Scil. ratione unitatis essentiæ, & virtutis, seu potentiæ, sapientiæ, & bonitatis, quæ sunt appropriata, non propria divinarum personarum: ergo, &c. Ex quibus patet non posse demonstrari evidenter SS. Trinitatem naturalibus mediis, nec à priori, nec à posteriori.

Objic. 1. Platonem cognovisse Trinitatem ex lectura Evangelii S. Joannis, & tamen non habebat fidem: ergo sine fide potest naturaliter cognosci: Sed jam suprà in fundamento satisfactum est huic objectioni; ista enim est fides materialis: quæ dictat quidem Trinitatem esse, non tamen cognitionem ipsius. Idem est dicendum de fide aquisita hæreticorum, qui quidem multa de Trinitate cognoscunt, sed tamen valdè imperfectè: quod & alias expendetur.

Objic. 2. Anima rationalis est imago Trinitatis: Sed hæc imago naturaliter cognoscitur: ergo, & res imaginata. Resp. S. Doct. Naturaliter cognosci hanc imaginem; scilicet quatenus dotata est potentiis, Memoria, intellectu, & voluntate, ipsam producere verbum, & amorem; at sine fide impossibile est, talem cognitionem inducere notitiam Trinitatis.

Objic. 3. Ratio à priori, cur Deus sit Trinitas, est, quia habet intellectum, & voluntatem, quæ sunt principia productiva personarum divinarum; Sed potest quis cognoscere naturaliter Deum habere intellectum, & voluntatem, quæ possint producere:

producere : ergo potest cognosci naturaliter à priori mysterium Trinitatis. Potest enim probari, quod Deus existit : quod Deus sit naturæ intellectualis, habens intellectum, & voluntatem : quod ille possit producere verbum, ista amorem, &c.

Resp. Omissis cæteris, non posse probari, intellectum divinum esse productivum, & voluntatem in eum esse productivam : nam in nobis est productivus verbi ob imperfectionem nostram, scilicet intelligamus : in Deo verò est notitia improducta, qua omnia cognoscit : quod sine fide non potest cognosci : unde in Deo, ob infinitam fæcunditatem adest vis productiva alterius personæ; non ut cognoscat, ut in nobis.

Concl. 2. Supposito lumine fidei potest ratio-
354 nibus necessariis congruè hoc mysterium probari, sed non per evidentem demonstrationem. Est Seraph. Doct. cit. & communis; contra Raim. Lullum, aliquosque paucos. Prima pars probata est quæst. anteced. & iterum à Seraph. Doct. *in Brevil. part. 1. cap. 2. & in itiner. cap. 6 & Comp. Theol. l. 1. cap. 4.* Probatur : quia cum Deus sit summæ potentiæ, sapientiæ, & bonitatis ; Ratio dictat, ipsum posse, & scire, & velle se summè communicare : Sed summa communicatio est per intellectum, & voluntatem, terminans ad terminum similem in potentia, sapientia, & bonitate ergo, &c. Si enim Deus se communicat summè, etiam & communicabit infinitè : ergo debet communicatio per intellectum, & voluntatem terminare ad suppositum infinitum realiter distinctum, cum nihil se ipsum producat.

QUÆSTIO III.

An in divinis dentur processiones, seu emanationes : Et quales S. Bon. l. 1. dist. 13. q. 1. & d. 2. q. 2. 3. & 4. & dist. 9. q. 2. & d. 10. a. 1. per totum.

PRo solutione quæst. suppon. quod processio,
355 productio, origo, & emanatio pro eodem sumuntur, una enim, & eadem actio quatenus est actus principii producentis, dicitur productio, quatenus verò est veluti via ad terminum dicitur origo, emanatio, & processio ; ita ut actio dicitur actio, qua producens producit terminum ; processio verò est veluti exitus ejusdem termini à suo principio : Unde processio dicitur quasi procul cessio, ob idque primariò, & essentialiter importat duplicem respectum, nempè ad principium, à quo, & ad terminum ad quem : Primus dicitur, à quo alius : Secundus, qui ab alio : In processione verò motus, mutatio, & elongatio sunt quid accidentale, & extraneum, & præcisè, & formaliter loquendo : cum dicant imperfectionem, & proveniant à limitatione procedentis, & processionis : processio autem ex vi sui nominis præcisè dicit tantùm originem, ob idque recognoscitur in Deo, cùm excludat omnem imperfectionem : quare ad processionem essentialiter ex S. Bon. quatuor requiruntur. Primum, ut sit via ad aliquod esse : Secundum, ut aliquid detur, & accipiatur : Tertium consequens est, ut detur aliqua distinctio inter dantem, & accipientem : Quartum, ut sit aliqua prioritas in dante. Hinc rectè deffinitur. Processio est habitudo, seu origo, qua aliquid ab aliquo realiter distincto procedit.

Not. 2. esse maximam quæstionem ; an omnis actio Dei sit immanens, vel an detur etiam actio transiens. Thomistæ utramque admittunt in divinis. Seraph. Doct. admittit tantùm immanentem : *Sic lib. 1. a. 45. art. 2. q. 1.* Ratio est, quia quicquid operatur Deus, operatur per intellectum, & voluntatem, & non per actionem intermediam : ergo solùm per actionem immanentem. Potest tamen dici quod actio, qua operatur ad extra, sit aliquo modo transiens, non quod recipiatur in creatura, quæ est conditio actionis transeuntis, sed quatenus agendo sine sui mutatione relinquit sui similitudinem aliquam in creatura extra se : unde in toto rigore emanationes divinæ propriè dicuntur emanationes, & processiones.

Concl. 1. In divinis dantur emanationes, & 356
processiones : est de fide, habeturque expresse in pluribus textibus sacræ Scripturæ, & præcipuè *ex cap. 8. Joan.* ubi Christus dixit : Ego à Patre processi, & *Joan. cap. 15.* Spiritus sanctus à Patre procedit. Prob. primò à S. Bon. *dist. 13* ubi est relatio ad aliud tanquam ad suum principium, ibi est processio ab illo principio : at in divinis est relatio Filii, ut ad genitorem, & Spiritus sanctus ad utrumque tanquam ad suum principium : ergo, &c Major est certa ; nam processio dicit exitum à principio, à quo, & respectum ad illud. Prob. 2. In divinis dantur tantum duæ personæ productæ, & una improducta : ergo datur duplex productio ?

Objic. 1. Processio dicit motum : ergo & imperfectionem. Resp. S. Bon. dicere motum in creaturis, non in Deo ; ut dictum est supra in primo fundamento.

Objic. 2. Persona producta recipi debet in persona producente, cum sit ad intra : ergo in hac est potentia positiva ? Resp. Seraph. Doct. recipi personam productam in Patre non de novo, nec quasi illa careat, cum sit idem natura, cui non repugnat personarum distinctio : recipit igitur id quod habet per identitatem naturæ, quæ tota communicatur filio, & tota incommunicata manet in Patre ex infinita simplicitate.

Contra. Si non recipit Pater naturam de novo, recipit tamen personam, & hæc persona recipit esse : ergo transit de potentia ad actum per actionem in rem actu terminatam ? Resp. Recipere personam quidem, quæ est idem in natura, nec aliquid ei de novo advenit, ut dictum est, nec transit de potentia ad actum persona producta, cum sit semper in actu existens sine mutatione, & hoc mirabile est, & à nobis peregrinum : unde tantam ostendit perfectionem persona terminando productionem, quantam persona producendo, neque id fit per actionem prædicamentalem, quæ dicit imperfectionem ob diversitatem inter effectum, & causam : sed est actio præscindens à creata, & increata : Hinc S. Doct. ad ultimum addit, has processiones esse ad modum causalitatis quatenus ad producendum terminant, sed differre, quia in creatis causa producit effectum diversum natura, atque adeò productum extens elongatur à producente, à quo dependet indigens.

Objic. 3. Creatio est processio : ergo vel Verbum creatur, vel, si non admittitur in divinis creatio passiva, nec etiam processio ? Resp. neg. anteced. Processio enim est inter duos terminos processivos ; non sic creatio ; sic impiè volebat Arius, Verbum procedere per creationem.

Objic. 4. In divinis non est processio localis ; ergo nec causalis : localis enim est entis perfecti, & perfectior. Resp. S. Doct. hic *dist. 13. & d. 10. quæst. 2.*

*quæst.*2. *ad* 2. *& d.*11. *q.*1. *ad primum*, negando paritatem : nam processio localis dicit imperfectionem : causalis verò dicit perfectionem. Respond. secundò : processionem in divinis in rigore nec posse dici causalem, hæc enim propriè importat effectum natura diversum, increata solùm potest dici processio originis, quatenus est à principio consubstantiali : & hinc infert S. Bon. quod secundùm aliqualem rationem assimilatur causali, in ratione principiandi, & locali in ratione distinctionis, demptis tamen omnibus imperfectionibus.

Concl. 2: Duæ tantùm processiones, seu emanationes dantur in divinis : est de fide, & quam supponit sæpè, & probat S. Doct. *l.*1. *d.*2. *quæst.*4. *& dist.*10. *ubique cit.* Prob quia modus nobilis limus procedendi, & emanandi est duplex, scilicet per intellectum, & voluntatem : ergo in divinis admittendus : omne enim agens agit aut per naturam; aut per voluntatem : & hinc infertur dari unam personam improductam producentem per duplicem fœcunditatem perfectissimam : ergo & utraque habet terminum perfectissimum.

Concl 3. Hæ duæ emanationes sunt generatio, & spiratio : est etiam de fide; nam productio per intellectum est per naturam, & dicitur generatio, & per voluntatem, & dicitur spiratio, quæ omnia infra explicabuntur.

DISPVTATIO XII.

De emanationibus in particulari.

QVÆSTIO I.

***Vtrum in divinis generatio ponenda sit? S Bon. lib.*1. *d.*9. *q.*9. *seq. & d* 6. *q.*1.**

357 ADverte ante omnia, quod titulus quæstionis involuit plures quæstiones : nempè, an non solùm in divinis admittenda sit generatio, sed etiam, an distinguat inter generantem, & genitum, & an sit æterna, vel temporalis, & an terminata sit. Pro solutione.

Not. 1. ex Seraph. D. *lib.*1. *d.*9. *q.*1. quòd, cum generare sit similem producere, hoc potest esse tribus modis. Primò per impressionem, seu expressionem similitudinis : sic sigillum in cera generatur, lumen in aere à sole : & species ab objecto : dicitur autem generatio, quatenus est mutatio de non esse ad esse : Secondò per eductionem ab alio, ut ignis ignem generat per eductionem formæ à ligno: Tertiò per productionem similis in natura, ut homo hominem, bos bovem generat, & hæc est tantùm viventium, quæ ab Aristotele appellatur nativitas, à Seraph. Doct. verò secundùm nascentiam : & fundatur in natura, quæ habet producere sibi simile. Hæcque potest esse duplici modo, alia de ipso generante, ut se toto, alia ex parte tantùm : hæc secunda est propriè corporalium viventium, prima est in divinis tantùm.

Not. 2. Ex eodem S. Doct. cit. Quòd, cum generatio sit actus maximæ perfectionis, quia ut, docet Arist. 2 de Anima. Perfectum est, quod potest generare, quale ipsum est : ideò, & in Deo, & in Creatura recognoscendum est, sed differenti modo: quia in Deo sine imperfectione est, in Creatura cum imperfectionibus. In Deo autem essentia est in pluribus una, & tota ratione summæ simplicitatis : cui suppositum nihil absoluti addit; unde suppositum ipsam essentiam non coarctat, nec limitat, nec formam multiplicat; ideò in tali supposito est generatio communicans eamdem substantiam totam, sicque talis generatio est omnimodæ perfectionis, ideóque in solo Deo est : hinc cum omnis natura de se sit communicabilis, per consequens in Deo propter sui nobilitatem aptitudo actui est conjuncta, imò ipse actus perfectissimus, ob idque, & natura pluribus communicata : & consequenter necessariò una persona est ab alia; & quoniam sunt conformes in natura, hinc & emanatio est secundùm conformitatem naturæ : ergo necessariò generatio in divinis ponenda est.

Generatio verò in Creatura differenti modo reperitur : cum enim generans producat alium non ex se toto, sed solùm quantùm ad partem sui; sic Pater naturalis generat Filium, partem suæ substantiæ transmittendo, & discindendo, ideò generatio creata necessariò est cum transmutatione : Ratio est, quia cum pars decisa non habeat actum totius, necesse est quòd per mutationem aquirat esse, & ideò etiam variatio in ipsa intervenit : Et consequenter cum mutatione, & variatione est adnexa corruptio, cum enim aliqua pars generantis deperdatur, ideò à generante fit ablatio, & corruptio ad quam consequitur conversio adjuncta, & hoc per nutrimentum restaurans : hinc omnes istæ imperfectiones in generatione creata interveniunt : ideò à Deo omnes removendæ, ut dictum est. His positis.

Concl. 1. In divinis generatio perfectissima est. Conclusio est de fide, & patet ex plurimis locis sacræ Scripturæ, tum ex Isaia cap. ult. Si ego, qui generationem aliis tribuo, sterilis ero? ergo si Deus aliis generationem tribuit, multò fortiùs in ipso debet recognosci.

Probatur ratione primò: generare dicit simpliciter perfectionem ex Philos. 2. *de Anim. tit.*34. ergo in Deo est : tum quia in Deo est summa bonitas : ergo summa communicatio nobilis per intellectum, & voluntatem : tum quia natura actualissima, & perfectissima potest se perfectissimè communicare : ergo in Deo, cum talis natura adsit, & actui conjuncta, quia in æternis idem est posse, & esse, adest generatio actualis.

Concl. 2. Generatio in divinis unica tantùm potest admitti : est de fide ex S. Bonav. *lib.*1. *d.*2. *q.*3. Prob. quia id exigit infinita perfectio fœcunditatis divinæ, quæ per unicam completa est : quod supra in disput. probatum est à nobis quæst. 1.

Objic. 1.

Objic. 1. In substantiis spiritualibus creatis non admittitur generatio: ergo: nec in Deo. patet consequentia à fortiori: si cum generatio est perfectio, ergo non est deneganda substantiis spiritualibus perfectionibus, quæ admittitur in corporalibus: ergo. Respond. Seraph. Doct. negando consequentiam, & paritatem: in substantiis enim spiritualibus creatis non admittitur ob finitatem; cum enim in infinitis substantiis possit esse generatio tantùm secundùm partem, nec in ipsis possit esse discissio, & transmutatio, neque corruptio; hinc tantùm est in corporalibus. Et per hoc patet responsio ad secundam objectionem propositam à Seraph. Doct. nempe quia generatio est cum varietate, & transmutatione, ideo videtur à Deo removenda, cum id sit proprium creaturæ limitatæ, & finitæ, & corruptibilis: non sic in Deo, quæ est ea toto per communicationem totius & ejusdem naturæ. Nota autem hic, P. Theodorum nostrum malè dicere, Seraph. Doct. defecisse in hac responsione, non assignando rationem, cur Angelis non admittatur generatio, nam adæquatè respondet Seraph. Doct. admittens generationem perfectissimam in Deo, & unicam, quia est secundùm totum, scilicet per communicationem totius naturæ; admittit verò in creaturis viventibus corporalibus; cum imperfectionibus admixtis materialibus, scilicet cum indigentia vegetationis, corruptionis, seminalis, & conservationis speciei, non verò in Angelis incorruptibilibus, non habentibus hanc indigentiam, &c. Dices: si generatio divina est summa perfectio; cur non admittitur in tribus personis? Respond. non admitti, quia est perfectio relativa, ob idque non communis tribus.

Concl. 3. Generatio, ut communis creatæ, & increatæ sic difinitur. Generatio est origo viventis à vivente à principio conjuncto in similitudinem naturæ: quam diffinitionem tradit cum aliis S. Bon. *l. 1. d. 27. q. ult. & l. 2. d. 8. p. 2. a. 3. q. 2. sect. 12. Hexam.*

Generatio verò divina sic magis propriè definitur ea traditis à Seraph. Doct. d. 7. Generatio est æterna productio alicujus secundùm substantiam per modum naturæ de substantia generantis: explicatur, & simul probatur: dicitur æterna productio, ad excludendum generationem, quæ est cum transmutatione, talis enim æterna esse non potest, nec potest esse secundùm totùm, sed tantùm secundùm partem, & cum motu: dicitur secundùm substantiam, ut excludatur generatio terminans ad esse accidentale: dicitur per modum naturæ, ad excludendam productionem per modum voluntatis: dicitur de substantia generantis, ad removendam generationem, quæ est de substantia aliena, ut cum ex aëre fit ignis.

QVÆSTIO II.

An generatio in divinis sit personarum distinctiva? S. Bon. d. 9 q. 2.

159 Sabellius distinctionem in divinis secundùm rationem, & intellectum tantùm admittebat. Arius verò inter Patrem, & Filium admittebat distinctionem realem, non tantùm personalem, sed etiam essentialem, quia dicebat, Verbum esse creatum.

Catholica veritas docet, distinctionem realem personalem intercedere inter personas divinas: Pro solutione, &c.

Not. 1. Quod licèt prima facie videatur, passivam generationem involvere dependentiam, novitatem, & diversitatem substantiæ cum posterioritate, sicut evenit in generatione passiva creaturarum, tamen non in Deo: divina enim generatio, cum sit sine transmutatione, dicit simplicem emanationem, unde genitus non recipit esse post non esse, sed esse sine dependentia, & posterioritate; eo quia generare & generari (ait Seraph. D.) dicunt relationem non per modum actionis passionis, & mutationis, ut in creaturis, sed per modum relationis: unde generatio passiva est tantùm ordo originis sine motu. Sic S. Bon. *l. 3. d. 1. q. 1. ad 1. & l. 1. d. 9. q. 2.*

Not. 2. ex Seraph. Doct. cit. q. 2. Quod generatio de se duo habet, unum quod sit assimilativa, aliud quod sit distinctiva: primum quidem competit generationi primò, & per se: Secundum verò competit per se, sed non primò: generatio enim ex propria natura habet primò assimilare genitum generanti in natura, ob idque importat convenientiam secundùm naturam, sed quia generans non potest se ipsum generare, necesse est, ut genitus sit distinctus non ratione formæ, seu naturæ, sed per aliud; in creatis autem est ratione individualitatis, & cum diversitate naturæ particularis: in divinis verò ratione suppositi, & personæ.

Not. 3. quòd disquirunt Theologi, an generatio in divinis sit univoca: Aliqui negant: Seraph. Doct. affirmat: licèt enim essentia divina non sit principium formale generationis, nec terminus formalis; principium enim formale est memoria fœcunda, & terminus est suppositum verbi; tamen quia supposita sunt ejusdem naturæ, quæ est in ipsis: ideoque sufficit, &c.

Unica Concl. Generatio in divinis facit realem distinctionem inter Patrem, & Filium: hancque non essentialem, sed personalem: est de fide, S. Bon. cit. Prima pars est contra Sabellium, aliosque Hæreticos, qui ponebant in divinis unicam tantùm personam, solúmque admittebant distinctionem penes nomina, & officia: secunda pars contra Arium, ut dictum est. 160

Prob. igitur primò: suppositis principiis fidei. Nulla res est assimilativa alicujus ad se ipsum, quin ab ipso sit distincta: nihil enim assimilatur sibi ipsi, sed alteri: nec potest aliquis se ipsum generare: ergo; tum quia ubi est emanatio, ibi est plurificatio, ergo & distinctio: tum quia generatio est relatio in divinis, ergo est ibi ordo, & respectus; ergo & relatorum, & suppositorum, & ordinatorum distinctio: tum quia relativa opposita non possunt stare simul in eodem supposito: ergo; tum quia, si non distinguuntur inter se, hoc maximè propter substantiam eandem, sed hoc non officit, quia omne productum in divinis est subsistens, cum ibi nihil sit inhærens, ergo.

Objic. 1. Pater communicat Filio totum, quod habet, dicente Christo Joan. c. 16 Omnia quæcumque habet Pater, mea sunt, ergo dedit etiam personam, sicut dedit essentiam, atque adeo nec etiam persona distinguitur? Resp. Seraph. Doct. verum esse, Patrem dedisse Filio omnia quæ habet præter generationem, & generationis distinctionem

nem, non enim dat rationem ipsam communicandi, cum nullus communicet sibi, sed alii, & ideo, id in quo distinguitur non communicat.

Contra. Pater communicat Filio suam essentiam ob summam simplicitatem: sed æque simplex est persona, ergo. Resp. Æque simplex est essentia, & persona, sed non eodem modo: nam simplicitas essentiæ est quod eadem sit in pluribus. Persona verò quod sit in uno solùm; ideo non valet paritas.

Objic. 3. Essentia, & persona sunt unum, & idem; ergo si communicatur essentia, communicatur & persona. Respond. esse idem, sed non ad idem: essentia enim non est ad aliud, ideo non generat: at persona præter essentiam habet esse ad aliud, ideo generat, & refertur.

361 Q. 1. *Quare potius relationes faciunt distinctionem personæ, quam essentiæ, cum æquè bene possint esse plures essentiæ, vel naturæ in una persona, ut patet in Christo?* Resp. S.Bon. hic ad ultimum, & Scotus; quod dantur relationes incompossibiles in eodem supposito, eæque sunt oppositæ, & faciunt distinctionem inter relativa, quia nihil refertur, vel ordinatur ad se: cum autem essentia, nec referat, nec referatur; hinc non repugnat eandem essentiam esse in pluribus, non autem personam: In Christo autem sunt duæ naturæ absque præjudicio simplicitatis divinæ essentiæ, quia unio illarum naturarum est per gratiam, & hypostasim à consequenter ad esse personæ Verbi; pluralitas autem essentiam, secundùm naturam antecedit personam, ideo repugnat in Deo.

Q. 2. Cum Pater & Filius per generationem distinguantur. *An Filius possit dici alius, vel aliud à Patre?* Resp. ex Seraph. Doct. *l. 1. d. 21. q. 1. & d. 24. in dub.* quod verè potest dici, Pater est alius à Filio, & è converso, non verò aliud: nec Pater est alius Deus à Filio. Ratio est, quia alius, & aliud si proferantur per se, & cathegorematicè, alius significat suppositum; aliud significat essentiam, & diversitatem simpliciter, ob idque diversitatem naturæ. si verò proferantur adjectivè addito substantivo, significant diversitatem naturarum; & divinitatis. Vid. d. 5. q. 2. de quo alias redibit sermo.

QUÆSTIO III.

An generatio Verbi sit æterna. S. Bonavent. l. 1. d. 9. quæst. 3.

362 ARiani cum aliis Hæreticis antiquis, negarunt, generationem Verbi esse æternam. Conclusio Catholica, & de fide est, æternam esse generationem Verbi. Probatur autem à Seraph. Doct. Primò, quod productum non coexistat producenti, evenire solet: vel quia producens liberè producit quando vult: vel quia & si sit agens naturale non habet suam perfectionem statim ac est, sed postea illam acquirit, & tunc demum agit; ut patet in viventibus: vel quia producit successivè, ex quo provenit, ut productum sit duratione posterius producente: sed si sit agens naturale, & simpliciter actu secundùm suam virtutem producit certissimè statim ac est: sed talis est Pater æternus: ergo nil obest ad æternitatem generationis divinæ: secundò quia in generatione perfectissima, generatur genitum æquale generanti, ex Arist. 12. Metaf. tit. 18. ergo Verbum mentis gignitur statim, ac intelligens intelligit: sed Pater ab æterno intelligit, fœcundusque est, nec datur instans, in quo non fuerit talis: alioquin transiret de potentia ad actum; ergo. Quartò, substantia Dei est immutabilis: ergo ab æterno generat Filium, alioquin interveniret mutatio de non esse ad esse.

Objic. 1. cum Ario. Sicut se habet corruptio 363
ad non esse ex parte finis, ita generatio ad esse ex parte principii, sed omne quod corrumpitur desinit esse, ergo omne quod generatur incipit esse: sed nullum tale est æternum, ergo. Respond. negand. paritatem de corruptione, & generatione, ut sic: Currit quidem argumentum in generatione creata, in qua intervenit mutatio, sed non in divina, quæ tantùm dicit emanationem, & originem.

Objic. 2. Quidquid producit divina essentia est posterius duratione eadem essentia: ergo pariter quicquid producit persona divina; videtur enim eadem ratio ex ratione productionis. Respond. negand. paritatem: Ratio est, quia essentia producens aliam essentiam non potest producere ex se cum sit immutabilis, nec ex alia, quia esset quærendum unde illam aliam produceret, ideo necesse est, ut producat ex nihilo, sicque post non esse: persona verò non producit personam ex nihilo, sed de se, ideoque non producit de non ente ens, & ob id absque initio.

Objic. 3. In Deo idem est suum esse, & duratio; at Filius habet principium essendi, ergo & durationis. Respond. Filium habere principium originis, unde ab alio habet esse, & durationem; non autem principium, ut dicit rationem initii, quod solùm aufert rationem æterni.

Objic. 4. Pater caret initio, & principio, & communicat se Filio, ergo sicut communicat non habere principium, communicat etiam non habere initium, vel si hoc non communicat, neque illud. Respond. negand. paritatem de principio, & initio; Communicat quidem Filio habere principium, hoc enim est differentia personæ, sed non initium, communicat enim ei essentiam, & simul coæternitatem.

QUÆSTIO IV.

An generatio Filii sit terminata. S. Bonav. cit. quæst. 8.

PRo solutione quæstionis Not. ex Seraph. Doct. 364
quòd licèt verba diversorum temporum dicantur de Deo, fuit, est, & erit, non tamen propriè dicuntur, sed secundùm nostrum concipiendi modum intelligenda sunt: dicitur enim quod fuit, quia ejus duratio non cepit; fuit enim ab æterno: dicitur est, quia ejus duratio non interrumpitur: Item Deus erit, quia non desinet, nec corrumpetur duratio.

Not. 2. Quod entia alia sunt successiva, alia permanentia: primis repugnat habere omnes partes simul: secunda habent omnes partes simul saltem principales. In rebus successivis sunt idem esse, & fieri; distinguuntur autem factum esse, & esse

esse : Unde sequitur, si fit, est. In permanentibus primariis, scilicet dependentibus solùm à suis principiis producentibus in fieri, non verò in facto esse; ut domus facta ab ædificatore, different fieri, & factum esse. In entibus permanentibus secundariis dependentibus in fieri, & in facto esse, ut est lumen in aere dependens à sole : in istis inquam, est idem, fieri, esse, & factum esse; sic lumen quando fit, factum est, & semper nascitur, filius autem qui est lumen de lumine semper producitur, est, & productus est; His, &c.

Unica Concl. In filio idem est & nasci, & natum esse, ob idque generatio est terminata, & completa quantùm ad perfectionem, non quantùm ad durationem. Probatur, quia filius habet esse permanentissimum, conjunctissimum principio productivo in sua actualitate existente, cum sit purus actus, ergo in eo idem est nasci, & natum esse, generari, & genitum esse : tum quia Pater semper generat : ergo adhuc generat : tum quia est æterna generatio : ergo.

Objic. Qui semper nascitur, nunquam natus est, ut ait August. ergo generatio filii non est terminata. Resp. Antecedens esse verum in generatione, in qua differt nasci, & natum esse; non de divina.

Contra : Si de præsenti nascitur filius; ergo de novo est aliquid non ante productum. Resp. Id esse verum ubi differt generari, & genitum esse; non in divinis, &c.

De principio, & termino generationis.

QVÆSTIO V.

An essentia divina generet? An filius generetur de substantia Patris? An posse generare in divinis dicat quid, an ad aliquid? An potentia generandi sit in filio? An Deus genuerit Deum, & an alium Deum? S.Bon.*l.*1.*d.*5.*a.*1 *&* 2 *per tot.& d.*7.*a.*1. *per tot.& d* 4 *per tot.*

365 QUæstiones propositæ sunt ita connexæ, & spectantes ad subjectum propositum, ut difficillimè una non possit solvi, vel intelligi absque altera : Unde in hac unica quæstione omnia, quæ ad ipsarum difficultatum solutionem spectant à nobis restringentur.

Primò autem supponimus tanquam verum, quod ad productionem divinarum personarum, sicut & ad quamlibet aliam requiritur duplex principium, nempe quod, & quo. Principium, quod, sunt personæ divinæ producentes; actiones enim sunt soppositorum. Principium, quo, est id, seu ratio, qua suppositum agit, ut ignis est suppositum producens ignem mediante calore: Sic & in Deo datur potentia qua Pater producit filium, &c.

Suppon 2. In Deo principium, quo, producendi personas esse potentiam generativam, & spirativam: difficultas est, quid sit hæc potentia : cum enim in Patre sit essentia, intellectus, & voluntas, & generatio activa relativa; quæstio est, an hæc potentia sit essentia divina præcisè, an verò simul cum intellectu, & voluntate, vel an sit ipsa relatio præcisè sumpta. Hinc divisi sunt Theologi in varias sententias.

1. Opinio est Durandi, qui *l.*1. *d.*6. *q.*1. postquam assensit filium in divinis non procedere per intellectum, & Spiritum Sanctum per voluntatem nisi appropriativè, sed uterque immediatè ab essentia divina, ille quidem per modum naturæ, iste per modum liberalitatis, postea *d.*7. *q.*1. *&* 2. vult quod cum essentia divina sit principium, quod, principium, quo, docet esse generationem activam, seu relationem. Citatur Seraph. Doct. pro hac sententia communiter à pluribus Theologis sed malè, & falsò, eo quod nec prima elementa doctrinæ Seraphicæ isti Auctores salutarunt.

2. Opinio est Scoti *l.* 1. *d.*7. *q.*1. & Sequac. docentium Potentiam in Deo remotam esse solam essentiam divinam in se absolutam, requiri autem ut conditionem necessariam proprietatem personæ, qua accedente sit proxima, non quia relatio, sive persona actu est, perficiat essentiam, sed tanquam conditio necessaria externa, ut possit propinquè agere. Divus Thomas cum suis sequacibus parum, vel nihil distant ab hac opinione Scotistarum, ut advertit cum aliis P. Gaud. *d.* 13. *q.* 7.

3. Opinio est Aureoli *d.* 7. asserentis in Deo non esse certam potentiam producentem respectu actuum rationalium, vel personæ productæ, sed istam potentiam esse solùm non repugnantiam terminorum, eo modo, quo dicitur Deus habere potentiam, ut sit Deus.

4. Sent. est Gregorii cum aliis asser. in Deo non dari potentiam realem in ordine ad actus notionales, sed tantùm in ordine ad personas productas.

5. Sent. est Henrici asser. relationem principaliter, essentiam verò minus principaliter esse potentiam notionalem productivam.

6. Sent. est Vasq. dicens, essentiam, & relationem æquè esse principium, quo, seu potentiam; respectu tamen diversorum, nempe respectu communicationis essentiæ, esse ipsam essentiam, respectu generationis esse relationem.

Quid verò sentiat Seraph. Doct. modò aperiendum, cum in aliquibus conveniat cum sopradictis; in aliis differat. Not. autem, quod Seraph. D. *d.* 7. *q.* 1. *& dub.* 1. affert tres opiniones : Prima est asserentium in Deo potentiam nudam, indifferentemque ad generare, & non generare, & hanc esse in tribus personis, non verò potentiam ut dispositam ad generare in actu secundo & hanc esse in Patre respectu filii : & in Patre, & filio respectu spirationis : quam opinionem dicit esse nec veram, nec sanam : quia admittit potentiam absolutam, & indifferentem in tribus personis, quod est falsum, & cum sit indifferens ad generandum, & non generandum sequeretur generationem non esse necessariam.

Affert secundo loco aliam opinionem Magistri admittentis id quod supra dictum est in secunda opinione, scilicet potentiam generativam, in recto dicere essentiam, pro connotato dicere relationem, idest potentiam personæ, hancque dicit esse probabilem.

Tertio loco affert tertiam opinionem probabilem, & propriam : nempe potentiam, ut sic, dicere primò essentiale appropriatum, scilicet essentiam, quæ dicit rationem principii in ordine ad Creaturas, & ad personas : Secundò potentiam generativam (idem, & suo modo Spirativa) addere proprietatem personalem Patris veluti pro formali, & in recto : hinc pro principio fundamentali, & remoto supponit essentiam, & pro proximo, ac proprio proprietatem personalem, seu generationem, & paternitatem : Idem manifestè asserit ibidem *dub.*5. dicens, potentia generandi

non dicit naturam divinam simpliciter, sed natotam, ut io tali persona, scilicet innascibili, & *dub.6.& 7.* Potentia gignendi in Patre non dicit, nisi naturam in persona, ut nata producet ex se aliam: & io filio non dicit nisi naturam in persona, ut nata produci ab alia, idest cum idoneitate ad generari: Ex quibus patet Seraph. Doct licèt variè citetur gregali modo à variis pro sententiis suprapositis, discrepare primo à Durando; iste enim excludit essentiam divinam à principio, quo, S.Bonaventura ipsam includit: secundò discrepat ab aliis admittentibus essentiam divinam esse principium, quo, formaliter, requirere tamen conditionem relationis veluti connotatum: vel esse essentiam in ordine ad communicationem essentiæ, relationem verò in ordine ad generationem: Seraph. verò Doct. vult essentiam, & proprietatem personæ constituere principium, quo, totale: essentiam quidem pro fundamento, proprietatem pro formali, & ratione proxima.

Pro solutione quæstionum propositarum. Not. 1.
366 ex S. Bon. *lib.1. dist.5. in dub. lit. & quæst.1. & ex logica*, quod hoc discrimen est in abstractione quidditatis, seu substantiæ, & concreti: quod in substantiis sit una tantum abstractio, scilicet à proprio singulari, quia substantia non concernit aliud genus, ideò abstractio prima est ibi maxima hinc illud abstractum sic, est ipsummet præcisè, ac tantum, ut poté cuilibet aliter extraneum: hinc Avic. Dixit, quod æquinitas est tantum æquinitas, & non aliud. In concretis verò absolutis abstractio duplex potest fieri, scilicet à subjecto, & à proprio singulari: & hinc patet discrimen inter essentiam divinam, & hunc nomen Deus: quod essentia divina cum sit summum abstractum, abstrahens ab omni eo quod est extra rationem quidditativam, non potest accipere denominationem, seu prædicationem nisi illorum prædicatorum, quæ prædicaotur de ea per se io primo modo, hinc est, quod non competunt illi actus personæ scilicet generare, & spirare: & hoc etiam per accidens, quia adest repugnantia inter ipsam essentiam, ut sic, & actum generandi, qui importat realem distinctum inter gignentem, & genitum: Deus verò cum sit concretum, licèt primariò importet deitatem, tamen ex modo significandi importatur quod est, è quo est, scilicet, deitas, & habens deitatem: unde admittit prædicationem actuum generandi, & spirandi, quia significat formam, & supponit pro persona.

Not. 2. Quod in divinis licèt esse, & posse sint unum, & idem realiter, in modo tamen significandi differunt: nam esse potest sumi absolutè, & in propositione de secundo adjacente, ut Deus est: sic enim dicit tantùm actum entis ratione essentiæ: potest & sumi in propositione de tertio adjacente dicens habitudinem prædicati ad subjectum: ut Deus est Pater, sic dicit esse essentiale, & modum essendi personalem. Posse verò de sui ratione dicit habitudinem, ossi dicit principium, & originem, & hinc specificatur per adjunctum, ut dicat conditionem principii, vel essentialis, si est ad creaturas, vel personalis, si est ad aliam personam: hinc est quod potentia generativa dicit naturam divinam, cum modo eam habendi: & quia modus habendi naturam io Patre dicit, & non esse ab alio, & primitatem, seu fæcunditatem, & potentiam generandi, hinc dicit quid, & absolutum ratione essentiæ, sed minùs principaliter tanquam fundamentum, & simul ad aliquid, sed magis principaliter, & formaliùs; quare sequitur, quod potentia generandi secundum quod præcisè dicit fundamentum relationis, quod est elicitivum actus dicit quid absolutum, nempè essentiam divinam simul cum intellectu: sumpta verò ista potentia cum omnibus requisitis necessariis ad actum, dicit quid absolutum, & quid respectivum: sumpta verò prout dicit fæcunditatem ad actum generandi, dicit formalius ad aliquid.

Not. 3. Quod Seraph. Doct. *dist.7. q.1. in ultimo fundamento*, dicit quod potentia generandi in Patre non est activa, est tamen similis activæ; idque explicat; dicens quod in Deo non est actio, quæ sit exitus de potentia ad actum, & distinguatur realiter à sua causa, ut in creatis, cum sit actus purus: Unde io Deo non est talis potentia, dicit enim imperfectionem, seu motum, vel mutationem, præsupponens aliquid in quod agat: sed potentia io Deo est principium non activum, vel factivum, sed productivum termini se ipsum, unde productio ordinaria non est actio, sed relatio, & habitudo tantùm inter producentem, & productum, & consequenter datur etiam potentia respectu actuum notionalium, scilicet generandi, & spirandi: hinc sequitur quod Pater constituitur io esse Patris inchoativè per originem, completivè per habitudinem, seu relationem: generatio enim dicit emanationem, & originem, ex qua origine est Paternitas, sicque ideò est Pater, quia generat; & Filius, quia generatur, oppositum verò evenit in Creaturis. *Ita lib.1. dist.26. & 27. quæst. 2. &c.* Quod infra alias explicabitur fusiùs suo loco His, &c.

Concl. 1. Principium, quo, generationis veluti remotum, est essentia divina: Est Seraph. Doct. cit. & omnium Theologorum, & patet; quia natura divina habet de se summam, & infinitam perfectionem, ergo & fæcunditatem, & communicabilitatem. 367

Concl. 2. Principium quo proximum, & adæquatum est ipsa natura divina simul cum intellectu respectu generationis, & cum voluntate respectu spirationis cum personali proprietate tamquam ratione ultimatè completiva talis principii. Prima pars de intellectu, & voluntate est communis omnium ferè Theologorum, quod est probatum in superioribus, & infra etiam fusiùs tractabitur, & iterum probatur: tum quia, si secunda persona procederet per memoriam prout est essentia, non tit est intellectus, non magis produceretur per intellectum, quam per voluntatem; sicque non magis posset dici dictio, quam spiratio: cum sint unum, & idem formalissimè: tum quia Spiritus sanctus non esset posterior origine, nec esset numerus certus, & determinatus divinarum personarum; essentia enim divina de se est indeterminata ad plura supposita: quia una res simplicissima, si habet plura distincta producere realiter, debet habere aliquod principium quo distinctum; alioquin tam Filius, & Spiritus sanctus, quam Pater haberent potentiam generativam.

Prob. 2. pars contra supra cit. Auctores, scilicet quod ratio formalis completiva sit relatio personalis: quia generare in divinis dicit relationem, ergo & posse generare: potentia enim specificatur per actum: tum quia Pater generat, quia potest, non è converso, ergo posse in Patre est ejus proprium, alias posse generare esset etiam in cæteris personis: tum etiam (estque ratio à posteriori) quia essentia divina non est communicabilis per modum generativum, nisi secundum quod convenit personæ Patris; ergo ut talis natura possit

exercere rationem principii, ut, quo, necesse est, ut præexistat in persona producente absque tali actu passivo, ergo secundum primitatem, & relationem.

Prob. Secundò contra Scotum, & Vasq. aliosque volentes, potentiam esse essentiam cum additione conditioni, personæ ut sic: Si fæcunditas sequeretur naturam, ut in persona indifferenter, jam inveniretur in singulis personis divinis, & ita filius generaret: quia in filio est natura cum persona: sed hoc est maximum absurdum: ergo.

Prob. 3. Contra alios volentes solam relationem esse potentiam productivam: Potentia productiva in agente est id, quo agens assimilat sibi productum: sed Pater assimilat sibi filium in natura, relatio verò non habet hanc vim, sed tantùm habet referre, ergo natura erit principium quo fundamentale.

Objic. 1. Pater non est potens nisi natura, quia ejus potentia natura est, vel essentia: sed hæc dicit quid, non ad aliquid, ergo & potentia generandi. Resp. posse generare, dicere naturam, sed ut in hoc, scilicet in Patre, & cum modo eam habendi, scilicet cum primitate, & fæcunditate.

Sed contra generare est actus naturæ, ergo potentia generandi respicit naturam, non personam. Resp. conced. totum in Creaturis, negando in Deo: Ratio differentiæ est, quia in divinis natura fæcunda est tantùm in prima persona: ideò posse generare sequitur naturam, non in se simpliciter, sed ut in tali persona.

Objic. 2. In perpetuis non differt esse, & posse, & potentia, & essentia; sed essentia in divinis dicit quid, non ad aliquid, sive datur per se, sive cum adjuncto, ergo & potentia generandi. Resp. S. Doct. conced. Majorem, scilicet esse idem essentiam, & potentiam, sed tamen non ad idem: nam potentia generandi est quidem quid essentiale, sed personaliter dictum.

368 Concl. 3. In filio non est potentia generandi formaliter sumpta: Est S. Bon. *d.7.q.2.* estque de fide: ratio potissima est ex supra traditis, quia fæcunditas ad generandum est ratione primitatis, & principii; sed impossibile est quod principium communicet alii ab ipso principiati esse principium, ergo & fæcunditatem: secundo, quia Pater, & Filius distinguuntur realiter per originem, & habitudinem, ergo per generare, & generari: alioquin si Filius posset generare, posset etiam non distingui: tertiò, tum etiam probatur ex plenissima communicatione: multiplicatio suppositorum est, vel ob defectum durationis, ut in generabilibus, & corruptibilibus, ut per successivam generationem perpetuitur esse: aut est propter defectum perfectæ actionis, ut fiat per plures, quod non potest per unum: sed ista non concurrunt in divina generatione, ut de se patet: ergo: Tum etiam quia, si filius haberet potentiam generandi, posset poni in actu, imò, cum potentia in puro actu sit conjuncta actui in necessariis rebus, actu generaret, sicque possent multiplicari personæ.

Objic. 1. Plus ordinatur generatio ad generandi potentiam, quam ad potentiam spirandi, sed per generationem communicatur filio potentia spirandi, ergo multò magis potentia generandi. Resp. neg. consequentiam, & paritatem: Majorque habet plures sensus: vera enim est si sumitur generatio ordinata ad generandi potentiam tamquam ad suum principium, non verò in ordine ad communicationem: ratio disparitatis est, quia generatio activa dicit primitatem, & passiva terminationem fæcunditatis, & generationis: spiratio verò non, cum filius spiret: ideò nec dicit primitatem in Patre, & Filio, quia à Patre Filio communicatur vis spirativa.

Ob. 2. Filius est expressissima imago Patris, ergo imitatur eum etiam in gignendo. Resp. esse imaginem Patris perfectam in ratione imaginis, non in ratione imaginari, sicut esset si Filius posset gignere, esset enim Pater, non Filius.

Objic. 3. Lux creata dat splendori potentiam productivam alterius splendoris: ergo multò magis erit talis diffusio in luce increata. Resp. neg. paritatem, ratio est, quia lux creata non perfectè se multiplicat in primo splendore: ideò in pluribus facit quod non potest in uno; non sic evenit in hac diffusione infinita: idem, & dicendum in productione creata Filii, &c. Addit hic Seraph. Doct. ad ultimum, hanc non esse rationem principalem, sed potissimam esse, quia in his inferioribus non est fæcunditas per rationem primitatis, sed per rationem perfectionis, quia scilicet in Patre est primitas fæcunditatis, quæ dicit potentiam generandi in eo: & si esset tantùm per naturam perfectionis, esset in omnibus personis, quia in ipsis est eadem natura.

Contra. 4. quia si Filius non posset generare, ergo est impotens. Resp. S. Bon. *ad* 7. neg. consequentiam. Ly, enim (non potest) non dicit privationem, scilicet capacitatem cum carentia formæ sibi debitæ, sed dicit meram negationem, quæ non dicit imperfectionem, cum filio non competat, sicut dicitur de arbore, ipsam non posse videre, licèt enim habeat eandem essentiam, non tamen eodem modo.

Ex quibus traditis colligitur. 1. quod potentia generandi sumpta fundamentaliter pro essentia est in Filio, & Spiritu sancto, sumpta verò formaliter pro respectu, & relatione producentis est tantùm in Patre. 2. quod Filius non generat; quia generatio divina est de se singularissima, & de se hæc, ideò est implurificabilis de se: tum etiam, quia actus generationis divinæ est semper stans, & præsens, & quia est generatio adæquata, & necessaria, ideóque ita potentia Patris exhauritur per productionem Filii, ut tota remanet in Patre, & ideò non potest generare alium Filium.

Quæres: An eadem sit potentia, qua Pater gignit, & Filius gignitur. Resp. Magister esse unam & eandem potentiam, quia est una sapientia una natura, & una potentia, quod explicat Seraph. Doct. *d.7. d.6.* & 7. scilicet si sumitur pro potentia fundamentali, scilicet pro natura divina, sic est una, & eadem; si sumitur secundum modum existendi naturæ in persona, sic est diversa; nempè diversi modi sunt, & diversæ proprietates: unde in Patre dicit naturam ut in persona, ut nata ex se producere aliam: in Filio dicit naturam in persona, ut nata est produci ab alia: quæ possibilitas tamen non est propriè passiva: sed importat summam actualitatem divinæ essentiæ, qua potuit generari Filius. 369

Concl 4. Essentia divina non est principium, quod, generationis, nec est terminus generationis, vel spirationis: Est S. Bon. *d.5.* & communis, contra Durandum, & etiam contra Raym. Lullum asserentem essentiam divinam esse hypostasim. Prima pars, nempè dicere, quod essentia divina generet est impropria, & falsa loquutio. Prob. quia in divinis non potest prædicari de subjecto id quod ei nullo modo potest convenire, imò quod ei est omninò oppositum: sed generare non potest competere essentiæ divinæ ut sic; ergo. Prob. Minor essentia est omnino 370

omninò abstractum significans modo absoluto, & communicabili, & quantum ad significatum, & quantum ad suppositum, generare autem significat totum oppositum nempe relationem, actum personalem, & distinctionem, quæ sunt opposita essentiæ, & entitati absolutæ, & communicabili, ergo non potest dici de essentia: Confirmatur, quia essentia cum sit abstractum non supponit personam generare supponit, ergo, &c.

Prob. 2. pars; quod generatur ab alio distincto realiter generatur, sed essentia divina non habet alium, nec aliud, nec esse principiatum ab alio, ergo. Tum quia genetatio cum sit actio terminatur ad singulare, ergo.

Objic. contra primam partem. Hæc propositio est vera, & propria: Sapientia generat, & tamen est terminus abstractus: sic dicitur lumen de lumine: ergo & ista essentia generat. Respond. S. Bon. quod in divinis sunt tres nominum differentiæ, quædam significant omnino in concreto, ob idque propriè supponunt pro persona; ut Deus, Pater, Filius, Spiritus Sanctus: quæ sunt omnino, & absolutè abstracta, ut essentia, Deitas, hæcque nullo modo supponunt propriè pro persona absolutè, sed ex parte tantùm, idest non concernunt suppositum per modum inhærentiæ, sicuti supponunt isti termini, Deus, Pater, idest persona habens deitatem, vel paternitatem: sed tamen concernunt suppositum ratione alicujus actus, vel originis, vel emanationis, quæ dicunt, ut lumen, Sapientia, voluntas, sic negatur paritas. Ex qua doctrina responderi potest omnibus ferè objectionibus in contrarium, ad hoc enim ut possit fieri recta prædicatio in divinis, ut necesse servare easdem suppositiones terminorum, qui termini quando supponunt pro persona, tunc possunt prædicari, ut Deus generat, non verò essentia generat, quia generatio est personæ, essentia verò est quid omnimodè abstractum. Vide S. Bonavent. qui *d.* 5. *q.* 1. ad hanc rem pulcherrima, & subtilissima affert, &c. Objectiones contra secundam partem solvuntur per hoc, quod nihil est terminus generationis, nisi persona, unde dicitur de ipsa substantia, ut in hoc, & persona, &c. Vid. *d.* 5. *q.* 1. *a.* 2.

371 Concl. 5. Vera est hæc propositio: Filius generatur de substantia Patris: est communis cum Seraph. Doct. *l.* 1. *d.* 5. *quæst.* 2. *a.* 1. Ratio est, quia talis modus usitatus est in sacra Scriptura, tum quia (de) hic importat consubstantialitatem, & originem, & ob id etiam distinctionem Filii ad Patrem, non ad ejus substantiam.

Concl. 6. Essentia divina per generationem, & spirationem communicatur, est S. Bonavent. *d.* 5. *quæst. ult.* & communis: Ratio est clara, quia per generationem, & spirationem in pluribus est. Nota autem, quod diverso modo communicatur natura communis in creatis, & in divinis: nam in creatis numeratur in suppositis: in divinis verò non numeratur, nec distinguitur in plures naturas, sed tantùm numeratio est in suppositis: Unde essentia divina est communis tribus personis, communicabilis verò duabus personis.

372 Concl. 7. Deus genuit Deum; vera est propositio. Deus genuit alium Deum; falsa est. S. Bon. *l.* 1. *d.* 4. *a.* 1. *q.* 1. & 2. & communis. Prima pars patet ex traditis: nam Deus est nomen concretum impositum à forma, scilicet à deitate, non ipsi formæ, sed ipsi supposito: ergo subjectum hujus propositionis est persona Patris, & prædicatum est ipse filius genitus. 2. Pars etiam supra probata est, quia, ly, alius est adjectivum nomen habens substantativum ratione suppositi, & formæ, sed forma scilicet deitas est eadem in Patre, & Filio, ergo non admitti potest.

Objic. 1. contra primam partem. Nomen Deus significat substantiam, & essentiam, cum sit nomen substantivum, sed hæc propositio essentia generat non admittitur; ergo nec ista, Deus generat Deum. Respond. negando sequelam, & paritatem: Deus enim est concretum, essentia quid abstractum, concretum verò supponit pro persona, non verò essentia.

Objic. 2. Nomen Deus, vel supponit pro omni persona, vel pro aliqua determinatè: Non primum, quia non omnes persona generat: ergò secundum ratione generationis, sed hoc est falsum; ergo. Probatur minor Regula logicalis est, quod terminus positus in prædicato, non restringit subjectum ratione significationis, cum sit universalis competens pluribus, ergo stat pro omni persona, sed hoc est falsum: ergo. Respond. ex regula logicali, quod terminus habens multitudinem suppositorum, ut homo, sine distributione acceptus, sed tantum in communi, stat pro illo pro quo reddit locutionem veram, ut homo currit, est verum pro currente, si aliquis currit sic, & in proposito: Deus generat, ly, Deus stat pro Patre generante, non pro Filio, & Spiritu Sancto, licèt enim de se non restringatur ad unum, reddit tamen locutionem veram pro uno.

Objic. 3. Hoc nomen Deus, de se æquè benè supponit pro Filio, sicut pro Patre: ergo cum Filii sit non generare, sicut & Patris generare: Si hæc est vera Deus generat. pro Patre, eadem ratione & hæc, Deus non generat, pro filio, sed hæc non conceditur, ergo nec illa. Respond. negando consequentiam, & paritatem; ratio est, quia negatio postposita removet totaliter prædicatum ab hoc termino Deus, cum dicitur Deus non generat: Non sic in affirmativa, quæ est vera pro parte.

Objic. 4. Contradictoriè opposita sunt vera de qualibet sub disjunctione; quia de qualibet vera est affirmatio, vel negatio: ergo si Deus genuit Deum, aut Deum, qui est Pater, aut Deum, qui non est Pater: sed quod implicatur, seu significatur, contingit simpliciter inferri, ut si dicatur: homo, qui non currit, disputat, ergo homo non currit: ergo similiter, si genuit Deum, qui non est Pater, Deus non est Pater, sed si non est Pater, non generat: ergo falsa propositio. Respond. veram esse majorem, & si non variatur suppositio, sed variatur in minori: Nam Deus supponit pro Patre in subjecto, & pro Filio in prædicato; Unde negatur consequentia: Et hac distinctione de variatione suppositionis potest responderi omnibus objectis contra secundam partem conclusionis: ut videri potest in textu Seraph. Doct.

Q. *An potentia ad actus notionales in ordine tum ad actus notionales, tum ad objecta, sit diversa à potentia creandi?* Solutio hujus difficultatis, quam movet Seraph. Doct. *d.* 7. *q.* 3. & 4. pendet ab alia: an potentia generandi, & spirandi spectet ad omnipotentiam divinam; In qua non defuere aliqui Theologi, ut Mastr. & Canar. & aliqui pauci Thomistæ dicentes spectare ad omnipotentiam, ex quo sequitur potentiam creativam, & generativam esse eandem. Sed ex Seraph. Doct. R. primò, potentiam generativam, & creativam differre virtualiter in Deo: Ratio est, quia potentiæ plurificantur per objecta propria, & proprios actus; quæ propositio 373

positio infert distinctionem veram, quando actus habent suam complesionem ab objectis, ut in creatis; in Deo, qui se ipso agit infert distinctionem virtualem: cum etiam quia potentia creandi est in Deo ratione deitatis, generandi ratione personalitatis: ergo: Confirm. etiam ex ordine ad objecta, scilicet ad posse generari, & creari, quia est connotatio diversa in utrisque; Unde conveniunt tantum analogicè.

Resp. a. Potentiam rationalem ad omnipotentiam non pertinere, ita S. Doct. *d.7. dub.6. & 2. & q.1.a.1. & 4. in calce, & d.10.q.1. & 4.* Ratio evidens est, quia omnipotentia est attributum essentiale commune tribus, potentia generandi, & spirandi est notionalis: cum quia omnipotentia est factiva ad extra, non verò notionalis.

Dices; Si non spectat ad omnipotentiam, ergo una persona erit minus perfecta alia? Resp. S. Doct. *d.7. dub. ult. & aliis locis cit. infra, cum de perfectione relationum agemus*: neg. sequelam: quia negatio potentiæ generativæ, & spirativæ non dicit imperfectionem, ut supra diximus: ratio autem est, quia divinissima Trinitas est unus Deus intellectivus, & volitivus, cui actus unicus intelligendi, & volendi convenit, quia infinitè est simplicissimus, & perfectissimus: Ideo in prima persona tantùm est fæcunditas primitiva intellectus, & voluntatis, hinc & filio communicat plenissimè essentiam divinam per intellectum: filius ergo cum totam communicationem accipiat, exhauriat, & terminet adæquatè, non est minus perfectus Patre communicante: cum exhauriat totam potentiam generativam Patris, quam terminat absorbendo omnes thesauros sapientiæ Dei Patris.

QVÆSTIO VI.

Per quos actus intellectus, & voluntatis sint processiones Filii, & Spiritus Sancti?

374 QVæstionis hujus solutio clariùs explicat ea, quæ supra tradita sunt in præcedenti, nempe quod nam sit illud respectivum, quod superaddit divina essentia simul cum intellectu, & voluntate, ut principium, quo, in productione duarum personarum. Ratio verò potissima dubitandi est, quia cum intelligere, & velle sint actus communes tribus personis, quæritur quomodo fiant relativi, & proprii Patri, & filio: in qua quæstione plures circumferuntur sententiæ diversorum Theologorum, quarum prima, ab omnibus Theologis rejecta est Durandi tanquam falsa, vel erronea, vel saltem tanquam contraria sensui omnium Theologorum, & SS. Patrum, quia ut supra notavimus, negat, verbum procedere per intellectum, & Spiritum Sanctum per voluntatem, sed hoc tantùm dici, & adscribi per quandam appropriationem, quam supra refutavimus.

2. Opinio est Henrici *quol.6. q.1.* & in Summa *a.54.* qui assignat duplicem notitiam in Deo, aliam simplicem, & essentialem, aliam efficacem, & productivam, notionalemque, sic & loquitur de Amore.

3. Opinio est Divi Thomæ, & seq asserentium actum intellectionis esse omninò actum dictionis fæcundæ, ita ut verbum producatur simpliciter per verum actum intellectionis, qui est dictio, distingui tamen à dictione solùm quatenus in Patre habet simpliciter primitatem, non ab alio, atque adeo fæcunditatem generativam, & simili ratione procedunt circa actum voluntatis divinæ, ut alter sit simplicis amoris, alter notionalis.

4. Opinio est Scoti, & Sequac distinguentium duos actus intellectus, alterum essentialem, alterum notionalem, quod est dicere formaliter distinctum, & per hunc, ait, produci verbum & simili modo procedunt circa amorem; Sic apud Fabrum *d.21. cap.2. num.13.* Mastrium *d.7. q.2.* aliosque Scotistas.

Alii Theologi admittunt idem, sed absque distinctione formali, ita quod in divina persona ultra actum essentialem inclusum in ea addunt modum peculiarem, quo contrahitur essentia ad esse personæ. Sic Vasq. aliique plures.

Notat autem Meldul. de Anima *d.6. n.54.* in re non esse discrepantiam apud Theologos, sed tantum in modo loquendi, quod & ex Seraph. Doct. explicabimus, veluti magis sentiente cum Scoto, quam cum D. Thoma: quicquid dicat P. Gaud. *d.2. q.4.* qui tamen multa verba consumit frustra intendens probare contra Scotum Dictionem, seu productionem Verbi esse intellectionem apud Seraph. Doct. quæ concertatio est tantum de nomine. Pro solutione.

Not. 1. Ex Seraph. Doct. *l.1. d.17. p.2. q.1. & seq.* 375
& l.2. d.13. dub.3. quod certum esse apud omnes Theologos, duos actus intellectus dari in Deo, alium essentialem, quo Pater intelligit propriam essentiam, estque quid commune tribus personis, alium dictionem, qua Pater producit Verbum per memoriam fæcundam; hæc autem dicit præcisè ipsum intellectum, & essentiam divinam in ratione objecti, non ut intellecti, sed ut intelligibilis, & expressibilis per dictionem: Per ipsam autem memoriam, loquitur apud se, & exprimit se ipsum, ut cognitum, sicque gignit verbum sibi omnino simile.

Not. 2. Quod cum D. August aliique Theol. & S. Bon. *cit. d.27. q. ult.* ex conditionibus Verbi creati ducantur ad cognitionem Verbi increati, hinc aliqua afferunt in quibus sunt similia, & alia dissimilia. Convenientiæ autem sunt sequentes: Prima, quod utrumque est actualis notitia genita, & producta à memoria fæcunda: Secunda est, quod utrumque est productum per dictionem, seu loquutionem, sive ut terminus productus, sive ut effectus: tertia, quod utrumque dicit duplicem relationem, alteram rationis ad objectum cujus est Verbum, ut signi ad signatum, alteram realem, scilicet ad personam dicentem.

Disconvenientiæ autem sunt, prima, quod verbum creatum est effectus; increatum est terminus tantum producens; secunda quod Verbum creatum est actualis notitia, quia nos producimus verbum, ut intelligamus, ideoque non præsupponit intellectionem: Increatum verò præsupponit intelligentiam essentialem, & ingenitam, quæ nullam relationem originis importat, quia Deus non producit Verbum, ut intelligat, quia prius intelligit se ipsum, & talis intellectio dicitur operatio, sed producitur ex vi memoriæ fæcundæ, estque terminus dictionis, seu productionis, & conceptionis, qua Pater se ipsum sibi exprimit talem conceptum, sibi similem sicque tale Verbum dicit relationem realis originis ad Patrem, & hinc oritur discrimen inter Divum Thomam ex una parte, & D. Bonav. & Scotum ex alia: quòd D. Thomas vult contineri dictionem in intellectione essentiali, addereque expressionem, & relationem: D. Bon. & Scotus volunt esse duos actus, vel disparatos,

vel

vel consequentes, quæ differentia est non in re, sed ferè de nomine, quòd verò hæc sit mens Seraph. Doct. simul cum Scoto patet ex iis, quæ dicit *in dist.* 27. *cit.* & *l.* 2. *d.* 13. *dub.* 3. solúmque discrepat per hoc, quòd intellectionem essentialem etiam appellat dictionem, scilicet & essentialem eodemque modo discutiendum est de Amore *ex lib.* 1. *d.* 10. *a.* 2. *quæst.* 1. His, &c.

376 Concl. 1. Verbum divinum propriissimè, & formaliter habet rationem perfectam verbi in iis, quæ dicunt perfectionem: eo quia habet omnes conditiones verbi, ergo: Prob. antecedens; quia est productum à memoria fœcunda Patris: & simile Patri, & in ipso exprimuntur, & possunt cognosci omnia: est objectum formale quo cognitionis, licèt secundariò; item Pater non intelligit per Verbum, sicut nos ob nostram imperfectionem, sed in verbo. Sed quia de generatione in particulari Verbi, & de ipso Verbo iterum in propria disputatione redibit sermo, ideò ibidem remittimus alia:

Concl. 2. Verbum divinum non producitur per intelligentiam ingenitam, & essentialem: sed per actum productivum, qui est dicere notionale, quatenus est actus formaliter distinctus ab intelligere essentiali. Conclusio hæc quoad utramque partem est Seraph. Doct. supra cit. quicquid dicat cum P. Foresto Gaudentius: qui tamen solùm discrepat in modo loquendi, ex eo quod non admittit distinctionem formalem inter intelligere, & dicere, quod est manifestè contra sensum Seraph. D. ut suo loco patebit, cum de relationibus agemus: Est & Scoti, & sequacium cum plurimis aliis Theologis. Quod verò hæc sit mens. Seraph. Doct. patet *lib.* 1. 27. *p.* 2. *quæst.* 1. *in corp.* & *ad* 3. & 4. ubi dicit, quod tres personæ se intelligunt, sed non dicunt, quia solus Pater est dicens: Unde intelligere est essentialis perfectio absoluta Dei sine termino producta, ob idque tantùm operativa: dicere est quid relativum, quia est generare Verbum: Idem, & reperit pluries in sequentibus quæstionibus: Unde valdè mirum est, quod professores doctrinæ Seraphicæ in re tam aperta trahant Seraph. Doct. violenter ad partes Thomistarum.

Prob. igitur prima pars ex Seraph. Doct: Deus est prius intelligens, quàm dicens: ergo non per intelligere, sed per dicere producitur Verbum: consequentia est manifesta, quia absolutum est prius respectivo, & notionalibus. Prob. 2. quia intellectio non pertinet ad memoriam, sed ad intelligentiam, sed Verbum producitur per memoriam, ergo intelligentia non se habet ad Verbum, ut principium quo. Nota pro intelligentia hujus rationis, quod aliud est intellectus, aliud intelligentia: Intellectus est potentia intelligens: dum autem actu intelligit, dicitur intelligentia: Memoria autem dicit ipsum intellectum, & essentiam divinam in ratione objecti, non ut intellecti, sed ut intelligibilis, & expressibilis per dictionem, qua exprimitur objectum, & gignitur Verbum, quæ expressio est à Patre ut principio quod; à memoria ut principio quo, exprimendo non rem intellectam, sed intelligibilem, & hoc ex fœcunditate memoriæ ex natura sua talis verbi productivæ. Prob. 3. quia, si per intellectionem produceretur Verbum, sequeretur quod Verbum esset immediatius verbum intellectionis Patris, quàm essentiæ; sicque daretur postea aliud verbum declarativum essentiæ, vel essentia ipsa non posset declarari per verbum: sed utrumque est falsum ex Aug. *l.* 7. *de Trinitate*, *cap.* 10. ergo. Prob. 4. Productio magis competit actui primo, quam secundo, ergo memoriæ fœcundæ magis competit quam intellectioni. Prob. 5. Si intellectio Patris est genita: ergo darentur duo verba in divinis. Prob. consequentia, quia darentur duo principia formalia quo, scilicet intellectio, & dictio. Prob. 6. Talis intellectio præcedit voluntatem: sed Pater communicat Filio essentiam perfectè beatam; ergo & communicat eam antecedenter ad omnem actum voluntatis; sicque communicando ipsi suam intellectionem, poterit & Verbi productio competere ipsi filio.

Respond. Thomistæ communiter negando omnes istas consequentias supra adductas, eo quia intellectio ipsa plura munera, & plures formalitates exercet: nempè prout est essentialis, est communis tribus, ut notionalis, est propria Patris: primo modo præcedit; secundo modo subsequitur, sicque distinguuntur tantùm virtualiter.

Contra. Illa intellectio, vel ut talis formaliter, & præcisè habet Verbum, vel non: Si primum, sequerentur patenter absurda illata: Si secundum, idem est quod & nos dicimus, solúmque discrepamus, quod Thomistæ in intellectione, & dictione distinctionem virtualem tantùm admittunt, nos distinctionem formalem; unde reducitur ad quæstionem de nomine.

Ex quibus patet contradictio quam involuunt Thomistæ, & cum ipsis P. Gaudentius, Theodorus, & Caspensis, dum mordicùs sustinent intellectionem producere Verbum, & postea asserunt Verbum mentis procedere per actum intelligendi, non qui est intellectio, sed qui est dictio. Sic Casp. *d.* 1. 5. 4. 8. 5. 4. Sic Gaud. *cit. n.* 69. *seq.* & 78. & *per totam quæst.*

Prob. secunda pars, in qua stat tota ratio con- 377
troversiæ, scilicet quod producatur Verbum per dictionem, non per intellectionem tanquam per actum distinctum formaliter ab intellectione: & hoc ad sensum Seraph. Doct. *d.* 27. *p.* 2. *quæst.* 3. *in corp.* ubi notat, quod ratio, seu intellectus Verbi præsupponit ista sequentia: primò intellectum, seu rationem notitiæ, & intellectionis, quæ est quid essentiale: secundò rationem, seu intellectum generationis in conceptione, seu dictione interiori; & tertiò intellectum imaginis ratione similitudinis per omnia conformis; & quartò superaddit expressionem, quam de sua ratione dicit formaliter Verbum per expressionem, & manifestationem, qua Pater seipsum exprimit: ergo ex Seraph. Doct. ratio formalis Verbi consistit in dictione, & expressione notionali, non in reliquis, quæ sunt essentialia.

Confirmatur, quia omnes concedunt per dictionem produci Verbum, sed dictio est relativa, vel relatio, intellectio est quid absolutum, ergo habent formalitates diversas: Confirmatur. 2. intellectio est actus ultimus potentiæ nullum habens terminum, ultimusque ejus finis: sed dictio habet pro termino Verbum: ergo habent formalitates diversas.

Nota autem pro intellectione hujus rationis, quæ est etiam Scoti *l.* 1. *d.* 2. *q.* 7. *lit.* Q. In qua stat summa vis nostræ sententiæ, & quam desumpsit ex Seraph. Doct. *dist.* 27. *cit. ad* 2. & 3. quod operatio, ut operatio est, non est productiva, quia operationes, ut tales, sunt fines, & perfectiones operantis, ut visio in vidente, speculatio in speculante, nec alia ratio est exquirenda. Productio verò, ut productio est, non est perfectio producentis, sed habens terminum productum extra essentiam producentis, vel saltem terminus non inclu-

ditur

ditur formaliter in persona producente: Sic intelligere Patris ex ratione sua est operari Patris, in ipso existens ut perfectio essentialis: dicere autem est producere terminum, seu Verbum, & hinc sequitur, quod Pater non intelligit per Verbum, quia Verbum non potest esse forma intellectus divini, qua intelligit, quia Verbum est persona, cui esse communicabile repugnat etiam ut quo: unde licèt nos producamus Verbum, ut intelligamus, non sic tamen Pater, sed ex perfectione suæ memoriæ ex natura sua talis verbi productivæ producit illud, quo suam essentiam declarat, & exprimit quasi actu secundo, quæ prius quasi in actu primo latebat in memoria: quæ doctrina est ipsissima Seraph. Doct. ut patet *d. 27. p. 2. q. 3.*

378 Objic. contra primam partem conclus. Dicere in nobis præcedit intellectionem; ergo & in Deo: patet consequentia, quia dictionis terminus est ipsa intellectio, seu notitia rei conceptæ. Respond. 1. negando paritatem de dictione nostra, & divina; Nam nos dicimus, ut intelligamus: Non sic in Deo, qui prius intelligit, quam dicat: & intelligendo non producit Verbum, cum intellectio sit operatio in qua sistit perfectio intellectus divini; unde, ut dictum est, ex memoria fæcunda tantùm gignitur Verbum dicendo. Respond. 2. concedendo totum, si per notitiam intelligatur notitia genita, non verò notitia essentialis; sed hoc argumentum non est ad rem.

Objic. 2. Si Pater priùs habet intellectionem, quam dictionem, & productionem Verbi, sequitur dari duplex Verbum: unum ante productionem Verbi, quod erit terminus prioris intellectionis: sed hoc est falsum, ergo. Respond. negand. sequelam, nam illa intellectio essentialis est ingenita, & reddit tantùm Patrem intelligentem in se: Dictio verò est ex fæcunditate memoriæ, modo supra dicto.

Objic. contra 1. partem. Intelligere, & dicere sunt actus secundi intellectus divini ab eadem memoria prodeuntes: ergo non est major ratio, quod Verbum producatur ab uno, quam ab alio actu; & sic cum duo actus sint superflui, sequitur quod de eadem intellectione producatur Verbum: Et confirmatur ex D. August. 5. de Trin. c. 13. dicente Verbum est visio de visione, ergo actuali notitia. Resp. conced. antecedens, negando consequentiam; ratio est, quia intellectio per se non est productiva, sed solùm operativa, & perfectiva intellectus; productio verò (ut notat S. Bon. *l. 1. d. 19. q. 1. ad 5.*) non est formaliter perfectio, sed attestatur perfectioni, scilicet exprimit perfectionem agentis, ob idque dicens tantùm productionem termini, & Verbi, ex fæcunditate Patris se per dictionem exprimentis, ideo unus actus in altero formaliter non includitur: & ad textum D. August. Respond. visionem de visione sibi construi intransitivè, sicut dicitur visio cogitationis, idest cogitatio: Unde Verbum dicitur produci per visionem, scilicet scientiam habitualem, quæ est memoria.

Objic. 2. Unius potentiæ unus est actus: ergo unus actus intelligendi. Respond. unius potentiæ unius est actus ultimus, & operativus, concedo: Sic ultimus actus potentiæ visivæ est visio, ut qualitas perficiens, sed tamen secundùm ordinem naturæ exigitur alius productivus, qui est dictio, quæ non est actus intelligendi, licèt sit actus intellectus.

Instas; Implicare dari actum intellectus, qui non sit intellectio? & in hoc faciunt Thomistæ vim potissimam, sicut & P. Gaud. à n. 2. ad 68. Ratio eorum est, quia potentiæ actus est agere formaliter, non causaliter, sic videre visus, &c. ergo, & in potentia intellectiva idem dicendum est; ne æquivoca involuamus. Addit cit. Gaud. auctoritates D. Damasc. & August. idem probantes. Sed tamen instantia probat nostram conclusionem: dicimus enim intellectionem esse actum intellectus, sed operativum, scilicet esse actum intelligendi, non sic dictionem, quæ est actus intellectus, sed non intelligendi, sed expressivus objecti.

Dices, quomodo dari potest actus intellectus, qui non sit intellectio? Respond. etiam actum intellectus agentis dari, qui non est intellectio, ut patet in Philos. ergo & in nostro casu, sic etiam in nobis producitur intellectio per dictionem, quæ est vera actio, quæ intellectio est quædam qualitas perficiens intellectum: In Deo verò est intellectio essentialis, ad quam consequitur dictio, quæ habet pro termino notiam genitam, scilicet Verbum: qui actus se habent ordinatè. Sic S Bon. d. 27. p. 1. q. 3. in corp. Ratio est, quia dictio est productio termini, non intellectio, quod & coguntur Adversarii etiam concedere, dum dicunt, intellectionem esse actum producendi Verbum prout ei superadditur dictio.

Objic. 3. Si Verbum produceretur per dicere, 379
& non per intelligere, sequeretur, quod, si per impossibile Pater non intelligeret, posset dicere, & generare Verbum: sequela patet, supposito quod sint duo actus distincti formalissimè subordinati; sed hoc est impossibile, quia qui nihil intelligit, nihil dicit, ergo.

Respond. Rada contr. 8. conced. majorem: & ad id quod dicit, qui nihil intelligit, nihil dicit: negatur, quod in nobis patet, qui prius dicimus, quam intelligamus: dato ergo illo impossibili; etiam Pater ex memoria fœcunda generaret Verbum, quod est notitia genita, & persona subsistens: Unde per ipsam personam non intelligit Pater, sed se ipsum præcisè declarat, formans suam simillimam imaginem.

Dices: Si producendo Verbum seipsum Pater declarat: ergo Verbum manifestat rem intellectam antecedenter à Patre: ergo irisoluit dictio ipsam intellectionem. Respond. negand. utramque sequelam: nam ut diximus: Principium, quo, dictionis; & Verbi est ipsa memoria fæcunda, quæ dicit intellectum divinum, & objectum, scilicet essentiam in ratione intelligibilis intellecti. Ideoque non exprimit rem intellectam, sed ut intelligibilem: Unde intellectus divinus, seu memoria fæcunda dicit, & producit Verbum expressivum objecti existentis in memoria, & habitualiter intellecti, & non actualiter: quare dictio, & Verbum habent se sicuti actio, & terminus actionis.

Dices: Si intellectio præsupponitur ab intellectu ad Verbi productionem: ergo intellectio, & essentia concurrunt ad dictionem? Respond. negando, consequentiam: Aliud enim est præsupponi aliud est concurrere ad productionem; sic intellectus præsupponitur voluntati, & non est causa ejus: quod etiam Adversarii admittunt, dicentes, memoriam esse quasi fæcundam ad actum intelligendi, quem verè non producit, sed à nobis concipitur ac si produceret: eadem verò memoria jam formata illo actu, idest cum præsuppositione talis

actus adhuc est fæcunda, ut sit principium quo producit Verbum, quia illud non oritur ad intelligendum, sed ex intelligentia, vel ut dicit S.Bon. ex intuitu; ideo producitur non ut constituat Patrem intelligentiam, sed ex memoria fæcunda, non ex indigentia; sic Suar. aliisque apud P. Gand.cit. ad finem: Unde in re cùm conveniant nobiscum, potiùs ludunt verbis.

380 Concl. 3. Licèt intelligere sit prius dictione, ut essentiale relativo: tamen prout consideratur in hoc, vel illo supposito est posterius actu dicendi: Est Seraph. Doct. cit. quæst. 3. Ratio autem, quia omnis habitudo est posterior extremis, sed actus intelligendi, ut in supposito importat habitudinem ipsius actus intelligendi, ut in supposito importat habitudinem ipsius actus intelligendi ad suppositum; ergo est posterior supposito.

Dices hanc conclusionem pugnare cum antecedenti, in qua diximus, quod intelligere præcedit dicere, nunc autem oppositum asseritur: ergo malè, & falsò ponitur. Respond. negando antecedens: Nam diximus, quod intelligere est perfectio absoluta, & ut talis præcedit omnem rationem notionalem: hîc autem sumimus non absolutè, & simpliciter intelligere, sed pro ut sumitur in Patre, & Filio, & Spiritu Sancto jam constitutis in esse: nec hoc est inconveniens, quod aliquid secundum unam rationem dicatur prius, & secundum aliam posterius: sic etiam potentia materiæ est prior forma absolutè, non tamen ut in composito: sic & intellectio essentialis est quid commune divinæ essentiæ, & tribus personis: sed pro ut sumitur in personis divinis est quid posterius secundùm nostrum modum intelligendi; quæ conclusio magis infrà patebit in quæstione: An Verbum producatur ex cognitione personarum.

Ex quibus omnibus elici potest difinitio Verbi, quam tradit Seraph. Doct. *l. 1. d. 27. cit. q. 3. in in corp.* Verbum est similitudo expressa, & expressiva, concepta vi Spiritus intelligentis, secundùm quod se, vel aliud intuetur; in qua definitione quatuor tanguntur: primum est notitia præsupposita ad dictionem, vel conceptionem, quæ notitia est intuitu Spiritus intelligentis, & ideo hæc notitia (ait S.Doct.) est quid absolutum, & dicitur etiam Sapientia, seu intellectio communis, & essentialis. 2. Est generatio, seu conceptio per memoriam fæcundam. 3. Est imago, scilicet quatenus est concessio expressiva, & productio expressiva Dei Patris. 4. Ipsum verbum exprimens, & manifestans ipsum dicentem, & producentem. Unde Verbum prout emanat ab intellectu Patris dicentis, dicitur Filius, & pro ut dicit modum emanandi, & producendi naturalem dicitur imago, & prout omnia ista comprehendit cum ratione exprimendi, & manifestandi dicitur Verbum.

Concl. 4. Processio Verbi divini propriè, & in rigore est generatio. Est de fide, & Seraph. Doct. cum omnibus Theologis Catholicis; quæ satis suprà probata fuit *d. 11. q. 3. & d. 12. q. 5.* Est enim generatio origo viventis à vivente principio vitæ conjunctò in similitudinem naturæ simile ex vi originis Patri, ergo.

Concl. 5. Spiritus Sanctus procedit per modum amoris non essentialis, sed notionalis, eo ferè modo quo dictum est de processione Filii, non per intellectionem essentialem, sed notionalem, quod & infra fusè explicabitur.

QUÆSTIO VII.

An in divinis præter generationem detur alia processio, scilicet Spiritus Sancti, & quomodo istæ duæ emanationes differant. S.Bon. l. 1. d. 10. quæst. 1. & seq. & d. 13. quæst. 2. seq.

Aliqua prælibavimus suprà *in disp. 11. q. 3.* sed 381 potiora respicientia hanc materiam remisimus ad hunc locum.

In hac igitur quæstione unum supponitur, & alterum quæritur: Supponitur autem Spiritum Sanctum non esse Filium, nec ejus processionem posse dici generationem: quæritur ergo ratio talis differentiæ. Pro solutione igitur hujus bipartitæ quæstionis.

Suppon. 1. quod respectu primæ partis nulla est discrepantia inter Theologos Catholicos, cum sit articulus de fide Spiritum Sanctum esse tertiam personam Sanctissimæ Trinitatis, & procedere per spirationem. Quo ad alteram partem, quare generatio non possit dici spiratio, & è contra: licèt aliqui PP. non ausi sint investigare rationem hujus differentiæ, demittentes proprium intellectum in obsequium fidei, tamen utiliter ab omnibus ferè Theologis disquiruntur rationes, quibus etiam possit confirmari iste articulus fidei: & ideo afferuntur in medio varii modi dicendi.

Primus modus est Dor. aliorumque dicentium, generationem differre à spiratione, quia illa procedit ab uno, ista à pluribus, quæ ratio nihil valet, & communiter rejicitur, quia etiam si Spiritus Sanctus procederet à Filio, tamen differrent inter se istæ emanationes. 2. Modus est Ricardi, aliorumque: differre, quia Filius non accipit naturam fæcundam, sed tantum voluntatem, ideo emanatio non est à natura, ob idque nec generatio, quæ ratio etiam affertur à Seraph. Doct. sed non ut adæquata, cum illa fæcunditas voluntatis, quam recipit Filius, nihil faciat ad diversificandam utramque emanationem. 3. Modus Suar. aliorumque; differentiam esse; quia Verbum producitur per intellectionem, ob idque secundùm naturam; quæ opinio supra rejecta est: Idemque etiam asserunt D. Thom. & Thomistæ. 4. Modus est Seraph. Doct. & Scoti infra exponendus. Quo ad distinctionem verò Thomistæ admittunt distinctionem virtualem inter generationem, & spirationem in Patre, ad quam sententiam trahitur Seraph. Doct. à pluribus, sed violenter, cum admittat distinctionem formalem cum Scoto. Pro solutione.

Not. 1. Pro intelligentia sensus Seraph. Doct. 382 certum esse, quod, sicut essentia divina cum intellectione, vel potius cum intellectu consistit principium formale, quo, proximum productionis filii, quod dicitur memoria fæcunda, ita etiam eadem essentia divina simul cum volitione, vel potius cum voluntate concurrit ad productionem Spir. S. constituendo cum ea principium, quo, formale proximum talis processionis, quod dicitur voluntas fecunda: quæ doctrina habetur in Conc. Florent. *sess. 18. & 19.* quam amplectuntur omnes Theologi

cum Magistro *d.*7. Et hinc seqoitur, quod ex vi processionis, vel potius hujusinodi principii productivi, non minus formaliter, & per se communicatur natura divina Spiritui Sancto, quam filio; & ratio est, quia essentia divina est ratio potissima producendi, & communicandi, ob idque ex vi originis, & non tantùm materialiter, & concomitanter quatenus identificatur cum volitione, vel volunrate (ut falsò dicunt aliqui) fit communicatio essentiæ Spiritui Sancto; Sunt enim productiones, scilicet filii, & Spirit. Sanct. univocæ ratione talis communicationis essentiæ, ex vi originis.

Nec valet effugium Araghæ dicentis, ly, ex vi processionis, intelligi communicationem essentiæ Spiritui Sancto secundariò, non primariò; hoc enim est falsissimum, cum sit communicatio univoca, & perfectissima de sui ratione, qua est Deus formaliter, & perfectissimè sicut filius: Unde etiam patet ballucinatio Radæ contr. 14. dicentis, productionem Verbi esse in similitudine formali divinæ essentiæ, spirationem verò esse tantùm in similitudine virtuali, ex hoc scilicet, quod Amor est similis voluntati virtualiter tantùm, non verò in unitate specifica naturæ, quod, ut advertit rectè Meldula *d.*7.*n.*151. loquendo de Spiritu Sancto, est falsissimum, cum Spiritus Sanctus habeat naturam secundùm quod est in se ipsa, sicuti etiam filius: Hæcque est doctrina Seraph Doct. *l.*1.*d.*10. *q.*1.*per tot.* præcipuè *ad* 3.*&* *d.*13.*q.*3. Addimus tamen ex Seraph. Doct. *cit.q.*2.*ad* 1.*&* 2. quod si addatur particulæ (ex vi processionis) per modum fæcunditatis naturæ: ista complementum tribuit differentiæ inter generationem, & spirationem: quia hoc discrimen est inter intellectum, & voluntatem, quod intellectus de se habet producere terminum sibi assimilatum in natura, non sic voluntas: Unde in Deo voluntas est principium communicandi naturam, non præcisè, quia est voluntas, sed quatenus est infinita formaliter, & objectum est infinitum, ideo simul constituunt principium productivum Amoris infiniti formaliter, non sic de intellectu divino dicendum est; quia ne dum ratione infinitatis suæ communicat naturam, sed etiam ratione proprii modi producendi: verbum enim mentis est de se simile intellectui. Quæ doctrina infra ex Seraph. Doct. elucidabitur.

383 Not. 2. Quod tota, & maxima difficultas in hac materià est explicare discrimen inter productionem naturalem, quæ fit per intellectum, & liberam, quæ fit per voluntatem: & ideo, cur prima dicitur naturalis, secunda libera, cum etiam ista sit necessaria, & Spirit. Sanct. producatur necessariò. Unde advert. ex traditis à nobis in lib. de Anima, & de voluntate: quod quatuor modi operandi in universum recognoscuntur à Philosophis, scilicet naturaliter, liberè, contingenter, & necessariò; sic. Scot. *quol.*16.*a.*2. primi duo modi, scilicet liberè & naturaliter, dividunt immediatè principium activum, & operativum, tanquam duæ differentiæ essentiales, & oppositæ, ob idque non valentes eidem speciei convenire: & ratio est, quia omne agens, vel agit ex se determinatè, & sic agit naturaliter, vel ex se non determinatè, & sic liberè. Agere verò necessariò, & agere contingenter non sic opponuntur, cum eidem respectu diversorum convenire nequeant: unde agere necessariò, est sic agere, quod non possit non subsequi actio, undecunque proveniat talis necessitas: agere contingenter per oppositum, est sic agere, quod actio possit non subsequi sive id sit ex impedimento extrinseco, sive ex intrinseca agentis libertate: quare hi duo modi agendi contingentiam, & necessitatem actionis præcisè respiciunt, undecunque illa proveniat, ideoque cum modo agendi liberè, & naturaliter se compati possunt: nam agens naturale potest agere contingenter, si ab extrinseco impediatur, & agens liberum necessariò, si aliunde proveniat necessitas: sed agens liberè non potest agere naturaliter, nec è converso etiam respectu diversorum, cum sint differentiæ oppositæ, sicut rationale, & irrationale; & hinc est quod Beati vident Deum, & Deo fruuntur liberè, & simul necessariò: libertas enim essentialis in hoc consistit, quod voluntas se ipsam, & se ipsa, & non ab alio determinat: Hinc est quod Deus est agens liberum per voluntatem tam ad intra, quàm ad extra, cum hoc tamen, discrimine, qood ad extra agit contingenter, ad intra liberè, simulque necessariò, se ipsum amando, qua etiam necessitate spiratur Spiritus Sanctus, quæ necessitas provenit, non quidem ex intrinseca ratione voluntatis, quatenus est voluntas, cum intrinsicè sit principium liberum se ipsum determinans, sed quatenus est voluntas infinita, & ex infinitate etiam objecti, quia neutrum sine altero non sufficit ad necessitatem: ipsi enim competit libertas, quatenus est voluntas: necessitas verò, quatenus infinita est, & recta necessariò, ideoque se necessariò movens circa objectum infinitum. Quæ doctrina tamen est contra Thomistas negantes necessitatem posse stare cum libertate; est tamen S. Bon. ut probavimus in cit. tract. de Anima, & Scoti, Scotistarumque; & plurimorum aliorum. Ex quibus infertur ad rem nostram, quod Spiritus Sanctus dicitur produci liberè, & nun filius; quia produci liberè, ut hîc sumitur, non est aliud quàm produci productione per se requirente pro per se principio voluntatem, quæ ex hoc, quod volitiva est, agere posset contingenter, nisi aliud obstaret, scilicet infinitas potentiæ, & objecti: hinc & spiratio non potest dici generatio, quia requirit pro per se principio naturam volitivam; generatio verò requirit naturam intellectivam, quæ necessitate intrinseca tendit ad producendum simile in natura ut est natura, ut naturale dividitur contra voluntarium; sic discurrit Rubionus *l.*1.*d.*10. *&* *d.*13.& Meld. cit.

Not 3. Quod aliqui Patres, & Theologi, inter quos Antesignanus est S. Bon. post D. August. assignant rationes differentiæ inter generationem, & spirationem hanc: quia filius procedit ut imago Patris, non autem Spiritus Sanctus, quæ ratio licet asseratur à pluribus insufficiens, eo quod etiam Spiritus Sanctus cum sit similis per omnia Patri, potest dici imago Patris, sicuti dixerunt antiqui Theologi Græci; quæ ratio tamen licèt mutilatè assignetur, si rectè perpendatur, est verè concludens: Nam ut docet S. Bon. *l.*1.*d.*31.*q.*1. ad rationem perfectæ imaginis in divinis requiritur, ut dicat expressionem in summo: Expressio autem in summo tria exigit. 1. Similitudinem expressam naturæ: 2. Respectum producti, ad producens: 3. quod imago procedat per modum naturæ, ut ci similis, & ob id ab uno, non à pluribus; hocque convenit perfectè filio, qui à Patre procedit per modum naturæ ad hoc præcisè tendentis, ut assimilet sibi productum in natura, ideo ratione hujus tertiæ conditionis completa habetur imago in filio, nam licet Spiritus Sanctus ex vi primæ, & secundæ conditionis habeat rationem imaginis, tamen quia deficit tertia conditio, potiori, & pleno jure ac- 384

commodatur Filio ratio imaginis naturalis quatenus pro termino generationis producitur. Addit verò Seraph. Doct. loco cit. quia imago propriè non dicitur nisi unius, Spiritus sanctus autem procedit à duobus, quia sic esset imago Patris, & Filii: tum quia, ut ait S. Doct. ratio formalis emanationis Spiritus sancti est esse nexum, & donum, & amorem mutuum, ideò variatur ratio principii si est in uno, vel in duobus.

Not. 4. quod cum differentiæ ultimæ se ipsis totis differant, ita quod nihil commune univocum contrahibile habeant, sic suo modo dicendum est de illis duabus emanationibus, nempè se ipsis totis differre, licèt secundùm nostrum conceptum habeant aliquid commune, scilicet rationem emanationis, sic S. Bonav. *lib. 1. dist. 13. a. 1. quæst. 3.* His positis.

385 Concl. 1. In divinis necessariò est ponere tertiam personam procedentem per modum liberalitatis, quæ dicitur donum. Est de fide, & omnium cum Seraph. Doct. *lib. 1. d. 10. q. 1. seq.* Prob. primò: Ubi est perfectissima voluntas, ibi est perfectissima fœcunditas, ut patet proportionaliter etiam in creatis: ergo & in Deo. 2. quia in creatis duplex est modus nobilis producendi, scilicet per modum naturæ, & voluntatis; ergo & in Deo. 3. quia perfectior est mutua dilectio, quam reflexa, & adhuc perfectior est mutua communicata, quàm non communicata: explicatur hæc ratio. Dilectio reflexa est amor, quo quis diligit se ipsum, propriamque naturam, & ista est in tribus personis, quia est amor essentialis, dilectio mutua est qua diligens impendit amorem dilecto, & vice versa, &c. estque duplex vel communicata, vel non communicata; prima est qua duo ita se mutuo diligunt, ut velint diligi ab alio, & ab aliis, & velint alios diligere se mutuo; secunda est qua aliqui se mutuo diligunt, quod non volunt diligi ab aliis, & dicitur, amor privatus; prima dicit perfectionem; secunda imperfectionem. Supposita igitur hac propositione explicata, sequitur in divinis esse amorem mutuum, & communicatum infinito modo; ergo & tertiam personam.

386 Objic. 1 Creaturæ procedunt à Deo per modum liberalitatis: sed est dissimilitudo in modo producendi creaturas, & personas; ergo nec Spiritus sanctus procedit per modum liberalitatis. Confirmatur, quia exiens per modum voluntatis ab aliquo, non assimilatur producenti in substantia, nec æquatur nec necessariò producitur, alioquin esset generatio; at Spiritus sanctus procedit similis in natura, & producitur necessariò, ergo non per voluntatem. Resp. disting. Majorem: Creaturæ procedunt per modum liberalitatis, sicut quid volitum, ideóque procedunt à voluntate, ut principio, quod; non verò procedunt à voluntate, ut ratione volendi, scilicet ab ipsa ut à principio, quo, & ut ratione volendi, & donandi ut in divinis ab intra, ideò neg. consequentia, & paritas. Ad confirmationem; Resp. quod creaturæ exeunt ut quid volitum, & ut quid distinctum à natura divina, Spiritus sanctus verò procedit à voluntate prout hæc, simul cum natura constituit principium, quo, perfectum, & hinc est, quod procedit Spiritus sanctus similis in natura; & quia procedit ex voluntate, quatenus est infinita, & infinitæ fœcunditatis, hinc necessariò producitur, licèt modus procedendi non sit per modum similis, scilicet naturali modo, ut generativo. Hinc sequitur, quod Spiritus sanctus producatur liberè, & necessariò, & aliquo modo naturaliter: liberè, scilicet à voluntate sese determinativè ex prævia cognitione, necessariò necessitate immutabilitatis, & inevitabilitatis, & aliquo modo naturaliter, scilicet similis in natura, non ex vi emanationis, quæ est liberè, sed quia voluntas habet connexam naturam; Et hinc etiam oritur discrimen inter productionem Filii, & Spiritus sancti, nam Filius procedit à natura cum communicante voluntate: Sic enim generatio est quatenus Filius producitur, ut omninò similis, & per modum naturæ, simulque ut dilectus: Spiritus sanctus verò producitur à voluntate cum communicante natura, ideò procedit per modum amoris, tamen similis in natura; sic ex S. Bon. *l. 1. d. 6. q. 1. & 2.*

Dices: Si filius procedit à natura cum communicante voluntate; ergo idem est quod Spiritus sanctus, est enim à natura, & voluntate: tum quia Pater producit Filium, quia vult; ergo. Resp. antecedens esse verum in hoc sensu: Pater producit Filium voluntate, idest non ut principio, quo, sed ut concomitante ratione complacentiæ, quam Pater habet de Filio: Præterea cum Pater intelligat suam essentiam, & eam diligat ut communicabilem, hinc etiam dicitur producere Filium voluntate communicante complacentia, scilicet essentiali.

Concl. 2. Spiritus sanctus procedit per modum 387
amoris, non essentialis, sed notionalis: Est de fide, & patet, quia inter omnes actus voluntatis principalior, & perfectior est amor, cum hæc affectio plus teneat de liberalitate, & amor est in quo omnia donantur; ergo. *Vide S. Bonav. lib. 1. dist. 13. quæst. 2.*

Objic. 1. Amor de se dicit habitum, non hypostasim, ergo tertia persona non procedit per modum amoris. Resp. antec. esse verum in creatis, est enim accidens, non in Deo; & cum in divinis dicat egressum, & productionem, sic dicit personam. Notandum autem, quod Spiritus sanctus non procedit, ut illud quod datur per amorem, sed ut amor datus, & donatus; in nobis enim procedunt actus, quo ex amore producimus; in Deo verò procedit Spiritus sanctus ut amor, & in hoc sensu tantùm dicunt procedere per modum amoris, scilicet ut amor productus.

Objic. 2. Amor de se tendit in aliud. & in ipso terminat, & accipitur, sed quælibet persona est in se perfectè ens, & distincta, ergo nulla persona procedit per modum amoris. Resp. amorem tendere in aliud, vel ut objectum, vel ut subjectum recipiens amorem: In divinis Spiritus sanctus est amor, quo Pater amat Filium, sicque tali amore importatur respectus ad personam, simulque hypostatis, non sic in nobis; quia si ego amo alium, amor non exit à me, ita ut recipiatur in alio, sed tantùm à voluntate procedit, & cum sit accidens, à voluntate non recedit: In divinis verò amor est hypostatis, &c.

Objic. 3. Spiritus sanctus producitur, quia Pater amat Filium, sed Filius etiam amat Patrem, sic & Spiritus sanctus amat Patrem, & Filium; ergo erunt alii amores notionales; sicque fieri debet multiplicatio personarum. Resp. S. Doct. quod Spiritus sanctus non solùm producitur, quia Pater, & Filius se amant, sed etiam quia in eis est una voluntas fœcundissima, quæ non est in Spiritu sancto; hinc est quod est status in primò amore, scilicet in persona Spiritus sancti, qui se ipso amat alium, & amatur, hinc non potest produci alia persona.

Objic. 4. Amor est cujuscunque personæ; ergo non

non est proprium Spiritus sancti. Resp. S. Doct. ibidem *art.* 2. *quæst.* 1. quod amor in divinis potest sumi essentialiter, notionaliter, & personaliter: Essentialiter, quia quilibet diligit se: notionaliter, quia Pater, & Filius concordant in spirando Spiritum sanctum, quæ concordia amor, & dilectio est; personaliter verò, quia ille qui producitur per modum perfectæ liberalitatis, non potest esse nisi amor, sive dilectio; unde essentialiter dicit complacentiam; notionaliter dicit concordiam in spirando; personaliter dicit processum in illa concordia: id patet in amore creato inter sponsum, & sponsam, nam diligunt se amore sociali ad convivendum, diligunt ulterius amore conjugali ad prolem procurandam, quæ proles si produceretur ex sola voluntaris concordia, amore esset, nunc verò est amata. In divinis verò, verè, & propriè est amor habens rationem amoris, & hypostasis amoris, quia ea voluntate liberalissima primò procedit per modum perfectæ liberalitatis, quia cum distinguatur à procedente, & non possit distingui essentialiter, distinguitur personaliter, non sic in amore creato.

Objic. 5. Si Spiritus sanctus est amor; ergo & nexus Patris, & Filii: sed nexus dicit unionem separatorum, quod non potest esse in divinis personis; ergo, &c. tum quia Pater, & Filius conveniunt in essentia non in persona, ergo non est nexus, alioquin etiam Pater esset nexus Filii: tum quia aliquid daret Patri, & Filio.

Resp. esse nexum non separatorum, sed distinctorum: ad secundam resp. quod licèt non conveniant Pater, & Filius in persona, conveniunt tamen in origine, quatenus à Patre est Filius, & ab utroque est nexus, & Spiritus sanctus ad Patrem, & Filium, & Pater ad Filium, & è contra, posse dici, Patrem esse nexum Filii, &c. quia Pater, & Filius eodem modo spirant Spiritum sanctum, non verò Filius, & Spiritus sanctus, eodem modo producuntur à Patre; ideò rectè dicitur nexus Patris, & Filii; ex hoc quod à Patre, & Filio procedit: hincque nexus significat ex parte Patris, & Filii actionem, ex parte Spiritus sancti passionem, seu potiùs productionem passivam.

388 Concl. 3. Generatio, & spiratio passivè sumptæ distinguuntur realiter. Est S. Bon. & communis ratio evidens est, quia sunt in personis realiter distinctis, ergo. Vide S. Bonav. *dist.* 26. *quæst* 1. *in fund.*

Concl. 4. Generatio, & spiratio activè sumptæ distinguuntur non sola ratione ratiocinata, sed formaliter ex natura rei. Est S. Bon. *lib.* 1. *dist.* 26. *q.* 2. Scoti, & sequacium contra Thomistas, & P. Gaud. & Forestum, qui invitè trahunt Seraph. D. ad partes Thomistarum. Dixi invitè, quia Seraph. D. apertissimè docet differre plusquam ratione à parte rei, ut dicit in corpore quæst. Unde verè P. Gaud. in hac sua opinione sustinenda tergiversatur sine fundamento.

Prob. à Seraph. Doct. pluribus auctoritatibus SS. PP. postea ratione, quia quotiescumque à parte rei unum attribuitur uni, & non alteri realiter, illa differunt à parte rei, & quotiescumque unum non potest dici verè, & realiter de altero differunt itidem à parte rei, sed proprietates istæ generatio, & spiratio sunt tales, ergo, &c.

Prob. 2. à S. Bon. Si istæ emanationes non different formaliter ex natura rei, hoc maximè quia sic inferretur compositio in Deo contra summam simplicitatem ipsius, sed hoc nihil obest; ergo. Prob. Minor, quia respectus additus simplici nullam compositionem infert; videmus enim aliquid habere plures respectus, ipso sine compositione, & novitate existente: Vide tract. nostrum formarum, ubi satis ex S. Doct. istam conclusionem probavimus.

Objic. S. Bon. asserere, istas emanationes differre ratione ex D. Damasc. ergo. Resp. Seraph. Doct. satis se explicare *ad* 2. *&* 3. notareque, sanctum Damascenum intelligere differentiam rationum, & formalitatum diversarum, quæ in ipsis existunt.

Concl. 5. Spiratio non est generatio, nec Spiritus sanctus potest dici Filius, & hoc est quia per generationem producitur terminus similis ex vi processionis suæ secundùm fæcunditatem naturæ, non verò per spirationem: Est de fide, & habetur ex multis locis sacræ Scripturæ, determinatum in pluribus Conciliis, & ea multis SS. Patribus, quæ loca fusè citat, & expendit P. Gaud. cit. Primò, quia ea principiis, in Deo est perfecta fæcunditas; ergo & perfecta emanatio, sed ad perfectam fæcunditatem requiritur emanatio per modum naturæ, per intellectum, & per modum liberalitatis per voluntatem; ergo ea principiis differunt, & ex diversis modis emanandi, redundant emanationes diversæ. 385

Confirmatur hæc ratio ex D. August. *lib. de Trinitate, cap* 14. dicente, hoc discrimen esse, quia Spiritus sanctus procedit à Patre, non quomodo natus, sed quomodo datus, ut donum: Filius autem procedit nascendo, & ut genitus. Et ibidem *cap.* 12. Verbum est Filius, quia procedit per intellectum, & est quasi partus ipsius potentiæ intellectivæ; intellectu enim res veluti reperiuntur, & quasi pariuntur; Spiritus sanctus verò procedit liberaliter per modum amoris, & doni: & hanc rationem assignat S. Doct. velut à priori, quia differentia attendenda est ea diversa ratione producendi, scilicet per modum naturæ, & liberalitatis.

Dices: cum Amico, & aliis, hanc rationem, nec esse à priori, nec concludere evidenter differentiam harum emanationum, quia Spiritus sanctus ex vi fæcunditatis necessariò producitur. Sed contra: primò, quia licet fæcunditas sit ratio veluti materialis in utraque, non tamen formaliter, quia fæcunditas per intellectum est secundùm naturam; per voluntatem verò non est talis ex sua ratione formali, sed quia est divina, & infinita: Unde similitudo provenit in hoc ex divinitate, & infinitate; ergo ratio est convincens.

Contra. 2. Medium in demonstratione ex 1. Poster. est definitio subjecti, unde cum aliquid probatum est de subjecto per ejus definitionem, talis probatio censetur rigorosa demonstratio per ultima, ac immediata principia; cum rerum definitiones supponantur, non demonstrentur; sic demonstratur homo animal rationale ex ejus difinitione: sed ex discrimine assignato ab August. demonstratur, productionem Filii esse generationem ex generationis difinitione, quæ est processio viventis à vivente, secundùm rationem similitudinis in specie infima, processio verò Spiritus sancti est per modum voluntatis, & libertatis; ergo illa est generatio, ista non.

Contra 3. Quia agere naturaliter, & agere liberè dividunt ex æquo essentialiter principium operans, & modos operandi, & licèt necessariò

producatur Spiritus Sanctus, non tamen naturaliter, & quomodo natus, sed liberè, ut in fundam. dictum est: falsum enim est, ait S. Bon. *l.* 1. *d.* 25. *q.* 1. *&* 2. quod libertas non possit stare cum necessitate. Ex quo fundamento infert Seraph. Doct. *l.* 1. *d.* 13. *q.* 3. quod supposita fœcunditate duplici in Deo per modum essentiæ, & voluntatis, illa ex vi processionis naturalis, ista processionis liberæ se ipsis, istæ duæ emanationes tanquam ultimæ differentiæ differunt, & quia sunt talis naturæ. Not. tamen S. Bon. & Scotum non assignasse hanc rationem, quasi alia ratio non sit quærenda; cum uterque alias varias assignet, ut supra traditum est.

Prob. 3. Filius, & Spirit. Sanct. æquè recipiunt naturam communicatam, sed tamen emanatio filii dicitur generatio, quia filius gignitur ut imago Patris, non sic Spiritus Sanctus, ergo, &c. Vis hujus rationis supra exposita est & probata in tertio Notab. Confirmatur a S. Doct. quia generatio necessariò est ab uno, spiratio à duobus, ut nexus, ergo se ipsis differunt ex hoc duplici modo emanationis. Prob. Consequentia, quia generatio est emanatio per modum perfectæ assimilationis, ideo veluti imago, ad unum principium respicit; & quia spiratio est per modum connexionis perfectæ, ideo est à duobus, hinc & filius est per modum naturæ, Spiritus Sanctus per modum liberalitatis. Insurgunt multi contra hanc rationem, sed tamen sine fundamento: Primò, quia hæc ratio adducitur tanquam à posteriori, & ex consequenti; tum etiam, quia ex hoc, quod spiratio est à duobus, quia nexus est, ideo variatur essentialiter ratio principii, sive in uno sit, vel in duobus, quia in uno non est nexus, sed in duobus.

Ex quibus differentiis elicitur harum emanationum concomitantia; quia spiratio dat præintelligere generationem: non enim nectuntur nisi distincti, & similes, & ita illi quorum unus est ab alio per generationem: Similiter generatio dat consequenter intelligere spirationem; necesse est enim distinctos, & omnes similes per deliciosum amorem conjungi.

390 Ob. 1 Pater spirat, & generat; aut ergo in quantùm unus, aut in quantùm plures, vel plura: non hoc secundum, quia Pater esset compositus, ergo primum, scilicet ut unus: sed Pater, & filius spirant ut unum, ideoque non sunt duæ spirationes, sed una: ergo similiter, si Pater generat, & spirat ut unum, spiratio, & generatio erit una productio; alioquin etiam spiratio erit duplex. Resp. S. Bon. Patrem generare, & spirare non in quantùm unus, nec in quantùm plures, sed in quantùm alio, & alio modo se habens, scilicet, quia alio modo se habet ad filium, alio ad Spiritum Sanctum, quæ diversitas non repugnat unitati substantiæ, vel personæ; Et quia Pater, & filius Spirant secundùm unitatem substantiæ, & voluntatis, & uno modo se habent: hinc est, quod duplex est processio filii, & Spiritus Sancti, & est una spiratio à Patre, & filio.

Ob. 2. In Deo Patre est idem formaliter intellectus, & voluntas; ergo est eadem fœcunditas intellectus, & voluntatis. Resp. conced. antec. & neg. conseq ratio est, quia licèt sint idem formaliter intellectus, & voluntas, tamen aliquid respicit voluntas, ut talis in ratione principii, & aliquid natura, ut natura, seu intellectus, ut principium: Sic enim creaturæ à Deo exeunt per modum voluntatis, nec tamen sequitur exire per modum intellectus.

Ob. 3. Emanationes Patris distinguuntur pænes terminos; Sed Pater idem omnino dat filio per generationem, & Spiritui Sancto per spirationem, scilicet naturam; ergo ambæ emanationes sunt omnino idem, ex una. Resp. primò neg. præcisè majorem: licèt enim in creatis verificetur, quia emanatio creata transit ad actum ex potentia, ideo differt pœnes terminum, non tamen in divinis emanationes distinguuntur pœnes terminos. Resp. 2. transeat major, neg Minor, nam Pater dat quidem essentiam, sed terminus est hypostasis.

Ob. 4. Si istæ emanationes differunt, hoc est, vel seipsis vel aliis: non primum, quia sunt ab aliis; Si ab aliis, ergo; vel ab essentia, & hoc non, ut patet: vel à persona, & hoc non, quia personæ distinguuntur, non distingunt: ergo differentia erit per notiones, & istæ per alias, quod est absurdum, ergo nullo modo. Et confirmatur, quia differentia, vel erit substantialis, vel accidentalis: non primum, quia in essentia non est differentia: nec secundum, cum in Deo non sit accidens. Resp. differre se ipsis, ut supra traditum est; & ad id, quod dicitur non habere esse à se ipsis, ergo nec distingui. Resp. destingui extrinsicè à principiis originalibus, sed intrinsicè se ipsis: Unde in esse originali, à quo habent esse, non valet illatio distinctionis ex ipsis principiis; differentiæ enim se ipsis differunt, licèt conveniant in genere differentiæ. Ad confirmat. resp. differentiam esse non substantialem, nec accidentalem, sed relativam, qualis est in divinis.

Objic. 5. Generatio necessariò producit substantiam similem, spiratio itidem, ergo. Sunt enim unum, & idem. Resp. S. Bon. ibidem *q.* 2. *ad* 1. *&* 2. conced. antec. & neg. conseq. nam licet Spiritus Sanctus producatur necessariò, & similis in natura, tamen diverso modo, diversa productione; eo modo quo dictum est in fundamentis. Generatio enim divina est productio similis in natura, sed per modum fœcunditatis naturæ, & ex vi productionis, non sic spiratio per voluntatem, terminatque utraque emanatio non præcisè ad naturam, sed ad hypostasim, scilicet ad imaginem, & ad amorem, quod non contingit in creatis.

Ob. 6. Spirit. Sanct. procedit à Patre, & filio naturaliter, ergo non est differentia per hoc inter generationem, & spirationem. Prob. antec. Spirit. Sanct. procedit à principio determinato ad unum; ergo, &c Resp Seraph. Doct. neg. antec. ad probat. resp. Spiritum Sanctum procedere à principio determinato ad unum, non aliunde, sed à se ipso ob sui perfectionem: Sic enim Deus se amat necessariò, & liberè de quo *vide S. Doct. l.* 2. *d.* 55. *cit.* Instas; ergo poterit Spirit. Sanct. produci, & non produci. Resp. neg. conseq. non enim producitur liberè libertate ad opposita, quæ dicitur accidentalia, & opponitur necessitati, sed libertate essentiali, quæ stare potest cum summa necessitate.

Quæres. *Cur productio Spiritus sancti dicatur abso-* 391
lutè processio, Resp. S. Doct. *q.* 2. *ad* 4. quod solùm Spiritui sancto omnimoda processio competit: Sicut enim ingenitus dicitur Pater, quia ab eo removetur omnis generatio, non enim generatur, nec est à generato; Sic è converso processio propriè dicitur de eo, in quo est omnis ratio procedendi, quia procedit, est à procedente, scilicet à filio non sic filius, qui procedit, & simul producit. Alia responsio potest afferri (ait S. Doct.) quia ratio completa processionis consistit in comparatione ad principium, à quo, & ad terminum, ad quem;

 &

& quia Spiritus ſanctus in ſua emanatione utrumque reſpicit, quia eſt nexus Patris, & Filii. Filius autem alterum tantùm; ideò completiſſima ratio eſt in Spiritu ſancto, licèt aliquo modo reperiatur in Filio: hinc licèt proceſſio dicatur de generatione, appropriatur tamen abſolutè ſpirationi ob penuriam vocabulorum, cum in creaturis non ſit ſimilis modus procedendi, hinc & caremus nomine ipſam exprimente.

DISPVTATIO XIII.

De Relationibus.

QUia ex divinis emanationibus inſurgunt relationes, ideò doctrina ordo exigit ut conſequenter in hac diſputatione agamus de relationibus.

QVÆSTIO I.

An in divinis dentur relationes reales.

392 SUppon. 1. Duplex genus relationum dari in divinis perſonis (relationes enim omnes ſpectant ad perſonas.) Aliæ enim reſpiciunt omnes perſonas ſimul, ſuntque relationes identitatis, ſimilitudinis, & æqualitatis: Aliæ verſantur circa certas perſonas, ſuntque generatio, & ſpiratio activa & paſſiva. Quæſtio hæc primo loco eſt de relationibus propriis, & deinde de communibus.

Suppon. 2. Gilbertum Porrectaneum erraſſe dicendo relationes divinas, non eſſe realiter in Deo intrinſecè, ſed tantum extrinſecè, & aſſiſtentes, convictumque fuiſſe in Concil Rhemenſi à D.Bernardo, ob idque, & talem errorem contra fidem retractaſſe.

Suppon. 3. Ex logica, relationem realem tres conditiones exigere: prima eſt, fundamentum reale, & terminus reales. 2. eſt diſtinctio realis inter extrema. 3. quod ex natura fundamenti, & terminorum ſequatur relatio.

Suppon. 4. Ultra diſtinctionem relationum ad intra ſupra datam, agitari quæſtionem inter Theologos: an in Deo admitti poſſit relatio Dei ad extra in ordine ad Creaturas. Nominales ipſam admittunt, ex eo quod relatio non eſt aliquid ſuperadditum reale ipſi fundamento, & enti relativo, ſed fundamentum ſe ipſo refertur ad aliud, ob idque nihil aliud eſſe volunt, præter combinationem terminorum, & extremorum: ſed tamen omnes reales Philoſophi, & Theologi tenent, relationem realem eſſe aliquid actu ſuperadditum fundamento, & extremis; quod à nobis fusè probatum eſt in logica, idque patet, quia album. v.g. non poteſt dici habere totam entitatem ſimilitudinis, & ob id nec denominationem veram, niſi in potentia, eique ſuperaddatur aliquid actu, nempè aliud album in altero extremo: hinc etiam talis relatio neceſſariò adfert ſecum mutationem veram, ob idque releganda eſt à Deo. Ratio eſt, quia omnis relatio fundatur, vel ſuper proprietatem accidentalem, ut ſimilitudo in albo, vel ſuper dependentiam eſſentialem, ut in Creatura ad Creatorem, vel ſuper originem naturalem, ut effectus ad cauſam: prima, & ſecunda non poteſt eſſe in Deo, ut de ſe patet, ſed tantùm in creatura in ordine ad Deum: ẽnc tertia, niſi perſonæ ad perſonam, ut ait S.Bon. *lib.* 1. *diſt.* 30. *q.* 3. Nam in Creatura non poteſt eſſe, in Deo niſi in ratione eſſentiæ cauſantis Creaturas, quæ eſt quid abſolutum, non reſpectivum; tum quia, Deus non poteſt ordinari ad Creaturam, nec eſſe terminus, cum ſemper eodem modo ab æterno ſe habeat: Unde licèt in Creatura reſpondeat aliquid reale de novo, quo refertur ad Deum, ex parte tamen Dei nihil reſpondet, niſi relatio rationis, & ſecundùm noſtrum modum intelligendi.

Dices. Pater ſe ipſo generat, & creat, ergo in utraque æqualiter eſt relatio. Reſp. neg. conſeq. & paritatem: Pater enim paternitate, quæ dicit originem, conſtituitur in eſſe Patris, non creatione.

Dices 2. Nec nomina, Creator, Dominus dicuntur de Deo ex tempore, ergo aliquid de novo ſuperaddunt, alioquin ab æterno fuiſſet Creator, & Dominus. Reſp. S Bon. talia nomina dici de Deo ab æterno ſecundùm habitum; actu verò in tempore ex ſuperadditione facta in Creatura: & ſuper hunc reſpectum intellectus noſter fundat relationem rationis Dei ad Creaturam. His poſitis. 393

Concl. 1. In divinis dantur veræ relationes reales intrinſecè. Concluſio eſt de fide, & communis definita in Concil. Later. ſub Innoc. III in cap. firmiter de ſumma Trinitate. Et in Concil. Tolet. fundatur iſta veritas ex S. Bon. *d.* 31. & aliis Theologis in ſacra Scriptura, & SS. Patribus, ut ibi videri poteſt. Prob. primò ratione ſuppoſitis principiis fidei. Si relationes divinæ non eſſent in Deo intrinſecè, & reales, ſed eſſent extrinſeca quædam denominatio relativa, non poſſent perſonæ relationibus multiplicari, & diſtingui; communia enim non diſtinguunt, ſicque in hæreſim Sabellii laberemur, unicam in Deo perſonam admittentis: ergo, &c. Prob. 2. Dantur emanationes reales, ergo & relationes reales. Prob. conſeq. quia omnes ſunt in eodem ordine naturæ: ergo, &c.

Concl. 2. Quatuor relationes propriæ dantur in divinis S Bon. *diſt.* 26. *quæſt. ult.* Paternitas, filiatio, ſpiratio activa, & paſſiva. Eſt communis, & de fide. Prob. quia Pater, & Filius realiter diſtinguuntur per paternitatem, & filiationem, & ſimiliter ſpirator, & Spiritus ſanctus realiter diſtinguuntur per ſpirationem activam, & paſſivam: ergo ſunt reales: non enim fit diſtinctio realis per entia rationis: tum quia eorum extrema fundamenta, & rationes fundandi ſunt realia: ergo & relationes.

Objic. 1.

Objic. 1. Quæ differunt solo nomine, non habent proprietates reales distinctas: sed ex D. Hilar. *l.* 4. de Trinitate, personæ differunt solo nomine, ergo. Respond S.Bon. *l.* 1. *d.* 26. *q.* 1. D. Hilar. asserere, Patrem differre à Filio, solo nomine; Patris, scilicet per paternitatem & filiationem, ut indicet, personas non differre secundùm naturam, & substantiam; quam expositionem etiam tribuit Seraph. Doct. alteri auctoritati D. Damasc. in cit. quæst. allatæ.

Objic. 2. In summè simplici non cadit differentia aliqua, sed divina persona est summè simplex, ergo in ea non est proprietas distinguens. Respond. Seraph Doct. Proprietatem personalem dare distinctionem secundùm esse, ad, non secundùm esse, *in*, *ad*, autem non componit: Multiplicantur enim respectus etiam in creaturis, absque compositione, & sæpe absque ulla innovatione: & dato etiam, quod in creaturis daretur innovatio, & compositio, non tamen in divinis, ubi relatio, ratione, *in*, transit formaliter in substantiam, ratione, *ad*, refertur, & retinet habitudinem sine innovatione, & compositione.

Objic. 3. Divina essentia seipsa refertur ad creaturam, ob summam simplicitatem: ergo & persona, absque proprietate reali, est enim æquè simplex ac essentia. Respond. negando consequentiam, & paritatem; quia essentia solùm secundùm nostrum modum intelligendi refertur ad creaturam: non sic proprietas ratione originis.

Objic. 4. Relationes reales supponunt extrema realiter distincta, paternitas verò, & filiatio nequaquam, sed distinguunt personas, ergo non sunt reales. Respond. majorem esse veram, de creatis relationibus, non de divinis: Illæ enim sunt accidentia realiter distincta, supponentia subjecta in quibus inhæreant: relationes verò divinæ non sunt accidentia, unde non supponunt subjecta, in quibus inhæreant, imò faciunt illa distingui realiter.

Dices SS. Patres asserere relationem Spiritus Sancti non esse reciprocam, sed realem in Spiritu Sancto, & rationis in Patre, & Filio. Respond. hoc esse verum, si Spiritus Sanctus referatur ad Patrem, & Filium, ut Pater, & Filius sunt, quia Spiritus Sanctus non refertur ad eos, ut sic: est tamen reciproca & realis, si Spiritus sanctus referatur ad Patrem, & Filium, ut sunt unus spirator.

Quæres: *Qualiter differant proprietas, relatio, & notio in divinis personis?* Respond. S. Bonavent. *d.* 26. *q. ult.* quod proprietas dicitur, quatenus convenit soli: relatio quatenus dicit habitudinem ad alterum, & notio quatenus est principium cognoscendi: Notio verò latiùs patet quam relatio, & proprietas: unde notio extenditur non solùm ad istas quatuor relationes, sed ad innascibilitatem; relatio verò ad quatuor capita reducitur, ut dictum est: proprietas tantùm ad tres, scilicet ad generationem activam, ad passivam, & spirationem, quæ sunt constitutivæ personarum. De innascibilitate autem infrà ubi agitur de persona Patris in speciali. De aliis relationibus item communibus, agetur infra suo loco.

QVÆSTIO II.

An relationes divinæ ab essentia differant, & inter se, & quomodo.

SUppon. 1. ex traditis in Logica in tract. forma- 394
litatum, quod distinctio, alia est realis rei à re, alia formalis ex natura rei, alia virtualis, scilicet per intellectum cum fundamento in re; alia rationis ratiocinatæ. In hac igitur quæstione.

1. Opinio, seu potius hæresis; fuit Gilberti Porretaoi, aliorumque sequacium, asserentium, tres relationes esse tres res distinctas realiter ab essentia, & à personis nec inesse in eis, quia auferretur divina simplicitas, ideoque esse tantùm res assistentes: qui error licèt videretur modicus in principio, tamen in maximum ducebat, scilicet in quaternitatem; qui error fuit condemnatus in Concil. Rhemensi, ut notat S.Bon. d. 35. quæst. 1. quicquid dicat Vasq. d. 120. carpens Doctores quasi audaciæ, ac mendacii falsò notam hanc Gilberto inurentes, ipsumque defendere intendens à tali nota, sed meritò ab omnibus Theologis magis ipse Vasq. temeritatis arguitur, cum Gilb. à D. Bernardo convictus fuerit in cit. Concil. & contra ipsum Mordicus scripserit, tum in eodem Concil. tum Serm. 80. in Cant. tum in lib. 5. de considerat. sic & idem fecerunt insigniores Theologi.

2. Opinio, admittit distinctionem solam rationis puræ, sic Vasq. d. 120. Granado, aliique apud Arriagam *d.* 42. *serm.* 5. *subs.* 3.

3. Opinio est D. Thomæ, cum omnibus Thomistis, & etiam aliis intercedere distinctionem virtualem: ad hanc trahitur Seraph. Doct. à pluribus, & præcipuè de more à P. Gaud. d. 3. q. 4. sed certè violenter, cum patentissimè asserat oppositum.

4. Opinio est Scoti, Scotistarum, & aliorum plurium admittentium distinctionem formalem ex natura rei: Sic apud Mastrium *d.* 2. *q.* 2. cum hac sententia stat S. Bon. citatus à Scoto *l.* 1. *d.* 2. *q.* 7. §. sed restat: Sed tamen differenti modo à Scoto ipsam admittit, ut statim videbimus. Pro solutione, &c.

Not. 1. Quod, ut à nobis fusè traditum est in 395
tract. formalit. Seraph. Doct. appellat distinctionem realem distinctionem secundùm pluralitatem distinctionis, scilicet absolutè: formalem verò ex natura rei secundùm differentiam attributionis, quia unum attribuitur uni verè, quod non alteri; scilicèt quatenus unum est extra conceptum alterius: Virtualem verò secundùm rationem, sed cum fundamento in re, de quo fundamento *l.* 1. *d.* 45. *a.* 2. *q.* 1. *in corp.* Aliam verò, quæ est rationis ratiocinantis, appellat secundùm apprehensionem: In Breuil. *p.* 1. *c.* 4. Primam distinctionem secundùm diversum modum essendi; secundam secundùm diversum modum se habendi; tertiam secundùm diversum modum intelligendi, ut *l.* 1. *d.* 26. *q.* 1. *ad* 2. ad illud Damasc. quod in divinis est convenientia in re, & differentia in ratione. Resp. quod differre ratione dicitur tripliciter; primo à parte nostræ apprehensionis, ut est bonitas, & magnitudo in Deo. Nota benè ordinem loquendi Seraph. Doct. ut appareat ejus mens) bonitas, & magnitudo differunt in Deo distinctione rationis, & virtuali.

tuali 2. Secundùm differentiam attributionis, quia aliquis modus ponitur circa unum, quod negatur de altero. & sic differunt ratione essentia, persona, & notio. 3. Modo differre ratione, est secundùm pluralitatem distinctionis, quæ non inducit differentiam in essentia, sed tamen tantam inducit, quòd unum non dicitur de altero, sic persona à persona, & proprietas à proprietate. Prima differentia est minima, quia ei nihil respondet à parte rei, scilicèt nihil distinctionis actualis, sed ultimæ respondet; scilicet respondet differentia actualis realis; at secundæ, quid respondet? S. Bonaventura nihil dicit, de secunda, sed relinquit ipsam mediam inter distinctionem virtualem, & realem; & hæc est propriè distinctio formalis ex natura rei, idque patet ex *l.1.d.27. q.3. ad arg.* ubi ait. Paternitatem, pro ut dicit ordinem ad subjectum, in quo est, esse omnino idem; prout dicit ordinem ad objectum, scilicet ratione (ad) aliquo modo differt, quæ quidem differentia sumitur à parte rei: quid clarius? & *d.13. q.3. ad ult.* ait non tantùm differre relationem ab essentia; quantùm persona à persona, hæc enim facit numerum, non illa: ergo ad sensum Seraph. est aliqua differentia à parte rei. Unde quidquid hîc P.Gaud. affert, ut Seraph. Doct. explicet pro distinctione virtuali, est frustratorium, & contra mentem Seraph. Doct. & maximè in hoc, quod hanc differentiam (quam S. Bon. appellat secundùm attributionem) explicat, quatenus ex fundamento reali aliquid attribuitur personæ, quod non essentiæ, quod manifestè est falsum, cum hanc secundam distinctionem discriminet à prima, quæ est virtualis, tamen cum fundamento in re, ex quo patent aliæ dicta S. Bon. cit. à P. Gaud. Idem confirmat clarè *d. 33. q. 2. ad 2.* Et hinc etiam patet discrimen inter distinctionem formalem ex natura rei in divinis, apud S. Bon. & apud Scotum: nam Scotus vult, ipsam esse absolutam formalitatem, seu distinctionem inter formalitates; S. Bon. verò esse tantùm secundùm comparationem, seu secundùm modum diversum se habendi, eo quia relatio in divinis secundùm rationem, in, scilicet quatenus est in natura, identificatur formaliter cum ea, & retinet respectum ad objectum, sicque differt per istam comparationem. His positis.

596 Concl. 1 Relationes divinæ non sunt res ab essentia distinctæ. Est de fide, ut supra dictum est. Prob. à Seraph. Doct. d. 33. q. 2 Nihil est adorandum latriâ, quod non sit Deus, & divina substantia, sed proprietates relativæ adorantur latria per se, ut canit Ecclesia in Præfatione Missæ SS. Trinitatis, ut in personis adoretur proprietas; ergo. Major est D Bernardi l. 5. de consideratione & communis; Minor est Ecclesiæ. Prob. 2. si essent realiter distinctæ ab essentia, non essent Deus; tum tertiò, quia alioquin daretur compositio in Deo, nam ex essentia & relationibus daretur unum quid realiter distinctum, tum quia daretur quaternitas in Deo, ut rectè arguit D. Bernardus cit.

Objic. 1. ex D August. Non eo est Deus, quo Pater, sed deitate est Deus, paternitate est Pater, ergo deitas differt realiter à paternitate. Respond. S. Bon. hic, *ad 1. & dub. 4.* quod ablativus importat habitudinem in ratione formæ, & causæ formalis, quæ licèt non sit in divinis secundùm rem, est tamen quantùm ad rationem intelligendi: Causalitas ergo cadens sub negatione, in Deo est vera; Est enim sensus. Non eo est Deus, idest non ea ratione, & formalitate; ratio est, quia deitate est Deus, paternitate est Pater tanquam ratione dicendi, vel intelligendi? Non tamen paternitas est causalitas negationis; sic enim est falsa, esset enim sensus. Non eo est Deus quo Pater, idest quantum ad id quod est Pater, non est Deus: Pater enim licèt paternitate sit Pater, est tamen Deus, & hinc hoc secundo sensu accipiebat Porrectanus ut distingueret realiter à divinitate paternitatem.

Objic. 2. Essentia est ratio uniendi, proprietas distinguendi, ergo cum non possint esse idem principium realiter, distinguuntur. Resp. Seraph. Doct. quod essentia non potest distinguere, sed relatio ratione respectus, ad, cum quo stat identitas essentiæ, sine compositione, ut dictum est.

Sed contra hanc responsionem est instantia. Nulla proprietas prædicatur de substantia, nisi sit in illa, sed relatio prædicatur de essentia, ergo est in essentia subsumo; sed non potest esse proprietas in subjecto, nisi ponat rem suam, & suum effectum circa subjectum, ergo, si est in essentia, ponet distinctionem in essentia, sed hoc est falsum, ergo & illud. Respond. relationem esse in essentia, non ut in subjecto, nec per inhærentiam, sed per identitatem simplicissimam, ob quam prædicatur de illa; hinc negatur sequela.

Objic. 3. Si relatio prædicatur de essentia, id est, vel per se, vel per accidens: Non primum, quia ubicumque est essentia esset etiam, v.g. paternitas: nec per accidens, cum in Deo non sit accidens, ergo relationes sunt realiter distinctæ ab essentia. Respond. neutro modo prædicari: prædicatur enim relatio de essentia per personam, non per se; nec etiam per accidens, quia persona non est aliud ab essentia: qui modus prædicandi est solùm in divinis, nec similis est in creatis.

Dices: Relationes sunt infinitæ; ergo de essentia divina, & de omnibus prædicatis essentiæ prædicantur. Respond. esse infinitas, non ut relationes sunt, sed ut identificatæ cum essentia, ob idque secundariò tantùm, sic negatur consequentia.

Objic. 4. Quæ sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se; ergo, si relationes sunt idem cum essentia, sic erunt inter se, sicque tolletur Trinitas personarum.

Huic argumento varii variè respond. Alii enim dicunt valere in creatis, non in divinis: Sic Suar. Vasq. aliique; sed quia hæc propositio est universalissima, & vera secundùm rectam rationem syllogizandi, hinc solvenda est etiam in hoc proposito. S. Bonavent. *l.1.d.13. quæst.3. ad 1.* resp. quod & Scotus a Seraph. Doct. desumpsit: Majorem esse veram in quacumque materia, si sumatur in syllogismo eadem omnino identitas, scilicet: quæ sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se eadem identitate, qua sunt idem illi tertio; sed cum relationes sint idem cum essentia inadæquatè, scilicet quatenus dicunt rationem, in, non quatenus dicunt rationem, ad, ratione cujus differunt ab essentia; hinc non sequitur esse idem inter se, nisi ratione essentiæ, non relationis. Vide P.Gaudent. *d.3. quæst.3.* qui multa congerit etiam ad satietatem ad explicationem hujus propositionis.

2. Concl. Relationes ab essentia distinguuntur plusquam ratione rationata, scilicet formaliter ex natura rei: est S. Bon. ut supra dictum est, Scoti, licèt diverso modo à Scoto asserta. Pr. ex D.Aug. 7. Dd de

de Trin. c. 1. dicente: Non eo Verbum, quò Sapientia: & c. 2. Non eò Pater, quò Deus, eò tamen magnus, quo est Sapiens; Quam auctoritatem pluries citat Seraph. Doct. nempè *l. 1. d. 7. q. 3. 4. ad 1.* ubi se remittit ad dicta *d. 5. q. 1. ad 2. & d. 19. p. 1. dub. 3. & p. 1. q. 2. ad 4. & d. 33. dub 4. & q. 2. ad 4.* In qua auctoritatis explicatione P. Forestus, & Gaud. fundant suam assertionem pro distinctione virtuali, & ad excludendam formalem ex natura rei de mente S. Doctoris. In quo tamen manifestè hallucinantur, nam S. Doct. certè excludit distinctionem realem, quam absolutè *d. 5. cit.* appellat absolutè distinctionem absque addito, sed non formalem, quam appellat rationis, scilicet conceptus objectivi, stat enim fictious S. Doct. in hoc, quod, ly, eò, & quò dicit rationem formalem objectivam: Unde *d. 26. q. 2.* notat tres esse modos prædicandi in divinis: Scilicet, in quid, cum quæritur de essentia; in quis, cum de persona; & in quæ, seu in quo modo. Patet etiam sensus D. August. & Seraph. Doct. in hoc, quod dum loquitur de attributis essentialibus dicit, quod Pater est eò magnus, quò sapiens, per quod excludit distinctionem actualem à parte rei: dum verò loquitur de relationibus dicit, quod non eò est Pater quò Deus, ergo Majorem distinctionem quàm per intellectum & virtualem recognoscit, non quidem realem, sed mediam, scilicet formalem ex natura rei: Unde hallucinatio adversariorum stat in illo nomine rationis, quam usurpat Seraph. Doct. cum multiplici sensu; aliquando enim stat pro pura operatione intellectus, aliquando pro conceptu objectivo, ut in nostro casu, ut ex contextu locorum cit. patet perpendenti diligenter ipsius verba, de quo etiam potest videri *d. 26. q. 5. in fund. & ad 2.*

Prob. 2. ex proximè *cit. q. d. 26.* Ad diversos modos quærendi, diversæ entitates debent respondere, alioquin tota Theologia battologiis, & Synonimis Scateretur, sed diversi sunt modi quærendi de essentia, & de personis, & de relationibus, nam ut dictum est de essentia quæritur, quid, de persona, quis, de relationibus, quæ, vel quomodo, ergo, &c.

Prob. 3. quia, si adesset sola distinctio rationis, verè à parte rei posset prædicari generatio, & spiratio in Patre, & spiratio activa esset etiam in Spiritu Sancto cum ibi sit essentia; sic in Patre Paternitas, & innascibilitas; quæ omnia sunt falsa: videmus enim unam personam, uno modo comparari ad alteram; & aliam alio modo vero, & reali; ergo, &c.

Prob. 4. De essentia, & relationibus verificantur formaliter, prædicata contradictoria; scilicet esse ad se, & esse ad aliud, quod est idem ac non esse ad se: quam objectionem refutavimus in quæst. de distinct. attributorum, & meritò, cum enim agatur de absolutis, quæ multiplicata tollunt divinam simplicitatem; tamen in hac materia habet suam vim hæc objectio, cum, ly, ad se, nihil addat absoluti, vel mutationis, & hoc ad aures Seraph. Doct. ex fundamentis jactis. Responsiones autem quam affert P. Gaud. magis ipsum insolvant, cum teneatur admittere diversos conceptus formales, & objectivos in essentia, & relationibus, ut patet *n. 114. & seq. & q. 5.*

Prob. 5. Pater vel intelligit essentiam, & suam Paternitatem ut objecta distincta, vel ut unum: Si primum habeo intentum: Si secundùm, ergo differunt nostris tantum fictionibus, atque ideo communicata essentia, communicatur Paternitas. Resp. cum P. Gaud. *n. 112.* Thomistæ: Patrem videre essentiam, & relationes tanquam diversas actuales perfectiones, sed tamen virtualiter distinctas, quæ responsio est sui destructiva; si enim sunt actuales perfectiones distinctæ, ergo plusquam virtualiter.

Prob. 6. Nihil eodem et est idem formaliter cum alio, & distinctum realiter ab eo, sed relatio est constitutiva, & distinctiva realiter personæ à persona, ergo formaliter non est idem cum essentia.

Prob. 7. Si relatio & essentia, sunt idem realiter formaliter, sequitur alteram de altera prædicari, & quod dicitur de una, dicitur de altera, sed hoc est absurdum. Prob. Sequela, quia in hoc stat identitas formalis, ut fundare valeat prædicationem abstractam: Minor prob. quia sequeretur, quod ubicumque inest essentia, inesset & quælibet relatio; & sic cum in filio insit essentia inesset & paternitas. P. Gaud. *q. 4. in fine*, pro diluenda hac objectione affert doctrinam S. Bon *l. 1. d. 34. q. 2.* quæ tamen non pro sua sententia, sed pro nostra facit: dicit enim S. Doct. quod prædicationes istæ Deo conveniunt, sed tamen non reduplicativè, eo quia essentia est quid commune, relatio habet diversum modum essendi, & hinc infertur, quid, si prædicatio admittitur, id est propter identitatem realem, non propter reduplicationem rationemque formalem, hinc multæ prædicationes non valent ob istam differentiam modi se habendi, &c.

Ob. 1. Divinitas est de essentia Patris, ergo & 198
de essentia Paternitatis: Patet conseq. quia in divinis concretum nihil dicit essentialiter, quod non contineatur in abstracto; quia concretum in Deo nihil aliud est, quàm ipsa forma subsistens ob summam Dei simplicitatem; subsistit autem Pater ratione relativa, ergo. Resp. Patrem posse summi dupliciter, scilicet substantivè, vel adjectivè, vel ut loquitur S. Bon. *d. 5. q. 1. ad 1. & 2.* per identitatem, & per inhærentiam, & denominationem. Primo modo, significat personam, cujus est Paternitas, & sic concedo antecedens: Secundo modo significat ipsam proprietatem denominativè, quo sensu dicitur idem significare, Patrem esse, & genuisse, & in hoc sensu negatur antec. nempè Paternitatem dicere quidquid dicit Pater in primo sensu; dum enim dicitur Pater paternitate constitui, non intelligitur paternitatem includere naturam, alioquin esset nugatoria locutio, in quo sensu concretum dicit aliquid aliud præter naturam, & abstractum: Hæc est responsio Meld. *d. 2. q. 1.* Seraph. Doct. *l. 1. d. 5. q. 1. p. 1.* notat, quod cum subjectum, & prædicatum habeant diversas proprietates, tunc inducitur distinctio realis, ut Pater, & filius, nec admittitur prædicatio, cum verò differunt per habere, & non habere proprietates, ut essentia non insolvit relationem, Pater insolvit, tunc non inducitur distinctio realis, ideo licèt admittatur prædicatio per identitatem, ut essentia est Pater, est paternitas, & hæc admittitur ob summam simplicitatem non patientem personam esse minus simplicem quàm essentia; tamen aliquid potest prædicari de uno, quod non de altero, & hæc est prædicatio per inhærentium, per quam terminus aliud significat, aliud supponit, ut divinitas, est paternitas; & hic est casus argumenti objecti, &c. Alia resp. ex eodem S. Doct. datur *l. 1. d. 27. q. 3. ad Arg. & d. 33. q. 1. ad 2.* concedendo antec. & disting. consequens, ergo & Paternitatis; quatenus respicit subjectum in quo, concedo: quatenus dicit ordinem ad objectum ratione, ad, nego; nempè est de essentia Paternitatis identificata realiter, concedo; formaliter, nego: Sic hæc pro-

positio

positio divinitas, est paternitas, vera est per identitatem, falsa per inhærentiam, quia de essentia dicitur aliquid, quod non dicitur de paternitate, & è converso, &c.

Objic. 2. Quia tolleretur simplicitas summa Dei, sicut etiam probatum est de attributis divinis, eo quod hæc distinctio actualis importat aliquam entitatis additionem. Resp. negan. sequelam, & paritatem de attributis, quæ sunt entia absoluta, & de relationibus, nam relationes ratione, in, idest inexistentiæ in divina essentia, vel persona identificantur formaliter ratione, ad, retinent suam formalitatem, & ob id distinctionem ex Seraph. Doct. in fund. cit. Ordo enim ad aliud non facit compositionem, nec additionem ait S. Doct. *l.1. d.33.q.1.*

Contra: Relatio est unum quid simplicissimum, ergo, si ratione, in, identificatur formaliter, ergo & ratione, ad; Resp. esse unam rem simplicissimam, sed involventem duas formalitates, scilicet, in, & ad; & ratione primæ, cum sit quid absolutum, identificatur non ratione, ad, nam ut ait S. Doct. *d.5. cit.* quantulacunque minima distinctio sufficit ad rationem, in, & ad, ut possit fieri diversa prædicatio formalis objectiva, &c.

399 3. Concl. Divina essentia in suo conceptu non includit relationes. Notandum hic, quod plures Theologi stantes à parte Thomistarum, & admittentes solam distinctionem virtualem (quæ est tamen consequens ad nostrum opus intellectus, cum fundamento in re, & admittitur tantùm purus conceptus formalis, non objectivus, hanc conclusionem admittere, inter quos est P. Gaud. cit. *q.5.* adducens plurimos Theologos omnium Scholarum, quæ assertio, non video quomodo possit convenire cum distinctione tantùm virtuali, eo quod distinctio formalis ex natura rei antecedit omne opus intellectus, & fundatur in diversitate conceptuum non tantùm formalium, sed etiam objectivos: Pro qua sententia dictus P. Gaud. adducit plura loca, & textus Seraph. Doct. clarè probantes distinctionem formalem ex natura rei; unde à nobis addita est hæc Conclusio ad clariorem confirmationem conclusionis antecedentis.

Prob. igitur primò (ultra supra traditas rationes). ex D. Aug. *Ser. de Trin. c. 6. & seq.* docente, relationes non prædicari de Deo secundùm substantiam, & naturam, ergo, &c. Prob. 2. ex Concil. & PP. distinguentibus in Deo communia à propriis; ergo si relationes essent de conceptu essentiæ etiam essent æquè cum ipsa essentiales, & absolutæ; sicque etiam relationes essent communicabiles. Prob 3. ex S. Bon. *d.19. p.2. q.1. ad 5.* quicquid est de essentia Dei, vel deitatis, est de essentia personarum, sed tres relationes non sunt de essentia singularum personarum, quia nulla persona est Trinitas, ergo nec de essentia deitatis: Major patet. quia singulæ personæ sunt unus Deus, ergo quicquid essentialiter convenit Deo, convenit singulis personis.

Nota tamen, quod ex hoc argum. inferebant Ariani diversitatem substantiæ in Patre, & filio; Si enim relationes non sunt de essentia, & conceptu deitatis sequitur, quod dicantur de ea accidentaliter. & si non accidentaliter, ergo substantialiter sunt diversæ: quibus resp. ex Seraph. Doct. cit. nec dici substantialiter, idest essentialiter nisi prædicatione per identitatem, nec accidentaliter, sed relativè; qui modus proprius tantùm est in divinis, nam in Creaturis non admittitur prædicatio per omnimodam identitatem, nisi nugatoriè, sed in divinis admittitur ob summam simplicitatem, ut dictum est, Vide S. Bon. *cit. ad 2.*

Prob. 4. à S. Doct. *d.26. q.1. corp.* Divina essentia est tota una, & simplicissima nullam admittens distinctionem, relationes intrinsecè postulant distinctionem, ergo impossibile est, ut includantur in conceptu objectivo essentiæ: Idem argumentum fieri potest ex variis attributionibus, quæ competunt à parte rei essentiæ, & non relationibus, & è converso, quas brevitatis causa omittimus, cum de se evidenter probent intentum. P. Gand. verò hic *num. 144.* protestatur se usum fuisse his rationibus (quæ sunt Seraph. Doct.) solùm ad probandam exclusionem conceptuum objectivorum, quibus (ait) abutitur Scotus ad distinctionem formalem invehendam, non verò ad excludendam, vel delendam distinctionem virtualem, & rationis ratiocinatæ, ut sæpe refricat S. Bon. locis cit. & agnoverunt Thomistæ amici, & cæteri ejusdem sententiæ; quæ quàm solidè, & consequenter dicta sint, notum est formalistis, quod & nos in tract. formalit. fusè diximus, & supra etiam notatum: diversitas enim conceptuum objectivorum est fundamentum proprium distinctionis formalis.

Ob. cum Thomistis: Ea quæ prædicantur formaliter, sunt idem formaliter, & unum est de conceptu alterius, sed relatio prædicatur formaliter de essentia, & è contra, essentia de hypostasibus. Deitas est Pater, deitas est filius, & Deus est Pater, ut propositio per se, & formalis; & Paternitas est de essentia Patris, ergo de essentia Dei; quia Pater non habet aliam essentiam quàm Dei; ergo, &c.

Resp. S. Doct. *d.5. q.1. & d.7. q.3. ad 1. & in corp.* quod in divinis est duplex modus prædicandi, alter per identitatem, ut cum dicitur essentia est Pater, alter per inhærentiam, sive denominationem, ut faciunt adjectiva, & verba: In prima prædicatione, termini idem significant, & idem supponunt, ideo idem est Pater, & essentia quo ad significatum: in secunda verò, terminus aliud significat, aliud supponit; unde essentia in hac propositione essentia est Pater, non supponit pro persona, quo tamen non obstante, vera est ob summam identitatem, & simplicitatem divinam æqualem in persona, & in essentia; non tamen est vera ex vi formalis prædicationis, unde negatur consequentia, nam relatio dicit diversum modum se habendi, ut supra dictum est, &c.

4. Concl. Relationes non includunt in suo conceptu objectivo essentiam: Est Vasq. Arriaga, Caspens. aliorumq. & infertur ex supra traditis ex Seraph. Doct. & præcipuè *d.5. q.1.* ubi admittit prædicationem essentiæ, & relationem per identitatem non præcisione formali. Pr. 1. Quod potest abstrahi à ratione deitatis. seu entis Dei, non est essentialiter divina essentia, sed relationes possunt præscindi à conceptu deitatis, cum relatio dicat proprium, essentia commune, ergo, &c. Pr. 2. Id, quod concipitur cum fundamento advenire alteri, non includit illud, sed relatio cum fundamento in re concipitur advenire essentiæ divinæ, & de facto advenit, ut de se patet, ergo: Tum quia relatione plurificantur personæ, & non ratione naturæ, ergo, &c. 400

Ob. Proprietates personales sunt Deus, ergo includunt in suo conceptu essentiali deitatem. Resp. S. Bon. sunt Deus per identitatem realem, non formalem, sunt enim idem, sed non ad idem, sic S. Bon. *d.9. q.1. ad 3.* solvuntur hic aliqua dubia ad hanc materiam elucidandam.

Quæres 1. *An relatio propriè dicatur esse in essentia, & in personis?* Resp. S. Bon. *d.33. dub. 2. & q.2. in corp.* & *d.5. q.2.* quod præpositio (in) notat diversas 401

habitudines, aliter enim dicitur Pater esse in filio, paternitas in Patre, aliter in essentia: Nam Pater dicitur esse in filio, non sicut proprietas distinctiva, sed sicut persona consubstantialis, proprietas verò dicitur esse in essentia propter identitatem; vel sicut dicit Scotus, ut in suo fundamento, & radice, non ut actus in potentia, sed ut identicè contentum in pelago infinito essendi; relatio autem dicitur esse in persona sicut forma hypostatica in hypostasi, seu ut determinans in determinato, nempe non sicut actus naturæ, sed hypostasis determinans non naturam, sed hypostasim.

Q. 2. *An essentia divina, & proprietas sint unum?* Resp. S. Bon *dist.* 33. *quæst.* 2. *ad* 3. esse unum, non per compositionem, vel aggregationem, quia compositio repugnat summæ simplicitati, & aggregatio excludit partium identitatem, sed sunt unum unitate identitatis, & simplicitatis summæ, ita quod divina persona est ita simplex, ac essentia secundùm se accepta: *Sic d.* 5. *q.* 1.

402 Q. 3. *An & quomodo relationes personales differant à suis personis, & inter se.* Gilbertus falsò dixit distingui realiter, eo quod essent assistentes tantùm personis: Prepositivus apud Seraph. Doct. *lib.* 1. *dist.* 33. *quæst.* 1. dixit, proprietates esse personas, sed non in personis, nisi secundùm modum loquendi: Canariensis dixit, differre tantùm ratione ratiocinante: Divus Thomas cum suis, differre ratione ratiocinata: Scotus dixit, & prius Seraph. Doct. asseruit, differre formaliter ex natura rei. P. Gaud. *cit. quæst.* 7. trahit Seraph. Doct. ad partes Thomistarum, sed malè: currunt enim eædem rationes de distinctione ab essentia, ut etiam advertit Coriolanus.

Prob. autem ex fundamentis Seraph. Doct. *dist.* 33. *quæst.* 1. Ubicumque est verè determinans, & determinatum, ibi determinans differt à determinato, nam si non differret, ibi non esset verè determinans, & totum esset determinatum, sed persona in divinis est verè determinatum, & proprietas verè determinans, ergo, &c. Prob. Minor; proprietas verè, & non secundùm modum dicendi solùm constituit, & distinguit personam (intellige non sicut actus, & potentia) sed ut actus hypostasis, ergo, &c.

Nota, quod S. Bon. facit hoc argumentum ad oppositum pro Gilberto, quo intendebat inferre distinctionem realem, & impossibilitatem prædicationis proprietatis de persona; cui argumento resp. ad rem, admittens non quidem distinctionem realem, sed aliquantulam differentiam penes modum se habendi, quæ differentia est actualis, sed cum identitate reali ob quam potest fieri prædicatio relationis de persona; Pater est paternitas: Unde patet P. Gaud. uti doctrina Seraph. Doct. contra Sanctum Doct. ejusque mentem.

Prob. 2. à Seraph. Doct. ubi est verè abstractum, & concretum, ibi differt, quod abstrahitur à concreto, à quo abstrahitur, sed proprietas significatur in concretione ad personam cum dicitur Pater, & in abstractione cum dicitur paternitas, ergo adest differentia, sed hæc est non tantùm in modo loquendi, quia aliquid verè dicitur de Patre, ut Pater generat, quod non potest dici de paternitate, ergo verè differunt.

Nota, quod ad rem nostram S. Doct. resp. huic argum. Porrectani quod abstractio paternitatis à Patre in quo est solùm secundùm modum intelligendi, fit quatenus dicit esse in subjecto, non verò secundùm respectum, ad, & secundùm hanc rationem est vera abstractio, & differentia.

Prob. 3. Ubi est absolutum, & respectivum, ibi absolutum non est ipse respectus, quantumcumque se ipso referatur, ut materia ad formam, & è converso (nota quod hîc P. Gaud. mutat verba Seraph. Doct. dicens, ubi est absolutum, & respectivum, ibi sunt diversa fundamenta rationis, ut aptet argumentum S. Bon. ad suum sensum, & sententiam Thomisticam, ideò non fideliter refert textum) subdit minorem, violenter tamen, sed persona est absolutum, scilicet essentia divina, & relatio, ergo quamtumcumque persona se ipsa referatur, ibi relatio differt: Glossat autem Seraph. Doct. in responsione ad hoc argumentum Gilberti, quod vera est major, & in creatis, & in divinis, sed cum hoc discrimine, quod in creatis relatio involuit dependentiam, ob idque imperfectionem, non in divinis, ubi respectus est sine dependentia, ideóque nec privat prædicationem identicam, sicuti prætendebat Gilbertus.

Ex quibus sequitur à fortiori, quod relationes 403
in eadem persona, inter se formaliter distinguuntur, ut in Patre paternitas, seu generatio activa, & activa spiratio, in filio filiatio, seu generatio passiva, & spiratio activa, quia uni attribuitur aliquid à parte rei, quod non alteri: sic S. Bon. *d.* 33. *q.* 3. *in comp. ad finem.*

Q. 4. *An istæ relationes. v. g. Paternitas, & spiratio ad invicem prædicentur?* Greg. *d.* 26. *q.* 1. docet, in Patre esse unicam relationem, ideò solùm prædicari identicè. Secunda opinio negat posse prædicari ad invicem: Sic D. Thom. & sequaces etiamsi differant tantùm virtualiter: Scotus item negat, eo quod differunt ex natura rei: Seraph. Doct. sustinet hanc opinionem, licèt Gaud. dicat stare cum Thomistis, quod est falsum, ut patet in *cit. quæst.* 3. *ad finem corp.* ubi admittit prædicationem notionis de notione in concreto prædicatione identitatis, non verò in abstractione prædicatione per inhærentiam, & formali: ratio est, quia in abstractione notio importat purè respectum; quælibet autem importat suum respectum ad aliud præcisum à respectu alterius, ideò sunt diversæ, alioquin si una in abstracto prædicaretur, de altera fieret confusio plurium in unam, & etiam terminorum.

Objic. Attributa prædicantur de se invicem in abstracto, ergo & proprietates: patet conseq. quia major est conformitas proprietatis ad proprietatem, quàm proprietatis ad essentiam, vel attributorum ad essentiam. Resp. Seraph Doct. *ad* 4. neg. conseq. & paritatem; ratio est, quia in prædicatione attributorum, & relationum cum essentia adest identitas ratione essentiæ, & suppositi realis, sed in prædicatione relationis de relatione in abstracto non adest ulla identitas ratione essentiæ, & personæ, cum ab ea præscindantur per abstractionem, & relinquantur in sua pura ratione, entitate, & respectu & cum sit diversus respectus formalis in ipsis, non potest fieri similis prædicatio, ideò in objectione ait Seraph. Doct. est fallacia accidentis, dicendo; conveniunt in substantia, ergo & in respectu.

QUÆSTIO III.

An relationes divinæ præcisè sumptæ dicant perfectionem.

404 Titulus quæstionis est clarus, nam relationes divinæ hic sumuntur præcisè, prout dicunt, ad, cum certum sit, ipsas dicere perfectionem infinitam prout identificantur cum essentia divina. In qua.

1. Opinio est D. Thomæ, & omnium sequacium dicere de se perfectionem infinitam; sic & P. Gaud. Forestus, aliique tamquam de mente Seraph. Doct.

2. Opinio est Scoti, & sequac. & plurium Thomistarum, aliorumque Theologorum diversarum scholarum, nullam dicere perfectionem. Seraph. Doct. hanc non excitat quæstionem, nec de hac materia ullibi ex professo tractat: unde mirum non est, quod trahatur à supradictis Doctoribus ad partem Thomistarum, & Scotistarum. Pro Thomistis laborat P. Gaud. *quæst.* 10. ex D. Bon. Pro Scotistis, Mastrius citans pro se S. Doct. *d.*7.*q.*2. *num.*44 *& seq.* & cum hac sententia existimo verè stare Seraph. Doct. nec aliquid probare in contrarium loca ex eodem citata, & allata à Gaud. Pro solutione quæstionis.

Not. 1. ex Seraph. Doct. quod relationes duplicem formalitatem continent, scilicet rationem, in, & ad, ratione, in, sunt idem formalissimè cum essentia divina, sed quia retinent rationem, ad, seu respectum ad objectum, hoc modo distinguuntur formaliter ab essentia divina, ut supra traditum est ex Seraph. Doct. Hinc est (ait S. Doct.) quod relationes formaliter consideratæ, non sunt entia, sed entium (esto quod in creatis essent entia in recto, cum sint accidentia completa, realiter distincta à subjecto) hinc est quod dicantur non entia in recto, sed entium, scilicet aliquid entis. *Sic lib* 1. *d.*30. *dub.*4. & ob id subdit *l.* 1. *d.*33. *a.* 1. *q.* 2. *in comp.* non dicunt essentiam, vel entitatem, sed in essentia modum se habendi nihil addendo entitatis, sed tantùm respectum ad objectum.

Not. 2. Quod bonitas, & perfectio duplex est: una entitativa, quæ convenit enti, ut ens est, quodlibet enim ens est bonum, & perfectum in suo genere; alia est gradualis, quæ convenit tali enti, ut tale ens. v. g. homo habens virtutem dicitur bonus, & perfectus. Discrepant autem Auctores hujus sententiæ, aliqui enim negant solùm hanc secundam bonitatem in relationibus, alii etiam primam, sed verior est prima positio.

405 Not. 3. Ex Seraph. Doct. *lib.* 1. *d.*2. *q.* 1. *ad* 2. *& quæst.*2. *ad p.* 2. *&* 3. & ex Scoto ibidem *quæst.* . *M. M. ad* 3. *quæst* 4. quod pluralitas personarum in divinis non ponit novam, & majorem perfectionem in Deo, sed majorem extensionem, seu ut dicit S. Bon. majorem declarationem ejusdem perfectionis intensivæ; cum enim divina natura ex sua infinitate sit pluribus suppositis eadem numero communicabilis, quod actu pluribus communicetur non est nova, vel distincta perfectio, sed ejusdem perfectionis formalissimè sumptæ vera declaratio, & redundantia, & illius perfectionis, communicabilitatisque exercitium necessarium, quo deficiente, nec ipsa natura divina diceretur communicabilis, quia in divinis idem est, & esse: In quo sensu intelligendi sunt aliqui SS. Patres dicentes, quod Deus absque relationibus diceretur imperfectus, non quod super addant (ait S Bon.) novam perfectionem essentiæ, sed quia sunt termini necessarii extensionis, redundantiæ, & declarationis, seu communicationis ejusdem intensivæ perfectionis.

Not. 4. Quod apud Auctores primæ opinionis est maxima quæstio, an quælibet relatio, cum omnes dicant perfectionem infinitam, sit perfectio simpliciter infinita, ita ut adsint in essentia divina quatuor perfectiones infinitæ, scilicet essentiæ, & trium relationum, imò quatuor relationum; an verò omnes simul integrent unicam perfectionem infinitam, & hoc vel de se, vel simul cum essentia divina: Major. *lib.* 1. *d.*33. Torres, aliique dicunt esse unam omninò perfectionem, omninò cum essentia. Vasq. dicit esse plures perfectiones integrantes Deum, ratione tantùm distinctas: sic *dist.*122. *cap.*6. Sic & Forestus noster. Unde in istorum sententia datur una infinitas in Deo continens absoluta, & relativa, ex quibus unus Deus constituitur: sicque pedetentim conficiunt nobiscum quæstionem de nomine, id enim est quod nos dicimus cum S. Bon. *dist.*19. *quæst.*2. & Scoto. Ulterius est notandum, quod infinitum actu absolutè tale est incompossibile cum alio infinito, nec ei addi aliquid potest, unde est perfectio simpliciter, simplex in se absorbens omnem, & quamlibet aliam perfectionem; unde implicat dari infinitum in genere, nisi potentiale, & creatum, & imperfectum: sic S. Bon. *l.* 2. *d.* 1. *q.* 2. aliisque locis à nobis adductis in Phisica in quæstione de infinito *l.* 3. His positis.

1. Concl. Relationes prout sunt in divina essen- 406
tia, & ex ipsa pullulantes cum ipsa identificatæ dicunt perfectionem infinitam: est communis omnium Theologorum. Ratio est, quia induunt eandem perfectionem ob identificationem cum ipsa divina essentia, & in hoc sensu debent sumi tot rationes, & auctoritates quas congerit cum Thomistis P. Gaud. cit. ad probandum ipsas dicere perfectionem infinitam. Adversarii enim frustra laborant, & fallaciter arguunt, probando, personam quamlibet esse infinitè perfectam. Quis enim id negat? Est enim talis ratione essentiæ personalitatis.

2. Concl. Relationes divinæ præcisè sumptæ per se nec dicunt perfectionem, nec imperfectionem, nec infinitatem. Est Seraph. Doct. & Scoti ex supra traditis fundamentis.

Probant Scotistæ hanc conclus. primò à priori, ex eo quod ens prima sui divisione dividitur in quantum quantitate virtutis, & in non quantum, sed relationes increatæ sunt non quantæ, ergo: Major ab ipsis probatur, cum Minori apud Meldul. in Metaph. *dist.*7. *quæst.* 2. nam quæ habent esse non in recto, sed in obliquo, uti sunt entis passiones, modi intrinseci, ultimæ differentiæ, ultimæ realitates; & relationes divinæ non sint entia in recto, sed entium, ut etiam docet S. Bon. *lib.* 1. *d.*30. *dub.*4. Cum enim nihil entitatis in se contineant nisi quatenus in sunt identificatæ in suo ente, ideò dicuntur entium, non entia; per consequens etiam tali ratione sola habent entitatem, & hoc est quod dicit S. Doct. quod relativa quidem referuntur, quia dicunt rem substractam cum respectu, ipsæ autem relationes non referuntur, imò magis alia referunt, quia non sunt entia, sed entium, quia sunt unum cum alio, & aliquid per aliud; & S. Bon. *d.*33. *a.* 1. *q.* 2. *in corp.* notat, quod relatio in divinis

transit in subjectum, seu substantiam ratione, in, ideò est idem quod divina substantia; ratione verò comparationis ad objectum, & terminum remanet, non quidem dicens aliam essentiam, seu entitatem, sed tantùm alium modum se habendi, nihil addens entitatis ipsi essentiæ; & quia talis modus se habendi ad aliud non est in essentia, licèt cum ipsa identificatus, sed in persona, quæ per talem modum refertur ad aliam personam, ideò propriè talis respectus est in personis, impropriè verò in essentia divina quatenus cum ea identificatur: Et hinc ait S. Bon. *l.1 d.26.q.2. ad ult.* quod relatio inter omnia habet minimum de entitate. Ex quibus, & aliis supra in fundamentis adductis patet, quàm non satis prudenter P. Gaud. appellat hanc divisionem entis quanti, & non quanti Cantilenam, & petitionem principii Scotistarum, & quo fundamento miratur Scotistas non vereri, asserere relationes divinas nullius perfectionis, & sic Deo detrahere: his positis quoad rationem à priori, probant Scotistæ à posteriori ab inconvenienti.

407 Primò, quia si paternitas diceret perfectionem, cum paternitas non sit formaliter in filio, aliqua perfectio esset in Patre, quæ non esset in Filio, & è contra idem de filiatione in Filio respectu Patris, & spiratione in Spiritu sancto, atque adeò plus perfectionis esset in omnibus personis simul, quam in singulis, quod est contra omnes Theologos, & præcipuè D. August. *serm.7. de Trinit c.7.8. & 10.* ubi docet tantùm esse Patrem solùm, vel Filium solùm, vel Spiritum sanctum solùm, quantum Pater, Filius, & Spiritus sanctus simul. Ut adversarii respondeant huic argumento, mirum est quàm torqueantur, & in quot, & varias vias incedant. P. Gaud. *num.257.* antequam cum Thomistis respondeat directè, affert ex Seraph. Doct. instantiam ad hominem de potentia generativa, & fæcunditate naturæ existente in Patre, & non in Filio, & tamen, & nos ipsam fatemur perfectionem simpliciter, ergo & nos etiam tenemur admittere aliquam perfectionem esse in una persona, & non esse in alia: quæ objectio tamen apud Seraph. Doct. est nulla, cum talis potentia dicat essentiam, & relationem, sed completivè dicit relationem; quod & S. Doct. fusè probat *dist.7.* & nos supra tradidimus *dist.12. quæst.5.*

Resp. communiter, perfectionem unius personæ esse eminenter, seu æquivalenter in alia, quæ responsio non enervat vim argumenti, tum quia, si hæc eminentia sumitur ratione essentiæ, idem & nos dicimus, sed hoc est saltare extra quæstionem, si sumatur ratione puræ relationis, cum secundùm adversarios dicat perfectionem formalissimè infinitam, & distinctam ab altera, hæc eminentia tollit istas singulares, & præcisas perfectiones infinitas, sed omnes in unam perfectionem infinitam aggregabit; sicque non erunt per se infinitæ, nisi ut unum sumptæ; tum quia proprium est infiniti identificare sibi omnem perfectionem, ergo paternitas identificabit sibi filiationem, & spirationem. Unde Seraph. Doct. *d.19 q.1. ad 3.* ait posse declinari has omnes difficultates dicendo, personas esse æquè perfectas ratione essentiæ, licèt quoad modum se habendi differant, qui modus de se nihil addit, vel adimit perfectionis. Hinc etiam urget contra adversarios alia ratio, nempè quia sequeretur inæqualitas perfectionis formalis in personis divinis, & pluralitas infinitorum, licèt communiter in respondendo negant sequelam utramque quoad æqualitatem, & inæqualitatem in perfectione, eo quod quælibet relatio habeat eosdem gradus perfectionis, sicut alia: quæ tamen responsio non satisfacit, cum in Spiritu sancto non sit nisi una relatio spirationis; duplex autem est in Patre, & Filio, tum etiam, quia, ut dicetur suo loco, æqualitas personarum divinarum desumitur ex essentialibus perfectionibus non relativis. Et quoad multitudinem infinitorum: respondet, dici quidem plura infinita denominativè, sed tamen terminativè mirabiliter convenientia ad unum infinitum simpliciter in genere entis amplo constituendum, continens omne absolutum, & relativè perfectissimum: In qua responsione nobiscum conveniunt in re, & discrepant in nomine.

Adversarii contra nos objiciunt multa loca sacræ Scripturæ, & auctoritates SS. Patrum, innuentes, personam v. g. Patris, ut sic, esse infinitè perfectam, idem, & de Filio, &c. Quæ tamen non obstant nostræ conclusioni, quia persona sumpta in concreto dicit essentiam, quæ est origo, & radix totius perfectionis. 408

Objic. 1. Relationes divinæ sunt verè entia de se considerata, ergo & habent propriam bonitatem, ergo & infinitam. Resp. conced. relationes habere propriam bonitatem convenientem entitati ipsarum, sed negando habere gradualem, hanc enim desumunt à fundamento, quia ut ait S. Doct. *d.19. q.2.* emanatio personæ attenditur principaliter ex fæcunditate personæ, vel in persona, ad quam consequitur bonum in hypostasi ratione essentiæ communicatæ.

Objic. 2. Relationes divinæ præcisè sunt adorandæ latria, ut supra dictum est ex S. Doct. *lib.1. d.27.q.4.comp.* & *d.33.q.2.* ergo involvunt perfectionem proportionatam, ergo ratione perfectionis ipsarum. Resp. Scotus *q.3. d.5.* in objecto adorationis distinguendum esse terminum adorationis à ratione adorandi, & aliquid posse excludi, vel à termino adorationis, vel à ratione adorandi, & quod excluditur à ratione adorandi, non necessariò excluditur à termino adorationis: Modo in personis divinis ratio adorandi est ipsa essentia, sed terminus adorationis sunt essentia ipsa, personæ, & relationes; sic etiam Trinitas, ut talis, adoratur ut terminus, non ut ratio adorandi, & talis est sensus Seraphici Doct. patentissimus *lib.1. d.33. q.2. in fund.1.* ubi ait adorari proprietatem, quia est idem cum divina essentia, & idem *d.27. p.1. q.4. in corp.* quem sensum licèt patentem P. Gaud. extorquet *n.159. seq. &c.*

Objic. 3. Relationes constituunt personas divinas perfectissimas, non solùm in ratione formali essentiæ, sed & personæ, ergo ipsæ sunt perfectissimæ. Prob. conseq. quia constitutivum perfectissimæ hypostasis debet importare perfectionem proportionatam. Et confirmatur, quia etiam personalitates creatæ dicunt perfectionem. Resp. negand. anteced. & conseq. quia tam in creatis, quàm in divinis dignitas, & perfectio suppositi attenditur præcisè ex natura, in qua subsistit; ratio est, ait S. Bon. *dist.19. cit.* quia constituitur persona perfectissima, non præcisè ex relatione, sed quia bonum ex diffusione naturæ est in hypostasi, & in persona, unde tota perfectio est ratione naturæ, non relationis determinantis personam.

DISPUTATIO XIV.

De personis divinis in communi.

EX emanationibus relationes, & inde Personæ divinæ consurgunt: Hinc doctrinæ ordo exigit, ut post disputationem de relationibus, de Personis agamus: primò in communi, postea in particulari.

QUÆSTIO I.

Utrum nomen personæ rectè ad divina translatum sit, quidque significet, & an idem sit ac Hypostasis, suppositum, subsistentia, essentia, & substantia.

409 SVppon. 1. id quod traditum est in Philos. Ista quatuor se habere ut superius, & inferius, Persona, suppositum, singulare, seu individuum, & particulare: Particulare dicitur de rationali, irrationali, substantia, & accidente: individuum, & singulare dicitur de omni substantia prima, de accidente, & etiam de natura non supposita, ut est in Christo natura humana, quæ est individuum, non verò suppositum, vel persona; quia ut sic, non est omnino incommunicabilis, ut mox dicetur. Suppositum dicitur solùm de substantia prima, sive rationali, sive irrationali supposita, ultimoque terminata: Persona verò dicitur tantùm de substantia prima rationali supposita; sic natura humana in Christo est particularis, & singularis, quia individuata, sed non supposita, & personata propria subsistentia, sed à persona verbi ultimò terminata, redditaque ulterius communicabilis.

Suppon. 2. Ex S. Bon. *d.* 23. *q.* 1. Personam posse sumi quadrupliciter: 1. pro homine larvato, ut in Comedia; Græcè enim Prosopon est homo larvatus ad fingendum alium: hinc habent Rethores figuram prosopopejam, qua inducunt exanimes, quasi personas ad eloquendum, dictum autem est hoc à personando, quia in Bacchanalibus à cavitate larvæ clamantes personant. 2. Pro modo significandi Grammaticali, ut ego, tu, ille: 3. Pro dignitate Ecclesiastica, quia enim persona dicitur quasi per se una, ideo hoc nomen translatum est ad significandum homines præclaros, quibus virtus, & decor undiq. personat; Unde in jure Canonico stat pro Prælato: 4. Sumitur pro rationali supposito, & individuo perfectissimo.

410 Suppon. 3. Ex S. Bon. *l.* 3. *d.* 5. *a.* 2. *q.* 3. *& l.* 1. *d.* 23. *per totam*, quod, sicut duplex est communicabilitas, scilicet ut quod, & ut quo; sic duplex est incommunicabilitas: Communicabilitas, ut quod, est per quam superius communicatur inferiori per identitatem, & essentialiter: Sic v. g. Animal communicatur homini, & hinc oritur prædicatio in primo modo dicendi, ut homo est animal, quæ communicatio facit, ut quod communicatur exprimit, vel partem, ut homo est animal; vel totum, ut Petrus est homo: Secunda communicatio dicitur, ut quo, scilicet per informationem, vel ad modum formæ. Hæc autem communicatio fit tribus modis: primo per identitatem, quando est id, quo aliud, cui communicatur est tale essentialiter, Sic natura communicatur suis suppositis & universale inferioribus, & tunc quod communicatur, ut quo, est etiam communicatum, ut quod: Secunda est per informationem, sic forma materiæ, anima corpori, accidens subjecto, quo fit, ut id cui communicatur non sit ipsum, sed ipso sit tale v. g. Corpus, vivens, animatum; Unde non prædicatur quidditativè, neque enim dicitur Corpus est anima: tertio modo per unionem, quatenus aliquid alteri unitur, ut ab illo sustentetur; Sic natura humana unitur verbo, & ab illo sustentatur, & quamvis à verbo non informetur perficitur tamen ultimatè. Ex opposito incommunicabilitas omnibus modis competit supposito, & personæ, quia nulli communicari, potest, vel per identitatem, vel per compositionem, vel per unionem.

Suppon. 4. ex Seraph. Doct. *l.* 1. *d.* 23 *dub.* 1. *&* 411
q. 2. *&* 3. & Comp. Theol. *l.* 1. *c.* 13. quod hæc quatuor nomina essentia, substantia, hypostasis, & persona in Græco ita se habent: Essentia dicitur Usia, & Physis, idest natura: substantia dicitur usiosis, idest quod est unum essentia: hypostasis dicitur suppositum, & substantia completa, & incommunicabilis, idque est commune homini, & æquo. Persona addit dignitatem rationalis naturæ ad hypostasim: primum essentia dicit quo; & dicitur omnimodè in abstracto; secundum substantia medio modo, ut Deus dicit quo & quod, scilicet Deitatem, & habentem Deitatem: tertium, & quartum hypostasis, & persona dicit qui, & quia: ratio hujus dicti est, quia cum Deus sit unus & trinus, oportet assignare, quod est unum, & est substantia, seu Deus, & qua est, scilicet essentia: Et quia Trinus est in personis oportet assignare id, quo personæ distinguantur, scilicet proprietates, & personas quæ distinguntur: personas autem distinctas considerare possumus, vel ut subsistentes, vel ut taliter subsistentes subsistentia nobili naturæ intellectuali debita: & primum quidem dicit hypostasim, seu subsistentiam secundum verò addit nobilitatem, & dignitatem personæ. Circa hoc nomen hypostasis fuit magna controversia in Ecclesia, an idem significaret ac Usia, fuitque determinatum in Concil. Alexandrino, Catholicos posse ob inopiam nominum usurpare hoc nomen hypostasis, ad significandam Trinitatem personarum, ne solo nomine cum Sabellio viderentur asserere Trinitatem; & hinc Ariani ansam

ansam arripuere asserendi tres substantias in unitate, atque vocem Homousion sepeliendi, quæ significat consubstantialitatem ejusdem naturæ in Patre, & Filio: Hinc determinatum fuit in eodem Concilio hoc nomen hypostasis significare idem, quod Latini intendunt per nomen Prosopon, vel personam, suntque hodie Synonima, in divinis, quia usus invaluit jam per ipsa significare tres subsistentes, & personas. His positis, &c.

412 Concl. 1. Personæ nomen rectè ad divina translatum est, scilicet ad exprimendas personas Trinitatis. Est S. Bon. d. 23. q. 1. & communis. Probatur ex Ethimologia, quia persona dicitur quasi per se una, vel per se sonans, sed per se unum proprissimè recipitur in Deo; tum quia persona est per se sonans, & præminens aliis, ob idque est suppositum distinctum habens dignitatem, ergo; & hinc est quod, cum deberet pronunciari persona penultima correpta, usus invaluit, ut pronuncietur pænultima producta ratione hujus dignitatis.

Concl. 2. Persona rectè à D. Boëtio definitur. Persona est rationalis naturæ individua, seu incommunicabilis substantia: Est communis S.Bon. l. 1. d. 23. cit. & Comp. Theol. l. 1. c. 13. Explicatur simulque probatur. Dicitur substantia loco generis, simulque ut distinguatur ab accidente: quæ substantia est communis, & communicabilis. Dicitur individua, scilicet perfecta: individuatio enim perfecta, dicit indivisionem in se, & divisionem à quocunque alio, & incompònibilitatem, ideoque est incommunicabilis, & incomponibilis, ut excludatur, materia, forma, & anima rationalis, & humanitas Christi, quæ non est absolutè incommunicabilis, ut quo, & ut quod: dicitur rationalis naturæ, ut excludantur supposita irrationalia.

413 Objic. 1. Persona est quid simplicissimum, sed hæc difinitio importat compositionem generis, & differentiæ, ergo malè tradita est. Resp. conced. majorem, distinguendo minorem, importat compositionem secundùm nostrum modum concipiendi, concedo; à parte rei, nego.

Objic. 2. Cum Scoto: quia hæc definitio competit etiam animæ rationali, quæ est individua substantia, & humanitati Christi, ergo mutilatè tradita est. Respond. negand. anteced. in sensu, quo traditur à SS. PP. scilicet per ly, individua, intelligitur incommunicabilis, & incomponibilis: humanitas Christi non est perfectè individua, & ultimatè.

Objic. 3. ex Ricardo, hanc definitionem competere divinæ naturæ, quæ est substantia completa, & individua. Respond. negand. assumptum; quia, ut dictum est per ly, individua, intelligitur substantia terminata per modum substantiæ primæ, & suppositi, non per modum naturæ.

Objic. 4. Cum Laur. Valla: Personam significare qualitatem, seu repræsentationem alterius personæ, ergo malè translata est ad divina: Respond. nomen personæ, esse quidem impositum à repræsentatione, sed tamen ad repræsentandum substantiam completam, nam ut dicit S.Thomas l. 1. d. 23. Judicium de nomine non debet esse secundùm hoc, à quo imponitur, sed secundùm id, ad quod significandum instituitur: unde hic Grammaticulus pessimè sensit, & ab omnibus Theologis rejectus est.

Ex quibus traditis infertur: primò Hypostasim, & personam in Ecclesia idem significare; sic enim usus invaluit, licèt in primis sæculis in hoc maxima dubitatio orta esset, quæ sublata fuit à pluribus Concil. secundò subsistentiam, & personalitatem differre realiter à natura singulari, ut patet de fide in Christi humanitate: quod tamen verùm est in creatis, nam in divinis alio modo discurrendum est, ut suo loco patebit.

QUÆSTIO II.

An personalitas addat substantiæ, & essentiæ individuæ aliquid positivum? Diximus supra personam dicere duplicem incommunicabilitatem; scilicet. ut quod, & ut quo: Modo quæritur, *an hæc incommunicabilitas sit quid purè negativum, an verò sit quid positivum, & super quod fundetur dicta incommunicabilitas.*

Prima opinio est Scoti, & sequacium, & etiam plurium aliorum asserentium importare putam negationem. 414

2. Opinio opposita est D. Bon. (licet violenter trahatur ab Utinensi nostro ad partes Scotistarum) D. Thomæ, & communior aliorum Theologorum, quam etiam probabilem existimat Scotus apud Mastrium Metaph. d. 11. q. 3. & 8. & in 3. d. 1. q. 3.

Not. 1. Quod, cùm personalitas sit id quo formaliter constituitur persona, nihil aliud importat in natura rationali quàm subsistentiam, & suppositalitatem in quacunque substantia, est enim terminus, seu complementum substantiæ, quo redditur ultimò completa, & terminata, sicut quantitas terminatur superficie, linea, & punctis: Et quidquid illud sit, constat, terminum hunc, seu subsistentiam non pertinere ad prædicatum constitutivum naturæ, sed esse constitutæ terminativum; patet hoc in Christo, in quo est integra humana natura in ratione naturæ, etiam si illi desit propria suppositalitas, ergo non pertinet suppositalitas ad constitutionem naturæ, sed ad terminationem naturæ constitutæ. Quo supposito, quæritur quid sit hoc, quod præter naturam importat substantia, aut personalitas, an quid reale, an rationis, an modus, an res, an realitas, & an quid positivum, vel negativum. Scotus, ut dictum est, ait esse negationem, connotantem tamen realitatem positivam, super quam fundatur ista negatio, & in divinis connotat relationem. Alii esse ens rationis, quod tribuitur Durando, quod tamen rejicitur ab omnibus: D. Thomas, & D. Bonavent. volunt esse quid positivum, connotans negationem communicabilitatis, hocque positivum, vel est realitas, vel modus realis substantialis superadditus naturæ, pertinens ad prædicamentum substantiæ, tanquam modus terminans, & complens naturam, sicut punctum reductivè est in prædicamento quantitatis. Et si quæratur, quem effectum faciat realitas ista super naturam? Respond. duos effectus formales præstare, quorum unus aliquando separatur ab alio, si totaliter, & adæquatè non est complementum individuum. Est enim modus existendi per se, & est modus existendi incommunicabiliter supposito: sic anima rationalis separata, licet

cèt per se existat, non tamen ut totum incommunicabile, & ideo non est persona: Id autem quod est persona, & suppositum incommunicabiliter se habet, & tanquam quoddam totum in se clausum, & completum, & vocatur substantia quatenus per se existit: Hypostasis vero, seu suppositum, quatenus aliis accidentibus, aut prædicatis supponitur, & sustentat ea: sic hic secundus effectus supponit primum, & hoc verum est de persona incommunicabili.

415 Not. 2. Quod est quæstio inter Theologos, an nomen personæ significet substantiam, an relationem, an utrumque, & quomodo; quam tractat Seraph. Doct. *l. 1. d. 25. q. 1.* & resolvit, quod utrumque importat; principaliùs tamen substantiam, quam relationem: ratio est, quia persona dicit suppositum certum substantiæ, sive in Deo, sive in creatis, sed quia hoc suppositum intrinsecè est distinctum proprietate, hinc secundariò dicit relationem ob multiplicationem, vel plurificationem, quam dicit non natura, sed relatio.

Concl. 1. Personalitas addit supra naturam aliquid positivum. Est D.Thom. ut dictum est, & Seraph. Doct. *l. 1. d. 25. a. 2. q. 1. ad finem corp.* ubi dicit, quod persona dicit incommunicabile secundùm rationem, & hoc dicit privationem communicabilitatis: Persona ulteriùs, quia incommunicabilitatem habet ratione hujus, quod subest proprietati distinguendi, dicit habitudinem ad proprietatem, sicut per nomen hypostasis; & in fine subdit, revera privatio illa in persona magis est positio, quàm privatio: idem & q. 2. ad 3. patenter, & *l. 3. d. 5. a. 2 q. 2. ad* 1. notat, quod persona sumitur à nobilissima proprietate: idem & *q. 3. & l. 1. d. 25. a. 1. q. 2. ad* 3. idem & *a. 2. q. 1. ad 3. & d. 34. q. 1 in fine corp.* dicit, quod personalitas est modus substantialis: idem & *d. 23. b. 1. & l. 3. d. 5. a. 2. q. 2. & Comp. Theol. l. 1. c. 13.* afferens definitionem Magistralem · & tandem *l. 1. d. 25. a. 2. q. 1.* refert opinionem Scoti, eamque refutat. Ex quibus patet quomodo P. Urinensis coactè trahit Seraph. Doct. ad sententiam Scoticam.

Prob. autem Concl. à Doctoribus ex Conciliis, ut videre est apud P. Gaud. *d. 5. q. 3. n. 55.*

Probatur ratione: primò, quia persona est nomen positivum, ergo de formali non dicit negationem; tum quia dicit dignitatem supereminentem ratione ultimatæ terminationis, tum quia assumptio hypostatica est quid positivum, ergo & ejus terminus; motus enim, & actio specificantur à termino, ergo. Tum quia Verbum non assumpsit personam humanam, sed supplevit perfectionem personæ creatæ nobiliori subsistentia, ergo caruit aliqua perfectione creata, & positiva, alioquin supplevisset nihil, quod est negatio; tum quia negatio exigit fundamentum, sed non est natura, ergo aliqua realitas superaddita naturæ, hæc ergo est personalitas; tum quia personalitas dat esse distinctum substantiæ positivæ, ergo est quid positivum, alioquin per nihil distinctio adveniret. Ex quibus sufficienter remanet probata concl. qui alias rationes desiderat, adeat P. Gaudent. cit. qui fusè ipsam probat.

416 Objic. 1. ex Scoto. Si personalitas est aliquid positivum additum naturæ, sequitur esse in natura humana aliquam entitatem inassumptibilem à Verbo. Consequens est falsum, ergo & anteced. major est evidens; minor probatur. quia omnis creatura est in potentia obedientiali Dei, tum quia sequeretur aliquid esse in homine à Deo non creatum; quod enim est inassumpsibile (ex D. Damasc.) est increabile. Respond. ex Seraph. Doct. *l. 3. d. 2. a. 1. q. 3 ad 1 & a. 2. q. 1. fund. 2. & d. 5. a. 2. q. 2. & d. 10. a 1. q. 3.* Personam certè esse inassumpsibilem, quia implicat contradictionem aliquid stare in se ultimò terminativum, & non stare in se, sed in alio, & ad sequelam ex D. Damasc. negatur, quia creata est natura humana tota, quam indicat S. Damasc. per, ly, quod non personam, quæ exprimitur per, qui; unde Verbum assumpsit totum quod spectat ad integritatem naturæ humanæ singularis, idest hanc. & hoc corpus, unita, & ipsam formam humanitatis totius, & proprietates consequentes; non autem assumpsit personam, quia ordinabatur ad redemptionem, ut scilicèt Redemptor esset Deus, non enim potuisset esse Deus, sine unione hac hypostatica, nec unio sine separatione personalitatis humanæ, nec ex hoc sequitur, humanitatem Christi esse imperfectam, quia habet quicquid spectat ad integritatem naturæ singularis, licèt ei deficiat propria personalitas, quæ non addit aliquid intrinsecum naturæ, ut tali, & quia per divinam suppleta est hæc deficientia, quodque in lib. 3. fusiùs examinabitur.

Objic. 2. Si personalitas est modus realiter distinctus à natura individua, sequitur, quod natura humana Christi non possit dimitti absque creatione talis modi substantialis, vel maneret non personata. Et si hoc; tunc non posset agere, cum actiones sint suppositorum, ergo, &c. Respond. ex Seraph. Doct *l. 3 d. 10 q. 2.* quod in dato casu sine creatione pullularet, naturaliter personalitas ex principiis intrinsecis naturæ.

Objic. 3. Personalitas est modus substantialis per nos, ergo non potest stare per se, ergo nec dare naturæ modum standi per se. Resp. neg. sequelam, forma enim, quæ per se non existit, tamen potest dare toti existere per se, quia ex unione requirit perfectius esse; sic & modus iste substantialis, quia ejus effectus proprius formalis est dare ultimatum esse per se.

Ex quibus patet, personalitatem esse realitatem positivam, quæ magis propriè appellari potest modus, scilicet se habendi ad objectum, identificatus realiter cum essentia divina, & solùm distinctus formaliter, ut supra probatum est, qui modus se habet veluti differentia constituens personam; ad cujus modi positionem sequitur, quod natura redditur per se ultimò stans, & terminata, & hinc sequitur incommunicabilitas omnimoda.

Concl. 2. Persona principaliùs dicitur de substantia, seu supposito, minus principaliter dicitur de relatione. Est Seraph. Doct. *d. 25. q. 1.* & D. Thom. Ratio est, quia persona dicitur substantia in recto, quatenus est suppositum constans ex essentia, & relatione, ergo relatio dicitur minus principaliter: Hinc subdit S. Bonavent. quod persona comparata ad naturam, & essentiam subsistentem, dicitur quid per se existens ultimatè; sed quia hoc habet ex relatione, hinc & ista se habet, ut ultimò complens.

QVÆSTIO III.

Utrum nomen Personæ sit commune tribus Personis, & an univocè dicatur.

417 SUppon. 1. hic quod supra traditum est, Personalitatem esse id, quo formaliter constituitur Persona divina, ob id importare terminationem, seu complementum substantiæ, quo redditur ultimò completa, & determinata, sicut quantitas terminatur superficies linea, & punctis: quæritur hic, an personalitas ut sic, cum sit communis tribus Personis, dicat communitatem realem, an rationis, an verò quid medium. Hac verò occasioni Seraph. Doct. quærit de communitate Personæ in ordine ad divinas Personas, & creatas, an sit univoca, an analoga.

1. Opinio est Scoti, & sequacium, nomen Personæ quatenus dicit puram negationem esse commune tribus Personis, non tamen dicere rationem quidditativam realem. Sic *d. 23 q. 1.*

2. Opinio est asserentium, hanc communitatem esse secundam intentionem, & rationis.

3. Sententia recognoscit communitatem realem, sed analogam: & hæc est Seraph. Doct. *d. 25. a. 1. q. 1. & 2.* D. Thomæ, & communis. 1 ro solutione quæstionis, &c.

Not. 1. Ex eodem Seraph. Doct. cit. quod duplex communitas datur: alia secundùm unitatem naturæ absolutæ, alia secundùm similitudinem habitudinis comparatæ: prima est quando aliquod positivum, positivè est in pluribus eodem modo: & talis est communitas univoca essentiæ divinæ tribus Personis, sic est humanitas respectu individuorum, & individualitas respectu ipsorum: Secunda attenditur in consimili operatione, ut Nautæ, respectu regendæ Navis, & Ludi Magistri ad regendam scholam, ut sicut se habet ille ad Navem, ita & iste ad regendam Scholam; & hoc modo se habet nomen Personæ ad tres Personas: sic sicut se habet Paternitas ad filium, ita filiatio ad Patrem, sic enim se habent non eodem modo univoco, sed proportionali.

Not. 2. Univocationem esse duplicem: aliam omnimodam, & perfectam in omnibus ejusdem generis, ut humanitas, aliam non omnimodam, scilicet secundùm habitudinem, undè dicitur univocatio analoga: & hanc recognoscit S. Doct. in hoc nomine Personæ; Nempe pro ut Persona dicitur subsistens, ultimum completivum, & incommunicabile, non autem secundùm rationes singularissimas divinarum Personarum, ut relativæ sunt. His positis.

418 Concl. 1. Personæ nomen est verè, & realiter commune Personis divinis, communitate tamen diversa ab essentia. Prob. à S. Doct. ex D. August. *7. de Trinit. c. 4.* dicuntur tres Personæ, quia commune est eis, quod est Persona: sed constat quod ad plurificationem non sufficit communitas nominis solùm, ergo verè est commune secundùm rem: 2 omne nomen quod recipit supra se distributivum est verè commune ad illa, sed Persona est hujusmodi, ergo, &c. Major est certa ex Logica; nam distributio in plura est ejus, quod continet, ut commune plura: Minor est D. Athan. in Symbolo: alia est Persona Patris, &c. & dicitur, sunt tres Personæ, ergo, &c. Prob. 3. Id quod dicitur de pluribus secundùm nomen, & secundùm eandem rationem Personæ est illis pluribus commune: Sed hoc nomen Personæ, in ratione Personæ est tale, ergo, &c. Et confirmatur, quia Persona prædicatur de Patre, & de filio, & de Spiritu sancto, & hoc non tanquam accidentale, ergo tanquam substantiale. 2: pars patet, quia essentia prædicatur æqualiter, & identicè de Patre, & filio, & Spiritu sancto, ergo, &c.

Concl 2. Persona est quid commune univocum, 419
analogum tribus Personis. Est S. Bon. Prob. à S. Doct. quia licèt in ratione subsistentis, ut sic, conveniant univocè, non tamen in ratione talis subsistentis, ergo, &c. Prob. assumptum, quia subsistentia ut persona, non est ultimum in Personis divinis, sic enim esset universale, sed ultimum est talis ratio se habendi, quæ alia est in Paternitate, alia in filiatione, alia in spiratione, ergo sola proportione.

Ob. 1. Si datur ista communitas realis, ergo Persona erit universale ad Personas: prob. conseq. universale, enim est, quod prædicatur de inferioribus secundùm eandem rationem. Resp. S. Bon. Ad universale requiri in contractione ad inferiora additio, & differentia contrahens: quod non est in Persona, quæ in ratione Personæ est ultimum complens: nec ratio singularitatis unius Personæ est differentia contrahens, sed est habitudo.

Dices. Implicat, quod idem privet communitatem, & dicat communitatem; sed Persona dicit incommunicabilitatem, ergo non potest dicere communitatem. Resp. non dicere communitatem quam privat, scilicet rei, sed habitudinem ad aliud.

Nota tandem P. Gaud. *q. 4. in fine* explicare Seraph. Doct. dicentem in hac quæst. ad ultimum dari in universali communitatem rei, explicat, inquam, S. Doct. non per hoc admittere cum Scoto communem naturam formaliter à parte rei, ante omnem operationem intellectus, sed solùm fundamentum, & distinctionem virtualem, ex hoc quod ad secundum ibidem, appellat hanc communitatem rationis: quæ expositio est patenter extorta, & contra mentem S. Doct. nam in responsione ad secundum loquitur de communitate nominis Personæ, & ad ultimum de communitate naturæ universalis, tum etiam, quia ibidem, loquens de communitate personæ, eam appellat rationis, scilicet conceptus objectivi, & à parte rei, non secundùm opus intellectus, ut se explicat S. Doct. *ibidem in corp.* Unde de more suo iste Author trahit S. Doct. ad partes Thomistarum.

Concl 3. Nomen Personæ est analogum propriè ad creatas, & increatas. Est S. Doct. *d. 25. a. 2. q. 2.* patet, quia Deus, & Creatura summè distant, ob idque nec habent aliquid commune univocum; tum quia inæqualiter ratio personalitatis inest in divinis, & in Creaturis priùs secundùm rem convenit Deo, & posteriùs creaturis, licèt secundùm nomen priùs de Creatura, ab ipsa enim translatum est nomen ad divina.

QVÆSTIO IV.

An in Deo detur ſubſiſtentia abſoluta præter tres relationes.

420 PRo explicatione tituli ſuppon. hîc non ſumi ſubſiſtentiam in concreto pro ſubſiſtente; ſic enim certum eſt, eſſentiam, & tres divinas Perſonas ſubſiſtere, cum id dicat maximam perfectionem, ſed ſumi in abſtracto, ſic enim eſt ratio formalis ſubſiſtendi. Hinc ſequitur non ſumi pro exiſtentia mera per ſe, non in alio tanquam in ſubjecto; tali enim pacto certum eſt, ſubſtantiam divinam habere talem exiſtentiam, ſeu ſubſiſtentiam, quæ non denegatur ſubſtantiis imperfectis, nec etiam ſumi ſubſiſtentiam prout dicit non exiſtere in alio, & non pendere in ſua exiſtentia ab alio, cui inexiſtat, & à quo ſuſtentetur; ſubſtantia enim divina hoc modò ſubſiſtit, quod non competit omni ſubſtantiæ, ut forma à materia ſuſtentatur, ſed ſumitur ſubſiſtentia, ut dicit ſiſtentiam ultimam, ſcilicet prout dicit terminum ultimum, qui eſt ſubſtantiæ ultima ratio in ſe ſiſtendi perfectè incommunicabiliter: Unde ad duo capita reduci habet hæc quæſtio: Primum eſt, an ſubſiſtentia prout dicit terminum ultimum modo ſupradicto, competat abſoluto modo ſubſtantiæ divinæ, & etiam relativo modo tribus Perſonis divinis: Secundum eſt, an ſubſiſtentia prout dicit per ſe exiſtentiam, competat eſſentiæ divinæ, & etiam tribus perſonis. Quoad primum, tres ſententiæ circumferuntur Theologorum. 1. eſt Scoti, & ſequac. & etiam aliquorum Thomiſtar. admittentium unicam ſubſiſtentiam in Deo, ſubſiſtentem in tribus perſonis, perſonalitates verò non eſſe ſubſiſtentias, ſed tres modos incommunicabilitatis. 2. admittit tres ſubſiſtentias relativas, & quartam abſolutam, & communem. Sic Cajet. Suar. pluresque alii apud P. Gaud. *diſt.6. quæſt.5.* 3. ſententia extrema, eſt negantium ſubſiſtentiam abſolutam, admittentium tantùm tres relativas. Sic Seraph. Doct. *lib.1. diſt.23. art 2. quæſt.1. & 2. & q.3. ad 2. & diſt 25. dub.1. & l.3. d.1. quæſt.3. & d.6. q.4 & l.1. d.4. q.4. in arg.* Cum Seraph. Doct. ſunt Alenſis, Ric. Marſil. Henricus, Caſp. *d.3.4.5.* pluresque alii. Quoad aliam partem, de exiſtentia per ſe: Prima opinio eſt negantium tres exiſtentias in divinis perſonis, licèt admittant tres ſubſiſtentias, ſed unam omninò eſſe exiſtentiam eſſentiæ, & perſonarum. Sic Vaſq. *d.116.* Cajet. Nazar. Vrin. aliique. 2. Sententia eſt, admittent. quatuor exiſtentias in Deo, unam in eſſentia, & tres in perſonis. Sic S. Bon. *lib.1. diſt.23. q.2.* ubi ait, proprietas non facit ſubſiſtere, ſeu ſubſtare, quaſi ſub alio ſtare, ſed exiſtere, quaſi ab alio eſſe. Sic & Joan. Theol. in Concil. Florent. Ric. aliique plures apud cit. P. Gaud. *quæſt.6.* Pro ſolutione quæſtionis.

421 Not. 1. Ex Seraph. Doct. *d.25. dub.1.* quod ſubſiſtentia poteſt ſumi in lata ſignificatione ſecundùm vim nominis, ſicque ſignificat ſubſtare per ſe: & hoc pacto competit etiam eſſentiæ; poteſt & ſumi in ſtricta, & rigoroſa ſignificatione, prout ſumpta eſt in Conciliis, quatenus importat reſpectum ad proprietatem, cui ſubeſt, ſicque ſignificat idem quod Perſonalitas, & hypoſtaſis; & hinc fit, quod hæc quæſtio eſt potius de nomine, & ſecundùm varium modum ſumendi hoc nomen ſubſiſtentiæ, quàm de re: Unde ſubſiſtentia primo modo ſumpta competit eſſentiæ, & ſubſtantiæ divinæ, quia ſubſiſtentia in Dei eſſentia comparatur ad ipſam, ut denominans tantùm, ſic etiam Deitas ad Deum, ſicque nullo modo imputatur diſtinctio: ſecundò comparatur in ratione principii ad principiatum, ſic importatur diſtinctio Perſonarum: *Sic dub.2. cit.* His poſitis.

Concl. 1. Perſonis divinis ſingulis convenit propria ſubſiſtentia. Eſt S. Bon. cit. ratio eſt deducta ex ſenſu Conciliorum Conſtantinop. Chalced. Niceni, & SS.PP. quia ſubſiſtentia eſt idem cum hypoſtaſi Græcè, ſed hypoſtaſes (ex S. Doct. *d 25. a.2. q.1.*) poſt deciſam litem in Eccleſia, ſunt tres diſtinctæ relativæ, ergo tres ſubſiſtentiæ diſtinctæ relativæ.

Concl. 2. Eſſentiæ divinæ competit ſubſiſtentia prout dicit ipſam ſubſtantiam per ſe ſtantem, ab alio independentem, non verò prout ſumitur cum proprietatibus. Primum patet, quia eſſentia divina eſt ſubſtantia, & ens in ſe, & per ſe completiſſimum; ſecundum etiam, quia eſſentia eſt quid abſolutum indiſtinctum, & communicabile; ſubſiſtentia dicit relationem, & incommunicabilitatem, ergo utrumque verum; tum quia ſubſiſtentia, ut ſic, reddit naturam per ſe ſubſiſtentem, ſed hoc non ineſt eſſentiæ divinæ, cum ſubſiſtat in perſonis, ergo, &c. Et hac diſtinctione ſolui poſſunt omnes rationes, & auctoritates in contrarium adductæ, quas fusè expendit, & ſoluit P. Gaud.

Objic. 1. Relatio eſt ad aliud, ſubſiſtentia eſt ad ſe, ergo repugnat dari relationes ſubſiſtentes. Reſp. S. Doct. *d.25. q.1.* diſting. anteced. ſubſiſtentiam prout dicit præcisè ſubſtantiam, eſſe quid abſolutum, ſed prout dicit ſuppoſitum, dicitur ad aliud; ſicque ſimul non repugnant, ut patet etiam in relationibus creatis.

Objic. 2. Ante conceptum perſonarum intelligitur Deus omnipotens, Creator, ſapiens, bonus; ergo ſubſiſtens, eſſentialia enim præcedunt perſonalibus: Hæc objectio petit alias quæſtiones valdè implexas. v. g. An Deus abſtractis perſonalitatibus, ſit ens perfectiſſimum: an divina natura, ut ſic, poſſit aſſumere humanitatem, ſicut aſſumpſit cum perſonalitate Verbi: an divina natura, præciſis perſonalitatibus, poſſit agere. Quibus omnibus reſp. Seraph. Doct. multipliciter ex iis, quæ tradit *lib.3. d.5. quæſt 4. & d.25. l.1. q.1. ad ult. & d.27. q.2. ad 3. §. Ad hoc autem* Primò, verum eſſe eſſentialia præintelligi ad notionalia, non per hoc tamen præintelligitur ſuppoſitum, atque adeò neque Creatorem, quia licèt Deus creet virtute communi eſſentiali, non notionali, quæ reſpicit actus intra, tamen ut agat, debet eſſe ens actu in ſe, atque adeò ſuppoſitum; quo fit ut actiones ad extra tenantur ſupponere actus ad intra, quibus divinæ naturæ tanquam ſuppoſita adæquantia naturam, conſtituuntur. Hinc ſuppoſita hac veritate Seraph. Doct. reſp. ſecundò. Abſtractis perſonalitatibus, non poſſe intelligi Deum omnipotentem, Creatorem, quia non eſt ens perfectè ſubſtantiale, niſi in ſuppoſito perſonali: addit S. Doct. poteſt quidem intelligi, ſi concipiatur contra fidem Catholicam, ſicut Judæi meditantur, & Philoſophi antiqui. Reſp. tertiò, quod in hoc Nomine, Deus creat, licèt directè ſit nomen eſſentiæ, connotat tamen. & ſupponit perſonas, vel perſonam.

Objic. 3. Eſſentia Dei præcisè eſt infinité perfecta, ergo ſubſiſtens, cum ſubſiſtentia ſit perfectio ſimpliciter: ſed ex traditis ad 2. objectionem patet reſponſio, negatur enim antec. &c.

Objic. 4. ex Scoto. Quod habet esse ab alio, non dat ei subsistere in se, sed personæ habent esse ab essentia, ergo subsistentia non est à personis, sed ex ipsa essentia, & in ipsa. Resp. primò negando Majorem, ut patet etiam in subsistentia creata, quæ manat ab essentia, & tamen dat ei subsistere Resp. secundò, negando etiam Minorem, nam Pater non habet esse ab essentia, sed à se: Filius à Patre, & Spiritus sanctus ab utroque. Unde essentia nec generat, nec spirat.

Concl. 1. Essentia divina habet propriam exi-
422 stentiam, sicut & personæ. Prob. prima pars: Deus habet absolutam essentiam divinam actu, ergo & existentiam propriam; tum quia existentia est formalitas consequens naturam entis, per quam, vel extrahitur res extra suas causas, ut in creatis, vel tribuit conceptum explicitum actualitatis quasi primæ, ut in divinis; sed id inest essentiæ divinæ ante relationes, tamquam quid absolutum, & commune, ergo, &c. Prob. 2. pars: omnia transcendentia communia sunt essentiæ, & relationibus, quare multiplicatis relationibus, necesse est, ut illa multiplicentur; multiplicato enim inferiori, necessariò multiplicatur superiùs in eo inclusum, at existentia est prædicatum transcendens; ergo debet esse communis relationibus, ergo & ex multiplicatione istarum multiplicatur existentia; tum quia tres personalitates non sunt in se res merè possibiles, sed actuales, & actualitates personarum, ergo, &c. tum quia productio actualis terminat ad existentiam rei, ergo, &c.

Objic. 1. Existentia Dei est infinita, ergo sufficiens est, ut per illam existant relationes: tum quia si darentur tres existentiæ præter absolutam, deberent existere per alias tres existentias, quod est falsum. Resp. disting. anteced. Existentia divina est infinita, & per se sufficiens, &c. Si sumitur secundùm rem, verum est; nam tales existentiæ non distinguuntur nisi virtualiter, vel formaliter; si secundùm nostrum modum concipiendi, cum fundamento in re, negatur; & ad secundùm. Resp. negand. sequelam, quia existentia est talis realitas ex natura sua, &c.

Dices. Si darentur plures existentiæ, ergo etiam plures durationes, & æternitates, plures immensitates. Prob. conseq. quia multiplicato inferiori, multiplicatur superiùs in eo inclusum, sed in personis includitur æternitas essentiæ, immensitas, &c. ergo, &c. Pro responsione, supponenda est regula communis in divinis locutionibus, quod concreta substantiva multiplicari debent juxta pluralitatem formalis significati, nulla habita ratione materialis, sive habentis; hinc est, quod non dicimus tres Deos, licèt tres sint habentes Deitatem, quia Deitas est una, ideò tale concretum in recto dicit formale significatum, in obliquo materiale, scilicet habentem. Nomina verò concreta adjectiva multiplicantur juxta pluralitatem solius significati materialis, nulla habita ratione formalis significati; sic dicimus tres sapientes, tres immensos, quia licèt formale significatum sit unicum, tamen materiale, & habens est multiplex: hinc & hoc nomen persona multiplicatur, quia est multiplex. Hinc est, quod si substantivè sumuntur æternum, immensum, &c. non possunt multiplicari: talisque est sensus D. Athan. in symbolo: Si adjectivè, possunt multiplicari tres æterni, tres immensi, scilicet tres habentes æternitatem eamdem.

QVÆSTIO V.

An Personæ divinæ constituantur per absolutum, an per relationes. S. Bon. *l.* 1. *dist.* 26. *q.* 1. 2. *&* 3. *& d.* 34. *q.* 1.

QUæstio hæc est valdè celebris, tum propter 423
diversitatem sententiarum, tum quia per ipsius solutionem nobis innotescit constitutio, & quidditas personarum divinarum.

1. Opinio fuit Præpositi relata à Seraph. Doct. *q.* 1. *d.* 26. negantis in Deo quascumque proprietates, sive absolutas, sive relativas, atque adeò nec constitui, nec distingui proprietatibus, sed distingui se ipsis aliquo sui, nullo verò modo constitui, nisi se ipsis. Hanc opinionem sequitur Gregor. *d.* 26. *&* 27. quæ opinio in hoc est contra torrentem omnium Theologorum, ut ait S. Doct. cum omnes admittant in Deo proprietates, & relationes, quibus diversis modis ista persona se habeat ad aliam; sed tamen ex alia positione, quod Personæ divinæ se ipsis constituuntur, & à nullo alio, sed solùm per intellectum, laudatur à multis; quam positionem firmiter amplexati sunt Cajet. Ferrar. Canar. Vasq. *d.* 158. *c.* 2. aliique.

2. Opinio asserit constitui, & distingui Personas divinas proprietatibus absolutis. Sic Joan. de Ripa cum aliquibus aliis, quam & Scotus asserit probabilem *d.* 27. *q.* 1. citatur verò ab aliquibus Seraph. Doct. sed malè, cum ista opinio sit falsa, & à multis erronea judicetur.

3. Opinio communis, ait Personas constitui, & distingui relationibus, sed tamen est discrepantia in modo; nam Thomistæ aiunt constitui per relationes, non ut relationes, sed ut formæ hypostaticæ, idest prout dicunt, in, prout verò dicunt, ad, referunt tantùm: Alii dicunt relationibus constitui prout dicunt origines. v. g. Patrem generatione constitui, non paternitate: Adscribitur à pluribus Seraph Doct. sed falsò, & malè, quia non legerunt textus S. Doct. Alii verò dicunt absolutè constitui, & distingui relationibus, estque communior, & S. Doct. ut mox dicetur. Pro solutione, &c.

Not. 1. Quod persona, vel personalitas, licèt non 424
addat ad naturam aliquid absolutum, addit tamen originem, seu modum se habendi, quæ additio dicitur rationis à S. Bon. non quod sit ens rationis, etiam cum fundamento in re, ut falsò attribuitur S. Doct. à P. Gaud. sed est realitas, conceptusque objectivus distinctus formaliter ex natura rei ab essentia: Sic Seraph. Doct. *d.* 26. *q.* 1. *& d.* 34. *q.* 1.

Not. 2. Quod in divinis idem est oriri, esse, & referri; tamen secundùm ordinem intelligendi sunt ordinata, ita quod. 1. intelligitur oriri. 2. id quod oritur. 3. ad alterum se habere, quæ tamen sunt unum, & idem formalissimè: oriri significatur per modum actus, qualis est generatio, & spiratio, quatenus terminus est persona; relatio verò se habet per modum formæ constituentis, & distinguentis: hinc est quod, licèt sint unum, & idem, tamen non dicitur constitui persona formaliter per generare, & genitum esse, sed per relationem consequentem originem: en sensus germanus Seraph. Doct... 1. *d.* 26. *a.* 1. *q.* 3. per quem patet quàm falsò citetur S. Doct. quasi asseruerit, personas constitui per origines, nisi in sensu allato, quatenus origo, seu oriri, & relatio sunt unum, & idem formalissimè.

Not. 3.

Not. 3. Ex S. Bon. *l. c. cit. q. 4.* quod proprietas,
425 relatio, & notio in divinis sunt unum, & idem, sed tamen secundùm vim nominis aliqualem differentiam involuunt; nam proprietas est quæ convenit uni soli; relatio, quæ facit ad aliud referre; notio est, quæ est principium cognoscendi personam, hinc proprietates sunt tantùm tres, scilicet paternitas, filiatio passiva, & spiratio passiva: Relationes quatuor, nam additur his tribus spiratio activa: Notiones sunt quinque, additur enim his quatuor innascibilitas Patris.

Not. 4. ex eodem Seraph. Doct. cit. *q. 3.* quod, cum, ut supradictum est, oriri, seu origo præintelligatur ipsi esse personæ ab alio, & hoc esse ipsi relationi, & habitudini ad alterum; hinc sequitur, quod ratio constitutiva personarum inchoativè est origo, scilicet ab alio, quia quod est ab alio, debet esse distinctum ab alio, formaliter verò, & completivè est ab ipsa relatione (non in actu exercito) sed ut forma hypostatica, quæ supponit fundamentum, & ideo non sumitur, ut media relatio, ex qua consequitur ad alterum se habere: hinc, & optimè, & sublimiùs cæteris locutus est Seraph. Doct. dum assignat relationes, non puras, sed originis, constitutivas, & distinctivas personarum, quæ dicuntur à Caiet. relationes non ut exercitæ, idest non formaliter, & ut ad aliud sunt in actu exercito, sed ut relativæ in actu signato, idest ut formæ hypostaticæ incommunicabiles ex origine. Ideo constitutivum personæ Patris supponitur generationi, & generatio præsupponitur respectui ad Filium exercitè, nam persona ut generet debet esse actu, & ut referatur exercitè ad filium debet habere genitum filium: sic enim relationes, ut hypostases, sunt relationes, licèt consideratæ secundùm diversos modos exerceant duo munera. His positis, &c.

426 Concl. 1. Personæ divinæ non distinguuntur se totis, nec per proprietates absolutas. Prima pars probatur; quia personæ divinæ habent aliquid in quo conveniunt, & aliud in quo disconveniunt, ut de se patet, quia conveniunt in ratione personæ, & disconveniunt in ratione talis personæ, ergo, &c. tum quia Pater distinguitur à Spiritu sancto, & non per generationem, ergo non se toto. Prob. 2. pars; quia absolutum dicit perfectionem communem tribus personis: tum quia est contra SS. PP. & Concilia, ut fusè explicant P. Gaud. Smisinch. aliique. Addit tamen Scotus hanc opinionem oppositam, licèt sit contra communem SS. PP. tamen non esse contra fidem, quod & probat fusè Faber cum aliis Scotistis.

Objic. 1. In summè simplici non est ulla differentia, sed personæ sunt æquè summè simplices sicut essentia, ut docet sæpe Seraph. Doct. ergo nec differentia, quo, & quod. Resp. Seraph. Doct. *q. 1. ad* 3. non esse differentiam absolutam, & inter entitates absolutas, concedo; inter relativas, nego, quia non tollunt summam simplicitatem.

Objic. 2. Quod refertur est aliquid præter relationem, ergo personæ divinæ sunt aliquid absolutum in se. Respond. conced. antecedens de relationibus creatis, quæ non constituunt, sed consequuntur, negando de divinis, quæ sunt constitutivæ, &c.

427 Concl. 2. Personæ divinæ constituuntur relationibus originis. Est S. Bonavent. cit. & communior. Prob. 1. ex Seraph. Doct. de relationibus originis, & ut dicunt originem præintellectam; quandocunque unum est ab alio, debet esse distinctum suo principio per formam receptam, nihil enim se ipsum producit; sed Filius à Patre, & Spiritus Sanctus à Patre, & Filio ex origine recipientes formam, ergo hinc debent esse distincti à suo principio, sed hoc non est à nuda relatione, quæ supponit fundamentum; & cum in divinis sint relationes afficientes personas, ergo supponunt fundamentum reale, sed hoc non est essentia, ergo aliquid originis. Confirmatur: Abstrahantur relationes ab origine, jam adhuc remanent personæ distinctæ; nihil enim implicat concipi Patrem generare Filium, & sic Patrem, & Filium existere, ergo relationes sunt distinctivæ prout ex originibus fiunt. Prob. 3. & magis confirmatur: Constitutivum personæ Patris supponitur generationi; actiones enim sunt suppositorum, & generatio præsupponitur respectui ad Filium exercito, quia ut referatur exercitè Pater ad Filium debet habere filium, sed idem sunt origo, relatio, & habitudo ad alium, solùmque secundùm modum intelligendi differunt, ergo relationes originis, & sunt actu constitutivæ, & distinctivæ.

Nota autem hic duo: primum est, nos non convenire cum Thomistis dicentibus relationes, ut dicunt, ad, distinguere: dicit enim Seraph. Doct. relationes originis formalissimè, & adæquatè sumptas, & constituere, & distinguere prout dicunt originem, & respectum originati, ad originantem, & originantis ad originatum. Secundùm, est: falsò adscribi Seraph. Doct. à Fabio, à Suar. & Vasq. quod docuerit origines constituere personas, & relationes distinguere; unde inferunt malè Patrem constitui per generationem activam, non per paternitatem; filium per generationem passivam, non per filiationem, quod est contra mentem patentem Seraph. Doct. *quæst. 3. cit. in corp.* vult enim, relationem paternitatis constituere, & distinguere, non præcisè, ut sola relatio est, sed ut involuit originem, seu ut relatio originis: id enim est conforme dictis SS. PP. ut videre est apud cit. P. Gaud. 8. n. 24. & ratio est evidens, quam adfert Seraph. Doct. *q. 3. fund.* 1. ex Boëtio. Substantia continet unitatem: relatio multiplicat Trinitatem, & si multiplicat, ergo distinguit.

Objic. 1. Divina persona, vel constituitur à se, 428
vel ab alio: non à se, quia nihil se constituit; esset enim secundùm idem constituens, & constitutivum, ergo ab alio, ergo datur compositio in persona. Respond. Seraph. Doct. constitui ex essentia, & relatione; & quia relatio dicit solùm habitudinem, ideo non componit, ut sæpe alias dictum est.

Objic. 2. Ex cap. firmiter: Pater communicavit Filio totam substantiam; sed si esset aliqua proprietas in Patre, quæ non esset in filio, non communicasset filio totam substantiam, quia in Deo totum est substantia, non accidens, ergo, &c. Respond. Seraph. Doct. *d. 25. q. 1. ad finem corp.* Substantia dupliciter dicitur in divinis: primò pro essentia, & sic essentia distinguitur à proprietate; secundò pro supposito, & hoc in divinis est relatio: Pater ergo communicavit totam essentiam filio, non proprietatem; sic enim suppositum dicit substantiam cum relatione: secundùm substantiam dicitur ad se, secundùm relationem ad aliud.

Objic. 3. Relatio realis præexigit extrema realia, sed relatio inter personas est realis, ergo præexigit extrema, scilicet personas distinctas, ergo nec constituit, nec distinguit. Resp. 1. Majorem esse veram in creatis relationibus, non in divinis. Resp. 2. ad item in divinis ex Seraph. Doct. *q. 3. ad* 1.

Ita 3 personam

personam relatam non resultare ex persona relata, & relatione, sed ea essentia, & relatione tanquam modo in ea existente, ideo simul intelligitur, & persona, & relatio. Resp. 3. Relationes divinas respicere aliquid ut principium, & aliquid ut terminum productum; & quidem id quod respiciunt ut principium, supponitur, & hæc est communicabilitas: at verò, quia respiciunt aliqua ut terminum, v. g. genitum, & spiratum per origines, ideo origines ipsæ supponuntur, quibus relationes ipsæ producuntur, sicque non supponuntur producti absoluti, ut inter nos, sed ipsæ relationes producuntur originibus, quas ideo supponunt ut principium, & etiam innascibilitatem.

Contra. Origo, generatio, & relatio sunt unum, & idem per vos; ergo si relatio producitur, etiam origo, sicque origo oritur per aliam originem, vel non est idem quod relatio. Respond. conced. anteced. illa esse unum, & idem, sed diversa secundùm modum intelligendi; nec hinc sequi, quod, si relatio producitur, etiam origo, nàm origo non oritur, sed est id, quo oriens oritur, & relatio est proprietas secundùm quod ipsa, quæ secundùm rationem intelligendi consequitur ad originem, sed simul sunt verè natura. Sic *d.* 26. *q.* 3. *ad* 3.

Contra 2. Omne producens prius est producto, ergo producens prius est origine, quàm sit producta, ergo distinctio oon venit ea relatione: Ergo Pater paternitate non constituitur. Respond. anteced. esse verum prioritate originis, vel ut à quo. non prioritate naturæ, ideo negantur aliæ consequentiæ; nam persona producens est talis per originem, & relationem: Pater enim est Pater, quia generat.

QUÆSTIO VI.

De personis divinis in particulari: Et primò de Patre.

429 Quia Pater tria habet: producit enim Filium; ideo dicitur Pater: producit & Spiritum Sanctum, ideo dicitur principium: Et quia habet esse non ab alio, ideo ingenitus, & innascibilis. Hinc quæritur, quomodo ista nomina, rationesque per ipsa significatæ Patri competunt. Et quia ista nomina involuunt varias significationes, hinc per varia quæsita solvitur ratio principii in hac quæstione, & in sequentibus alia enodabuntur.

Quæritur primò: *An nomen principii sit quid notionale, an commune?*

Resp. Seraph. Doct. *l.* 1. *d.* 29. *per tot. & d.* 20. *q.* 20. *ad arg. & q.* 2. *corp. & d.* 28. *q.* 1, *ad ult. & alibi sæpe*, quod principium de sui ratione dicit à quo, & originem, ideoque est relativum significans ordinem unius ad alterum, atque adeo ubicumque est aliquis ordo, ibi potest habere locum: In divinis ergo dupliciter habet locum, scilicet ex ordine ad creaturas, quatum Deus est causa, & in ordine ad intra ad personas: hinc primò sumitur essentialiter pro ut Deus est principium creaturarum, competitque tribus personis divinis: notionaliter verò dicitur secundùm rationem originis ad intra, sicque competit Patri in ordine ad Filium, non ut Deus est, sed ut persona; & Patri, & Filio in ordine ad Spiritum Sanctum. Notandum tamen, quod hoc nomen personaliter sumptum, principaliter competet Patri, quia solus est principium sine principio, solus producens improductus omnino, hinc Patri attribuitur in symbolo principium creaturarum, ideo etiam dicitur Principium totius divinitatis; non quia divinitas sit producta, ipsa enim nec producit, nec producitur, nec generat, nec generatur, sed quatenus est communicata, & quatenus sumitur in concreto pro Personis, quæ Deus sunt. S.Bon. *d.* 29. *dub.* 1, *& d* 15. *dub.* 6.

Q. 2. *An Patri sicut tribuitur ratio principii, possit etiam tribui nomen initii, & causa?* Resp. 1. Quod nomen initii dicis durationis principium propriè loquendo; sicque nec Patri, nec aliis Personis potest propriè competere, nec Pater potest dici initium filii, quia est sine initio, imò sine principio, pro ut idem significat. Sic S.Bon. *l.* 1 *d.* 19. *q.* 1. 430

Resp. 2. Magnam controversiam fuisse in Ecclesia inter Patres Græcos, & Latinos, an. nomen causæ posset dari Personis producentibus ad intra: Græci enim id affirmabant, Latini verò negabant, sed postea in pluribus Conciliis præcipuè in Florentino, declaratum fuit, quod nomen causæ potest usurpari io divinis, pro ut dicit Principium, seu rationem cur aliquid est tale; non verò propriè pro ut significat id quod influit esse in aliud realiter distinctum. Sic S. Bon. *l.* 1. *d* 5. *dub.* 3. *& d.* 19. *p.* 2 *q.* 1. *ad* 1. *& d.* 10. *qu't. ad Arg. & d.* 29. *q.* 1. *ad* 3. & communiter alii Scolastici. Addimus posse dici Patrem authorem filii, quatenus indicatur ratio principii absque minoritate in filio.

Q. 3. *Quomodo ratio ingeniti, & innascibilis competit Patri, & quid ista importent?* R. primò, necessariò dari unam Personam divinam, quæ ab alio non sit, alioquin posset procedi in infinitum; tum quia summa perfectio principii est ut sit unum, à quo omnia, & in qoo omnis virtus productiva sit; tum ratione ordinis perfecti exigentis primum, medium, & ultimum: de quo videri potest Seraph. Doct. *serm.* 11. *Hexam.* 431

Resp. 2. Nomen ingenitus, sumi primò pro hoc quod oon est creatum, quando illud usurpabant Ariani, inferentes solum Patrem esse ingenitum, & increatum, non filium; & hinc orti sunt varii modi dicendi apud antiquos Patres, quorum aliqui timebant assignare hoc nomen Patri ne ansam darent Arianorum hæresi, sed postea elucidata est veritas in pluribus Conciliis: hinc secondò sumitus pro eo quod non est propriè genitum; & sic Spiritus Sanctus potest dici ingenitus.

Resp. 3. Nomen ingeniti propriè sumi pro eo quod per nullam productionem habet esse, & hoc modo sumptum, soli Patri convenit, estque ipsius proprietas, quia non dicit solam essentiam, sed aliquid Personæ Patris. Sic D.Athan. S Aug. aliique Patres, & Concilia: ratio est, quia ingenitum dicit principium, sine principio, & improducibilitatem, & incommunicabilitatem, & per hoc excluditur filius, & Spiritus Sanctus, qui sanè producuntur, & etiam essentia, qoæ licèt non producatur, est tamen in Filio ut à Patre, & in Spiritu Sancto, ut à Patre, & Filio. Alia etiam ratio adducitur à Seraph. Doct. *l.* 1. *d.* 28. *q.* 1. quia in essentia dicit solam negationem, at io Patre dicit formale principium aliarum Personarum, & omnium productionum, quod soli Patri coovenit, & ob id dicit relationem positivam.

Objic. 1. Omnis relatio in divinis aliquid ponit, sed ingenitum nihil ponit, ergo non est relatio. Prob. minor: Si hoc nomen ingenitus aliquid ponit, id erit, aut secundùm quod dicitur prævativè, aut negativè; non hoc secundùm, quia negatio 432

pura

pura omnem positionem destruit; nec primum, quia privatio tollit actum, ponitque aptitudinem, sicque idem erit ac aptus generari, sed nondum genitus, sed hoc abest à divinis, ergo, &c.

Resp. Seraph. Doct. Quod est negatio, alia extra genus, alia in genere, alia partim in genere, partim extra genus: Prima est omnimoda, nec sic sonat nomen ingeniti, licèt competat essentiæ, cui non competit vel generari, vel referri: secundo modo privat rationem proximam, & ponit contrarium, ut hoc est non album, sic privat albedinem, & ponit nigredinem; taliqne pacto convenit Spiritui sancto, quia dicit privationem generationis, ponitque relationem substratam tali negationi, quatenus Spiritus sanctus habet esse productum ab alio, sicque non importat nobilitatem; tertio modo privat rationem generis proximi, sed non remoti, ut non album dicitur, quod caret albedine, & colore, sed ponit qualitatem remotam. Tali pacto est in Patre, in quo privat generationis relationem ad principium, ponitque ordinem, non quidem ad principium, sed ut primum, & principium, ideoque dicit primitatem, & formalem plenitudinem productionis; taliqne pacto dicit, primò negationem generationis, ideoque privativam (prima enim cognoscuntur per negationem) & ex consequenti dicit positionem perfectionis primi principii. Hinc ad Arg. resp. neg. Min. ad probat. resp. negando dicere negationem, sed non extra genus, sed est negatio cum constantia subjecti, idest relinquens in Persona summam nobilitatem.

Objic. 1. Si ingenitum, dicit relationem, ergo, vel respectu principii, & hoc non: quia Pater non habet principium, ergo respectu principiati, scilicet filii; & hoc non, quia ista productio est affirmativa. Resp. Dicere relationem privativam, respectu principii, ex qua non sequitur, quod Pater habeat principium, imò oppositum, scilicet quod non habeat principium, dicens ex consequenti nobilitatem.

Et si quæratur qualiter differant ingenitum, & innascibile? Resp. in Patre esse unum, & idem realiter, sed differre inter se in modo significandi, tanquam inferius, & superius: quia omne ingenitum est innascibile, non è contra. Sic enim ignis non nascitur, & tamen non est ingenitus, unde innascibile est superius ad ingenitum: In divinis verò differunt tantùm sicut concretum, & abstractum; ingenitus enim est concretum innascibilitatis. Et hæc licèt sint vera, tamen secundùm modum significandi differunt, &c. Ut mox patebit.

433 Q. 4. *An innascibilitas in Patre sit proprietas positiva?* D. Thomas, & Sequac. cum Scoto volunt consistere formaliter in negatione pura, alii volunt dicere positionem puram relationis oppositæ relationi genitoris, sicut inæqnale dicit relationem oppositam æqualitati. Seraph. Doct. *d.*28. *q.*2. *& seq.* vult formaliter dicere negationem, fundamentaliter verò, veluti pro materiali dicere positionem, quem sequuntur plurimi Theologi apud P. Gand. *d.*8. *q.*3. Hinc, &c.

Resp. primò. Innascibilitatem, idem est suo modo dicendum de improcessibilitate, ut notat S. Doct. *ibid. q.*4. *ad* 3. non dicere pro formali relationem oppositam relationi genitoris: Probatur à S. Doct. primò, quia sic darentur quinque relationes in divinis, quod est contra omnes SS. PP. 2. quia talis relatio realis, vel est ad non genitum ut sic, & ita non haberet terminum realem positivum; item si dicat solùm privationem prioris; vel est ad filium, & ad Spiritum sanctum, quatenus ab illis Pater non generatur, & hoc est frivolum, nec est habitudo, sed carentia habitudinis: sicque nullo modo. Resp. 2. Innascibilitatem pro formale dicere negationem: id enim importat formaliter iste terminus. R. 3. Innascibilitatem dicere pro fundamento aliquid positivum. Sic D. Bon. *cit. & d.*27. *q.*2. Hocque fundamentum est ratio principii, seu fontalis plenitudinis: ratio est, quia innascibilitas dicit in Patre negationem originis ab alio universalem; quia enim origo per generationem, & nativitatem prima est ad quam sequitur emanatio per voluntatem, rectè negata prima, negatur & secunda: Non esse autem ab alio fundatur in primitate primæ Personæ, quæ est fons, & origo aliarum Personarum, ideò à nulla debet esse, sed hoc importat summam dignitatem, ergo, &c. Quare innascibilitas principaliter dicit negationem, ex consequenti dicit primitatem omnimodam, quod non potest competere aliis Personis. *Vide S. Bon. d.*28. *q.*2. *&c.*

Objic. 1. Cum Scoto. Si innascibilitas pro fundamento dicit fontalem plenitudinem, hæc solùm est ad generandum, & spirandum, sed hæc nihil aliud est nisi Paternitas, & spiratio activa: vel quod, si innascibilitas esset relatio distincta, jam in Patre essent tres relationes: & cum in filio sit alia ad Patrem præter communem hanc, & eam, quam habet cum Patre communem ad Spiritum sanctum, alia etiam reperiretur in Spiritu sancto ad Patrem, & filium, sicque essent sex relationes in divinis, contra communem sensum Theologorum.

Resp. S. Doct. quod illa relatio est ratio primi principii, quæ communi est generationis, & spirationi: estque priùs ratione, quàm generatio præcisè, aut spiratio completè: neque est nova relatio distincta, & in actu exercito, sed est relatio in habitu, & in actu primo, & initiativè, ac radicaliter, à qua sunt binæ relationes in actu exercito.

Contra. Illud principium, vel est quid absolutum, sicque non erit proprium Patris: vel relativum, sicque in Patre essent tres relationes positivæ. Resp. S. Doct. esse quid relativum habitu, atque inchoationem duarum relationum generationis, & spirationis; dicit enim fontale principium.

Objic. 2. Ex D. Aug. Etiamsi Pater non generaret filium, posset tamen dici ingenitus, ergo nihil facit ad generationem innascibilitas. Resp. transeat antec. neg. conseq. licèt enim non generasset, haberet tamen fontalem plenitudinem in actu primo, quæ cum sit naturalis, necessariò est in actu secundo: Unde talis abstractio esset per intellectum non adæquatè percipientem.

Objic. 3. Paternitas ex se habet, ut sit ante originem, cum sit constitutiva Personæ, sicque hæc constituit in esse fontale principium, &c. Resp. neg. antec. nam generatio præcedit Paternitatem, ideo enim est Pater, quia generat, & ante generationem intelligitur fontalis fœcunditas. Sed vide S. Bon. *l.* 1. *d.* 27. *p.* 1. *q.* 2. qui fusè, & clarè explicat naturam innascibilitatis, ejusque negationem, & positionem, quæ etiam in quæst. sequent. magis patebit.

QVÆSTIO

QUÆSTIO VII.

De Paternitate.

Utrum per paternitatem constituatur Persona Divina.

434 RAtio dubitandi est, quia in Patre est innascibilitas ut proprietas ipsius, est & generatio activa, & relatio paternitatis. Quæritur, quæ nam sit ratio constitutiva Patris? Pro solutione quæstionis. Suppon. 1. ex supra traditis ex Seraph. D. & præcipue ex *dist.27. quæst.1. & d.26. q.3.* quod in Patre adest innascibilitas, generatio, & paternitas, licèt à parte rei sint unum, & idem, tamen secundùm modum nostrum concipiendi fundatum in re, scilicet in eminentia divina potest concipi unum priùs altero, & tali pacto habent ordinem inter se: *Sic dist.5-. q.2. ad ult.* Nam paternitas supponit tanquam fundamentum, seu radicem generationem; generatio verò innascibilitatem, seu fontalem plenitudinem fæcunditatis in Patre: hinc sequitur, quod Pater ideò est Pater, quia generat; & ideò generat quia est innascibilis, non verò è converso, sed quia primitas, & fontalis plenitudo est necessariò in actu secundo, ideò est cum generatione, hinc & Pater origine est prior paternitate, & quia relativum non potest esse sine suo termino, ideò Filius genitus relativè illicò refertur à Patre, & in relatione sunt simul: hinc fit, quod paternitas dicit esse completum totale Patris. *Sic d.59. q.3. ad 1. 2. & 3.*

Prima Conclusio. Innascibilitas constituit Patrem in esse Patris inchoativè, seu radicaliter. Prob. ex Seraph. Doct. *dist.28.* Omne operans supponitur operi, nec habet esse ex eo quod alteri det: Unumquodque enim agit, in quantùm est actu, & actiones sunt suppositorum. At Pater generat Filium, ergo supponitur actu persona ante generationem, quia constituatur in esse Patris, sed non potest supponi persona nisi per innascibilitatem, scilicet quatenus habet fontalem plenitudinem fæcunditatis cum actu secondo, ergo innascibilitas ipsam constituit inchoativè, & radicaliter. Prob. conseq. & confirmatur tota ratiocinatio ex Seraph. Doct. ibidem. Proprietas generationis, & Paternitatis, quantùm est de generali sua significatione, communicabilis est, ut patet in creaturis, quia genitus generat, & Filius fit Pater alterius. In divinis autem paternitas est incommunicabilis: ergo, cum hoc non sit de ratione paternitatis ut sic, est de ratione alicujus, quod est incommunicabile; sed nihil remanet, quod tribuat talem incommunicabilitatem, nisi innascibilitas, sive primitas, quia primum non potest dare alii primitatem, & innascibilis non potest generare innascibilem, ergo in divinis hypostasis Patris generat, quia innascibilis.

Dices. 1. Si vera est concl. sequitur, quod præcisa generatione, & paternitate, Pater erit persona completa, sicque generatio, & paternitas ipsi advenient tanquam quid extrinsecum, vel accidentale: sed hoc est falsum, cum Pater sit persona distincta per relationem, ergo, &c. Resp. S. Doct. *q.2. cit. ad 1. & 2.* quod Pater, præcisa generatione, & paternitate secundùm nostrum modum intelligendi, intelligitur persona completa veluti in actu primo, & inchoative ratione innascibilitatis, & fontalis plenitudinis in ordine ad utramque productionem, sed tamen non intelligitur secundùm omnem habitudinem distinguentem à singulis completè: Unde ante conceptum generationis, potest concipi sub ratione subsistentis incommunicabilis in deitate, licèt non sub ratione adæquata Patris; qui conceptus, licèt ex parte naturæ sit particularis, tamen ex parte modi subsistendi est confusus, & respectu relationis est quasi materialis.

Dices. 2. In his quæ non acquiruntur per actum, priùs est habitus, quàm actus secundùm rationem intelligendi, quia enim non sumus boni per opus, sed è converso, ideò priùs sumus boni quàm operemur bonum, sed paternitas non acquiritur in Deo per actum, ergo priùs intelligitur Pater quàm generate. Resp. Seraph. Doct. In divinis nihil acquiri per actum de novo, cum idem sint essentia, & proprietates; insunt tamen per actum, & ideò secundùm rationem intelligendi, origo, & emanatio est ratio relationis; & ratio originis est innascibilitas, ut dictum est.

Concl. 2. Proprietas constitutiva Patris in esse 435
completo secundùm habitudinem, est paternitas prout includit originem. Est Seraph. Doct. locis cit. & communis: & probatur, quia eodem aliquid constituitur in esse, quo distinguitur; quod enim constituit dat esse ens, & unum, ob idque indivisum in se, & distinctum à quovis alio, ex Arist. 4. *Metaph.* sed per paternitatem Pater distinguitur ab aliis personis, ergo, &c. Resp. Aliqui: distingui quidem à Filio per paternitatem, non à Spiritu sancto, ergo non rectè infertur à distinctivo secundùm aliquam partem ad constitutivum absolutè. Contra: quia ideò paternitas distinguit, quia includit originem, ob idque & innascibilitatem, per quam Pater respicit & Filium, & Spiritum sanctum, ideóque relatio distinguit non solùm ab opposito, sed etiam à suo termino, qui est Spiritus sanctus. Prob. 2. à Seraph. Doct. *dist.17. quæst.5. corp.* sicut se habet filiatio ad Filium, ita paternitas ad Patrem, sed filiatio distinguit, & constituit Filium, ergo & paternitas Patrem.

Concl. 3. Pater est Pater quia generat, non è converso. S. Bon. *dist.27. q.1.* sequitur ex dictis, & adhuc probatur; quia Filius habet esse per generationem, ergo generatio præintelligitur ad productionem. Prob. 2. Pater generat, ergo vel ut Deus, aut quia generans; non primum, ergo secundum; ergo paternitas est relatio involvens generationem.

Objic. 1. Si paternitas convenit Patri ratione 436
alicujus attributi notionalis, nempè originis, sequitur quod paternitas non sit prima proprietas notionalis: consequens est falsum, & contra omnes SS. PP. ergo, &c. Resp. Seraph. Doct. innascibilitatem esse primam proprietatem, & ideò paternitatem dici talem ratione identificationis cum innascibilitate.

Objic. 2. Si generatio constituit Patrem, ergo paternitas producitur, ergo non per paternitatem distinguitur, & constituitur, ut supra probatum est: ergo cum ista implicent, dicendum, paternitatem putam esse rationem generandi. Resp. negand. primam sequelam: ad secundam. Resp. resultare ex generatione paternitatem, per cujus habitudinem completè dicitur distingui, & constitui. Ex

quibus

quibus concludit S. Doct. quod innascibilitas dicit fontalem plenitudinem fœcunditatis Patris: generatio dicit emanationem Filii à Patre, & paternitas habitudinem, ex quibus completur unica ratio constitutiva, & distinctiva.

De Persona Filii Dei.

VAria nomina attribuuntur Filio Dei in Scriptura sacra, quibus explicantur diversè, & maximæ perfectiones, & attributa ipsius, qualia sunt Verbum, Filius, notitia, imago: quæ omnia discutienda sunt.

QVÆSTIO VIII.

An Verbum sit secunda Persona SS. Trinitatis, filiusque Dei?

437 QUia istam materiam satis enodavimus supra *disp.*11. *quæst.*6. hinc breviter, ne actum agamus ab hac quæstione nos expediemus. Primò ergo dicimus per generationem produci Verbum Filium Dei Patris: Datur enim in divinis vera, & perfectissima generatio, ergo & terminus perfectissimus productus, sed hoc est Verbum Dei, ergo, &c. Secundò dicimus, Verbum de Filio Dei dici solùm notionaliter, ratio est (ait S. Bon. *l.*1. *dist.*27. *p.*2. *quæst.*1.) quia Verbum est quod emanat à mente per modum conceptionis, sed esse conceptum, & genitum sunt idem, & genitum est notionale, ergo & Verbum: tum quia Verbum dicitur, quod emanat per modum perfectæ expressionis, sed esse imaginem est proprium Filii, ergo & Verbum: tum quia Verbum dicit respectum ad dicentem, sed esse respectivum, in divinis est notionaliter dictum, si dicat respectum ad personam, sed dicens non potest esse nisi persona, ergo & Verbum.

Objic. Verbum est, quo res manifestatur, sed hoc competit cuilibet personæ, ergo, &c. Resp. Seraph. Doct. quod ista non est tota ratio Verbi, sicut nec nosce, sed necesse est quod ibi cadat conceptum, quod soli Filio competit: Et hac distinctione satisfit aliis objectionibus; notitia enim essentialis communis est tribus personis, sed conceptio propria est tantùm Verbi.

QVÆSTIO IX.

Ex qua cognitione producatur Verbum?

438 QUæstionis hujus decisio pendet ex iis quæ tradita sunt supra *disp.*12. *quæst.*6. de productione Verbi: Unde unusquisque secundùm sua principia procedere debet. Et quia multiplex est cognitio, nempè essentiæ divinæ, divinarum Personarum, rerum possibilium, & futurarum; quæritur, an ad productionem Verbi omnia ista ut cognita præcedere debeant. Rursus quæritur: an talis cognitio solùm debeat præsupponi in Patre, ita quod ad principium, quo, nullo modo formaliter spectet: an verò productum sicut producitur ex intellectione secundùm Thomistas, sic etiam ex cognitione non solùm essentiæ, sed etiam creaturarum relucentium in ea producatur. In qua, prima opinio est D. Thomæ, & Thomistarum procedentium secundùm sua principia in superioribus præmissa, asserentiumque, quod sicut Verbum, ex ipsorum sententia, producitur per actum operativum, seu intelligentiam ingenitam, & essentialem, quæ etiam appellatur dictio, non ut quid distinctum, etiamsi producatur ex cognitione essentiæ, & omnium personarum, & creaturarum; sicut dictum est in *disp.*11. *quæst.*6. & ad hanc partem de More suo P. Gaud. trahit Seraph. Doct. licèt invitè, ut mox patebit.

2. Opinio est Scoti, & sequacium; Verbum formaliter non produci ex cognitione, vel essentiæ, vel personarum, vel creaturarum, sed ut loco cit. dictum est, cum principium, quo sit memoria fœcunda Patris, nempè intellectus, & divina essentia in ratione objecti intelligibilis infiniti, à qua memoria fœcunda per actum dicendi, seu exprimendi, non autem intelligendi tamquam per actionem productivam gignitur; ideò nec Filius procedit per cognitionem, nec Spiritus sanctus per amorem, tamquam per actionem producendi, sed per voluntatem fœcundam tamquam principium, quo, ipsius processionis, & per actum ipsum spirandi, non autem amandi tamquam per actionem productivam: hinc patet discrimen inter Thomistas, & Scotistas: & solùm reduci hanc difficultatem ad hunc sensum, an tantùm cognitio essentiæ, attributorum, personarum, & omnium creaturarum præsupponatur ordine naturæ processioni Verbi, & amor eorumdem processioni Spiritus sancti; an verò præsupponatur ut principium, quo, Verbi. Cum hac 2. sententia stat Seraph. Doct. ut mox patebit; quicquid in contrarium, Mordicus dicat P. Gaud. *disp.*9. *q.*7. *& deinceps*. Pro solutione.

Not. 1. Et suppon. id quod supra tactum est, & 439 fusiùs ostensum *disp.*12. *q.*6. nempè, Verbum divinum produci immediatè à memoria fœcunda Patris per actum dicendi, quæ est intellectus divinus habens existentiam sibi præsentem in ratione intelligibilis: hinc licèt cognitio essentiæ præsupponatur ad productionem Verbi, cum intellectus priùs sit operativus, quàm productivus, talis tamen cognitio essentiæ non est Verbi principium, quo, vel quod: aliud enim est præsupponi aliquid ad productionem alicujus, aliud esse causam, vel principium ipsius. Sic etiam amor essentialis præsupponitur generationi Verbi, & tamen non est ejus principium, sed est memoria fœcunda, quam Seraph. Doct. appellat naturam, ut in persona *l.*1. *dist.*7. *q.*1. *ad* 2. *& d* 6 *q.*2.

Not 2. Quod Verbum divinum nascitur prævia cognitione comprehensiva divinæ essentiæ consideratæ secundùm suam rationem absolutam, & quidditativam, quatenus præscindit ab omni respectu ad creaturas: porrò hæc cognitio est infinita, & perfectissima, cum per eam intellectus divinus beatificetur, nec in ipsa involuitur aliquis respectus ad creaturas, quia creaturæ non cognoscuntur, nisi præsuppositis productionibus divinarum personarum. Et si objicias: si non cognoscuntur omnia quæ per illam cognitionem repræsentantur, sequitur quod non sit comprehensiva. Resp. neg. conseq. nam cognitio essentiæ radicaliter, & virtualiter continet omnia intelligibilia, quæ intelliguntur repræsentata actu post productionem personarum. Et ut id meliùs intelligatur.

Not. 3. Ex Seraph. Doct. *l.*1. *dist.*27. *part.*1. *q.*2. *in corp.* Quod summus Spiritus in Patre uno, & eodem aspectu cognoscit se, & omnia; hoc est uno, & eodem actu, & instanti æternitatis intelligit essentiam suam, & tres hypostases

& universas res producibiles; istaque cognoscendo, cognoscit se ut aliorum principium (nota sequentia, in quibus est nodus Gordianus circa mentem Seraph. Doct.) & quia in ipso vis conceptiva, concipit similitudinem omnia circumplectentem sub intuitu uno, & aspectu, concipit, sive generat unum Verbum, quod est similitudo Patris imitativè, & similitudo rerum exemplativa, & similitudo operativa, & ita tenet quasi medium, & dicitur Pater operari per Verbum, & ulterius ipsi Verbo attribuitur, quod sit Dei virtus, & Dei sapientia; & ita patet, quod Verbum divinum dicit respectum ad Patrem dicentem ipsum, à quo generatur per omnia consimile: dicit etiam respectum ad creaturam per modum exemplaritatis dispositivæ, & virtutis operativæ, & ista non dicunt respectum in actu, sed solùm in habitu. Ex quibus verbis oritur contentio inter Commentatores Seraph. Doct. an stet cum Thomistis, an cum Scotistis; nam P.Gand. *d.9.q.10.num.131.* & cum eo Forestus, supponunt ista verba Seraph. Doct. esse clara pro sententia Thomist. oppositum sentiunt Corrol. *q.34.a.4.* Baud. *q.34.a.2.* Pesantius ibidem, Capul. *d.27.hic.* Et meritò, nam sicut notat Corrol in his verbis non potest inferri ullo modo produci ex cognitione creaturarum, nam licèt dicat Verbum importare respectum rationis ad creaturas, addit id esse per modum exemplaritatis dispositivæ, & virtutis operativæ: Quid est exemplaritas dispositiva, & virtus operativa ad aures Seraph. Doct. id est, ut fusè dictum est de Idæis, quatenus repræsentantur idæatæ in essentia divina, & quatenus dicunt ordinem ut effectus ad suam causam in qua continentur virtualiter, ut se explicat in fine corp. & ad omnia argum. unde cum ista fiat communia tribus personis, solùm appropriatè, potest dici de Verbo, quod Verbum importat respectum rationis per modum exemplaritatis, & virtutis operativæ; appropriatur autem magis Verbo, ex hoc quod Verbum de sui ratione est exemplar Patris, seu imago repræsentativa. Addimus aliam considerationem in verbis Seraph. Doct. supra adductis es corp. ubi dicit, quod summus Spiritus in Patre se, & omnia uno aspectu cognoscit, & cum tali cognitione cognoscit se, ut aliorum principium (hic autem patenter supponit cognitionem essentialem antecedentem ad dictionem, de qua fusè supra d. 11. q. 6. subdit: & quia in ipso vis conceptiva concipit similitudinem omnia circumplectentem sub intuitu uno, sive aspectu (nota hìc consequenter Seraph. Doct. loqui de notitia essentiali, qua cognoscit se, & omnia relucentia in essentia) subdit; concipit, sive generat unum verbum, scilicet per dictionem, ut in quæst. antecedenti explicaverat. Hoc Verbum (ait) est similitudo Patris imitativa: quia explicat totum quod est Patris, & similitudo rerum exemplativa, & virtus operativa, & est merè appropriatum Verbi, cum sit quid commune tribus ex ratione essentiæ, ut prima, & summa veritas est, & quia per dictionem refertur Verbum realiter ad Patrem dicentem, non verò ad creaturas; hinc dicit respectum ad memoriam fœcundam ut principium, quo, & ad Patrem ut, quod; ex quibus patet hallucinatio Auctorum volentium trahere Seraph. Doct. ad partem Thomistarum, utque hoc magis pateat.

440 Not. 4. Quod meritò Seraph. Doct. supponit in Verbo similitudinem Patris imitativam: Nota ista duo, similitudo, & imitatio, dat per hoc intelligere, quod Verbum ex vi suæ productionis, & naturæ repræsentat solùm objectum, de quo nascitur, cumque de sola essentia Patris tanquam de objecto producatur (producitur enim ex memoria fœcunda) illam solam ex vi suæ originis repræsentat, creaturas vero repræsentat appropriatè, quia per modum suæ originis appropriatur ei notitia actualis, per quam cognoscitur omne intelligibile. Ex quo infert S. Bonavent. quod, cum Verbum dicat respectum rationis in habitu tantùm ad creaturas, ut ad effectus, ideo Verbum divinum solùm est imago, & similitudo naturalis objecti, de quo nascitur, quod est divina essentia, & non creatura, quippe quæ ante actum intelligendi divinum, nullum esse formale, ac proprium habet, sed solùm eminenter, & virtualiter in divina essentia continetur, & hinc est quod Verbum divinum non nascitur de creaturis, & per consequens non est naturalis, ac formalis earum similitudo, nec eas ex vi suæ productionis primaria repræsentat, & si à Seraph. Doct. dicitur similitudo rerum exemplativa, id est ratione idæationis in essentia; & similitudo operativa, id est ratione continentiæ virtualis creaturæ in essentia, ob idque & appropriatè solùm dicitur.

Dices. Intelligibile esse quod Pater essentialiter cognoscat uno, & eodem intuitu se, & omnes creaturas, & non præsupponatur talis cognitio creaturarum ad productionem Verbi, & consequenter sequitur, quod si producatur ex cognitione essentiæ, producatur etiam ex cognitione creaturam. Respond. negand. totum: Pater quidem uno intuitu cognoscit essentiam, non verò ut terminatur ad creaturas, nisi post intellectam productionem etiam Spiritus Sancti; quia productiones ad intra sunt priores productionibus ad extra, & ob id etiam ipsarum cognitiones; & ad clariorem cognitionem hujus doctrinæ.

Not. 5. ex S. Bonavent. *l. 1. d. 20. a. 2 per totum, &* 441 *d. 12. q. ult.* quod ordo alius est secundùm positionem, ut est superius, & inferius: alius secundùm antecessionem, in quo aliquid existit ante aliud, & dicitur prioritas vera in quo: admittitur etiam prioritas in quo secundùm nostrum modum præintelligendi unum ante aliud. Alius est ordo à quo alius in quo non potest concipi unum ante aliud præexistens, alio non existente: hic tertius ordo verè est in divinis, in quo ordine non fit distinctio ordinatorum inter durationem, & durationem, sed tantùm à quo quis sit. Vnde cum in divinis, tum essentialia, tum notionalia sint in eodem signo, in quo, nullam possunt admittere rationem futuri, vel posterioris respectu alterius, sed tantùm potest dici, unam personam esse ab alia, existentibus tamen omnibus, & singulis in eodem instanti, in quo, æternitatis, quod est esse prius & posterius origine, vel prioritate à quo, non in quo: Ex quibus sequitur, quod cum personæ divinæ sint in eodem instanti, & signo in quo, simul existentes, non datur in eis prioritas, & posterioritas nisi ut à quo, & ob id cum Pater sit à se, Filius à Patre, & Spiritus Sanctus à Patre, & Filio, hinc stat, quod possit dici Pater actualiter simul existens cum Filio, & Spiritus Sanctus priùs est Filio, quia est à se, & non ab illis, ita existens ipse simul cum eis, dicitur intuitivè illos cognoscere in se ipsis, priusquam illi sint, aut producantur, quatenus illos cognoscit à se, & non ab illis, & hinc etiam negandum quando Verbum producitur, non esse Spiritum sanctum, ejusque intuitivam cognitionem in Patre; omnia enim tunc simul sunt, ut in quo, etiam si unum sit ab alio. Patet etiam quomodo

modo Pater dicatur perfectè Beatus, antequam producat Verbum, hoc est quatenus præconcipiuntur essentialia ante notionalia, & concipitur Pater à se, & duæ personæ ab alio: Et per hoc resp. illi objectioni, quæ involuit maximas difficultates. Proponiturque tali pacto. Antequam Verbum producatur à Patre, vel tunc cognoscitur abstractivè, vel intuitivè: Non primum, quia talis cognitio est imperfecta, & inadæquata objecto, quod non potest abstrahi ab esse personæ: Nec secundum, quia cognitio intuitiva terminatur ad rem existentem, vel pro hoc signo, vel pro aliquo futuro, sed non possunt cognosci personæ pro signo, in quo non sunt, nec pro futuro, cum hoc sit entis abstrahentis ab esse, & ex se non necesse esse. Respond. ex Mastrio num. 69. quod aliud est loqui de esse, seu existentia Verbi, & Spiritus sancti, aliud de cognitione illorum, nam eorum esse in ipsis est, & ad ipsos spectat, & ideo ante ipsos esse nequit, nec in instanti in quo, nec à quo; nam cum Verbum sit à Patre non nisi in secundo signo originis dicitur esse, & Spiritus sanctus in tertio signo: At cognitio Verbi, & Spiritus Sancti non est in ipsis, sed in Patre, & ad Patrem spectat, prout principium omnis fœcunditatis ad intra: Quare sicut Pater dicitur esse in primo signo originis, ita quod cognitio Verbi, & Spiritus sancti prout ad ipsum spectat, dicitur esse in primo signo originis, & sicut Patrem esse in primo signo originis, non autem Filium, & Spiritum sanctum, non est, Patrem existere in aliquo instanti, in quo aliæ duæ personæ non existant, ita, Patrem, antequam producat Verbum, cognoscere intuitivè Spiritum sanctum, ac dicere Patrem à se, id est non per productionem Verbi, nec à productione Verbi habere, ut cognoscat Spiritum sanctum, sed à se ipso cognoscere illum, quia talem perfectionem intuitivè cognoscendi alias duas personas non habet ab eis, nec per earum productione, sed à se ipso. His positis.

442 Conclu. Verbum divinum propriè non producitur ex aliqua cognitione actuali, sed ea memoria fœcunda ut ex principio, quo. Est Seraph. Doct. *d. 27. p. 2. q. 1.* Scoti, & plurimorum, & satis probata fuit *in disp. 12. q. 6.* ad quam remittitur Lector: ubi probavimus, Verbum esse potius intellectionem, & notitiam genitam, quàm producatur per illam actualem notitiam: sic etiam in nobis est notitia actualis genita immediatè ab intellectu nostro informato specie non intellecta, sed intelligibili: ita & Verbum divinum ea memoria, scilicet ex intellectu, & essentia ipsum fœcundante.

443 Concl. 2. Verbum divinum producitur ex præsupposita cognitione divinæ essentiæ, & personarum. Est Seraph. Doct. *d. 27. p. 2. q. 1.* & communis ferè omnium Theologorum, etiam Scotistarum. Prob. variis Testimoniis SS. PP. allatis à Seraph. Doct. *d. 27. p. 2. q. 1.* Prob. 2. ac ineluctabili ratione, quæ ab omnibus Theologis affertur. Et est Seraph. Doct. in corp. Cognitio ex qua Pater generat Verbum est perfectissima, & comprehensiva divinæ essentiæ intuitiva seu ut (loquitur Seraph. Doct.) summa vis intellectiva omnia circumplectens actu: sed ad cognitionem talem perfectam, requiritur, ut attingantur omnia prædicata, omnesque perfectiones, & entitates in eo, vel formaliter, vel identicè contentæ, spectantes ad communicabilitatem essentiæ: ergo, cum in divina essentia contineantur attributa, origines, & personæ illis constitutæ, ergo ex tali cognitione præsupposita procedit Verbum.

Confirmatur: Quia intellectus divinus videns essentiam suam, ipsam videt sicut est in se, & perfectissimo modo, sed in se formaliter est communicabilis per duplicem fœcunditatem, ergo, &c. Tum quia (ait Seraph. Doct.) unicus est actus simplicissimus, quo Pater cognoscit suam essentiam, & personam, estque semper idem, nec ei potest addi nova cognitio, ergo, &c. Tum quia Pater cognoscit se comprehensivè, ergo etiam suos correlativos communicantes in eadem essentia.

Objic. 1. Pater in primo signo, antequam producat Verbum, vel illud cognoscit, vel non: si non, habetur intentum; si sic, ergo vel abstractivè, & hoc non, ut supra dictum est, vel intuitivè, ut fatemur, & si hoc, ergo cognoscitur Verbum antequam sit. Respond. ut supra in fundamentis dictum est, Patrem cognoscere Verbum, & Spiritum sanctum intuitivè in illo priori, in quo, sed ut a quo: ob idque existentialiter est; sed ut à quo dicitur non esse in illo priori. Unde in primo signo, ut in quo, est cognitio, quam Pater habet personarum, non verò ut à quo. P. Gaud. n. 127. rejicit hanc responsionem. Mastr. tanquam æquivocam, dicens non sufficere præsentiam, seu existentiam intelligentis, alioquin omnis intellectio esset intuitiva: sed verè magis ipse P. Gaudent. æquivocat; nec enervat responsionem, imò pretendens ipse assignare responsionem adæquatam incidit in responsionem Mastrii, qui dicit, Patrem esse semper simul cum Filio, & Spiritu sancto, etiam in illo primo signo, ut in quo, & existentialiter, licèt quoad originem, & ut à quo, Filius, & Spiritus sanctus sit posterior.

Objic. 2. In primo signo Pater solùm cognoscit suam essentiam, & se ipsum constitutum ex ipsa essentia, & solùm; ergo pro illo signo non cognoscit Verbum, & Spiritum sanctum. Prob. anteced. quia pro illo signo est perfectè Beatus; ergo Verbum producitur ex cognitione solius essentiæ. Et confirmatur; quia sola divina essentia est objectum primarium, ergo, &c. Respond. negand. anteced. & conseq. imo est fallacia in argum. transit enim à prioritate originis, ut à quo, ad prioritatem naturæ, ut in quo. In illo primo signo est simul Pater, & Filius, & Spiritus sanctus, ut in quo, non autem, ut à quo, quia prius est Pater quàm Verbum; & ad illud quod in primo signo est Pater perfectè Beatus; respond. verum esse utroque modo, & ut à quo, & ut in quo, nec hinc sequi dari instans in quo Pater sit sine filio; & ad illud de objecto primario, respond. esse essentiam cum omnibus entitatibus in ea formaliter, vel identicè contentis, spectantibus ad ipsam, quales non sunt creaturæ.

Objic. 3. Essentialia sunt priora notionalibus; ergo in illo primo signo notionalia non sunt objectum primarium divini intellectus. Respond. conc. antecedent. negand. consequentiam, quia enim illa cognitio est comprehensiva, ideo omnia attingit.

Objic. 4. Si Verbum oritur ex sui cognitione, ergo est principium sui ipsius, & consequenter imago sui; quod implicat. Respond. hoc argum. urgere Thomistas, qui volunt, Verbum produci ex cognitione actuali ut principio, quo, Nos autem id negamus, sed solùm dicimus naturæ ordine secundùm subsistendi consequentiam, cognitionem illam præsupponere: tum etiam, quia ut aliquid sit imago alicujus, necesse est, quod procedat ab illo, non tantùm secundùm esse cognitum, sed secundùm suum esse reale tanquam à principio,

quo, vel etiam, quod; Verbum autem divinum non sic procedit à seipso, aut à Spiritu sancto ut à principio: & ideò nullo modo potest appellari imago sui ipsius, aut Spiritus sancti, sed solùm Patris, à quo, ut à principio, quod, procedit.

Dices. Objectum est principium cognitionis; sed Verbum est tale objectum Patris, ergo est principium sui, vel suæ cognitionis. Resp. non quodlibet objectum est principium suæ cognitionis, sed tantùm illud, quod est motivum, quod in divinis est essentia; Personæ verò sunt subjectum terminativum tantùm: tum etiam quia objectum motivum potest produci de se ipso, ut præcognito in mente producentis: Sic enim (ait Arist. 7. Metaf.) Domus extra fit à domo intra: aliud enim est loqui de objecto secundùm suum esse reale, aliud de se ipso secundùm esse cognitum, aut de cognitione ipsius, saltem per modum ideæ, &c.

Objic. 5. Si Verbum producitur ex cognitione sui, & Spiritus sancti tamquam ex subjecto per se, ad ejus productionem requisito, sequitur quod Verbum sit imago sui, & Spiritus sancti, nam se ipsum repræsentaret, & Spiritum sanctum, & ab ipsis quoque procederet. Resp. primò, modo supra allato negand. sequelam: Non enim dicimus talem cognitionem, non esse principium, quo, sed tantùm præsupponi; unde tenentur Thomistæ respondere huic objectioni. Resp. 2. ad rationem imaginis non sufficere processionem qualemcumque intentionalem, & secundùm esse cognitum, sed requiritur processio realis, & secundùm esse reale, ita ut imaginatum sit principium, quod, imaginis sui: Unde non sequitur, Verbum esse imaginem sui, nec Spiritum sanctum imaginem Filii, quia relatio imaginis fundatur in origine generationis, ut quod, &c.

444 Concl. 3. Verbum divinum non procedit ex cognitione creaturarum possibilium. Est Scoti, & sequac. & plurimorum aliorum apud Fabrum, & Meld. cui præivit S. Bon. quicquid dicant P. Gaud. aliique ab ipso cit. *num.* 132. qui immeritò, & sine ratione miratur Capulium egregium Comment. Seraph. Doct. ipsum traxisse in Scoti opinionem.

Prob. 1. Argum. Scoti cit. à Meld. Ens infinitum simpliciter necessarium non potest esse posterius finito contingente: sed Verbum est ens infinitum simpliciter necessarium, & creatura est ens finitum contingens; ergo Verbum divinum non potest habere esse post creaturas finitas, & contingentes. Confirmatur ex D. Anselm. qui *c.* 29. *moral.* ait; sive ergo ille cogitetur, nulla alia existente essentia, sive aliis existentibus necesse est, Verbum coæternum illi esse cum illo: Et c. 33. & 34. ait, Verbum non esse similitudinem creaturarum. Ex quibus duobus textibus patenter eruitur, & ex S. Anselm. Verbum, nullam dependentiam, vel relationem realem dicere ad creaturas, ipsasque se habere accidentaliter ad productionem Verbi. P. Gaud. ex responso S. Bon. *ad* 2. & *ad* 4. putat facilè posse se extricare, ab hoc nodo, sed tamen magis se involuit. Seraph. Doct. enim resp. ad illud Argum. Verbum est necessarium, productio creaturæ est contingens: Si ergo simpliciter necessarium non claudit in se contingens, Verbum non dicit respectum ad creaturam. Huic objectioni resp. S. Bon. quod quamvis productio creaturæ sit voluntaria, tamen potentia producendi, & scientia est necessaria: impossibile enim est, Deum nescire creaturas producere. Et ad quartum in quo objicitur, si Verbum dicit respectum ad creaturam, ergo poterit dici Verbum creaturæ, quod expressè negat Ansel. Resp. quod Verbum de ratione Nominis dicit respectum ad producentem, quia dicitur Verbum dicentis, similiter & donum. Hæc S. Bon. Cujus sensus, ut intelligatur, oportet advertere, quid prætendat in hac quæstione: An, scilicet Verbum importet respectum ad creaturas, quemque admittit non realem, sed rationis, & in habitu tantùm, & quatenus tantùm involuit potentiam, & scientiam, quod est quid essentiale commune, ideò dicit respectum tantùm in habitu ad creaturas tamquam effectus, & ideò talem respectum admittit, ut quid appropriatum, non proprium, nam id quod Verbi proprium est tantùm ad Patrem dicentem, ut ad principium, quod, & ad memoriam fœcundam, ut ad principium, quo, ordinem habet, uti se explicat ibidem in *q.* 1. & 2. *in corp.* & *ad ult.* quem respectum vocat principalem, & proprium in respondendo ad 4. Unde pro sententia Thomistarum, & Gaudentii nihil facit ad rem: & hinc eruitur ratio secunda: si Verbum produceretur ex cognitione creaturarum diceret respectum realem ad ipsas, sicut dicit ad Patrem, & ad memoriam fœcundam, sed non involuit talem respectum, ergo, &c. Prob. 3. Si Verbum produceretur ex cognitione creaturarum ab ipsis dependeret, & essent necessariæ, sicut est ipsum Verbum, ut arguit S. Bon. Arg. 2. ad oppos. consequens est falsum, & impossibile, ergo, &c. Resp. cum Thomistis P. Gaud. Hoc Argum. ad summum probare de creaturis futuris, non de possibilibus, eo quod vel involuunt æqualem necessitatem cum Omnipotentia divina, ob idque involui in cognitione comprehensiva divini intellectus, sic multi Doct. Societatis; vel saltem ab extrinseco esse necessarias sicut Omnipotentia divina. Sed contra: Primò, quia, ut fusè probatum est à nobis ex Seraph. Doct. de Deo uno *disp.* 4. *quæst.* 6. & *d.* 5. *quæst.* 2. *ad quintam concl.* falsum est esse æqualem, vel similem necessitatem in creaturis possibilibus cum divina Omnipotentia: tum quia, ut notat Seraph. Doct. aliud est loqui de potentia, & scientia secundùm se, hæc enim est summè necessaria, aliud est de connotatis creantis; quæ non habent omnimodam necessitatem, sed dependentem à Deo; tum quia ad creaturas non terminat actu cognitio divina, sed tantùm habitu, ut dicit S. Bon. ergo ad eas non terminat cognitio qua Verbum producitur, vel quæ præexigitur. Prob. 4. Prius Pater æternus cognoscit objectum primarium, quàm secundarium, & purè terminativum, sed essentia, & quæ in ea sunt, habent rationem objecti primarii divini intellectus, creaturæ autem secundarii, & terminativi: ergo priùs Verbum producitur, quàm creaturæ cognoscantur. Prob. conseq. quia cognitio objecti primarii est infinita, & perfectissima: ergo hæc sufficit. Resp. cum Thomistis P. Gaud. cognitionem creaturarum possibilium spectare ad objectum primarium, quia est perfectio essentiæ, & virtutis Dei: quæ responsio tamen est falsa, & falsò innititur fundamento, falsa quidem est, quia essentia sola, cum perfectionibus suis est subjectum primarium divini intellectus, creaturæ verò sunt, secundariumque & terminativum: falsum etiam est fundamentum cui innititur ex hoc quod dixit S. Bon. *ad* 2. quod licèt creaturæ sint contingentes; Potentia Dei tamen, & scientia est in Deo necessaria: quid igitur, & quomodo infert iste Auctor, creaturas spectare ad primarium objectum, scilicet ad essentiam? spectat quidem divina

vina potentia, & scientia, sed non connotata, ad quæ dicit ordinem tantùm in habitu, & in actu primo, ut ait Seraph. Doct. subdit dictus Auctor; sed etiam hoc dato, adhuc tamen in eodem signo debet cognosci possibilitas creaturarum, ut Deus comprehensivè cognoscatur, sed & in hac responsione æquivocat etiam, nam in primo signo cognoscitur possibilitas creaturarum in habitu, & non in actu: Et hoc sufficit ad comprehensionem cognitionis divinæ. Subdit: Ex dictis, responde Coriolano, ubi nam Seraph. Doct. sententiam istam adstruat: Sed jam clarissimè ostensus est sensus Seraph. Doct. &c.

445 Objic. 1. Verbum divinum oritur ex cognitione comprehensiva essentiæ, sed talis cognitio est etiam creaturarum possibilium, ergo, &c. Et confirmatur ex D. August. l. 5. *de Trinit.* cap. 15. dicente, Verbum produci de omnibus, quæ sunt in scientia Patris; sed in hoc sunt creaturæ, ergo, &c. Resp. primò, cognitionem comprehensivam continere perfectionem intensivam, seu ut loquitur S. Bon. habitualem, creaturarum non actualem: & hoc pacto etiam D. Aug. per scientiam Patris intelligit memoriam fœcundam, seu habitualem, ad quam spectat intellectus, & essentia objecta, quæ præcedit actum intelligendi; creaturæ verò, sive in esse reali, sive cognito subsequuntur: Unde scientia Patris sumitur per modum actus primi, non secundi. P. Gaud hic, ex hac responsione infert varia absurda; sed frustra laborat, quia nihil absurdi sequitur, nec quod Pater successivè cognoscat res, nec quod melioretur generatione verbi; nec quod verbum habeat à se cognitionem possibilem nec quod Pater sit omnipotens ante generationem; quia talis cognitio creaturarum est essentialis, non notionalis, & ob id communis tribus, nos verò assignamus principium, quo, verbi, non alia extranea.

Objic. 2. Creaturæ in esse cognito sunt Ideæ, & habent esse in memoria, ergo verbum producitur ex istis? Resp. Memoriam bifariam considerari: Uno modo in quantùm intelligitur essentialiter, & communicata filio à Patre, & Spiritui sancto à Patre, & filio; & sic, si creaturæ habent esse in memoria alio modo secundùm quod est solius Patris ante omnem actum operativum, & productivum; tunc non præintelliguntur esse in memoria. Similiter verbum produci de Idæis, quæ sunt in intellectu Patris, potest intelligi dupliciter: Uno modo de Idæis, quæ sunt in intellectu secundùm quod intellectus dicitur memoria: Secundo modo de Idæis secundùm quod intellectus est intelligentia. Primo modo verbum non producitur de Idæis secundùm quod sunt in intellectu Patris, quia creaturæ non priùs habent esse intelligibile, quàm intelligantur: Secundo modo maximè, quia ille actus est intelligentia, & sensus est, quod notitiam objectorum secundariorum filius habet à Patre, & illa productio notitiæ Idæarum in filio à Patre, dicitur generatio filii secundùm quid, scilicet in esse talis naturæ, quam in primo signo non habebat, idest à se.

446 Concl. 4. Verbum non producitur ex cognitione creaturarum futurarum: Sequitur ex dictis: Si enim non producitur ex creaturis possibilibus, multò minùs ex futuris. P. Gaud. tamen trahit violenter Seraph. Doct. contra hanc Concl. Sed fundamento malè intellecto. Et probatur directè, quia creaturæ futuræ sunt contingentes, ergo non possunt concurrere ad id, quod est summè necessarium. Resp. P. Gaud. gigni Verbum ex cognitione futurarum, non minùs in Verbo, quàm in scientia Patris sit: ex eo etiam, quia Pater gignendo filium comprehendit totam Trinitatem, ob idque & decreta, & creaturas, &c. Quæ responsio est verè vana, nam etiam si verbum non generetur ex cognitione creaturarum futurarum, tamen ipsam haberet à Patre, ut dictum est supra, &c.

Prob. 2. Posterius non potest esse principium producendi quod est prius; sed creaturæ futuræ sunt posteriores verbo, à quo simul cum Patre, & Spiritu sancto determinantur ad esse. Sic etiam in Concilio Sirmiensi determinatum fuit ad illa verba Genesis 1. *faciamus hominem*, esse à tota Trinitate. Resp. hic P. Gaud. ex D. Bon (ait ipse) Posterius non posse esse principium prioris, ut principium, *quod*. Sed bene principium, *quo*; Sed hæc responsio nihil Argumento officit, cum principium, quo, ex traditis suo loco, sit memoria fœcunda, non intelligentia actualis.

Ex quibus traditis sequitur; Primo ad mentem 446
Seraph. Doct. Quod verbum divinum non producitur ex actuali notitia tamquam principio, quo, sed ex memoria fœcunda existente in Patre: Nam tres Personæ, ait S. Doct. *d.* 27. *p.* 2. *q.* 1. *ad* 3. Se intelligunt, & non concipiunt prolem, quia non est in eis fœcunditas ad generandum, intelligere enim non dicit rationem concipiendi, sicut evenit in nobis. 2. quod nomen verbi est proprium filii Dei, quia verbum est sapientia genita, includens in sui ratione nativitatem intra dicentem tamquam conceptus, & proles ipsius Patris dicentis ipsum manifestans. 3 Verbum divinum formaliter dicere relationem, quia per relationem constituitur in esse, non sic nostrum verbum creatum; principaliter enim significat quid absolutum, scilicet formam in mente dicentis intelligibiliter absolutam, quæ est terminus actionis, quatenus tamen illa qualitas refertur ad intellectum speciæ informatum, involuit relationem. Ex S. Bon. *ibid. quest.* 2. *ad Arg.* 4. Verbum divinum principaliter, & essentialiter dicere relationem ad Patrem dicentem, ut ad principium, quod; ad creaturam autem, ut ad effectum: nempè ad Patrem, ut producentem, & ad creaturas, ut producibiles, & causabiles, cum hoc discrimine, quod primus respectus est relatio realis, secundus, est rationis, quia tantùm importatur connotatio aptitudinalis creaturarum, non actualis: sicque verbum divinum habet unum respectum, scilicet originis ad Patrem per omnia consimilem, à quo generatur; alium ad creaturam, scilicet declarativum: declarat enim eum, à quo est, & se, & creaturas (Nota) per modum exemplaritatis dispositivæ, & virtutis operativæ. Quod declarat S. Bon. *in fund.* 1. ex D. August. cit. Ipse Deus dixit, & facta sunt: ergo cum dicere nihil aliud sit, quam verbum proferre; & ad dicere, sequitur facere; & ad facere, ipsum factum, ergo ad verbum sequitur factum. Cum igitur talis respectus ad creaturam sit rationis, & intelligatur consequi ad ipsum verbum, & connotetur tantùm habitu, sequitur, quod si Deus numquam crearet actu, adhuc verbum conciperet, & filius Dei esset verbum. Sequitur 5. Verbum in divinis nullum dicere respectum rationis pertinentem intrinsecè, & formaliter ad Personam verbi, vel filii, nisi solùm ad Patrem dicentem, qui respectus est idem, quod verbatio passiva, vel filiatio. Sic etiam (ait S. Bon.) dicitur de dono respectu Spiritus sancti, cum hoc tamen discrimine, quod donum principaliter, & formaliter significat respectum donabilitatis; Verbum autem principaliter dicit respe-

ctum realem ad dicentem, ex consequenti, postea annotat respectum rationis ad creaturas, ideo ut quid extrinsecum, non intrinsecum Personæ, & per consequens ad esse Personæ. Nota tamen, quod verbum habet aliquem respectum rationis ad intra, nempe respectum declarativi, vel manifestativi ipsius Patris, ut à quo est per generationem sui ipsius, ut qui, est à Patre, vel ut productivi à Patre per generationem; qui duo respectus rationis sunt proprii verbi, ei enim competunt ex modo procedendi: alium etiam respectum rationis habet ad essentiam, ut declarativum ejus in quantum est ipsa, vel per ipsam formaliter est Deus. Alium etiam habet ad Spiritum sanctum, ut productivum ab ipso, qui tamen est communis, licèt approprietur filio ob suum specialem modum procedendi per modum notitiæ ex memoria, cujus est procedere ut manifestativam, vel repræsentativam. Quare appropriatè dicitur de verbo, quod dicat respectum ad Creaturam, cum fundetur super aliquid commune, scilicet potentiam, & virtutem, & sententiam: & iterum, quod dicat respectum, ut Ars ad amplificatum, dicitur enim verbum Ars Omnipotentis Dei plena omnium rationum viventium; qui duplex respectus, licet sit quid commune tribus, appropriatur tamen filio, quia verbum dicit manifestationem, & declarationem per modum notitiæ, sic & Ars ei appropriatur, licèt sit quid commune ratione potentiæ creativæ, propter convenientiam cum sua productione, operari enim per modum Artis spectat ad intellectum. Sic & dicitur Sapientia Patris: Joan *cap.* 1. *Omnia per ipsum facta sunt*) quia sapientia, notitia, & veritas filio in divinis attribuuntur.

6. Sequitur, quòd licèt non possit dici, Patrem intelligere à verbo sicut ab objecto, vel specie qua cognoscitur; sic enim filius haberet rationem principii ad Patrem. Potest tamen dici, quod Pater intelligit in filio, vel in verbo se ipsum, & omnia alia, in quantum est videns, filium esse similitudinem suam & omnium aliorum. Unde Pater videt se, & omnia in se ipso, videt etiam hæc in filio ut in imagine sua manifestativa, non quidem ut ratione intelligendi, quia hæc est essentia communis tribus, sed quatenus generat verbum, eique communicat essentiam, quam habet.

7. Sequitur, quod verbum non dicitur verbum creaturæ, quia solùm ad Patrem dicit respectum realem, ob quem dicitur verbum Patris; ad Creaturam verò dicit respectum rationis habitualem tamen, & appropriatè, ideoque Creatura non pertinet ad memoriam Patris pro illo signo, pro quo producit verbum, sed solùm intellectus, & essentia, solúmque potest dici verbum Creaturæ principiative, scilicet verbum, quo fit Creatura, ideo tantùm appropriativè, &c.

QUÆSTIO X.

De filio Dei, ut est imago Patris.

447 QVæritur 1. *Qualiter differant inter se ista nomina verbum, filius, & Imago?* R. S. Doct. *l.* 1. *d.* 27. *p.* 2. *dub.* 2. quod licèt significent essentialiter idem, tamen vi nominis differunt. Nam verbum dicitur, ut procedit ab interioribus: Imago, quod imitatur in exterioribus, filius complectitur utrumque ideoque, magis communiùs dicitur filius, quàm aliquid aliorum; vel aliter. Omnia hæc tria important similitudinem alterius, sed filius importat similitudinem naturaliter emanantem, Imago, ut expresse imitantem, & per omnia conformem, & Verbum ut alius exprimentem quantùm est de se, seu natum exprimere: ideo Filius frequentius nominatur illa persona, propter hoc, quod ipsam emanationem, & habitudinem illam nomine propriè importat. ideo sine Synonimia importatur per hæc tria nomina eadem proprietas Filii Dei.

Q. 2. *Quid sit imago, & quotuplex?* Respond. Quod imago (ait S. Bon. d 35. p. 2. q. 1.) dicitur quasi imitago, quasi imitatur Prototypon, ideoque duas conditiones exigit. 1. Ut Protypon imitetur, hinc imitas pedem, non dicitur imago, sed vestigium, ut sit à prototypo. & ordinata ad ipsum repræsentandum: Quâ ratione Ovum ovo simile est, non tamen alterius imago, quia ex ipso non exprimitur, nec est ad illud repræsentandum apprime productum. Duplex autem est imago, altera est secundùm naturam, ut filius Adæ, dicitur imago Adæ, quia est ei similis in specie athoma. Sic *d.* 3. *q* 2. *ad arg.* perfectissima autem erit, si eandem naturam habeat cum suo principio, & hæc propriè est in divinis. Altera imago est secundùm speciem externam, ut imago Herculis, quæ licèt sit effectivè à Pictore, exemplariter tamen est ab Hercule: & ad hanc reducitur Verbum nostrum, quod secundùm expressionem tantùm non secundùm naturam imitatur objectam. Ex quibus patet, rationem imaginis propriè esse in divino Verbo: Imago verò increata definitur sic ab Hilario; primò: Imago est ejus, quod imaginatur species indifferens: secundo definitur: Imago est rei ad rem coæquandam imaginata, & indiscretes similitudo. Explicatur autem utraque definitio à S. Bon. *d.* 31 *p.* 2. *dub.* 3. *& q. seq.* Supponit autem quod ratio perfecta imaginis tres conditiones exigit, 1. est quod imago sit ab alio, 2. quod sit secundùm modum expressum emanandi: & 3. quod sit secundùm substantiam indifferens: Dicitur igitur imago: species ejus quod imaginatur, ut explicetur processio Filii à Patre: Dicitur species, ut indicetur modus expressus emanandi, quia includit perfectam similitudinem cognoscendi: dicitur indifferens, ut indicetur convenientia identica in natura: per primam conditionem, imago differt à Patre, & ab essentia: per secundam à Spiritu sancto: & per tertiam ab imagine creata, quæ differt ab imaginato secundùm substantiam. Secundam etiam definitionem D. Hilarii explicat S. Bon. ibidem eodem sensu, licèt diversum modum contineat, ut videre est in textu. D. August. sic imaginem definit: similitudo totalis ad alterius imitationem expressa, dicitur similitudo, loco generis; dicitur totalis, ad exclusionem vestigii; dicitur expressa, ad alterius imitationem; id est, quod ex vi suæ expressionis, & processionis exprimitur ab altero.

Ex quibus infert Seraph. Doct. quod imago, & exemplar propriè sumpta differunt per hoc quod cum utrumque dicat expressionem imaginati, & exemplati: Imago ipsam dicit per modum passivi, exemplar per modum activi. Sic Pictor volens pingere Cæsarem habet ipsum Cæsarem præsentem, ut exemplar; pictura verò est imago. Unde exemplar est id, ad cujus imitationem aliquid fit: Imago est in id, quod alterum exprimit. Vnde, ait Seraph. Doct. Quod est imago in producto, hoc est exemplari in producente. Sic *d.* 6. *q.* 3. *&c.* 448

Q. 3. *An imago in divinis dicatur secundùm substantiam; an secundùm relationem; Ubi de imagine*

creata

creata, & increata? Respond. S.Bonav. *d.* 31. *q.* 1. huic quæsito duplici conclusione. 1. est quod imago in divinis propriè sumpta dicitur secundùm relationem. Prob. quia, quæ dicuntur secundùm originem dicuntur notionaliter, & secundùm relationem; sed imago importat originem, dicit enim emanationem; emanatio autem in unitate naturæ non est, nisi personæ, ergo imago dicitur personaliter; tum quia dicit respectum personæ ad personam; tum quia dicit imitationem, ergo relationem. 2. Concl. est, quod imago impropriè sumpta potest dici de tota Trinitate, accipiendo imaginem ad cujus expressionem fit aliquid: ratio est, quia imago aliquando sumitur abusivè, scilicet activè, sicut exemplar aliquando sumitur passivè; cum autem creatura rationalis fiat ad imaginem SS. Trinitatis, tali pacto, & sensu dici potest imago, &c.

Q.4. *An imago sit propria Filii Dei?* Respond. S.Bon. *q* 2. affirmativè, & est communis SS.PP. & Theologorum, & prob. ex pluribus locis Sacr. Script. à P. Gaud. adductis, & prob. ab eodem. Imago est similitudo ab aliquo expressa ad repræsentandum totum; at Verbum est hujusmodi, ergo, &c. Major est clara, quia, ut notat Seraph. Doct. similitudo, & processio ad imaginem requiritur, nempe non sufficit sola similitudo, quia sic etiam esset imago Spiritus Sancti, sed requiritur processio etiam ex vi originis, ergo, &c. Addit S. Bon. *ibid. in corp.* quia hæc expressio debet esse infinita, & summa; ergo est unius ad unum, & secundùm omnem modum. Prob. conseq. nam unum in summo non potest exprimere plores, vel plura, quia unum in summo non admittit diversitatem, cum sit de se sufficiens, & per consequens unum à pluribus non potest exprimi, quia sunt omnino differentes: summa item expressio exigit expressionem secundùm omnem respectum, sed solus Filius est hujusmodi, ergo, &c. Prob. min. quia solus Filius est ab uno, non verò Spiritus sanctus, qui à duobus procedit æqualiter, nec exprimit utrumque in Summo: solus etiam Filius secundùm omnem respectum exprimit, & in quantùm comparatur ad illum, à quo est, & in quantùm comparatur ad illum, qui ex ipso est, ratione primi respectus est per modum naturæ, & ita per modum Verbi, speciei, & similitudinis expressæ; ratione secundi respectus, quia eodem modo per omnia spirat, Spiritum sanctum, ut Pater.

Ex quibus infertur, quod imago est propria solius Filii, cum sit similitudo expressa ad imitationem producentis, scilicet Patris, & ideo non convenit Patri, cum sit improductus, nec Spiritui sancto, cum non sit productus ad imitationem Patris, & Filii, scilicet per potentiam, quæ ex sua natura tendat in similitudinem, quod non convenit voluntati; ut aliàs dictum est.

Objic. 1. Si ratio imaginis conveniret Verbo, esset simile Patri. Sed hoc est falsum, ergo, &c. Prob. min. si est simile Patri, hoc est vel in persona, & hoc non, cum potiùs opponantur, vel cum ratione essentiæ, & hoc non, quia sunt idem in essentia, ergo nullo modo. Respond. esse similes ratione essentiæ: licèt enim sit eadem essentia, tamen est in duobus, quod sufficit ad similitudinem duorum: sicut si eadem albedo esset in duobus parietibus, &c. vel dicendum cum S. Bonavent. assimilationem non esse ratione substantiæ, sed propter modum emanandi, quia exit per modum naturæ, & Verbi, & speciei, & similitudinis expressæ.

Objic. 2. SS. Patres Græci vocant Spiritum sanctum imaginem Patris. Respond. Græcos non sumere præcisè rationem imaginis; sicut Latini: sed dicendum, ait S. Bonav. SS. appellare Spiritum sanctum imaginem Patris causaliter, quia nos reformat ad ejus imaginem, &c.

QUÆSTIO XI.

De tertia Persona, scilicet de Spiritu Sancto.

AN Spiritus Sancti nomen sit proprium tertiæ Personæ divinæ, & cur dicitur Sanctus? 449

Respond. Seraph. Doct. l.1. d.10. q. ult. quod hoc nomen Spiritus reperitur in corporibus, in substantiis rationalibus, & in Deo: & licèt in Deo sit propriissimè, quia in ipso propriissimè est spiritualiter, & spiratio; ratio tamen cognoscendi, & dicendi tanquam à posteriori incipit à substantia corporali, in qua Spiritus dicitur dupliciter, aut spiritualiter contra corpulentiam; sicque dicitur absolutè corpus subtile, aut à spiratione, & sic dicitur spiritus flatus. In substantia rationali, & spirituali dicitur contra corporeitatem à spiritualitate, sic anima dicitur Spiritus; aut à spiratione, sic affectus, & amor dicitur Spiritus, quia enim actus spirationis in corpore est actus internus, vivificus, continuus, & habet originem à calore, sic & amor exit ab intrinseco, & est vivificus, seu vita, & continuus, quia continuè debet reddi Amor, ut sit perfectus, & est calor spiritualis, ideo solus amor dicitur spiritualiter spirari: secundùm autem duplicem modum accipitur in divinis, pro ut enim dicitur à spiritualitate, sic convenit toti Trinitati, quæ caret corporeitate, & materialitate: & sic est nomen absolutum, ut Joan. c.8. *Spiritus est Deus.* Prout verò dicitur à spiratione, sic convenit illi personæ, quæ procedit ut amor, ob rationem jam dictam; spirare enim in spiritualibus solius est amoris, & quoniam amor potest spirari rectè, & ordinatè, & sic est purus; vel indirectè, & immundè, & sic est libidinosus: Ideo Persona illa; quæ est amor, non tantùm dicitur Spiritus, sed Spiritus sanctus, quia generatio est naturalis motus, circa quem non est sanctitas, vel puritas, sicut attenditur circa amorem voluntatis. Hinc concluditur, quod procedere per modum amoris, ob idque, & spirari, est proprium Spiritus Sancti.

Prob. autem Concl. Tum quia spiritus dicitur, quod spiratur, sed quod spiratur non generatur, nec è converso, sed spirari non convenit Patri, nec Filio; ergo convenit Spiritui sancto; tum quia convenientes in voluntate dicuntur conspiratores: Pater autem, & Filius conspirant voluntate ad producendum amorem, ergo, &c.

Objic. 1. ex Ioan. cap.4. *Spiritus est Deus*, &c. & si dicitur de Deo, ergo est communis Trinitati; & confirmatur; quia si sumitur à spiritualitate contra corpulentiam, sic convenit toti Trinitati; si à spiratione, sic etiam convenit eidem Trinitati, idem enim est ac inspirare; tum quia spiratio est actus naturalis, ergo, &c.

Resp. S. Bon. Si spirare sumitur pro inspirare, sic convenit toti Trinitati, dicit enim effectum spiritus immissum in anima: si sumitur pro producere amorem, sic est proprium Spiritus sancti, ut dictum est.

Objic 2.

Objic. 2. Spiritus est Pater, & Filius, & Spiritus sanctus, & simul unusquisque, est sanctus, ergo non est proprium Spiritus sancti. Resp. quod istud Nomen Spiritus sanctus, si sumitur secundùm virtutem vocabulorum, sic convenit toti Trinitati, prout sumitur, inquam, in virtute duorum vocabulorum, quia quælibet persona est Spiritus, & sanctus: si sumitur secundùm impositionem Ecclesiæ, per quam hoc nomen impositum est ad significandam unam personam, quasi circumlocutio unius nominis ob defectum vocabulorum, quæ linguæ nostræ deficiunt à narratione Dei, sic propriè convenit Spiritui sancto. Sic D. Thomas *d.*10. *q.*4.

Dices. Quod „ly, Sanctus, non coarctat nomen Spiritus ad unam personam, ut advertit S. Bon. hîc, quia sanctitas convenit toti Trinitati; ergo malè dicitur, quod Spiritus sanctus sumptus pro uno nomine acommodatur, & verificatur solùm de Spiritu sancto. Resp. ex eodem Seraph. Doct. quod fundamentum hujus adoptationis ad tertiam personam est, quia spirare est proprium Amoris, & quia Amor potest rectè, vel malè spirari, ut indicetur perfectio talis spirationis, & quod sanctitas est propria voluntatis, & Amoris; hinc hoc nomen Spiritus sanctus proprium est tertiæ personæ, &c.

QVÆSTIO XII.

An Spiritus sanctus procedat à Patre, & Filio, & quomodo?

450 TRes partes continet iste titulus. 1. est, an Spiritus procedat à Patre. 2. an etiam à Filio. 3. quomodo procedat: Quoad primam, & secundam partem: non defuere Hæretici negantes, Spiritum sanctum procedere à Patre; talesque fuerunt Ariani distinguentes tres personas divinas essentialiter, & dicentes Filium esse Creaturam Patris Spiritum sanctumque esse Creaturam Creaturæ, scilicet Filii: Alii Hæretici dixerunt Spiritum sanctum non procedere à Patre, sed à Filio: Alii verò procedere à Patre, non à Filio, quales fuerunt plures Patres Græci,

Quoad tertiam partem: cum jam in superioribus probatum sit, Spiritum sanctum procedere per modum liberalitatis, & voluntatis: quæritur nunc, an procedat ex Amore essentiæ divinæ, attributorum, personarum, & Creaturarum, sicut supra discussimus de productione Verbi ex cognitione. Circa quam quæst. Prima opinio est Thomistarum, ad quam P. Gaud. *d.*10. *q.*4. *& seq.* de More trahit S. Bon. sed violenter: Spiritum sanctum procedere non solùm ex Amore essentiæ attributorum, & personarum, in quo conveniunt Thomistæ, & Scotistæ plures apud Meld. *dist.*7. *num.*58. conveniunt; sed etiam ex Amore Creaturarum possibilium, aliqui etiam addunt futurarum, & isti etiam docent, quod sicut Verbum producitur per actum intellectionis, sic etiam Spiritus sanctus per actum Amoris; tum essentialis; tum notionalis; volunt enim eundem esse actum intellectionis, & dictionis, & eundem esse Amorem essentialem, & notionalem. 1. Opinio est S. Bon. Scoti, plurimorumque aliorum apud cit. Mastr. Spiritum sanctum produci, non ex Amore Creaturarum, nec per actum Amoris, tamquam principium, quo. Pro solutione quæst.

Not. 1. & Suppon. ea, quæ à nobis tradita sunt de Deo Trino *d.*1. *q.*1. *& d.*2. *q.*1. *& seq.* Ubi probatum est necessariò dari duas emanationes in divinis per modum naturæ, & voluntatis, & ob id dari verbum productum per naturam, & Spiritum sanctum per voluntatem.

Suppon. 2. Quod ut diximus supra *d.*2. *q.*6. de productione verbi, sic & de processione Spiritus sancti duplex principium exigi, scilicet, quod, & quo: Principium, quod, est Pater, & Filius: Principium, quo, sicut in productione verbi: Principium, quod, est Pater, quo, est memoria fœcunda, scilicet intellectus cum objecto, nempe cum essentia, à qua per dictionem producitur verbum: sic principium, quo, Spiritus sancti, est voluntas fœcunda, scilicet voluntas cum essentia à qua producitur Spiritus sanctus. Amor infinitus non per actum amandi (iste enim est essentialis, & communis tribus) sed spirandi tamquam per actionem productivam. Cum igitur ex principiis Seraphicis talia sint principia Spiritus sancti, ideò quæritur, an Amor essentiæ, & attributorum, & relationum, & creaturarum præsupponatur ad productionem Spiritus sancti: Hic Thomistæ, cum Gaud. asserunt, non solùm præsupponi omnia ista, sed etiam produci ex eorum Amore tamquam principium, quo; Nos è contra, dicimus præsupponi quidem Amorem divinorum, sed non Creaturarum, & illa præsupponi simplici præsuppositione, non verò ut principium, quo; Amorem verò Creaturarum consequi; Ratio est, quia licèt in divinis ad intra essentialia præcedant notionalia prioritate naturæ, quæ in divinis non repugnat, tamen illa, quæ respiciunt ad extra Creaturas, consequuntur omnia notionalia, ut notavit Scotus apud Meld. *dist.*7. *num.*60. Nos ex Seraph. Doct. *in hac disp. q.* 8. probavimus: Hinc, &c.

Concl. 1. Spiritus sanctus à Patre filioque procedit, non tamquam ex duobus principiis, vel duabus spirationibus, sed tamquam ex uno principio, & unica spiratione. Est de fide determinatum in Concil. Lugud. præsidente nomine Gregorii X. Seraphico Bon. qui in eo Concilio Græcos convicit, convertit, & ad Sanctæ Romanæ Ecclesiæ gremium attraxit, quod & testatur Sixtus V. in Bulla in qua Sanctum Bon. declaravit Doctorem Ecclesiæ, & per consequens est omnium Catholicorum Doct. quod postea confirmatum est in Conc. Florent. 455

Seraph. Doct. *lib.*1. *dist.*11. *quæst.*1. qui examinat fusè hanc quæstionem, eamque accutissimè soluit contra Græcos: ut ipsam probet, supponit aliqua principia in antecedenti distinctione tradita. Primùm est, quod necessariò ponenda est processio per modum Amoris, & mutuæ charitatis: id enim spectat ad perfectam beatitudinem Dei. *Sic dist.*10. *art.*1. *q.*1. *&* 2. Secundùm est, quod Amor, & charitas, seu dilectio in divinis potest sumi essentialiter, personaliterque: Essentialiter, quia quilibet diligit se; notionaliter, quia Pater, & Filius concordant in spirando Spiritum sanctum, quæ concordia Amor, sive dilectio est: Personaliter verò, quia ille qui producitur per modum perfectæ liberalitatis, non potest esse tusi Amor, sive dilectio; unde essentialiter dicit complacentiam simplicem: notionaliter concordiam in spirando, personaliter processum in illa concordia; Unde Amor est, ut hypostasis: Amor, quia ex voluntate liberalissima primò procedit per modum perfectæ liberalitatis: hypostasis, quia cum distinguatur à producente, & non potest distingui essentialiter

essentialiter, distinguitur personaliter, quod non evenit in Amore creato. *Sic d.* 10. *a.* 2. *q.* 1.

Suppon. 3. quod Amor iste propriissimè est nexus, quia est unitas Patris, & Filii: Ratio est, quia Pater, & Filius communicant in Spiritus sancto; & ideò amborum est unitas, & rursum ille Spiritus est Amor, & ideò communicant in eo, ut in uno Amore, & quia Amor propriissimè est nexus, ideò Spiritus sanctus propriè nexus est, quia Amor mutuus est Amor unicus, & substanticus. *Sic d.* 10. *a.* 2. *q.* 2. His suppositis probat Seraph. Doct. Concl. 1. Spiritus sanctus est Amor, & procedit ut Amor, sed amare non tantùm est Patris, sed etiam Filii: ergo si Amor à Patre amante procedit, eadem ratione à Filio. Prob. 2. Spiritus sanctus procedit ut nexus, sed perfectior nexus est qui ab utroque extremo procedit, quàm qui ab altero; ergo si Spiritus sanctus procedit ut nexus, à duobus procedit. Prob. 3. si à Patre, & Filio, non producitur Spiritus S. sequitur quod nulla sit ibi origo, nec mutua relationis, distinctio quia omnis distinctio in divinis est pænes relationes, & origines. Hanc rationem tamen non admittit Scotus, quæ in sequen. quæst. examinabitur. Prob. 4. Major germanitas est inter duos, quando unus procedit ab altero, & ambo à tertiò, quàm si unus nihil habeat ab altero: quæ propositio est per se nota: ergo si Spiritus sanctus non est à Filio, nec è converso, nec erit perfecta unio, ergo nec summa, & perfecta beatitudo. Prob. 5. Ex perfectione summa generationis; hæc enim est perfectior expressio perfectionis Patris, quando generans genito non tantùm communicat substantiam, sed etiam actum, qui naturæ geniti non repugnat: sed actus spirandi non repugnat Filio, quia nullum ex hoc inconveniens sequitur si spiret, ergo si Pater hunc actum ei non communicat, Filius non erit perfecta imago Patris. Probatur item pluribus auctoritatibus sacræ Scripturæ à Seraph. Doct. adductis *in cit. q.* 1. *d.* 12. *&c.*

452 Objic. 1. Emanatio Spiritus sancti est processio; sed ista est motus ab uno in alium; si ergo procedit à Filio, ergo vel procedit in Patrem, aut in aliam Personam: Non primùm, quia Pater nihil accipit à Filio: nec in aliam Personam, cum non detur quarta. Resp. conced. Majorem, disting. Min. Processio est motus ab uno in alium: conced. processione locali, non de causali. Primo modo fit processio in aliquo recipiente talem motum, & hoc est impossibile in divinis, quia sic Spiritus sanctus oriretur à Patre, & subsisteret in Filio: Secundò est processio in alium sicut objectum; sic enim Spiritus sanctus est Amor, quo Filius amat Patrem, & è converso.

Objic. 2. Spiritus sanctus tenet rationem nexus; ergo & medii, ergo non ratione tertii, vel extremi; ergo non procedit à Patre, & Filio, sed à Patre in Filium. Resp. Spiritum sanctum tenere rationem tertii, & termini, non medii, Græci autem dicebant, procedere à Patre in Filium, nos dicimus, procedere à Patre, & à Filio, sicut utriusque nexum, & terminum.

Objic. 3. Spiritus sanctus procedit à Patre sufficienter, ergo processio à Filio est superflua: anteced. est verum, quia est processio perfecta, & plena. Resp. negand. anteced. eo quia Pater, & Filius sunt unum, & idem principium; valeret autem Argum. si duo essent principia.

Alias object. ex Patribus malè intellectis, & Conciliis vide solutas apud Seraph. Doct. cit. de quibus fusè, & doctè agit P. Gaud. *dist.* 10. *q.* 2. Et quia potest oriri dubium, an Spiritus sanctus principaliùs, seu priùs à Patre procedat, & an immediatè, ab utroque. Hinc quæritur 2. an unicum, vel plura principia Spiritus sancti dentur, & an necessariò dentur duæ Personæ spirantes, & duo spiratores.

453 Concl. 2. Spiritus sanctus procedit priùs à Patre, quàm à Filio authoritate, non tempore, vel causalitate, vel origine. Est S. Bon. *dist.* 12. *q.* 1. Prima pars probatur, quia licèt Pater, & Filius sint unum principium in producendo, tamen hoc accipit Filius à Patre, ergo principaliter authoritativè procedit magis a Patre. Prob. 2. pars, quia non cadit prioritas temporis in Deo, nec causalitatis: item respectu Spiritus sancti, nec originis, quia ambo sunt unum originale principium.

Objic. Pater est primum principium in quo est status, sed primum supponit prius, ergo, &c. Resp. conced. de primo principio, ubi admittitur aliud principium differens: neg. ubi est idem principium, ut est in Patre, & Filio: addimus, quod si intelligatur authoritativè, & principaliùs, & ut à se, verum est, &c.

Concl. 3. Spiritus sanctus procedit immediatè à Patre & Filio. Probatur, quia Spiritus sanctus procedit immediatè à suo spiratore: sed Pater & Filius sunt unus spirator Spiritus sancti, ergo.

Concl. 4. Unicum principium, quo, scilicet unica virtus spirativa datur in duabus Personis divinis. Est S. Bon. *dist.* 11. *q.* 2. & communis omnium SS. PP. Prob. ex unitate actus, sive originis, & termini adæquati; rectè etiam infertur una virtus tali actui proportionata, & adæquata, sed actus spirationis, & terminus adæquatus est unus, ergo & virtus, ergo spirant in quantùm unum. Et confirmatur, quia principium, quo, est voluntas Patris, & Filii fæcunda; ergo, &c. Et hinc sequitur. 454

Concl. 5. Spiritus sanctus procedit à Patre, & à Filio, tamquam ab uno principio, quod; Est S. Bon. *cit. d.* 29. *a.* 2. *q.* 1. *&* 2. Est de fide quantùm ad rem, licèt quoad modum dicendi sit discrimen inter Theologos: scilicet, an sint dicendi unum principium, quia est una vis spirativa; an duo, quia sunt duæ Personæ. Pr. 1. Unitas effectus est ab unitate actus, & unitas actus ab unitate potentiæ, & virtutis, vel subjecti; sed est una Persona producta simplicissima uno actu, & una virtute; ergo à Patre, & Filio est tamquam uno principio. 455

Prob. 2. Quia sicut tres Personæ unica creatione creant, ita duæ personæ unica spiratione spirant, sed tres personæ ratione unicæ creationis sunt unum principium creaturæ, ergo duæ unum principium Spiritus sancti. Prob. 3. Et confirmantur rationes datæ; quia in duabus personis est una forma spirativa, scilicet virtus fæcunda notionalis communis ipsis; ergo ratione talis unius formæ uniuntur convenientes in unum principium. Prob. 5. à Seraph. Doct *d.* 29. *quæst.* 1. *a.* 2. *in corp.* Pater, & Filius spirant Spiritum sanctum in quantùm unus Deus improcessibilis specificè. Sed in quantùm unus Deus est in ejs voluntatis unitas, & in quantùm specificè improcessibilis est voluntatis una fæcunditas, & hæc dicit unitatem principii, ergo Pater, & Filius sunt unum principium Spiritus sancti.

Objic. 1. Cum dicitur, sunt unum principium Spiritus sancti: aut unum dicit unitatem essentiæ, 456

aut nnitatem personæ, aut notionis. Non essentiæ, quia tunc Spiritus sanctus esset principium Spiritus sancti: Non personæ, quia tunc Pater, & Filius essent una persona, ergo notionis. Sed contra: Si Pater, & Filius propter unitatem notionis, scilicet spirationis, dicuntur unum principium, ergo ab oppositis Pater propter pluralitatem notionis potest dici plura principia; quod est falsum. Resp. S. Bon. Quod nomen hoc, principium, de pluribus simul dicitur, ideò non potest stare pro persona, & cum iterum dicat respectum ad personam, non potest stare pro essentia, ergo necesse est, quod stet pro notione: cum ergo dicitur Pater, & Filius sunt unum principium, unum dicit unitatem notionis, in comparatione tamen ad unitatem naturæ, & virtutis spirativæ; sic non sequitur, quod Pater propter plures notiones possit dici plura principia, quia eas non habet secundùm diversas vires, & naturas.

Sed contra. Si Pater, & Filius sunt unum principium; ergo idem principium; sed hoc est falsum, cum sint duæ personæ realiter distinctæ. Resp. neg. conseq. & paritatem: Sic S. Doct. *cit. q.2. in corp.* Ratio est, quia unum dicit unitatem notionis, naturæ, & vis spirativæ non multiplicatæ, sed cum dicitur idem principium, significatur certa persona cum principio spirandi, quia significatur in comparatione ad suppositum, ut in ratione suppositi, & activi, ideóque significat certam personam, & cum sit duplex persona. Hinc.

Objic. 2. Pater est principium, Filius est principium, & hoc principium non est illud, ergo duo principia. Resp. S. Bon. primò negan. antecedens: Ratio est, quia non cadit distinctio, ubi non est ex diversis causis unio. Et quia unio omnimoda est in unitate principii, ita quod non multiplicetur, ideò non est ibi hoc, & illud. Resp. negand. anteced. & conseq. quia ibi est una vis non multiplicata.

Objic. 3. Si sunt unum principium; ergo unum sunt Pater, & Filius, quod est falsum: Si enim unum sunt; ergo unum, quod est Pater, vel unum quod non est Pater. Si primum; ergo Pater, & Filius sunt Pater: Si secundum; ergo principium non est Pater: quæ omnia sunt absurda. Resp. Seraph. Doct. ut supra, ista absurda non sequi, quia unum dicit unitatem notionis communis, quæ non potest dividi in plura: sicque est fallacia consequentis.

Quæres: *Pro quo supponat, & quid hoc nomen*
457 *Principium, cum dicitur de Filio, & Spiritu sancto?* S. Thomas docet, hoc nomen principium non habere determinatam suppositionem, sed confusam pro duabus personis: idem tenet Alex. Alens. & hoc, quia non potest fieri descensus ad plura singularia. Ocham. cum aliquibus aliis Nominalibus docet, non supponere pro aliquo prædictorum primò, sed pro constituto ex essentia, & spiratione aliqua præcisè circumscribendo paternitatem, & filiationem, qui tamen ab omnibus rejicitur, quia sic daretur quartum subsistens, licèt non distinctum à duobus. Alii dicunt esse nomen collectivum, sicut hoc nomen, Trinitas, ideò supponit immediatè pro duabus, & pro nulla seorsum. Seraph Doct. ex traditis resp. hoc nomen, unum principium, prout dicitur de Patre, & Filio, habere conditionem nominis singularis, & communis: singularis quidem quatenus significat illud unum simplicissimum, quod est res singularissima, non habens sub se plura individua, in quorum quolibet sit individualiter distinctum: communis verò, ut significat illas duas personas, quæ etiam, ut inter se distinguuntur, producunt Spiritum sanctum, quamvis non nisi ut habent quoque unicam virtutem spirandi: Magis propriè tamen habet rationem singularis, quàm communis: ratio est, quia de principali significat illud simplicissimum singulare non partitum in plura, & cum personæ non sint inferiora illius, hinc tenet rationem singularis, & sub hac ratione singularis supponit pro utraque Persona confusè, & pro neutra determinatè; unde potest prædicari de ambobus simul, vel de singulis etiam seorsum.

Concl. 6. Spiritus sanctus procedit ut Amor, 459
& ex Amore mutuo Patris, & Filii; Est S. Bon. *l.1.d.10. art.2. quæst.1. 2. & 3.* Et communis de fide, &c.

Prob. 1. à Seraph. Doct. quia duplex emanatio per modum naturæ, & voluntatis in Deo debet admitti, sed principalis emanatio voluntatis est per modum Amoris; tum quia Spiritus sanctus procedit ut donum, ergo per Amorem: quod verò sit mutuus Amor probatur, quia in Deo debet esse Amor perfectissimus, sed talis est mutuus; si enim amanti non rependitur Amor, ex parte amati claudicat Amor, ergo, &c.

Objic. 1. Amor est essentialis communis tribus, ergo non est proprium Spiritus sancti. Resp. conced. anteced. de Amore essentiali, negand. de notionali. Contra: sequeretur, quod Spiritus sanctus esset magis beatus quàm Pater, scilicet per Amorem essentialem, & notionalem. Resp. negand. sequelam, cum Amor essentialis, & notionalis sint idem realiter.

Objic. 2. Amor mutuus non est unus Amor, sed plures; ergo Spiritus sanctus non est mutuus Amor. Resp. S. Bon. *quæst.3. ad 3.* Verum esse in Amantibus, qui amant per plures affectiones, seu voluntates, non verò in iis, qui se amant per unam voluntatem numero, quales sunt Pater, & Filius.

Concl. 7. Responsiva secundæ parti tituli quæ- 460
stionis. Spiritus sancti principium, quod, sunt Pater, & Filius; Principium, quo, est voluntas fœcunda præsupponens tamen ad productionem Spiritus sancti dilectionem divinæ essentiæ, & personarum, non autem creaturarum. Hæc conclusio est Scoti contra D. Thomam, & Thomistas ad quorum sensum P. Gaud. trahit Seraph. Doct. *disp. 10. quæst 4 5. & 6.* Sed quidem violenter, ut etiam adnotavimus supra de Verbi productione ex cognitione creaturarum in fide *disp. quæst. 8.* Currunt enim eædem distinctiones, rationes, & argumenta.

Conclusio habet tres partes: Prima, Principium, quod, Spiritus sancti est Pater, & Filius: & de hac non est controversia, cum sit de fide, ut supra notatum est, & principium est voluntas fœcunda, sicut & memoria fœcunda est principium, quo, Verbi; quod & notat Seraph. Doct. *dist. 32. q.1. in corp.* ubi dicit: Nam hoc, quod est diligere potest teneri essentialiter, vel notionaliter: essentialiter dicit voluntatis complacentiam, seu amorem, qui communis est tribus: Notionaliter dicit voluntatis fœcunditatem ad producendam personam ex se, quæ quidem fœcunditas est solùm in duobus, licèt voluntas sit in tribus: Igitur S. Doct. ponit pro principio, quo, voluntatis fœcunditatem. 2. Pars conclusionis est, quod dicitur Spiritus

sanctus

ſanctus produci ex amore eſſentiæ, & perſonarum, non tanquam principio, quo, ſed tanquam aliquo præſuppoſito. Tertia pars eſt, quod amor creaturarum non præſupponitur ad productionem Spiritu ſancti, ſed conſequitur eo modo, quo diximus de Verbo. Quod ſecunda pars ſit ad mentem Seraph. Doct. patet ex loco cit. & ad 4. Ubi dicit, quod ſicut generatio dupliciter poteſt ſignificari, uno modo, ut dicit emanationem, ſicque propriè dicitur generatio: alio modo, prout dicit modum emanandi ſuperaddita expreſſione, & ſic dicitur dictio, per quam generatur Verbnm, quo Pater dicit ſe; ſic & ſpiratio, vel ſpirare dicitur primo modo prout dicit emanationem; ſecundo modo prout dicit modum emanandi ſuperaddita dilectione, quo Verbo importat actus connectendi, ſive concordandi, & ſpirandi, & ſic ratione actus connectendi dicitur Pater, & Filius diligunt ſe Spiritu ſancto, hoc eſt invicem concordando ſpirant Spiritum ſanctum, vel ſpirando Spiritum ſanctum invicem connectuntur: cum igitur producatur Spiritus S. per hoc, quod Pater, & Filius diligunt ſe, ſequitur, quod non involuitur dilectio creaturarum, nam, ly, ſe, non refert objectum productum, ſed refert objectum, ad quod aliqui actus notionales dicunt habitudinem tanquam ad principium, nempe in illa propoſitione, Pater, & Filius diligunt ſe Spiritu ſancto, ly, ſe, non refert Spiritum ſanctum, ſed refert actum connectendi, & uniendi, quatenus ſe concordando, ſpirant Spiritum ſanctum, vel ſpirando Spiritum ſanctum invicem connectuntur, quod eſt quid notionale, actuſque perſonales, quo producitur Spiritus ſanctus. Et hinc ſequitur ex doctina Seraph. Doct. quod in primo ſigno Pater diligit ſe voluntate, & amore eſſentiali, diligit autem Spiritus ſanctus principativè, quia diligendo ſe, producit Spiritum ſanctum; primo modo diligere præciſè ſtat eſſentialiter; ſecundo modo, partim eſſentialiter, partim notionaliter. Notandum etiam, quod P. Gand. trahit Seraph. Doct. ad ſententiam Thomiſt. per ea, quæ dicit d. 10. dub. 3 ſuper quendam textum D. Auguſt. allatum à Magiſtro, dicentem Spiritus ſanctus, non ſolùm eſt dilectio Patris, & Filii, qua ſe invicem, & nos diligunt, & qua nos diligimus Deum: ſuper quæ dicit Seraph. Doct. Notandum, quod diligere aliquando tenetur purè eſſentialiter, ut cum dicitur Pater, & Filius diligunt ſe (nota benè iſtum proceſſum, in quo amorem eſſentialem diſtinguit ab amore notionali) aliquando purè notionaliter, ut cum dicitur Pater, & Filius diligunt ſe Spiritu ſancto, de quo ſupra dictum eſt: Idem enim eſt ac Pater, & Filius diligunt ſe ſpirando Spiritum ſanctum, vel Pater diligit Filium amore, qui eſt Spiritus S. notionaliter, & Filius diligit Patrem amore, qui eſt Spiritus S. nectens utrumque invicem: (nota, & hic diſtinguere amorem notionalem ab eſſentiali) aliquando partim eſſentialiter, partim notionaliter, ut cum dicitur Pater, & Filius diligunt nos Spiritu ſancto; & ex hoc patet, quod diligere nos Spiritu S. idem eſt ac Spiritum S. mittere nobis ſeu inſpirare; mittere autem, & inſpirare importat actum notionalem, & eſſentialem, quia ſenſus eſt eſt duplicatus, ſcilicet Spiritum S. producunt, & donum ejus conferunt nobis: unde primò notatur Spiritus S. productio, ſecundò gratiæ collatio. In quibus patentiſſimè apparet mentem S. Doct. non eſſe, quod Spiritus S. ſpiretur amore creaturarum, ſed tantùm quod Pater, & Filius, qui ſpirant Spiritum S. ipſum etiam temporaliter mittunt ad nos: Nam omnia dona nobis dantur per ipſum. Unde appropriatè iſta dilectio tribuitur Spiritui S. his præactis pro elucidatione ſententiæ S. Doct.

Prob. ea fundamentis jactis ſupra de Verbi pro-461
ductione q. 8. quia objectum voluntatis divinæ, quo fæcundatur, eſt infinitum, & infinitè neceſſarium, ſed creaturæ, ut tales ſunt entia contingentia, & non neceſſaria, ſaltem ſecundariò, & veluti per accidens comparatæ ad divinam eſſentiam, & bonitatem, cum ſint entia paralia, & dependenna: ergo earum amor non poteſt antecedere productionem Spiritus S. 2. prob. quia eſſentia cum ſuis perfectionibus eſt objectum primarium, motivum, & terminativum, ergo priùs amatur, quàm objectum purè terminativum. 3. tum quia amor Dei erga creaturas eſt liber: at Spirit. S. eſt neceſſarius ſimpliciter, ergo non prodncitur ex amore creaturarum. Reſp. Foreſtus, amorem creaturarum eſſe neceſſarium ex ſuppoſitione; ſed qua? Reſp. ea ſuppoſitione bonitatis participatæ: ſed contra, quia ex hoc ſequitur debere præcedere amorem neceſſarium ſimpliciter cuicumq. amori libero, vel neceſſario ſecundario. Prob. 4. quia creaturæ ſunt à tribus perſonis, ergo non præcedunt ipſas.

Objic. 1. Omne bonum ſimpliciter neceſſariò amabile, eſt amatum à Patre, & Filio in emanatione Spiritus S. ſed creaturæ poſſibiles ſunt hujuſmodi, ergo: Major conceditur ab omnibus. Min. prob. qui vult aliquid neceſſariò ſimpliciter, vult omne illud, quod ſimpliciter neceſſariò eſt cum eo conjunctum; ſed Deus ſic amat ſuam omnipotentiam, ergo ſic vult etiam objectum illius; hæ autem ſunt creaturæ poſſibiles; ergo, &c. P. Gaud. q. 5. d. 10. ſubdit hoc eſſe argum. S. Bon. *d. 33. q. 1. ad 5.* (ſubdit) quod S. Doct. ita ſtruit ſicut ſe habet neceſſitas objecti in productione Verbi ad intellectum, ita in ordine voluntatis, proportionaliter ſe habet objectum ejus ad ſpirationem: ſed Verbum procedit è cognitione omnium poſſibilium creaturarum, quia ſunt objectum neceſſarium omnipotentiæ, ergo, &c. Min. ſupponit probatam *d. 17. p. 2. quæſt. 2. ad 2.* ad quod lectorem remittit; & probat iterum, quia ſicut cognitio ea qua gignitur Verbum debet eſſe comprehenſiva, ita amor, ex quo ſpiratur Spiritus S. debet eſſe comprehenſivus boni neceſſarii ſimpliciter.

Hoc Arg. pace, doctiſſimi viri, nec eſt S. Doct. nec ad mentem ejuſdem, imò contra ipſius ſenſum; ſed ipſius Arg. vis, quæ eſt minor, ab ipſo efficta eſt; nam ut ſupra probavimus de mente S. Doct. q. 8. nec creaturæ ſunt neceſſariæ eadem neceſſitate, qua eſt objectum primarium divini intellectus, & voluntatis, nec ad comprehenſionem requiritur cognitio ipſarum, ſed ut ait S. Doct. d. 27. cit. ſufficit cognitio omnipotentiæ, & ſcientiæ divinæ. Hinc licèt ad mentem S. Doct. nihil concludat, quia eſt ad mentem Thomiſtarum. Reſp. neg. min. principalis Arg. Ad probationem reſp. creaturas poſſibiles eſſe conjunctas cum omnipotentia divina eadem neceſſitate, ſed ſecundariò accidentaliter, & dependenter. Ad Arg. fictè adductum pro S. Bon. Reſp. neg. min. quia S. Doct. vult principium, quo, eſſe voluntatem fæcundam, non amorem; hinc ruit tota, & tanta fabrica, ſicuti corruunt omnes aliæ objectiones fundatæ in paritate cognitionis creaturarum in productione Verbi, &c.

QVÆSTIO XIII.

An, si Spiritus sanctus non procederet à filio, adhuc tamen distingueretur ab illo.

462 QVæstio hæc, licèt ab aliquibus rejecta fuerit tanquam inutilis, ex eo quod certum est, & de fide, Spiritum sanctum procedere à Patre, & filio: attamen ab insignioribus Theologis admittitur disputando, ex eo quod per ipsius solutionem patefit, quænam sit ratio formalis constitutionis verbi, & Spiritus sancti, item & distinctionis inter ipsas. Patet enim ex regulis Logicalibus apud Martinum *p.1.tract.3.c.3.n.93.* licere argumentari ex hypothesi impossibili, quando suppositio impossibilis ita fit, ut non sequantur ex ea contradictoria per locum intrinsecum, sed una pars contradictionis, quando non ponitur constantia suppositionis factæ, ut data hypotesi, quod homo non esset rationalis, an discurreret, quia suppositio utramque partem destruit: per locum autem ex una parte intrinsecum, & alia extrinsecum ponitur constantia suppositionis factæ, ut si Petrus non esset risibilis, an esset homo. In proposito nostro autem: filius jam supponitur in esse per generationem: hinc data hypotesi, quod Spiritus sanctus non procederet à filio, an distingueretur ab eo. Inservit autem hæc quæstio ad melius elucidandas rationes SS. PP. & Conciliorum, quas contra Græcos negantes Spiritum sanctum procedere à filio, congerunt.

1. Opinio est Scoti, & Sequac. Henr. Ocham. Mair. aliquorumque aliorum, asserentium, quod verbum distingueretur à Spiritu sancto, sicut nunc distinguitur, etiam si non procederet à filio.

2. Opinio est D. Thomæ, & Sequac. plurimorumque aliorum, cum S. Bon. & suis sectatoribus, asserentium, adæquatam rationem distinctionis inter filium, & Spiritum sanctum esse emanationem Spiritus sancti à filio. Inter istos autem est doctissimus, & fidelissimus Bonaventurista Ferchius Velliensis Min. Conventual. in universitate Patavina Sol lucens, & regens, qui acerrimè ad mentem S. Magistri ipsam defendit; sustinetque; quod, data hypothesi, sequitur per locum intrinsecum, easdem Personas Filii, & Spiritus sancti, quæ de facto sunt, non esse futuras, quia variata hac numero processione, debet necessariò variari hæc numero relatio Spiritus sancti, quæ habet pro termino adæquato Patrem, & Filium, ac proinde Spiritum sanctum variari consequenter, cujus esse est ad terminum; Similiter ex parte filii, debet variari relatio filiationis quo ad fæcunditatem spirativam à Patre acceptam. Sic Ferchius in Opusc. de processione Spiritus sancti: Suar. *l.10. de Trinit. c.20.* aliique plures. Qui tamen addunt data etiam ista variatione, utilem esse quæstionem, ut pateat, rationem intrinsecam distinctam esse emanationem unius ab altero, sic apud P. Gaud. *d.10.q.3.* Notat autem Ferchius, D. Bon. in hac materia plura scripsisse in Concil. Lugdun. in quo tanquam legatus Apostolicus convicit Græcos, & ipsos latinæ Ecclesiæ univit, sed quia ipse in eodem Concil. ad cœlos evolavit, ideo ejus scripta non extant, hinc ejus sensus aperiendus est ex aliis ipsius scriptis, &c. Pro solutione quæstionis.

Not. 1. Quod sensus quæst. potest sumi duplici modo: Primus est, an quæcunque Persona possit intelligi, quod distinguatur à Persona, à qua non procedit, ita quod solùm per relationes originis possit intelligi distinctio Personarum, & id est, quod intendunt SS. PP. contra Græcos; nempè, quod si Spiritus sanctus non procederet à filio, non solùm, non distinguerentur ad invicem, sed quod nulla tertia Persona daretur. Sic S. Bon. *d.11.q.1. fund.4.* & cum eo D. Thomas *q.33.a.2.* Secundus sensus est: An loquendo de Spiritu sancto secundùm rationes proprias, sic exigat produci à filio, ad hoc ut ab eo distinguatur, & hoc secundo sensu maximè resolvitur quæstio à Doctoribus.

Not. 2. Quod solutio hujus quæstionis pendet etiam à recta intelligentia illius axiomatis, ex Div. Boetio recepto tanquam de fidem ab omnibus Theologis: In divinis omnia sunt unum ubi non obviat relationis oppositio. Quæritur autem, an intelligatur de oppositione mutua relationum, an verò etiam disparatarum? Primum docet S. Bon. & S. Thom. Secundum Scotus; Item dependet ex illa propositione Scoti: quo aliquid constituitur in esse, eodem etiam distinguitur à quocunque alio non habente tale esse, & ob id, cum filius constituatur in esse à filiatione; an per filiationem distinguatur à Spiritu sancto. Id asserit Scotus, ex opposito neg. S. Bon. & S. Thomas.

Not. 3. Quod relationi triplex correlativum po- 463
test assignari: primo suum directum, & oppositum, ut Patri Filius: 2. aliquid disparatum, ut Patri lapis: 3. aliquid conjunctum cum relativo opposito, ut Patri, si assignes deitatem, quæ est in filio: Ex quibus prima oppositio sola est vera, & maximè in divinis in quibus incommunicabilitas desumitur tantùm ex ratione oppositionis, quam habet relatio aliqua ad suum terminum oppositum, ut patet in Patre, in quo sunt duæ relationes disparatæ, generatio, & spiratio, ex qua oppositione disparata non insurgit incommunicabilitas, sed tantùm in filiatione: nulla enim relatio exercet suam oppositionem, nisi ad suum terminum correlativum, ergo requiritur relatio mutua. Ratio autem hujus assertionis traditur à Seraph. Doct. pluribus locis, præcipuè *l.1.d.2 q.2. ad 3. & d.8.p.2.q.1.ad 2. & d.7.q.2. & d.34. dub.3.* quia omnis distinctio hypostatica est, vel essentialis, vel originalis; in Deo autem non est essentialis, sed tantùm originalis; prima est in creatis, & infert compositionem, non verò originalis.

Not. 4. Maximam esse difficultatem, an de ra- 464
tione Spiritus sancti sit, quod procedat à duobus, vel, an possit etiam ab uno solo: Secundum affirmat Scotus cum Nominalibus, primum affirmant D. Bon. & S. Thom. ut autem hæc quæstio funditùs enucleetur advertendum, quod processio Spiritus sancti à duobus potest intelligi: 1. vel ex sua ratione formali, ad hoc ut sit Persona distincta: 2. vel quia est Amor notionalis, ob idque supponens operationem intellectus, habentem suum terminum, scilicet verbum, cui communicata sit essentialiter vis spirativa: 3. quia Principium, ut quo, Spiritus sancti est vis spirativa, & spiratio exigens esse in duobus: aliàs si exigeret, tantùm unam Personam, daretur quaternitas: 4. quia est Amor mutuus, & nexus Patris, & filii. Prima ratio exigit quidem duas Personas, non quia est Spiritus S. sed quia in divinis non est distinctio, nisi per origines: 2. nempè, quia præexigit cognitionem, id non est, nisi ratione identitatis intellectus, & voluntatis; ob id non est propria, & formalis ratio: 3. verò, & 4. est propria Spiritus sancti, pro ut Spiritus sanctus

est: cum enim sit Amor mutuus, & nexus essentialiter duorum, & cum non sit talis ratione actus amandi, & virtutis, qui actus, & quæ virtus sunt unum, & unica relatio spirationis activæ, sequitur, quod sit mutuus, & nexus ratione duarum Personarum mutuò se amantium, & spirantium; & ratio hujus dicti est, (ait Seraph. Doct. l. 1. d. 10. q. 3.) quia Amor non potest esse jucundus, & perfectus, nisi sit inter duos, quia Amor privatus claudicat: Nec valet responsio Scotistarum, quod ita est de facto, non de possibili; quia quidquid competit Spiritui sancto in ejus emanatione est de ipsius intrinseca ratione, & ens simpliciter necessarium, sed ei de fide competit esse nexum, & mutuum Amorem, & ob id procedere à duobus.

Not. 5. Quod quando duo principia perfecta sunt ordinata, vel subordinata ex suis rationibus formalibus, secundum non est in potentia proxima ad actu operandum, nisi præsupposito actu secundo prioris; taliaque sunt intellectus, & voluntas, & maximè in divinis, in quibus prior est necessariò operatio intellectus, quàm voluntatis, ob idque productio verbi: at verbum essentialiter recipit vim spirativam, & voluntatem fœcundam alioquin esset verbum mutilum; hinc sequitur, quod si tolleretur talis ordo, etiam eorum ratio formalis mutaretur, sicque communicatio voluntatis esset simul communicabilis, & incommunicabilis, &c. His permissis.

465 Concl. 1. Si Spiritus sanctus non procederet à filio, essentia divina divideretur, & ob id sequeretur contradictoria intrinsecè ex hypothesi data ad S. Bon. ex D. Hilario l. 2. d. 34. dub. 3. & ex Concil. Florent. Sess. ult. apud Ferchium q. 6. n. 5. seq qui contra Græcos sic determinavit: nempè si Spiritus sanctus non procedat à filio, sequerentur duo absurda, quæ explicat Favent. d. 1 1. q. 1. disp. 38. cap. 5. Primum est, quod hypostasis separaretur ab essentia divina: secundum, quod essentia divina, divideretur. Prob. autem sequela; quia si pater solus spiraret Spiritum sanctum, sequeretur, filium non accepisse virtutem spirativam Spiritus sancti, sed talis virtus est idem, quod substantia, & voluntas, ergo separaretur substantia à Persona filii, sicque non haberet totam substantiam Patris, ergo partem tantùm, quod est impossibile.

Prob. 2. Omnis distinctio in divinis, vel est essentialis, vel originis, idest originantis, & originati; sed filius, & Spiritus sanctus distinguuntur realiter; ergo uno ex dictis modis, sed non originaliter ex hypothesi data, quod Spiritus sanctus originem non trahit à filio; ergo distinguuntur essentialiter, sed hoc est maximum absurdum, ergo, &c.

Prob. 3. Ex S. Bon. l. 1. d. 9. q. 3. Productio substantialis, vel est de parte generantis, ut in creatis, vel de tota substantia, ergo productio filii à Patre est secundùm totam substantiam: ergo cum substantia Patris, & filii communicatur Spiritui sancto tota à Patre, & à filio, procedit in Spiritum sanctum, scilicet ab ea hypostasi, in qua est substantia ipsa, in eam, quæ accipit, aut procedit; & hoc negatur, in dicta hypothesi sequitur communicatio substantiæ in parte, non secundùm totam rationem.

Prob. 4. In data hypothesi, essentia in Patre esset communicabilis, in filio incommunicabilis realiter ergo, aut duo contradictoria realia de eadem essentia verificarentur in eodem signo, aut non esset eadem essentia in Patre, & filio. Et confirmatur: quia essentia, ut in Patre est ratio communicandi activè se ipsa, & ratio producendi Spiritum sanctum, quia essentialiter est idem, quod voluntas fœcunda; sed per hypothesim, in filio non est ratio communicandi se neque producendi Spiritum sanctum: ergo, vel sequerentur contradictoria intrinsecè, vel non esset tota eadem essentia in filio, quæ est in Patre. Et si dicas in tali casu, essentiam etiam in filio esse rationem communicandi se, & esse rationem producendi Spiritum sanctum, sed tamen filium actu, non communicare, neque producere. Contra: ergo substantia filii erit ratio agendi, & communicandi, & tamen non communicat, neque producit; ergo ipsamet substantia filii separabitur ab hypostasi filii. Prob. hæc consequentia; quia eatenus dicitur hypostasis esse agens, ut quod, quatenus principium, quo, existens in hypostasi, agit, ut quo: Nam neque filiatio, aut filius, neque Paternitas, aut Pater sunt rationes agendi, aut impediendi actionem ipsius essentiæ, & principiorum activorum, quæ sunt in essentia: ergo si Spiritus sanctus non procedit à filio, aut alia est ratio in Patre, alia in filio, aut essentia ista separatur à filio, dum ipsa est ratio communicandi, & tamen ipse filius non communicat.

Prob. 5. Omne subjectum includens in quid, & per se, primo modo aliquam essentiam, habet per se in secundo modo, omnes potentias, virtutes, capacitates, propositiones, & proprietates illius essentiæ hæc enim est vis demonstrationis, propter quid, sed essentia divina est quidditas, quæ includitur in tribus Personis per se, primo modo in quid; ergo per ipsam essentiam demonstrantur de Personis principia productiva, sive vis generativa, & spirativa, ergo per consequens productiones activæ, & passivæ, & ipsa Trinitas de Deo: subsumo: sed ex data hypothesi in Persona filii non est proprietas per se, secundo modo ostensa de Deo, scilicet vis spirativa, neque ipsum spirare: ergo in filio non est essentia Dei Patris, ergo alia essentia, &c.

Concl. 2. Si Spiritus sanctus non procederet à filio, non esset Persona realiter distincta à filio. Concl. est D. Thomæ, & omnium sequacium, plurimorumque aliorum; Est, & S. Bon. l. 1. d. 11. q. 1. fund. 4. & eruitur ex pluribus aliis locis, in quibus supponit, omnem distinctionem in Personis esse ex originibus, & relationibus, ut d. 34. dub. 3. & q. 1. & d. 1. q. 1 & d. 7. q. 2. Nota autem hic præsuppositum, & quæri aliud: Præsuponitur, quod Pater producat filium, & Spiritum sanctum, & quod filius non producat Spiritum sanctum nec Spiritus sanctus filium; non præsuponitur autem, quod filius sit una Persona, & Spiritus sanctus alia Persona, sed quæritur, an in data hypothesi essent duæ, an una Persona, alioquin esset petitio Principii, & essent duæ, ait Scotus: Non essent ait S. Bon. cum D. Thoma. Hinc, &c. 466

Prob. 1. Ex data hypothesi, variantur rationes formales processionum, & principiorum originalium, & formalium per locum intrinsecum; ergo, & Personæ constituuntur: sicque contradictio sequitur manifesta per locum intrinsecum, & tollitur ipsa hypothesis: sicque quæstio fit nulla.

Nota autem, quod Principium originale est ipsa vis generativa, & spirativa inclusa in principio, quo: Principium formale & constitutivum in esse hypostatico, & substantiæ incommunicabilis est aliquid per se primò incommunicabile, quod est constitutivum, & idem distinctivum à quocunque alio incompossibili in tali esse; & tales sunt origines relativæ, ut dicit S. Bon. l. 1. d. 33. q. 3. & d. 26. quæst. 3. & nos supra probavimus. Quibus stantibus, si (ut infert Arg. factum) variantur

 rationes

rationes formales Principiorum originalium, & formalium, ſequitur quod etiam varientur principiata, & ipſæ perſonæ, nempe nec eſſent duæ Filius, & Spiritus ſanctus, nec diſtinctæ, ſed una tantùm, & indiſtincta. Prob. antecod. principalis Argum. principia originalia, ordinatè activa, ſcilicet intellectus, & voluntas, ſic ſe habent, quod intellectus eſt naturaliter prior voluntate, ejuſque operatione: & per conſequens, cum per intellectum producitur Verbum, Verbo communicatur eſſentia divina cum omnibus eſſentialibus, atque ideo cum voluntate, nec non, & cum prioritate ad actum adæquatum voluntatis ſpirandi, ſed ſi variatur hic ordo, tunc includitur contradictio. Sic etiam Scotus d. 16. q. 1. ſub littera V. ergo, &c. Prob. ſequela minoris: ſcilicet, quod ſtante hypotheſi ponitur varietas in principiis, & conſequenter in principiatis; nam vel eſſentia, & voluntas non communicatur Filio prima productione per intellectum, vel non communicatur primitas, & fæcunditas fundatata in voluntate ad actum ſpirandi, & per conſequens vis ſpirativa, quæ de ſe eſt formaliter communicabilis Patri, & Filio cum paternitate, fit formaliter incommunicabilis filio, ſed formalitas de ſe communicabilis, & formalitas de ſe incommunicabilis non ſunt eadem formaliter, ut Scotus docet *l. 1. d. 1. quæſt. 7. ad H.* ergo vis ſpirativa, ſcilicet eſſentia, & voluntas non ſunt ejuſdem rationis, ſtante veritate Catholica, & ſtante hypotheſi, ſed ex ratione formali communicabili, fiunt ratio incommunicabilis, fiunt ratio incommunicabilis; & implicatur contradictio per locum intrinſecum: Igitur ex ex ablatione, vel poſitione iſtius hypotheſis implicabilis variatur ratio formalis virtutis ſpirativæ, & primitas ad ſpirandum, ergo eſt varietas formalis in principiis originalibus.

467 Prob. 2. De principiis formalibus iſta varietas: ſpiratio activa ſecundùm veritatem Catholicam eſt ſe ipſa formaliter communicabilis Patri, & filio, & hoc neceſſariò neceſſitate abſoluta: ſecundùm hypotheſim fit incommunicabilis, nam in ſolo Patre collocatur, & non poteſt eſſe in filio, quidquid enim in divinis ad intra poteſt eſſe, neceſſariò eſt, & quod non eſt ad intra, impoſſibile eſt eſſe, cum ibi nihil ſit contingens; ergo ſequitur neceſſariò, quod ſi ratio formaliter communicabilis, & ratio formaliter incommunicabilis non ſunt eadem formalitas ex natura rei, variatur ratio formalis ſpirationis activæ: & ſi ponatur manere, ponitur ſe ipſa formaliter communicabilis: & ſi ponatur non eſſe in filio, ſed in Patre ſolo, ponitur ſe ipſa formaliter incommunicabilis, & implicatur contradictio ex prædictis.

Confirmatur primò ſecundùm veritatem filiatio, & ſpiratio activa ſunt compoſſibiles in eodem ſubſiſtente filio, ſed ex hypotheſi, fiunt incompoſſibiles: ſed omnis compoſſibilitas, & incompoſſibilitas etiam ex Scoto *d. 36. q. 1. & d. 34. q. 1. & quol. 5. & ſæpe alibi*, venit ex rationibus formalibus terium, ergo in tali caſu ratio filiationis variatur eſſentialiter: ſecundò, filiationi, ut filiationi competebat ſecundùm veritatem conſtituere perſonam, cui non repugnaret terminare ſpirationem paſſivam, nec elicere ſpirationem activam, neque eſſe correlativum Spiritus ſancti; At ex hypotheſi totum hoc fit repugnans filio; ergo ratio filiationis, vel non manet eadem, vel, ſi manet, involuuntur duo contradictoria in filiatione: tertiò ſequitur ex hypotheſi variatio ſpirationis paſſivæ. Probatur, quia variatio per ſe priori, & adæquato principio proximo formale, variatur principiatum ejus, (impoſſibile enim eſt, ea, quæ ſunt ejuſdem rationis formalis non præſupponere principium adæquatum, & proximum ejuſdem rationis:) ſed ſpiratio activa, & paſſiva ita ſe habent, ut activa ſit per ſe principium proximum, & adæquatum paſſivæ ſpirationis, cum paſſio ex Ariſt. ſit effectus, & illatio actionis, ergo variata ratione formali ſpirationis activæ, variatur etiam ratio formalis paſſivæ; tum quia relationi per ſe, & primò unius rationis, non poteſt competere niſi per ſe, & primò correlatio, niſi per ſe, & primò unius rationis; correlationes enim naturæ ſunt ſibi ex ſua ratione formali adæquata, ſed ſpiratio activa, & paſſiva ſunt correlationes naturæ, & variatur, ex hypotheſi, ratio formalis ſpirationis activæ, cum ex eſſe communicabilem, fiat incommunicabilis, ut ſupra dictum eſt, & ex compoſſibili, fiat cum ſecunda perſona incompoſſibilis, ergo & ſpiratio paſſiva ſit alterius rationis ſecundùm hypotheſim.

Prob. 3. Nihil poteſt alicui ineſſe neceſſariò, 468
niſi etiam eidem inſit per ſe ex 1. *Poſt. tract. 88.* ſi enim ineſt per accidens non ineſt neceſſariò: filio autem ſecundùm veritatem neceſſariò ineſt ſpiratio activa; ergo & per ſe ineſt filio, ſed ex hypotheſi, nec ſpiratio activa eſt in filio, nec paſſiva eſt à filio, aut terminatur ad filium, ut ad correlativum, imò hoc ſibi repugnat formaliter: ergo variata eſt ratio formalis ſpirationis paſſivæ. Præterea, conditio, ſine qua non, in divinis ſit productio, eſt conditio hypoſtatica; principium enim productivum, ut quo, non exit in actum, niſi ſit in ſuppoſito conveniente ad actionem, ſed ex per ſe ratione principii ſpirativi eſt, ut ſit in duobus ſuppoſitis tanquam conditione, ſine qua non; id enim exigit ordo principiorum, ut ſupra probatum eſt: ſed ex hypotheſi tollitur iſta convenientia ſpirationis activæ in duobus; ergo variatur.

Reſpond. Meld. cum aliis Scotiſtis, negando ſequelam, negant enim iſtam conditionem ſuppoſitorum convenientium ad ſpirationem, vel conditionis conſtituentis in potentia proxima provenire ex ratione intrinſeca paternitatis, vel Patris, vel filiationis, vel filii, ſed tantùm per locum extrinſecum, ſcilicet non ratione intrinſeca, ut dictum eſt, ſed ex conſequenti, veluti quaſi per accidens (Logicè non realiter) ſcilicet ratione eſſentiæ, vel principiorum originalium abſolutorum ordinatè activorum ex ſuis rationibus formalibus: Unde non ſequitur hæc contradictio ab intrinſeco, ut ſupra inferebatur.

Contra. De ratione paternitatis formali eſt, ut ſibi ſoli non conveniat eſſe conditionem principii ſpirativi, imò ſibi repugnat acceptæ ut ſoli, ſed ſimul requiritur paternitas, & filiatio ad conſtituendam vim ſpirativam in potentia proxima (talis enim eſt ordo per ſe requiſitus, ut intellectus ſit principium prius, & voluntas poſterius) ideo vis ſpirativa præexigit generationem, qua admiſſa neceſſariò, & per ſe vis ſpirativa eſt in duobus, ut principium proximum, quo, ergo ex ratione formali paternitatis, & Patris aliquid non repugnat ex hypotheſi, quod repugnabat ex veritate, & aliquid repugnat, quod non repugnabat. Urgetur amplius: Spiritus ſanctus procedit ut nexus, & communicatio ex communi conſenſu Latinorum, & Græcorum, at data hypotheſi tollitur eſſe nexum, & communicationem Patris cum filio, & filii cum Patre; ergo variatur ratio formalis Patris, & filii; Probatur conſequentiam, quia ex hypotheſi,

hypothesi, si à Patre solo procedit, jam non est nexus, &c.

46 Prob. 4 Directè Argum. Seraph. Doct. & D. Thomæ: Omnis distinctio realis in divinis est per oppositiones relativas originantis ex originato, at data hypothesi, jam Spiritus sanctus non referetur ad Filium, quia inter ipsos non esset origo, vel relatio opposita; ergo nec distinctio realis, ergo essent non duæ, sed una persona. Minor est certa, quia erit ipsa hypostasis, unde tota difficultas est in Majori. Major autem prob. auctoritatibus pluribus; primò ex D. August. *tract.* 39. in Joan. *c.* 9. Ubi ait hoc solo numerum insinuant, quod ad invicem sunt, non quod ad se sunt: quia enim Deus Pater ad se est Deus simul cum Filio, & Spiritu sancto, non sunt tres Dii, sic nec tres Omnipotentes: quia verò Pater non est ad se, sed ad Filium, nec Filius ad se, &c. Hinc, & plures numero. Nota autem phrasim, qua utitur per, ly, ad invicem, non dicit ad aliquid, sed ad invicem: Si enim dixisset ad aliquid, posset intelligi de relationibus, etiam disparatis, sed dicit ad invicem, ut insinuet solum relationes mutuas oppositas tribuere distinctionem. Eadem verba etiam habet Concil. Toletanum in tom. 3. Concil. idem & Concil. Florentinum. Idem, & S. Gregor. Naz. tract. 5. in Theolog. Idem, & S. Gregor. Nisl. aliique SS. PP. oppositiones essentiæ, & commenta allata à Scotistis examinantur diligentissimè à Joan. à S. Thoma, à Fosilio, & P. Gaud. ad quos Lectorem remittimus, &c.

Prob. rationibus eadem Major, in qua stat summa veritatis nostræ Conclusionis: Et primò, personarum divinarum debet dari ratio distinctiva, sed ad hoc non sufficit relatio disparata, ergo requiritur relatio mutua. Prob. Minor: quod est indifferens ad identitatem, & distinctionem realem, illud, quantùm est ex se, non est sufficiens ratio distinctionis realis rei à re; sed relatio disparata est hujusmodi; aliquando enim stat cum identitate reali, ut est generatio activa, & spiratio activa; aliquando cum distinctione reali, ut est generatio passiva, & spiratio passiva: ergo relatio disparata, ut talis, est indifferens ad identitatem, & distinctionem realem; ergo, ut talis, non potest constituere distinctionem inter Filium, & Spiritum sanctum. Resp. Scotistæ, non omnem relationem disparatam facere distinctionem realem, sed tantùm relationes disparatas incompossibiles, ut est generatio passiva, & spiratio passiva, quæ incompossibilitas aliunde sumitur, quàm à simplici disparitate relationum: nempè ex eò, quod tales relationes disparatæ incompossibiles in eodem subjecto constituunt in esse diversitas personas. Sic Meld. *num.* 271.

Contra. Ista incompossibilitas, vel est in omni relatione opposita, & hoc est, quod nos dicimus; vel in omni disparata, & hoc non (id fatentibus etiam Scotistis) vel est in utrisque indeterminatè, & incertè: Et si hoc; ergo ex ratione indeterminata relationis non poterit argui incompossibilitas, vel compossibilitas, sed quærenda erit ratio determinata talis incompossibilitatis relationum in eadem hypostasi. Resp. incompossibilitatem oriri ex ratione constitutiva personarum, ut dictum est. Contra: Si unum incompossibilium repugnat, alterum necessariò inest. Est propositio Arist. *2. post. text.* 28. *&* 29. dicentis: Si uni opposito inest unum oppositum, & reliquum reliquo inerit; sed spiratio activa, & passiva sunt formaliter, & immediatè opposita; & spiratio activa secundùm veritatem est Filio compossibilis; ergo per regulam Arist. spiratio passiva erit Filio incompossibilis, & hoc quidem verum est secundùm fidem: Sed per hypothesim spirationi activæ conceditur incompossibilitas cum Filio, ergo spirationi passivæ concedi debet compossibilitas cum Filio, atque ideò spiratio passiva, & generatio passiva erunt compossibiles in eadem hypostasi Filii, sicque eadem hypostasis esset genita, & spirata, Filius, & Spiritus sanctus, & in divinis non essent, nisi duæ hypostases.

Resp. Scotistæ conced. propositionem Arist. de incompossibilibus immediatis in ordine ad proprium susceptibile, uti se habent duæ differentiæ idem genus dividentes, & subjectum in ordine ad contraria immediata, v. g. rationalitas, & irrationalitas, non verò de iis, quæ non se habent immediatè, uti est rationalitas, & rugibilitas, hæc enim non convenit equo, tamen non sequitur quod æquo conveniat rationalitas, & ita se habent activa, & passiva spiratio respectu Filii, ab intrinseco enim convenit ei generatio passiva, & ab extrinseco, & velut secundariò, & mediatè spiratio activa, ob idque ei non convenit passiva, licèt auferantur spiratio activa. Contra: Quia ista expositio maximæ Aristotelicæ est extra chorum, & rem nostram; quia spiratio activa, & passiva sunt immediatè oppositæ, & activa est Filio compossibilis, ergo spiratio passiva erit incompossibilis secundùm veritatem: Sed per hypothesim spirationi activæ conceditur incompossibilitas in Filio, ergo passiva debet admitti compossibilis.

Retorquent Scotistæ Arg. tali pacto: Generatio activa, & passiva sunt oppositæ, sed generatio activa non convenit Spiritui sancto; ergo conveniet generatio passiva, quod est falsissimum. Sed tamen ineptè retorquent, quia neutra convenit Spiritui sancto: sed oppositio est inter Patrem, & Filium: unde semper remanet vera propositio Arist. & conseq. inde illata.

Prob. 2. Eadem major ex Seraph. Doct. hîc, *& d.* 10. *quæst.* 3. *& a.* 2. *q.* 2. sublata ratione constitutiva Spiritus sancti, tollitur & distinctiva, sed data hypothesi, tollitur ratio constitutiva Spiritus sancti; ergo, & distinctiva à Filio: Major est Scotistarum, Minor prob. à D. Bon. ex D. August. *l.* 6. *de Trinit. cap.* 16. quod sumpsit Concil. Tolet. 11. & ex S. Hieronimo in Psalm. 17. Spiritus sanctus ex origine intrinsecè exigit esse à duabus personis, ut Amor mutuus, & nexus Patris, & Filii; ergo, ut talis, debet esse distinctorum. Sic ex *d.* 13. *quæst.* 1. Resp. Meldula cum aliis Scotistis, hunc modum procedendi non esse intrinsecum; hoc data hypothesi, variatur accidentaliter. Contra: primò, quia de intrinseco Dei est quidquid ab intra est. 2. quia, ut ait S. Bon. Spiritus sanctus intrinsecè manat, ut Amor infinitus, & perfectissimus, & ob idque ut mutuus. 3. quia nihil accidentale in Deo reperitur. 4. quia SS. PP. & Concil. Florent. sess. ult. inferunt in data hypothesi variari Spiritum sanctum: non quidem accidentaliter (ut dicit Mastrius) sed essentialiter, quia variaretur etiam Pater, & Filius in essendo, quatenus Pater non communicaret Filio voluntatem fœcundam; & si haberet, etiam spiraret, quia in æternis idem est esse, & posse: Unde ex hoc, Mastrius sibi contradicendo *num.* 13 2. ait, tenere hoc Argum. per locum intrinsecum.

Prob. 3. ex D. Anselm. Epist. de processione Spiritus

Spiritus sancti *cap.5.* Si Spiritus sanctus non est de Patre, non esset persona distincta à Patre, sed unica: Ergo idem infertur, si de Filio non procedit. Prob.4. Argum. communi SS. PP. quod in idem cum superiori coincidit. In divinis non est distinctio realis, ubi non obviat relationis oppositio, & hæc propositio præcipuè est D. Anselmi, quam tamen Scotistæ pervertunt, asserentes, D. Anselm. dicere omnia esse unum in divinis, ubi non obviat relationis oppositio, & hoc, ut includant etiam relativam disparatorum oppositionem: quæ Glossa tamen est contra mentem S. Anselm. & contra veritatem; cum disparatorum nulla sit oppositio ex enumeratis ab Arist. in postprædic. & 10. *Metaph. tom* 10. & notat Ferchius *c.7.num.79.* postea D. Bon. *lib.1. dist.4. dub.7. & dist.13. q.3.* Vide P. Gaud. hîc, *num.*82. Qui plures alias rationes, & varia fundamenta solida desiderat, adeat Ferchium opusc. cit. qui funditus evertit fundamenta Scotistarum etiam variis doctrinis Scoti, &c.

Objic. 1. cum Scoto: Quocumque formaliter
470 aliquid constituitur in esse, eodem distinguitur à quocumque alio, talem entitatem non habente, quia eodem est aliquid ens, & unum unitate conveniente tali entitati; & si unum, igitur in se est indistinctum, & ab aliis distinctum: sed Filius constituitur in esse personale per filiationem; ergo, & ea formaliter distinguitur ab omni alia persona, & non per spirationem, quæ est quid posteriùs, ergo circumscripto quocumque alio maximè posteriori, remanebit filius distinctus personaliter à quacumque persona.

Huic Argum. (ait Ferchius *cap.9.num.89.*) debet adjungi alia minor, videlicet; sed stante hypothesi, quod Spiritus sanctus non procedat à Filio, Spiritus sanctus esset alia persona à Filio; ergo Filius filiatione erit distinctus personaliter à Spiritu sancto: Nam sine ista propositione non concluditur distinctio Filii à Spiritu sancto in hypothesi; sed arguens noluit talem propositionem ponere, quia in ea detegeretur petitio principii: est enim in controversia (ut diximus in principio) an stante hypothesi, Spiritus sanctus esset alia persona à Filio, an esset eadem cum Filio: supponere autem in præmissis, id quod est in controversia, est petitio; nemo enim tam ineptus est, qui, si supponat, Spiritum S. esse aliam personam, teneat esse eandem cum Filio. Hinc, si addatur dicta propositio, neg. Min Arg. quia variantur rationes formales filiationis, & spirationis passivæ, ex hypothesi, & per consequens illæ duæ origines incompossibiles, fiunt compossibiles in eadem persona; aufertur etiam ratio oppositionis mutuæ inter Filium, & Spiritum sanctum, quæ erat ratio distinctionis realis rei, à re inter personas distinctas, ut in rationibus supra traditis fusè probatum est.

Instant Scotistæ; data hac variatione, erit tantùm per locum extrinsecum; scilicet, quia spiratio activa, & est extra rationem Filii adventitia, & est posterior ratione Filii: ergo nulla responsio. Resp. negand. assumptum: ratio est, quia Filius internè constat ex Deitate, ut entitate quidditativa, & filiatione, ut entitate hypostatica, sed ad quidditatem Deitatis sequitur in habente ipsam voluntas cum prioritate, vel posterioritate ad actum spirandi, & in primo signo naturæ, quo, Pater, & Filius sunt, voluntas est cum primitate, quare & in filio etiam adest.

Ut autem explicetur hæc ratio, quæ radicitus destruit fundamentum potissimum Scotistarum: Nota, quod hæc ratio est per locum à causa ad effectum, scilicet à quidditate ad proprietatem, ob idque per locum intrinsecum, quatenus in Filio intrinsecè est vis spirativa cum primitate. Et quia absolutum, ex ordine formalitatum, est priùs relativo in hypostasi, priùs intelligitur in Filio voluntas, ut productiva cum primitate, quàm intelligatur filiatio: at ex hoc sequitur in filio spiratio activa per eundem locum intrinsecum, & terminatio relationis passivæ: Unde filiatio ex ratione sua formali præsupponit voluntatem cum primitate in filio, & determinat sibi ex ratione formali compossibilitatem ad spirare, & incompossibilitatem ad spirari, & si ex ratione formali infertur; ergo est per locum intrinsecum; est enim per locum à diffinitione, & à loco universali, seu per prædicationem; quia hic Deus singularis prædicatur in quid de Patre, & Filio, & per consequens vis spirativa, & spirator consequuntur ut communia Patri, & Filio: igitur his variatis, variatur ratio formalis spirationis passivæ, & filiationis; Ergo falsò dicitur in objectione, quod variatio est per locum extrinsecum.

Instant Scotistæ: Quodlibet habens aliquod esse, distinguitur distinctione conveniente illi esse à quovis alio per aliquid, quod est de ratione ejus, in quantum habet tale esse, igitur, & filius: Sed spiratio activa non est de ratione ejus in quantum est persona, quia filio jam posito, advenit quasi proprietas; ergo filius non distinguitur personaliter per spirationem activam, quæ est posterior. Arriaga gloriatur, se solùm primò invenisse responsionem huic Argum. quod tamen est falsum, cum Seraph. Doct. aliique Theologi satisfecerint. Hinc resp. conced. Majorem, negand. Minorem ex doctrina supra tradita; quia in filio præintelligitur vis fœcunda ad spirandum ante constitutionem in esse; licèt actio spirativa post intelligatur ad filiationem: Unde, ait S. Bon. *d.12. dub.2.* Pater gignendo dat spirare, & hoc spirare est esse genitum, & secundùm hoc oritur oppositio relativa Filii cum Spiritu sancto, quia in filiatione includitur fœcunditas spirativa originis opposita ad spirari: non enim sine vi spirativa esset filius, qui nunc est.

Objic. 2. Per formale constitutivum distingui- 471
tur constitutum ab omni alio, etiamsi per impossibile quodcumque aliud ab illo circumscriberetur, quia per illud distinguitur primò, & adæquatè ab omni non tali, sed quodcumque non habens illam formam constitutivam est non tale, igitur per illam distinguitur ab omni alio non habente illam; Ergo, & filius per filiationem, qua constituitur filius in esse personali, ergo distingueretur personaliter à Spiritu sancto stante hypothesi.

Resp. primò. Quod aliud est constituere in esse Filii, vel personæ, aliud esse rei distinctæ realiter à re: Filiatio autem, etiam stante hypothesi, constituit Filium in esse Filii, & personæ, & in esse incommunicabilis: Filiatio, tamen non constituit in esse rei realiter distinctæ, nisi propter originem oppositam sibi adjunctam; quæ cum maneat stante hypothesi, in Patre, & Filio, sic sunt duæ res, sed remota & manens respectu Spiritus sancti in Filio: hinc fit, ut Filius, & Spiritus sanctus sint, vel essent una res, eo quia ratio distinguens rem à re, in divinis est oppositio originantis, & originati.

Resp. 2.

Respond. 2. distingoend. majorem : per formale constitutivom distinguitur constitutum ab omni alio. Duplex distinctio, alia negativa; qua aliquid distinguitor à quocumque non habente idem constitutivum : Alia possessiva, quæ est, vel essentialis, vel personalis; & hac non distinguitur constitutum, nisi respectu termini determinati distinctionis, & cum adjuncta causa determinata, vel ratione distinguendi uno, vel altero modo : Nam ad quodcumque comparetur aliquid, semper ipsum est ipsum ex Philosophia. Unde pro diversitate rerum ad quas comparatur, oriuntur variæ relationea, & distinctiones : Sic Pater est vera res; essentia vera res, sic spirator : sic Filius, sic Spiritus sanctus : sed tamen Pater comparatus ad essentiam, non est Pater essentiæ, non est distinctus realiter, nec essentialiter, sed formaliter comparatus ad spiratorem est vera, res ad unam rem, at comparatus ad spiratorem, vel spiratum non est Pater, sed distinguitur formaliter à spiratore, realiter à spirato, &c. Unde apparet, quod una & eadem respond. idem formale constitutivum distinguitur uno modo, ad aliud alio modo : In divinis autem ratio distinguens realiter rem à re, est oppositio originantis, & originati; ideo ad hanc non sufficit proprietas constituens in esse personæ, ut patet inter Patrem, & spiratorem, sed requiritur determinata ratio originalis oppositionis, quæ, ex hypothesi, aufertur inter Filium, & Spiritum sanctum.

Ex qua doctrina respond. 3. stante hypothesi, Spiritus sanctus non haberet filiationem; qua Filius constituitur in esse Filij, distinguo; non haberet filiationem formaliter, concedo; identicè, nego, quia non haberet rationem distinstinctivam realiter : In quo casu Filius distinguitur à non filio distinctione negativa, sicut persona à non persona non positiva; hæc enim exigit oppositionem mutuam, &c. Unde non adesset distinctio adæquata.

Objic. 3. Si Pater non spiraret Spiritum sanctum; sed solus filius, tunc Pater distingueretur à Spiritu sancto; ergo à simili dicendum de filio. Respond. primò negand. assumptum : nam cum non intercederet relationis oppositio, hinc nec esse distinctio realis. Respond. 2. quod distingueretur per filium mediatè ratione vis spirativæ communicatæ filio.

472 Objic. 4. Idem non potest duobus productionibus totalibus accipere esse : at generatio, & spiratio etiam si à solo Patre essent, essent duæ productiones totales diversæ; ergo, & termini, scilicet Filius, & Spiritus sanctus; ergo, data hypothesi, Filius distingueretur realiter à Spiritu sancto. Vigetur vis Argum. ex Seraph. Doct. *l. 1. d. 7. dub. 8. & d. 13. quæst. 2. ad ult. & q. 3. in corp. & ad* 4. Vbi notat Spiritum sanctum non posse generari, & simul spirari, quia licèt una persona possit duobus modis producere, tamen una persona non potest duobus modis produci : sed resp. ex eodem Seraph. Doct. *d. 13. q. 3. in corp.* Si spiratio esset à solo Patre, non fore duas productiones duorum suppositorum realiter distinctorum : eorum enim distinctio realis non sumitur adæquatè ex principio, quo; sed etiam ex principio, quod; & quia spiratio est emanatio per modum connexionis, ideo est necessariò à duobus suppositis, qua fit, si esset à solo Patre, produceretur alius, quia solo Patre differrent, & cum nullam oppositionem haberet ad Filium, identificaretur realiter cum illo, sed solùm formaliter distingueretur, quia non esset alter terminus determinatus; & ratio est toties adducta, quia in Filio essentialiter est vis spirativa, &c. Nempè, quia licèt in Patre sit unitus completa spirandi totalitate virtutis præciso Filio, sed non quoad omnem conditionem per se requisitam, quia præexigitur cognitio, & terminus productus; tum etiam quia amor debet esse mutuus, notionalisque, non ex distinctione actuum, ut in nobis evenit, sed ex distinctione personarum, qui consistit in communicatione bonorum ad invicem, ex eo quod Pater amat Filium, & Filius Patrem.

Objic. 5. cum Ocham *d. 1 t. q. 2.* omne realiter distinctum ab aliquo per aliquid sibi proprium, retento proprio illo, & remoto omni etiam communi sibi, & alii distinguitur realiter, sed de facto Filius distinguitur per filiationem à Spiritu S. ergo, retenta filiatione, & amota spiratione activa distinguitur Filius à Spiritu S. realiter : Major patet, quia habent aliquid reale, realiter distinctum, cum illo, non potest esse idem realiter : sic est filiatio, &c. Minor etiam patet, quia si filiatio ex sua natura realiter non distingueretur à spiratione passiva, posset dici quod Spiritus sanctus generatur. Respond. disting. majorem : Si maneat ratio prima, distinguens, & de facto, & ex hypothesi, concedo : si non remaneat, nego : Ad minorem negatur, filiationem esse primam rationem distinguentem à Spiritu sancto; est enim spiratio activa, ut supra probatum est · filiatio enim prius distinguitur passivè beneficio spirationis activæ distinguentis primò, deinde distinguentia activè Filium à Spiritu sancto, posita verò hypothesi, removetur prima causa distinguens, scilicet spiratio activa, & per consequens nec filiatio, nec Filius distinguitur à Spiritu sancto. Respond. etiam, primam propositionem Ochami non esse universaliter certam; ut patet in hoc, quod spirator habet aliquid reale, realiter distinctum à Patre; scilicet habet filiationem, nec tamen spiratio realiter distinguitur à Patre : sic & hic Deus singularis habet realiter paternitatem, quæ est aliquid reale, realiter distinctum à Filio, & tamen hic Deus realiter non distinguitur à Filio. Sic ex S. Bon. *l. 1. d. 13. q. 3. & d. 26. q. 1. & d. 33. q. 3. &c.*

QUÆSTIO XIV.

De Spiritu Sancto, pro ut est Donum.

QVia inter nomina sancti Spiritus, Sancti, insigne est hoc nomen ex D. August. l. 5. de Trin. c. 5. & 19. hinc, aliqua breviter expendedemus de hoc nomine, per aliqua quæsita. 473

Quæres primò : *An detur in divinis ratio doni : & an sit ratio propria Spiritus Sancti?* Respond. 1. In divinis verè, & propriè admitti rationem doni : involuit enim donum duplicem relationem, nempè ad donantem, & ad eum, cui fit donatio; & quia exigit, ut liberaliter donetur, ex vi amoris ab intra procedit Spiritus sanctus; & ad extra etiam : addimus donum dici de Deo, non omnino impropriè. Sic S. Bon. d. 18. q. 3. quia omne donum perfectum desursum est ex prima Jacubi : tum quia donum est datio irredibilis, idest absque retributione, at Deus hoc pacto dat se, ergo, &c. Hinc & ipsi Filio convenit, ut actu datus, & donabilis : sic enim dilexit Deus mundum,

ut Filium suum unigenitum daret: Ex Joann. cap 3.

Respond. secundò. Nomen doni propriissimè convenite Spiritui sancto quia non solùm donatur, sed etiam præcedit ex amore, ot donum, seu sub ratione donabilis. Sic S. Bonavent. d. 18. quæst. 3. & 4. Probatur pluribus Textibus Sacr. Scripe. cit. à S. Bonavent. & etiam ex D. August. aliisque SS. PP. Probatur primò; quia ut arguit S. August. eodem modo Spiritui sancto convenit ratio doni, quo nomen Verbi Filio, scilicet uterque ex vi emanationis propriæ: tum quia intriosecè est amor; ergo, & donum: Ergo solus Spiritus sanctus est donum in ratione exemplaritatis donationis: Tum quia ad rationem doni, duo requiruntur, scilicet datio ad creaturas, & processio per modum libertatis: primum competere potest toti Trinitati: sed secundum est solius Spiritus S. &c.

Objic. primò. Aliqua dona appropriantur Filio, ut ea quæ spectant ad illustrationem intellectus, ergo, &c. Respond. Filio aliqua ratione aptari donum, sed tantùm materialiter: at verò in ratione donationis omnia appropriantur Spiritui sancto; ratione exemplaritatis existentis in Spirito sancto, solo quia producitur, ot amor.

Objic. secundo. Circumscripto Spiritu sancto; adhuc in divinis remaneret ratio doni, quia in Patre, & Filio adest liberalitas, quæ est ratio donabilitatis. Respond. remanere secundùm rationem causalitatis, & subauctoritatis non exemplaritatis.

Objic. tertio. Quod est proprium personæ divinæ, ei competit ab æterno, sed donum ei competit in tempore, ergo, &c. Respond. competere ei aptitudine ab æterno, actu in tempore: Vnde propium est Spiritus sancti. procedere per modum amoris, & hoc est ab æterno, & donari creaturis, & hoc est in tempore. Ex quibus sequitur, quod Spiritus sanctus per donum, quatenus dicit relationem originis à donante, scilicet Patre, & Filio, constituitur, quia procedit per modum amoris, & liberalitatis: pro ut verò dicit respectum rationis ad creaturas, quibus est donabilis, non constituitur per talem respectum, quia solùm connotatur ex consequenti, &c.

Q. secondò. *Num amor, & Spiritus, & donum sint una notio?* Respond. S. Bonavent. *quæst. 5. in ult. Argum.* quod si sumantur secundùm respectum ad personas producentes, sont una notio, & eadem proprietas; dicunt enim eandem emanationem, scilicet processionem, & spirationem: si verò sumuntur secundùm rationem nominis differunt: Nam Spiritus dicit emanationem, per comparationem ad vim spirativam producentem: Amor dicit eandem emanationem per modum nexus: donum verò dicit eandem, quantùm ad respectum consequentem, & superadditum, scilicet donabilitatis. Qui plura ad hanc rationem doni cupit, adeat Seraph. Doct. *d.* 18. ubi fusè tractat hanc materiam, &c.

DISPVTATIO XV.

QUÆSTIO I.

An dentur in Deo relationes communes toti Trinitati.

474 PRo solutione quæstionis Not. ex Seraph. Doct. *l. 1. d. 30. q. ult. & d. 31. q. 2. ad 3. & d. 19. q. 1.* quod in creatis (ex Arist. 5. *Metaph.*) fundamentum remotum identitatis, est substantia; æqualitatis quantitas; similitudinis qualitas: sed quia; nec substantia, nec quantitas, nec qualitas strictè accipiendæ sunt, quia nomine substantiæ venit omnis natura, & quidditas, tum Cathegorica, tum transcendentalis: Nomine quantitatis non semper molis, sed etiam virtutis, & nomine qualitatis venit omne quod habet rationem qualitatis aliqualem, sicut sunt attributa in Deo: hinc etiam iste relationes ad Deum transferuntur: Vnde fundamentum remotum in Deo identitatis est substantia, proximum unitas numerica ejusdem essentiæ: fundamentum remotum æqualitatis divinæ est triplex, scilicet magnitudo, quæ respondet quantitati continuæ, & permanenti quam Deus habet per immensitatem: aliud ut æternitas respondens quantitati continuæ successivæ, fundamentum æqualitatis remotum est potestas respectu rerum ad extra: fundamentum verò proximum ejusdem æqualitatis est unitas numerica magnitudinis æternitatis, & potestatis: fundamentum verò remotum similitudinis, quia duplex est similitudo, una essentialis, alia accidentalis: sic fundamentum remotum alius est duplex: Primum est essentia divina, concepta veluti forma quidditativa personarum; fundamentum nempe similitudinis essentialis, attributa verò ut bonitas, sapientia, &c. quæ ad modum qualitatum videntur circunstare essentiam, sunt fundamentum similitudinis, quasi accidentalis: unitas verò essentiæ est fundamentum proximum similitudinis essentialis, & unitas numerica attributorum est fundamentum proximum similitudinis quasi accidentalis. His positis, &c.

Concl. 1. Dantur in Deo relationes communes 475
tribus personis. Est Seraph. Doct. & communis, & de fide definitum in Concil. Lateran. Et istæ sunt identitatis æqualitatis, & similitudinis. Probatur primò: quia inter personas est identitas naturæ; ergo, &c. Probatur secondò: quia Pater, & Filius, & Spiritus sanctus sunt similes in natura; tum etiam æquales in essentialibus, ergo, &c.

Objic. primò. Æqualitas est inter plura distincta, nil enim est sibi æquale, at personæ divinæ habent eandem essentiam, sunt enim unus Deus; ergo, &c. Respond. S. Bonavent. *d. 19. q. 1. ad ult. & d. 35. q. 2.* distinguendo majorem: Equalitas est inter plura distincta suppositorum divinorum, concedo: diversa secundùm essentiam, nego; & licèt hæc etiam adsit in creatis, tamen id est imperfectionis. Ideo exulat à Deo.

Objic. secundò. Vbi æqualitas, ibi est finitas, quia

quia ibi est commensurativa coæquatio: ergo non est in Deo. Resp. æqualitatem dicere duo. scilicet commensurativam coequationem, & hoc dicit imperfectionem, quia finitatem: aliud, scilicet excessus, privationem, & hoc dicit perfectionem, & secundùm hoc est in Deo, &c.

Concl. 1. In divinis est summa æqualitas. Est S. Bonav. *dist.* 19. *quæst.* 1. Et de fide. Probatur, quia summa æqualitas est ubi unum æquatur uni, & unum pluribus, & unum omnibus, sed in divinis tantus est Filius, quantus Pater, & Spiritus sanctus, & è converso. Tum quia in divinis est summa unitas, ergo, & summa æqualitas; tum quia inæqualitas potest esse ratione prioritatis temporis: contra quam est æternitas, tum ratione Majoris extensionis, & valoris; contra quam est æqualitas magnitudinis, quæ est in divinis, non solùm ratione immensitatis, sed etiam potentiæ, sapientiæ bonitatis, &c. tum quia ratione effectus datur inæqualitas, ubi est Major, vel Minor potentia, & hæc deficit in divinis. Ergo, &c.

Objic. Solus Pater habet potentiam generandi: Pater, & Filius potentiam spirandi; quæ non est in Spiritu sancto: Ergo in eis est inæqualitas potentiæ. Confirmatur: quia ex his sequitur major diffusio bonitatis in Patre, & Filio, quàm in Spiritu sancto. Resp. esse potentiam proximam generandi in Patre; & in Patre, & Filio potentiam spirandi proximam, in omnibus autem est potentia remota, scilicet essentia, & intellectus, & voluntas; potentia verò proxima est notionalis, & personarum non essentiæ: hinc non sequitur inæqualitas, sicut nec circa diffusionem bonitatis, quæ dicit emanationem ratione fœcunditatis Personæ, &c. Sic ex S. Bon. *d.* 19. *q.* 2 *ad ult.*

Concl. 3. In divinis est summa similitudo. Et de fide, & S. Bon. *dist.* 19. Ratio est, quia in divinis similitudo idem est cum æqualitate, & identitate, sive substantialitate: Sed personæ divinæ sunt consubstantiales, & coæquales; ergo, &c.

Concl. 4. Istæ relationes dicunt principaliter relationem, ad quod interventit etiam substantia, quia principaliter dicunt, ad, & simul unitatem substantiæ; Ergo, &c. Sed vide infra *quæst.* 3.

QUÆSTIO II.

De Circumincessione divinarum Personarum.

476

QUæstio hæc confirmat supra tradita de Personarum æqualitate; spectat enim ad eandem materiam.

Not. 1. Quod Circumincessio est alicujus subsistentis in subsistente realiter distinctio mutua, intima præsentialitas in eadem natura numero. Sic Scotus *dist.* 19. *quæst.* 2. & idem docet S. Bon. *lib.* 1. *dist.* 19. *quæst.* 3. Ex quibus infertur, quatuor requiri ad circumincessionem: Primùm, quod illa quæ sic se habent mutuò, habeant eandem naturam numero, substantiamque; quo pacto, si duo corpora essent in eodem loco, non essent simul per circumincessionem: Secundum, quod illa sint subsistentia; quo pacto attributa divina, licèt sint idem cum essentia, & inter se, non tamen dicuntur ad invicem per Circumincessionem: Tertium, quod sint realiter distincta: Quartum, quod inter illa sit mutua, & intima præsentialitas; quo pacto, Deus non est in Anima per Circumincessionem. Quas conditiones breviter tonuit Seraph. Doct. dicens, quod Circumincessio est unum esse in alio, & e converso, & hæc requirunt summam unitatem cum distinctione, & est in solo Deo; quia in ipso solo est mutua intima præsentia cum consubstantialitate; & hinc quælibet persona est in alia, & essentia in qualibet persona, & quælibet persona est in essentia, sed modo differenti, quia essentia est in qualibet persona, secundùm quod natura est in supposito, & quælibet persona est in essentia, secundùm quod suppositum est in natura; quælibet autem persona est in alia per hoc, quod essentia cujuslibet personæ est in alia, quia eadem est: Et hoc est, quod dicit Seraph. Doct. cit. ex D. August. *lib. de fide ad Petrum*, *cap.* 1. cum aliis SS. PP. &c.

Not. 2. Quod, licèt Circumincessio divinarum Personarum sit certa, & de fide, discrepant tamen Theologi in modo: quia Durand. Henricus, aliique pauci admittunt eam solùm ratione essentiæ, non secundùm relationes: Communis tamen opinio Seraph. Doct. D. Thomæ, Scoti, aliorumque est, personas divinas esse per Circumincessionem in se mutuò secundùm se totas.

Not. 3. Quod duobus modis potest intelligi, unam personam esse in alia: primò intellectualiter, & objectivè; quia omne cognitum est in cognoscente objectivè, vel per se ipsum, vel per suam similitudinem: per se autem quælibet persona cognoscit aliam, per similitudinem, & hæc non est Circumincessio; secundo modo, ita quod una persona sit in alia, non per similitudinem, sed per inexistentiam, & realiter, & entitativè, & hoc pacto intelligitur Circumincessio. His positis, &c.

Concl. 1. Personæ divinæ sunt in se mutuò per inexistentiam, & Circumincessionem. Est de fide, ex Joan. *cap.* 14 *Ego in Patre, & Pater in me est* (ait Spiritus sanctus) tum ex D. August. cit. Propter unitatem naturæ totus Pater est in Filio, & in Spiritu sancto: tum quia quælibet persona aliam cognoscit non per similitudinem, sed per existentiam; ergo, &c. tum quia, Major est convenientia inter divinas personas, quàm inter genus, & species; sed genus secundùm se est in speciebus, & è converso; Ergo, &c.

Concl. 2. Sola essentia non est ratio inexistentiæ unius personæ in alia. Prob. Pater habet essentiam divinam in se; ergo sequeretur, quod Pater esset in se eo modo, quo est in Filio, quod non conceditur; tum quia hæc inexistentia requirit distinctionem, sed Pater non distinguitur à se ipso; ergo, &c.

Concl. 3. Relatio originis non est præcisa, & adæquata ratio hujus inexistentiæ. Prob. quia Creaturæ originantur à Deo, & tamen Deus non

est per Circumincessionem in Creatura,& è converso; ergo, &c.

Concl. 4. Tota ratio præcisa, & adæquata inexistentiæ unius personæ in alia est ipsa divina essentia, & simul relatio: ratio est, quia in persona non est nisi essentia, & relatio; ergo, cum nec sola essentia, nec sola relatio sint ratio talis inexistentiæ, sequitur quod utraque simul sit: tum quia sola persona, scilicet essentia, & relatio importat rationem Circumincessionis, scilicet unitas essentiæ, & distinctio Personarum.

Objic. 1. In quocunque est Paternitas, & filiatio, & spiratio, ille est Pater, & Filius, & Spiritus sanctus; sed si Pater, & Spiritus sanctus est in filio, tunc in eo erit Paternitas, & filiatio, & spiratio passiva, ergo filius erit Pater, & Spiritus sanctus; ergo,& confusio Personarum. Resp. Ex doctrina Seraph. Doct. disting. Majorem: In quocunque, &c. Identicè concedo: formaliter, nego: Nam Paternitas formaliter est in solo Patre. Vel clarius: Paternitas est in filio, quantum ad modum existendi, in, per intimam inexistentiam, & præsentiam: sed cum infertur; ergo Pater est filius, negatur conseq. nam ad esse, in, per intimam inexistentiam arguitur ad esse, in, per modum formæ.

Objic. 2. Si Pater continetur in filio; ergo impossibile est, ut filius contineatur in Patre, contento in filio. Resp. negan. conseq. Circumincessio enim non dicit esse, in, sicut contentum, in continente, sed alio modo, qui in creatis non reperitur, scilicet per communicationem in essentia, & inexistentiam subsistentis, in subsistente: & hinc infert S. Bon. in respon. ad ult. ubi enumerat varios modos essendi (In) in Creaturis, talem inexistentiam divinam non habere ullum exemplum in creaturis, quia in istis non est unitas essentiæ cum distinctione Personarum; exemplum tamen aliquale, licèt imperfectum potest assignari de potentiis Animæ, quæ licèt ex parte rei inter se distinguantur; sunt nihilominus eædem essentiæ Animæ realiter, & ex consequenti una est in alia, quia in alia est essentia Animæ, cui illa potentia est eadem.

Objic. 3. Ubi est fundamentum relationis alicujus, ibi est relatio fundata in eo, & relatio originis fundatur in essentia; ergo, ubi est essentia, ibi est relatio originis: sed essentia est in unaquaque Persona; ergo, in unaquaque est relatio originis. Resp. S. Bonavent. essentiam esse fundamentum relationis Circumincessionis, non tamen adæquatum, sed cum origine, & correlatione: Sic corruit totum arg.

Quæres; *An Circumincessio importet unicam relationem in tribus, an multiplicem?* Resp. S. Bonavent. esse unicam communem tribus; sicut enim similitudo duorum est unica, sic & esse importat unam relationem identitatis, & consubstantialitatis: quæ consubstantialitas uniformiter accipitur de tribus Personis.

Q. 2. *An una Persona possit illabi alteri?* Resp. S. Bonavent. hic *ad* 3. *& lib.2. dist.*8. *part.* 2. *art.*1. *quæst.*2. negativè, nam ad illapsum Dei exigitur diversitas essentiarum; exigitur item, quod unum se habeat ut materiale alteri, aliud ut formale: materiale est Creatura, formale, est divina essentia, & id quod illabitur, sit quid simplicius; & quartò, quod illabens dominetur illi cui illabitur: quæ conditiones non insunt in Personis divinis inter se comparatis.

QUÆSTIO III.

An relationes istæ communes tribus Personis sint reales, an rationis tantùm?

Prima opinio est D. Thomæ, & Sequac. esse rationis tantùm, ad quam P.Gaud. *quæst.* 1 2. pertrahit de mente Seraph. Doct. Simul cum P. Foresto, sed male, & invitò. 477

2. Opinio, est Scoti asserentis, esse reales, sic & sequac. aliique: citatutque à Coriol. aliisque S. Bonavent. pro hac sententia. Pro solutione, &c.

Not. 1. Quod non pauca est difficultas circa mentem germanam Seraph. Doct. Nam *lib.*1. *dist.*31. *part.*1. *quæst.*1. ubi quærit, an æqualitas, & similitudo dicantur secundùm substantiam, an secundùm relationem in divinis? Et resp. dici principaliter secundùm relationem, ex consequenti secundùm substantiam, ut supra dictum est *in quæst.*1. Ex hoc quod hujusmodi nomina dicunt respectum suppositorum distinctorum convenientium in aliquo uno, & ita respectus cadit ibi per modum formalis, sed unitas essentiæ, & pluralitas suppositorum cadit per modum causæ, scilicet fundamenti, ut patet in creatis; similitudo enim est relatio fundata in qualitate una; æqualitas in quantitate. Affert postea S. Doct. hanc objectionem contra se: omne quod dicitur secundùm relationem importat de suo principali intellectu distinctionem, sed simile, & æquale; dicunt convenientiam, ergo non dicuntur secundùm relationem. Cui objectioni assignat sequentem responsionem, in qua fundatur diversitas sensuum commentatorum Seraph. Doct. Ad illud quod objicitur, quod relativa important distinctionem, dicendum, quod quædam in divinis dicuntur secundùm relationem, quæ sunt distinctiva relatorum, ut Pater, & filius, & talia important respectum distinguentem, & simul distinctionem, ut exercitam (scilicet quia faciunt constituere, & distinguere Personas inter se) quædam dicuntur, secundùm relationem, quæ sunt relativa distinctorum, ut similis æqualis; & talia important respectum, sed ille respectus non est notio distinguens, sed consequens distinguentem; importat enim distinctionem, non ut exercitam, sed ut conceptam (subdit verò discrimen inter primas relationes, & secundas) nam respectus distinguens est unius Personæ ad aliam, secundùm quòd est ab illa, ut est Paternitas à Patre, &c. In huiusmodi verò nominibus, æqualis, similis, importatur respectus unius Personæ ad aliam, secundùm quod communicant unam naturam, & quia respectus est relatio, ideo plurificatur: quia verò respectus unius essentiæ, ideo dicitur de pluribus. Ex quibus inferunt PP. Forestus, & Gaud. relationes istas ad mentem Seraph. Doct. esse rationis, quia eas appellat ut conceptas, ad differentiam notionalium, quas appellat

pellat, ut exercitas: Igitur si sunt relationes, ut conceptæ sequitur, quod sint rationis, & non reales: in quo tamen patenter hallucinantur; nam ad aures Seraph. Doct. relatio, ut concepta, non est rationis, sed objectiva, & formalis ex natura rei, per quod ipsam discriminat à relationibus personalibus, quæ important distinctionem realem, cum habeant rationem constitutivam originis, illæ autem consequuntur ipsas personas jam in esse constitutas, & ob id fundantur in eadem essentia, sed inter personas realiter antecedenter distinctas, & ob id ab ipsis distinguuntur secundùm formalitatem objectivam, & ex natura rei: cum verè per similitudinem Pater dicat ordinem ad filium, &c. De qua vide à nobis tradita in Logica *tract. formal. quæst. 6. num. 109.* Nec ratio allata à Gaud. aliquid probat, dicendo, quod requiritur duplex fundamentum in duobus similibus, id enim est falsum, cum talis relatio fundetur in unitate qualitatis, & licèt naturaliter in creatis requiratur solùm unitas specifica, non tamen absolutè exigitur talis diversitas fundamenti; quia, si Deus collocaret in duobus parietibus eandem numero albedinem, ut posset facere, tunc verè essent realiter similes. Affert etiam P. Gaud. alium textum ex Seraph. Doct. *l. 1. d. 9. q. 1. ad ult.* sed non est ad rem, & pervertit textum: Affert cit. Author alium textum Seraph. Doct. *lib. 1. dist. 30. q. ult.* qui etiam minus est ad rem, nec aliquid concludit, ut patebit in sequentib.

478 Not. 2. Ut magis pateat mens germana Seraph. Doct. in allato textu: quod relationes originis, & communes in aliquibus conveniunt, in aliis differunt: Conveniunt in hoc quod omnes exigunt fundamentum remotum, & proximum: omnes sunt inter extrema realia, consurgunt ex natura extremorum: disconveniunt primò, quod primæ sunt constitutivæ, & distinctivæ personarum: Communes supponunt ipsas distinctas: Secundò primæ habent pro fundamento remoto essentiam, pro proximo actus notionales: istæ communes habent pro fundamento remoto essentiam quidem, sed pro proximo ipsas personas jam constitutas, & distinctas secundùm quod communicant unam naturam; ad quam communicationem consequitur, & insurgit (sic S. Doct.) respectus unius personæ ad aliam, & ob id multiplex respectus: Unde patet hallucinatio supradicta P. Gaud.

Not. 3. Quod relationes personales sunt disquiparantiæ; sunt enim diversæ rationis in utroque extremo: istæ autem communes sunt æquiparantiæ, quia sunt ejusdem rationis in utroque extremo.

Not. 4. Quod relatio realis capitur dupliciter: primò pro omni relatione, quæ habet esse præter opus intellectus, licèt non habeat extrema realia, realiter distincta: sic identitas rei ad seipsam: sic in intellectu causante suam intellectionem fundatur relatio ad seipsum, quæ est realis: secundò, relatio dicitur realis, quæ potest existere, secluso omni opere intellectus, & quæ ita se habet, quod suum esse non est suum intelligi: Et ad hanc tres conditiones requiruntur; prima quod extrema sint realia, fundamentum videlicet, & terminus, idest quod in ratione fundandi, & terminandi non dependeant ab intellectu; 2. quod extrema sint realiter distincta; 3. quod hujusmodi relatio insurgat ex natura extremorum, & non per actum comparativum intellectus. His præmissis, &c.

Concl. 1. Identitas, similitudo, & æqualitas 479
in divinis sunt relationes reales. Probatur primò, quia habent dictas tres conditiones, ergo, &c. Probatur anteced. fundamentum ipsarum, tum remotum, quod est ipsa essentia divina, tum proximum, scilicet unitas magnitudinis, & perfectionis divinæ, scilicet infinitas, sunt realia extrema; sunt enim personæ divinæ realiter distinctæ; tum quia relatio consequitur personas ex natura rei, sine operatione intellectus: Pater enim generando Filium communicat ei perfectè suam essentiam, & eandem perfectionem: Ergo adsunt tres conditiones. Probatur secundò, de omnibus istis tribus relationibus in particulari: Nam solùm in divinis est perfecta identitas, & sufficiens extremorum distinctio; item est perfecta similitudo, & secundùm essentiam, deitatemque, & attributa, idem & dicendum de æqualitate, ergo, &c. Probatur tertiò: quia si exigitur pluralitas fundamenti, sequitur quod relationes originis sint rationis tantùm, quod est falsum, & hæreticum. Probatur sequela, quia etiam istæ fundantur in essentia: Ergo si communes sunt rationis, etiam & personales. Resp. P. Gaud. cum suis Thomistis veluti de mente Seraph. Doct. quod nec somniavit, negand. seq. & ad probationem respond. quod relationes personales fundantur in actibus notionalibus qui sunt plures individualiter.

Contra. Relationes personales duo fundamenta exigunt, sicut & communes, scilicet remotum, & proximum; remotum est ipsa essentia divina, proximum sunt actus notionales: sed tamen cum isti actus notionales per adversarios sint idem formalissimè cum ipsis relationibus, sequitur quod idem ad se ipsum refertur, vel quod debet propriè desumi ratio fundamenti ab essentia: tum etiam, quia de mente Seraph. D. allati in fundamento primo, origines, & relationes personales sunt distinctivæ personarum: ergo exigunt fundamentum proprium, quod est essentia, & relationes communes sunt relativæ distinctorum, ex eo quod, licèt non constituant, nec distinguant, supponunt tamen distinctionem: Ergo fundamentum remotum erit essentia, proximum erit persona constituta. Respond. P. Gaudent. negand. Personam posse esse fundamentum proximum, quia relatio non potest fundare relationem ex Aristot. 5. *Phys.* & secundùm communem sensum Philosophorum.

Contra: Quia persona non est relatio præcisè, sed quid constitutum ex essentia, & relatione, & ob id ratione convenientiæ essentiæ fundat relationem; tum etiam quia relatio, non relatio, sed ratione alterius prædicari potest fundare relationem. v. g. Ratione convenientiæ (in) referri ad aliud, quod à nobis fusè in Logica traditum est. Omitto alias responsiones, & rationes additas à P. Gaud. veluti de mente Seraph. Doct. cum non inveniantur in scriptis ipsius, sed è penu dicti Auctoris erutæ sunt, vel ex Schola Thomistarum extractæ.

Objicies primò. Ex Arist. 5. *Metaph. cap. ad* 480
aliquid. æqualitatem fundari in unitate specifica

quantitatis: ergo, exigit diversitatem individualem fundamenti, sed in Deo est unica quantitas virtutis numero, ergo non est relatio vera, nisi rationis. Et confirmatur, quia extrema relationis, v. g. similitudines, sunt quæ primò referuntur, v. g. duæ albedines, & secundariò sunt subjecta, sed ratio referendi est unica, & individua, ergo, &c. vel idem referetur ad seipsum, vel erit relatio rationis, similitudo æqualitas, &c. Respond. Arist. non agnovisse, posse dari unicam individuam naturam in pluribus suppositis, & ideo admisit unitatem specificam, sicuti admisisset unitatem individuam, si ipsum irradiasset lumen sanctæ fidei. Ad confirmationem Respond. Argument. nihil concludere: aliud enim est ratio referendi, v. g. albedo, aliud est subjectum relatum: licèt enim sit eadem ratio referendi, quia diversa sunt subjecta relata, hinc non sequitur, quod idem referatur ad se, sed ad aliud: Idque etiam patet ex supra traditis in quæst. anteced. ubi diximus, istas relationes communes dicere duo, scilicet principalius essentiam, & minùs principaliter relationem, scilicet diversas personas in eadem essentia se se mutuò referentes. Unde stante unitate in principaliori potest stare pluralitas in posteriori.

Dices cum Gaud. Relatio non potest fundari in relatione, quia ad relationem non datur motus, & quia relatio est medium inter relatum, & terminum, ergo non potest esse terminus: Ergo nec æqualitas potest fundari in personalitate. Respond. primò negand. anteced. relatio enim, ut talis, non potest esse fundamentum relationis, sed benè secundùm alium respectum: sic relationes paternitatis, & filiationis, ut convenientes in ratione referendi fundatent aliam relationem convenientiæ: ut satis à nobis probatum est in Logica. Respond. secundò, istas relationes habere duplex fundamentum, scilicet remotum, & proximum: nempe essentiam, & personam, seu personalitatem, sicque negatur conseq.

Concl. 2. Extrema æqualitatis, & similitu-
481 dinis divinæ sunt realiter distincta, & hoc non concomitanter, vel consequenter, sed præexigitivè. Est Seraph. Doct. & communior. Probatur prima pars, quia extrema harum relationum sunt, & Filius, & Spiritus sanctus, ergo, &c. Probatur secunda pars: communicatio essentiæ præsupponitur ipsi filio necessitate æqualitatis Patris ad Filium, & è converso, ergo æqualitas necessariò præexigit realem distinctionem inter Patrem, & Filium: ita supponit Seraph. Doct. *d. 31. q. 1. ad* 3. ubi docet, quod illæ relationes communes non sunt distinctivæ, sed supponunt distinctionem realem inter personas.

Ex hac Concl. sequitur, quod prima æqualitas terminativè est in Filio, ut dicit S. Aug. quia, si Pater est æqualis, non est talis sibi, sed Filio, licèt sit intrinsecè primò in Patre, quia ipsam habet à se, terminativè verò primò in Filio, & secundariò in Spiritu sancto.

Dices: Si similitudo Patris terminativè est primò in Filio, ergo Pater recipit à Filio similitudinem, quod est falsum. Respond. negand. sequelam: aliud enim (ait Seraph. Doct.) est habere aliquid ab alio, & hoc non est in Patre, aliud est habere aliquid, prævio alio, & talis est in Patre, & similitudo, quæ præexigit distinctionem inter Patrem, & Filium, &c.

Concl. 3. Identitas inter Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum est relatio realis plurium distinctorum realiter convenientium in eadem substantia, sequitur ex supra traditis: & probatur, quia sic est habitudo vera realis inter plura supposita: ergo est realis.

Dices: Identitas facit idem sibi ipsi, ergo non est realis. Respond hoc modo non sumi hic identitatem, scilicet Patris ad se ipsum, sed ad alium, &c.

QUÆSTIO IV.

De Missione divinarum personarum aliqua exponuntur ex S. Bonavent. l. 1. d. 15.

NOt. 1. Quod missio significat motionem ab aliquo movente, vel mittente alium ad aliquem effectum: Unde ex parte mittentis dicit principium missionis, vel dando esse, v. g. sol mittit radios, vel dando virtutem, ut projiciens lapidem imprimit impulsum, vel dando auctoritatem, ut Rex mittit Gubernatorem; quæ omnes conditiones reperiuntur in personis divinis missis: Ex parte verò termini missionis importatur, vel locus, in quo res missa quiescit, ut scopus est terminus sagittæ projectæ: vel ille cui aliquid mittitus, vel donatur; sic sponsa est terminus arrhæ missæ à sponso: vel operatio personæ missæ, ut est prædicatio Apostolorum missorum à Christo. Sic in divinis mittitur Filius, & Spiritus sanctus ad inhabitandum in anima, mittitur etiam ad donum, & ad operandum aliquem effectum: Ex parte verò personæ, vel rei missæ in nobis importatur separatio missi à mittente finito, transitus item de loco ad locum, subjectio item, & subordinatio ad virtutem mittentis, quæ conditiones cum dicant imperfectionem, absunt à Deo. sed loco istarum adest emanatio, & hinc authoritas (sine tamen superioritate) resultat cum novitate effectus. Ex quibus S. Bon. *d. 15. q. 1.* qui ibidem *& q. seq.* infert missionem in divinis duo requirere, alterum est ut persona missa à mittente procedat, unde supponit originem: alterum est, ut ex vi personæ mittentis novo modo persona missa alicubi sit, vel operari incipiat: sic etiam communiter alii Theologi. 482 a

Not. 2. Quod Missio, cum sit emanatio personæ divinæ ad aliquem effectum in Creaturam, ut notat S. Bon. *in Brevil.* ideò importat principaliùs aliquid essentiale, & minùs principaliter aliquid notionale: Unde solùm Missio est, quando aliqua persona incipit esse novo modo ex aliqua re præexistente, in qua recipitur ille effectus; hinc Missio non est ad creationem, neque ad conservationem, neque ad dona naturæ, nisi impropriissimè, sed tantùm ad gratiam, & gloriam: ob idque alia est visibilis, alia invisibilis. Sic S. Bon. *d. cit. per tot. & seq.* His præmissis.

Concl. 1. Missio in divinis personis temporalis datur: Et de fide ex pluribus textibus sa-

cræ

cræ Scripturæ, & quia certum est, Patrem mittentem dari, Filiumque à Patre procedere, & Spiritum sanctum à Patre, & Filio, & ad effectus creatos destinari: ergo certum est dari Missiones in divinis.

Concl. 2. Missio non dicit solam æternam emanationem, nec merè effectum temporalem, sed utrumque. Prima pars certa est apud omnes contra aliquos à Magistro cit. Ait enim Christus Joan. 16. *Si ego non abiero Paraclitus non veniet ad vos, si autem abiero mittam eum ad vos:* Secunda pars est contra Magistrum aliquosque alios paucos; est tamen communis ferè omnium, & præcipuè SS. PP. quia Missio est processio, & ad aliquid operandum: Ergo non dicit solùm effectum temporalem, sed utrumque quæ est tertia pars concl. Addimus ad Missionem non esse necessarium, ut persona Missa, procedat à persona mittente, sed sufficit, ut procedat ab aliqua: sic Filius dicitur conceptus, & Missus à Spiritu sancto, & ratio est quia effectus temporalis, ad quem persona mittitur est communis omnibus personis, &c. Et hinc sequitur, Patrem non mitti, quia à nulla persona procedit: licèt ad aliquem effectum dicatur venire, non tamen mitti. Vide S. Bon. *lib.* 1. *dist.* 14. 15. 16. ubi plura dubia de hac materia solvit.

Concl. 3. Missio est tantùm in ordine ad gratiam, & gloriam, non in ordine ad dona naturæ. Est Seraph. Doct. cit. & communis contra Ariagam, aliosque paucos: Et probatur, quia Missio est ad aliquid dandum perfectum; datur autem, vel ad utendum, vel ad fruendum; utimur autem gratia, & fruimur Deo in gloria: Ergo, &c. Dices: quia utimur etiam bonis temporalibus; ergo, & ad ista est Missio. Resp. quod iste usus non est ex natura sua ad gloriam, nisi prout ista dona induunt rationem gratuiti: Sic negat. conseq. Missio autem in divinis propriè loquendo est quid merè gratuitum, &c.

Concl. 4. Recta divisio Missionis, quoad modum, est in visibilem, & invisibilem, ut patet in sacra Scriptura in Missione Filii & Spiritus sancti in specie Columbæ, ignis, &c. Visibilis (ait S. Bon. *dist.* 16.) Est manifestatio cum apparitione, seu apparitio manifestans personæ emanantis inhabitationem, vel personæ inhabitantis emanationem. Sic & Alens. Ricardus, &c.

Addit tamen S. Bon. quod visibilis non semper conjuncta est cum invisibili, & cum sanctificatione interna: quia aliquando habet tantùm rationem signi: ut patet in Columbæ apparitione.

485 Hic autem disquirunt Theologi, an Missio invisibilis importet, non solùm infusionem gratiæ sanctificantis, sed etiam argumentum, & an interveniat in collatione gratiarum gratis datarum. Cui breviter resp. ex Seraph. Doct. *lib.* 1. *dist.* 14. *quæst.* 1. *&* *dist.* 17. *quæst.* 1. Primò ad gratias gratis datas dici mitti impropriè Spiritum sanctum; ratio est, quia istæ sæpè sunt absque Animæ sanctificatione, quam fert secum Spiritus sanctus: Secundò ad gratiam sanctificantem propriè mitti Spiritum sanctum, quia simul cum gratia communicatur, cum sit donum. in quo omnia donantur: Tertiò dicitur mitti Spiritum sanctum, ad augmentum gratiæ sanctificantis: licèt enim priùs habitet in Anima, tamen dicitur denuo mitti, quatenus ipsi Animæ nova dona, & bona spiritualia donantur: de qua materia. V. S. Bon. *dist.* 15. *part.* 2. *quæst. ult.* Et de qua redibit sermo in proprio loco in Tract. de gratia, ubi fusior dabitur expositio: Est enim hæc materia per maximè necessaria, & jucunda, tum ad perfectum Animæ, tum ad conciones conficiendas. De Missione verò multiplici visibili personarum divinarum plura tradit Seraph. Doct. *lib.* 1. *dist.* 16. *per tot.* ad quam remitto Lectorem, ut hic finem hujus primæ partis cursus Theologici spectantis ad Deum unum, & trinum faciam, &c.

Epilogus eorum, quæ in superioribus in hac prima Parte spectante ad primùm Librum sententiarum tradita sunt.

IN hoc primo libro statutum est primò, subjectum Theologiæ esse credibile, ut scibile est, seu res, & signa.

2. Theologiam esse veram, & propriam scientiam speculativam rigorosè sumptam.

3. Dei existentiam esse per se notam, confusè tamen solùm lumine naturali: distinctè lumine supernaturali.

4. Simplicitatem esse modum, & ultimam perfectionem unitatis divinæ, ob idque radicem omnium aliarum divinarum perfectionum, quas probavimus non distinctas formaliter ex natura rei, sed tantùm virtualiter.

5. Infinitatem, quæ est vel modus, vel virtus intrinseca existens in centro, seu essentia divina identificare sibi unissimo modo omnem perfectionem.

6. Immutabilitatem divinam, quæ in ordine ad Deum, ejusque essentiam, dicitur radicalis, procedere ex simplicitate summa: in ordine ad durationem, dicitur æternitas, in ordine ad locum dicitur immensitas, & de singulis facta est fusa expensio.

7. Incomprehensibilitatem Dei respectu cognitionis creatæ, quæ tamen non impedit quin à nobis possit cognosci, tum in via lumine fidei, tum in patria lumine claro.

8. Et hac occasione per lungam disputationem facta est expensio de visione Dei, & beatitudine hominis: In quo tractatu pro coronide actum est de visione clara Dei in Beatiss. Virgine Maria per totum tempus vitæ.

9. Expensa est ineffabilitas divina, ubi de nominibus Dei, tum æternis, tum temporalibus.

10. Postea actum est de scientia divina, ejusque objecto primario, & secundario increato, & creato, tum necessario, tum contingente: ubi fusè de idæis divinis.

11. Et hinc consequenter tractatum fecimus de divina voluntate, Providentia, & Prædestinatione, & reprobatione; quæ omnia præcisè spectant ad Deum unum.

12. Deinde de Deo Trino egimus: De processionibus ab intra, tum intellectus, tum voluntatis de Verbi, & Spiritus sancti processionibus

bus, & personarum divinarum constitutione, & tandem de Missionibus temporalibus Filii, & Spiritus sancti.

Quæ omnia cum superent captum intellectus nostri, solúmque innitantur revelationi divinæ tremula voce depinxi, timidoque calamo descripsi, ipsa, & cætera in lucem proditura infallibili Sanctæ Romanæ Ecclesiæ judicio inconcussæ veritatis columnæ, & firmamento, pronus humilimè subjecta esse volo, ad gloriam omnipotentis Dei, ejusque Beatissimæ Matris, Seraphicorum PP. SS. Francisci, & Bonaventuræ, &c.

Finis primi Libri sententiarum.



SECUNDA PARS.

Ideſt ſecundus Annus curſus Theologici, continens, quæ à Seraph. Doct. in lib. 2. ſent. tradita ſunt.

Prœmium totius operis, & diviſio tradendorum.

1 UM in quæſtionibus prœmialibus ſtatuerimus pro ſubjecto univerſali totius Theologiæ credibile, prout eſt ſcibile, ſeu res, & ſigna, & cum in ſuperiori libro, & anno egerimus de objecto fruibili, quod eſt Deus unus, & Trinus, nunc pro ſubjecto partiali hujus ſecundæ partis ſtatuimus conſequenter ſubjectum ipſum fruens, ſimulque Creaturas, ut à Deo emanantes, & productas, & in Deum ultimum finem redeuntes. Qua propter primò de creatione univerſi agemus. 2. de Creaturis rationalibus ſecundùm eſſe ſupcradditum gratuitum. 3. Scopulus, in quibus Angelus, & homo naufragium paſſi ſunt, indicabimus; ut hinc & nos eoſdem evitantes, poſſimus pervenire per Creaturarum cognitionem, tanquam per myſticam ſcalam Jacob, ad contemplationem, amorem, & fruitionem veri, & ſummi boni, quod eſt finis principalis hujus tractationis, in quo ſe mirabiliter exercuere SS. Patres noſtri Seraphici Franciſcus, & Bonaventura, quod & Dei gratia attingemus, ſequendo tutiſſimum Ducem Bonaventuram: quod nobis præſtare dignetur Ieſus Chriſtus Salvator meritis ipſius & eorumdem Sanctorum. Amen.

DISPVTATIO I.

De Creatione Mundi.

2 IN hac diſputatione diſcutietur primò cauſa prima, tum intrinſeca, tum extrinſeca mundi. 2 tempus in quo, vel de facto, vel de poſſibili incæpit. 3. ipſa natura creationis cum ſuis terminis.

QVÆSTIO I.

An res habeant principium cauſale, & quale. S. Bon. *diſt. 1. q. 1. & a. 2. q. 2.*

PRo explicatione tituli, ſuppono primò hìc nomine rerum intelligi mundum, ſcilicet aggregationem omnium creaturarum, ipſum conſtituentium: Nomine verò principii venire, tum extrinſecum tum intrinſecum: primum eſt Deus: ſecundum eſt materiale intrinſecum.

Suppon. 2 Hanc quæſtionem à Seraph. Doct. primò proponi ad elidendos varios errores, & hæreſes ſuſcitatas contra veritatem fidei: qui errores à Seraph. Doct. *diſt. 1, dub. 2.* reducuntur ad quatuor capita. Primum eſt eorum, qui dixerunt mundum habuiſſe plura principia, ſcilicet Deum mediatè, & intelligentias immediatè, ſic Simon Magus, ejuſque ſequaces. 2. caput eſt aliorum, qui dixerunt, mundum factum eſſe ab æterno 3. eſt eorum, qui dixerunt, mundum factum eſſe ex principio intrinſeco, nempè ex materia præjacente, & idæis ſeparatis. 4. eſt Manichæorum ponentium duo principia effectiva, ſcilicet principium bonum, & malum eorum. Primi, & ultimi erraverunt in eo, à quo; Secundi in eo, de quo, & quando; Tertii in eo, de quo: Contra quos ſit

Unica concl. Mundus factus, & creatus eſt à 3
ſolo Deo ex nihilo, & in tempore. Eſt de fide: & prob. ex plurimis textibus ſacræ Scripturæ, & præcipuè ex illo textu Gen *cap. 1. In principio creavit Deus cælum, & terram*: Et ibi proſequitur ſacer textus, demonſtrando creationem à Deo omnium creaturarum: quem textum explicat Seraph. Doct. *dub. 2.* quintuplicìter. Primò ſic, ut per, ly, *In*

principio, dicat ordinem, importando negationem prioritatis in productione mundi, & prioritatis positionem respectu posteriorum; contra primum errorem. 2. ut per, ly, *In principio*, dicat habitudinem mensuræ, scilicet esse post non esse, sensusque est, *In principio*, idest in primò instanti temporis; contra secundùm errorem. 3. ut dicat habitudinem causæ efficientis, & exemplaris in filio; contra tertium errorem admittentem materiam præjacentem. 4. ut dicat unum principium, scilicet Deum unum, & trinum; contra quartum errorem Manichæorum. 5. ut principium dicat concomitantiam temporis, quo aliæ creaturæ factæ sunt.

Probat deinde Seraph. Doct. rationibus, supponens principium hoc lumine naturali notum, nempè res habere aliquod principium: multitudo enim ortum habet ab unitate, & mutabile ab immutabili, & ordo tertum ad unum primum necessariò tendit, & imperfectum reducitur ad perfectum.

Prob. igitur, hoc principium esse Deum, primò à parte producentis: Quantò agens est prius, & perfectius, tantò plus influit in rem, sed Deus est hujusmodi, & primum, & perfectissimum, & infinitum agens per se, cæteraque dependentia ab ipso, ergo totum influit, & in totum. Confirmatur, quia quantò agens est nobilius, & perfectius, tantò paucioribus indiget, sed Deus est infinitus, ergo nullo indigens subjecto, & auxiliante, ergo omnia producit, sed non ex se, suaque substantia, ut infrà probabitur, ergo ex nihilo, & totum.

Prob. 2. à parte rei productæ. Quod non est ab alio, est à seipso, nihil autem, quod est tale, indiget alio, ut fit: sed omne intrinsecum principium rei indiget alio, ut fit; nam forma indiget materia, & è converso, ergo utraque ab alio primo principio est: tale autem non potest esse agens naturale, ob indigentiam, quam habet materiæ ad agendum, & sui sustentationem, ergo, &c.

Prob. 3. Efficiens, & finis sunt causæ correlativæ ex Arist. 2 phis. ergo quod non est ab alio, non est ad aliud, sed omnia secundùm totum quod sunt, ad aliud sunt, scilicet ad ultimum finem, ergo sunt ab alio, ergo à Deo immediatè, ad quem solùm immediatè tendunt.

4 Objic 1. Omnis effectus assimilatur aliquo modo suæ causæ, sed Deus est actus purissimus, & materia est pura potentia, ergo non assimilatur Deo, ergo ab ipso non est. *Resp.* transeat major, & concedi.min. negaturque consequentia: ratio est, quia, ut ait Seraph. Doct. ad primum, & secundum, materia, dato quod esset pura potentia, tamen ratione actualitatis, quam habet à forma, ob quam creata est, assimilatur actualitati Dei: tum quia habet de se suum actum entitativum, & ob id de pulchritudine & actualitate, ergo, &c.

Objic. 2. Artifex non potest producere, nisi præcognoscat, & hoc per formam, sed formæ nullo modo sunt, ergo per eas non potest præcognoscere, ergo impossibile est, quod summus Artifex mundum formaret, nisi formæ priùs essent, per quas cognosceret, ergo formæ rerum non sunt productæ. *Resp.* Seraph. Doct. disting. de formis: aliæ enim sunt veræ naturæ rerum, & per istas agens naturale agit: aliæ sunt intellectuales, & ideales, & secundum istas Deus produxit res; non per ideas separatas.

QVÆSTIO II.

Quid sit creatio activè sumpta.

Suppon. 1. Creationem posse sumi activè, ex parte Dei, & passivè, ex parte termini producti. Hîc disquiritur primo loco natura creationis secundùm se, & ex parte Dei. 5

Suppon. 2. plures errores ortos fuisse in hac materia, quos refert Seraph. Doct. Aliqui enim voluerunt, creationem esse rerum productionem ex Dei substantia; Alii, ex esse Dei intelligibili, sive ex ideis separatis: qui sensus potest sano modo sumi (ait Seraph. Doct.) potest & malè sumi: sano modo, si intelligatur à Deo res creatas, secundùm ideas existentes in mente Dei, tanquam formas exemplares, ut in prima parte fusè explicatum est; falsò verò, si intelligantur ideæ formæ separatæ, & ex ipsis, res productas fuisse. Communis, & catholicus sensus est, creationem esse productionem rerum ex nihilo: Est tamen controversia inter Theologos, quid sit ista creatio, nempè: an sit actio, & an immanens, an transiens, an pura relatio, & an sit sola denominatio extrinseca. Pro solutione, &c.

Not. 1. Ex Seraph. Doct. *q.* 1. *ad ult.* illam particulam, *ex*, in diffinitione creationis: creatio est productio totius entis ex nihilo; non dicere causam materialem, ut ex ære fit statua, nec causalem, seu consubstantialem, ut ex Patre Filius; sed tantùm ordinem, ut ex mane fit meridies: qui ordo non est in nihilo, sed in re producta, quæ cum non esset, nunc est: quo fit, ut non sit ordo realis ex parte nihili, ut est terminus, à quo; non enim nihilum ordinatum est, ut aliquid ad esse: hinc est quod rem producit ex nihilo, nihil aliud est, quàm rem totam produci, nullo præsupposito subjecto. Hæc Seraph. Doct. cum D. Thom. Scoto, & aliis. An verò, ly, *ex nihilo*, dicat antecessionem nihili realis durationis temporalis, est in quæstione: nam sustinentes, posse dari mundum ab æterno, negant: sic Vasq. Scotus, &c. Seraph. Doct. affirmat, &c.

Not. 2. quod maxima controversia inter Theologos est, quid sit formaliter actio creativa: nam Vasq. docet, esse merè relationem, quatenus dicit denominationem extrinsecam: Valentia cum aliis vult, esse ipsam intellectionem, & volitionem divinam, necessariam quidem ex parte Dei, sed contingens ex parte termini: Favencinus vult, esse relationem rationis: Alii esse actionem immanentem; alii transeuntem. S. Doct *d.* 1. *a.* 3. *q.* 1. *fund.* 2. *& q.* 2. *corp. & ad* 1. vult esse veram actionem Dei, differentem tamen ab actione creata: nam increatam est principium, quo, differens ab agente, quod est principium, quod: In Deo verò, quatenus exit in actum, esse actionem identificatam cum ipso Deo, & terminantem ad effectum. His positis, sit.

Concl. 1. Creatio est productio totius entis ex nihilo. Est communis omnium, præter hæreticos. Prob. & explicatur. Dicitur productio, ut conveniat cum omni alia actione; dicitur totius entis, ut differat à generatione, quæ non est productio totius entis, sed partis tantùm: dicitur ex nihilo, ut indicet præcessionem durationis nihili ante ipsam rem productam: & hinc sequitur, Verbum non produci ex nihilo, quia supponitur essentia divina.

Concl. 2. Creatio est vera actio, & operatio formaliter Est S. Doct. cit. Prob. quia est deductiva entis è potentia ad actum, ergo, &c. Prob. antec. 6

quia

quia abstracta actione ab agente, non fiet transmutatio, ergo, &c. Addimus, hanc actionem esse formaliter immanentem, virtualiter transeuntem: prima pars patet, quia actio Dei est ipsemet Deus: secunda pars item patet, quia per talem actionem ponitur foras effectus.

Objic. Si creatio est actio, ergo mediat inter Deum, & creaturam, sed actio recipitur in agente, ergo aliquid de novo advenit Deo. Confirmatur, quia non est idem principium, quod, & quo. Resp. argumentum valere in creatis, non in Deo, qui est sua actio, quæ est vel ipsa divina virtus, vel à divina virtute immediatè, quæ rem creat volendo, eam esse primò, cum non sit.

QVÆSTIO III.

Quid sit Creatio passiva.

7 PRima opinio est Thomistarum, creationem passivam esse relationem dependentiæ creaturæ à Creatore. 2. Opin. est aliorum, esse modum quemdam absolutum modaliter distinctum à creatura. 3. Opin. est Seraph. Doct. esse mutationem veram, sed differentem à mutatione naturali. Pro solutione.

Not. 1. Quod mutationis triplex genus datur: Alia enim mutatio est, in qua productum se habet aliter ac prius, qualis est naturalis generatio: Alia est, in qua productum se habet nunc uno modo, & alio modo prius, ut est creatio ex nihilo: Alia est, in qua productum æquè omnino se habet nunc, & prius (si tamen liceat ibi ponere prius) qualis est generatio æterna. Prima habet rationem motus, & mutationis, & productionis: motus, ratione præparationis materiæ, quæ fit per dispositiones accidentales, & indiget successione, & tempore: mutationis, ratione exitus in esse formæ, & fit in instanti: productionis, quia illa exit in esse, non à se ipsa, sed ab alio effectivo principio: secunda caret ratione motus; habet tamen rationem mutationis, & productionis: motu caret, quia non indiget materia, nec dispositione antecedente; habet tamen rationem mutationis, quia ibi est subita, & nova formæ inductio; item & productionis advenientis ab alieno effectivo principio: De tertia verò nihil dicendum, quæ est æterna generatio; carens enim motu, & mutatione, retinet rationem principii creativi. Sic Seraph. Doct. *d.* 1. *a.* 3. *q.* 1.

Not. 2. Quod creatio passiva per hoc differt ab activa, quod activa non est medium inter Creatorem, & Creaturam, nisi secundùm rationem intelligendi, quia Deus est summè simplex, obidque sua actio. Passiva verò est quid medium differens à creatura: dicit enim habitudinem, tum ad non esse præcedens, estque mutatio rei, quatenus dicitur res extra, & producta; dicit enim veram passionem, prout dicit esse receptum, non quidem distinctum realiter à creatura, sed secundùm rationem, idest formaliter, ut ibi *q.* 2. *ad finem corp.* notat Seraph. Doct. (quidquid dicat P. Gand *q.* 3.) estque veluti quid concreatum, & dicitur dependentia creaturæ à Deo. His positis, sit.

8 Concl. 1. Creatio passiva est mutatio creaturæ, non ratione subjecti habentis se aliter in termino, à quo, aliter in termino, ad quem: hæc enim est mutatio Aristotelica, & naturalis; sed ratione termini. Est Seraph. Doct. *a.* 3. *quæst.* 2. Prob. quia creatio dicit productionem entis totius ex nihilo à Deo, ergo importat pro termino, à quo, Deum; & pro termino, ad quem, ipsam rem. Prob. 2. Annihilatio ab esse ad non esse est mutatio, ergo & creatio à non esse ad esse: tum quia creatio est actio, ergo est mutatio terminans ad creaturam: tum quia prius est creari, quàm esse, ergo esse est terminus creationis, ergo involuit aliquam mutationem.

Objic. 1. Mutari est se aliter habere nunc, & prius, sed quod creatur non se habet aliter ac prius, ergo non est mutatio.

Resp. Seraph. Doct. majorem esse veram de mutatione naturali, non de supernaturali: & hac distinctione respondendum est omnibus objectionibus.

Objic. 2. Si creatio est actio absoluta, vel est in agente, vel in passo: si primum, ergo agens agendo mutatur, priusquam agat in passum, recipiendo in se passum: si secundùm, ergo passum duplici mutatione mutatur, scilicet recipiendo actionem, & postea formam, quod est absurdum. Resp. Seraph. Doct. *l.* 2. *d.* 8. *q. ult. ad* 2. *& hic a.* 3. *q.* 1. *fund.* 2. Actionem esse in agente, ut à quo; & in passo, ut in quo: nec sequitur duplex mutatio in passo, sed prius est creatio, ut à quo, postea forma, ut quod, quæ complent unicā mutationem.

Concl. 2. Creatio passiva est relatio transcendentalis realiter identificata in creatura. Est Seraph. Doct. loc. cit. Prob. quia est essentialis creaturæ, ergo cum ipsa realiter identificata: tum quia, si esset prædicamentalis, ob idque accidens, daretur processus in infinitum, quia illa relatio deberet creari à Deo per aliam creationem, ergo, &c.

Concl. 3. Ista relatio identificatur realiter cum creatura, distinguitur tamen ratione, scilicet objectivè, & formaliter. Est Seraph. Doct. & Prob. quia plusquàm ratione absolutum, & relatio distinguuntur, ergo, &c.

Dices, si distinguitur formaliter, ergo est quid creatum per aliam creationem. Resp. esse quid concreatum, non propriè creatum, sic negatur consequentia.

Quæres: *An creatio sit actio dignior cæteris actionibus Dei.* Resp. quod si consideretur quoad modum operandi, creatio est cæteris dignior, quia dat totum esse ex nihilo: Si verò consideretur, quoad terminum, Justificatio est dignior, quia dat esse supernaturale.

QVÆSTIO IV.

Quænam res propriè dicantur creari.

SUppon. duas conditiones requiri, ad hoc ut aliqua res dicatur propriè creari: Altera est respectu termini, ad quem, qui debet esse totum esse rei, spectans ad rationem entis, quodque ex vi creationis recipiat ultimò esse: Altera est ex parte termini, à quo, ita quod transeat ex puro nihilo. In hac quæstione. 9

1. Opinio est Thomistarum, & plurium Scotistarum, cum Meldula in Phys. *d.* 7. *q.* 6. *n.* 87. *& seq. & de generat. d.* 5. *n.* 147. admittentium rationem creationis solùm in entibus per se subsistentibus, & ab alia re omnino independentibus: unde, dicunt, nullam formam, excepta rationali, esse capacem creationis, quia omnea producentibus dependenter à subjecto, sicut & omnes formæ accidentales, sive naturales, sive supernaturales; illæ quidem educuntur ex potentia naturali subjecti ab agente naturali; illæ ex potentia obedientiali subjecti: sic & compositum, quia est dependens à partibus, saltem prius natura existentibus: In quo modo sentiendi variant inter se multipliciter Authores hujus sententiæ.

2. Opinio opposita, est Seraph. Doct. qui cum sustineat, nullam substantiam quoad quidditatem, & essentiam posse à creatura produci: hæc enim solùm potest attingere productionem existentiæ completæ, ut fusè à nobis probatum est in Phis. *l. 2. & de generat.* &c. hinc sustinet, non solùm entia per se subsistentia, sed & omnes formas substantiales, & accidentales supernaturales posse, & de facto esse terminum proprium creationis. Pro solutione quæstionis, & intelligentia sententiæ seraphicæ.

10 Not. 1. Quod ad creationem, cum necessariò requiratur transitus rei ex puro nihilo ad totum esse rei, per consequens ab ipsius rei fieri, debet excludi quæcumque dependentia antecedens, & respiciens ipsius esse, ab aliqua re, vel causa creata, sive dependentia sumatur à termino, ex quo, quia debet esse purum nihil, sive ut, à quo, scilicet ab efficiente creato, quia totum debet dependere ab ipso creatore. Vnde si in termino creato aderit dependentia posterior, & consequens, ista non tollit creationis rationem. Ut autem id rectè intelligatur.

Not. 2. ex Seraph. D. *l. 1. d. 8. p. 2. a. 1. q. 2.* quod dependentia triplex in universum potest dari: prima dicitur, ex his. 2. ab his. 3. cum his. Prima est, qua compositum dependet ex partibus componentibus: secunda, qua causatum fit à causa: nempe efficiente, & conservante. 3. est qua una causa simul cum alia ordinatur ad tertium conficiendum, quo pacto materia dependet à forma, & vice versa, sed tamen in ordine ad conficiendum compositum. Ex istis dependentiis, prima tollit creationem, quotiescumque compositum fit ex partibus antecedentibus tempore, ut sunt composita, quæ continuè generantur: At quando partes non antecedunt, nisi prioritate naturæ, sed in eodem instanti, & ipsæ, & totum fit, ut evenit in anima rationali in sententia seraphica, quia non producitur, nec educitur compositum, vel forma de potentia subjecti, tunc non tollitur creatio. 2. dependentia ab agente creato tollit creationem. 3. verò, nequaquam, cum sit quid consequens ad positionem partium: nam respectus, quem involuit materia ad formam, est in ordine ad conficiendum compositum; & idem dicitur de forma, quia talis respectus non est in ordine ad entitatem materiæ, vel formæ, & si est ad ipsas est per ordinem ad constitutionem tertii: quæ doctrina est diligenter advertenda, ob æquivocationem, quæ fit in cognoscenda ratione creationis, quod & innuit Meldula *l. 2. sent. d. 2. n. 14.* dicens, quod subjectum inhæsionis, non repugnat creationi, sed subjectum circa quod exerceatur actio id enim convenit motui, mutationi propriæ, & agenti naturali, qui indiget materia, circa quam operetur.

11 Not. 3. quod id, quod est supra virtutem agentis naturalis, non potest habere esse, nisi ab aliquo agente supernaturali, & per creationem: cum enim nihil talis entis præexistat, à quo dependeat, sive ut, ex quo, sicut ut à quo, etiam si sit unde dependeat, ut cum quo, vel in ratione subjecti sustentantis, ut est gratia, habet necessariò esse per creationem, vel concreationem: per creationem fit, quod est per se subsistens; per concreationem, quod recipit esse, ut conjunctum, vel ut alteri coexistens: sicque dixerunt D. August. & S. Bonavent. omnes formas corporeas concretas fuisse in materia in principio mundi, involutasque in Seminario materiæ: sic etiam gratia, & aliæ formæ spirituales supernaturales à Deo creantur.

Not. 4. quod valdè differunt, rem fieri ex aliquo, & fieri in aliquo. primum tollit rationem creationis: secundùm, nequaquam: unde anima rationalis fit in corpore per creationem.

Not. 5. quod accidentia, alia sunt, quæ respi- 12
ciunt, & habent aliquid pro subjecto, & aliud pro causa: Alia sunt, quorum subjectum est simul tale, & causa ipsorum. Prima sunt, ut gratia Dei, lumen gloriæ, & corporale, species intentionales: gratia enim & lumen gloriæ sunt à Deo immediatè, & recipiuntur in anima, ut in subjecto; unde entitativè dependent à Deo immediatè, ut ab efficiente, subjectivè, & consequenter à subjecto, in quo: sic & lumen corporeum, effectivè est à corpore luminoso, & subjectivè in aëre. Species intentionales effectivè sunt ab objecto corporeo, & subjectivè in aëre, vel potentia animæ. In istis accidentibus supradictis, illa, quæ sunt supernaturalia, à Deo creantur, naturalia sunt effectivè à sua causa: Cætera accidentia educuntur per generationem, vel congenerationem, quia dependent à subjecto, ut à causa materiali, &c. Sic Seraph. Doct. *l. 2. d. 13. a. 3. q. 2. & d. 26. quæst. 3.*

Concl. 1. Materia prima simul cum aliqua for- 13
ma imperfecta, dante illi esse imperfectum, & simul cum omnibus formis corporalibus secundùm essentiam, fuit in principio mundi terminus proprius creationis divinæ. Est Seraph. Doct. *serm. 13. Hexam. & l. 2. d. 15. q. 1. & d. 17. quæst. 2. & 3. ad 5. & d. 7. p. 2. a. 2. q. 1. ad ult. & d. 8. a. 2. q. 2. & l. 4. d. 43. a. 1. q. 4. alisque pluribus locis:* Est & D. August. à S. Bon. citati, & expensi, aliorumque plurium, quos citavimus in Phis. *l. 2. q. 1.* de seminatio formarum, ex quo loco eruendæ sunt probationes hujus conclusionis.

Prob. 1. Essentiæ rerum non possunt produci ab agente naturali creato, ergo tantùm possunt habere esse per creationem. Prob. anteced. Agens naturale creatum, solùm potest producere effectum particularem, non universalem, & indeterminatum: sed essentiæ rerum, sunt universales, & indeterminatæ, ergo, &c. Respond. adversarii, ab agente naturali produci essentias in particulari, & in individuo: ideo negant antecedens, & probationem.

Contra. Essentia universalis, & individua, est una & eadem, individualitasque est realitas distincta per intellectum secundùm Thomistas; & formaliter secundùm Scotum, & Bonavent. nec potest esse terminus per se productionis phisicæ: sed agens naturale non potest in essentiam in communi, ergo nec in individuo, ergo essentia materiæ, & formarum solùm potest esse terminus creationis, cum non possit esse generationis.

Prob. 2. Inter agens creatum, & increatum, est hæc differentia, quod creatum supponit subjectum subjectivè concurrens ad effectum, ex quo educit formas: Increatum verò nullum subjectum præsupponit, ideoque ex nihilo totum producit: sed essentiæ formarum in sui eductione, nullum subjectum, ex quo causentur, supponunt, ergo tantùm educuntur, habentque esse per creationem. Min. probat. formæ naturales, quando educuntur ab agente naturali ex subjecto non sunt ex ipso, ut ex quo, vel ut ex parte sui, ergo vel sunt nihil, & hoc non, vel debent præsupponi concreatæ à Deo.

Ad has, & alias consimiles rationes, & probationes,

bationes, quas retulimus in 2. *Phis. q.* 2. respondent adversarii: Ideo formas, substantiales non esse terminum creationis, quia ad ipsarum esse concurrit dependentia ex materia, quæ tollit creationem: quæ responsio tamen, licèt sit communis Thomistarum, & Scotistarum, non evacuat vim nostrarum rationum, ex hoc, quod talis dependentia formæ à materia est quid consequens, & secundarium, & tantùm in ordine ad compositum: ipsa enim forma in se est quid absolutum entitativè, & essentialiter, ob idque independens à quacumque alia re, ut dictum est in 2. Not. & fusè à nobis dictum est in cit. loco Phil. ad quem remitto Lectorem.

Dices. Si formæ substantiales fuerunt concreatæ à Deo in materia, ergo agens naturale nihil facit in generatione. Respond. negand. consequent. tribuit enim esse existentiale completum formæ, & composito, cum præhaberet esse incompletum in materia: de quo vid. cit. loc. Phis. ubi solvuntur omnia objecta in contrarium.

14 Concl. 2. Omnes substantiæ, sive per se subsistentes, sive non, sive simplices, sive compositæ, possunt esse termini creationis. Est Seraph. Doct. ex supradictis contra assertores primæ sententiæ: Et probatur hoc unica ratione: quia omnia possunt transire de puro nihilo per veram actionem, ad esse suum naturale, ergo, &c. Nec obstat dependentia, quam Meldula cum aliis objicit, quia talis dependentia, ut dictum est, est quid consequens ad esse absolutum talium substantiarum, quod & advertit etiam Joan. à S. Thom. *q.* 44 *d.* 18. *a.* 3. *n.* 4. *& seq.* citans pro hac nostra opinione alios Thomistas.

Objicit Meldula. Compositum fit ex partibus, quæ prius natura intelliguntur, ergo ab ipsis dependet, ergo non fit ex nihilo. Respond. disting. anteced. Compositum quando fit procedendo à partibus ad totum, conflando illud ex conjunctione partium, concedo: iste enim est proprius modus agentium naturalium procedentium ex imperfecto ad perfectum, à potentia ad actum: E contra verò, quando actio procedit per influxum universalissimum agentis infiniti, attingendo ipsum totum primò, & ultimo, non partes, nisi ex consequenti: sic nego anteced. & consequentiam; tali enim pacto proceditur potius à toto ad partes: & in hoc sensu negatur anteced. & hinc consequentia: Primo enim modo sunt omnes generationes, mutationes, & erit resurrectio mortuorum: secundo modo fuit creatio mundi, Angelorum, materiæ cum sua forma, imperfecta, & talis est creatio animarum.

15 Concl. 3 Gratia, & habitus supernaturales verè creantur, seu potius concreantur. Est Seraph. D. *l.* 4. *d.* 1. *q.* 4. *&* 5. *l.* 2. *d.* 26. *q.* 4. & Breuil. *part.* 5 *c.* 1. Alens. & aliorum plurium contra Thomistas, Suar. Vasq. &c. Probat. Tum quia transeunt de puro nihilo: Tum quia à solo Deo possunt produci, quia ad ea non potest pertinere vis naturæ, ob idque nec subjecti, nisi subjectivè remotè, & secundariò: Tum quia dependentia, quam habent ad subjectum non est, ex quo, quia esset potentia naturalis in ipso subjecto: nec ut à quo, ut de se patet, sed est posterior talis dependentia, ergo sunt ex puro nihilo: Tum quia gratia annihilatur, ergo & creatur, unum quodque enim cedit in id, unde productum est: Tum quia gratia infunditur, non educitur; infundi enim est extra rationem subjecti produci, & ab extra in illud immitti, & influi; quæ conclusio etiam iterum probabitur in tract. de gratia.

Objic. 1. Forma quælibet accidentalis producitur dependenter à subjecto, ergo non creatur, 16 quia terminus creationis solùm est res, quæ ex puro nihilo fit sine dependentia creaturæ, vel subjecti concreantis, at omnia accidentia fiunt, vel educuntur ex subjecto cum dependentia ab ipso, tum in fieri, tum in conservari, ergo, &c. Resp. solutionem hujus objectionis, aliarumque consimilium tangentium hanc formarum dependentiam à subjecto, pendere ex intelligentia illius quæstionis Phisicæ: quid sit propriè educi de potentia materiæ, in qua Meldula in Phis. cum aliis dicit, quod fieri formæ, seu educi de potentia materiæ, est necessariò fieri, & esse in subjecto, & materia, ita ut, si detur aliqua forma, quæ fiat in materia non necessariò, & independenter ab ea, ut est anima rationalis, illa non dicitur educi de potentia materiæ, sed ab extra advenire rei. Seraph. verò Doct. sustinet educi, de potentia materiæ formam, est eam fieri per mutationem subjecti de privatione ad formam, ita ut subjectum concurrat ad talem effectionem, in ratione causæ materialis, influentis per modum sustentantis; & informantis. De qua materia *vid. l.* 2. *Phis q.* 2. *n.* 20. *seq.* Unde sequitur, quòd licèt Deus producat formam in subjecto, tamen quando istud subjectum non concurrit materialiter, vel formaliter, vel effectivè, ut fit in eductione formarum naturalium, tunc non tollitur creatio, etiamsi subjectum ad ipsas requiratur, scilicet, non ratione effectionis, sed facti, ob aptitudinem, quam habent ad esse in subjecto. Et hinc rectè Seraph. Doct. distinguit de accidentibus, quæ habent idem subjectum pro causa, & pro subjecto; & de illis, quæ habent aliud pro subjecto, & aliud pro causa: ista enim potius se habent, ut habitus in subjecto, non præcisè per modum inhæsionis, seu informationis accidentalis, sed per modum deferentis: Unde talia accidentia nullum subjectum materiale recognoscunt, ex quo educantur, sed tantùm originale activum, à quo producuntur; de quo actum est fusè à nobis de anima *tract.* 1. *q.* 5. Ex qua doctrina sequitur, ista accidentia uniri subjecto secundùm præsentiam tantùm non secundùm dependentiam, quia dependet in fieri, & conservari à suo principio originali, & ideo; cum corrumpuntur, cedunt omnino in nihil, dicunturque redire ad suum principium, quatenus ab eodem possunt similia produci: aliam responsionem affert huic argumento P. Gaudent. *q.* 16. *n.* 154. *& seq.* sed non solidam, nec ad mentem Seraph. Doct.

Objic. 2. Accidentis cujuscumque esse, est inhærere, ergo dependentia à subjecto est ei essentialis in esse, & in fieri, ergo, & gratiæ, aliorumque habituum supernaturalium productio est dependens à subjecto, in quo, & ex quo, ergo non creantur. Respond. ex doctrina supra allata Seraph. Doct. antecedens esse omnimodè verum, de accidentibus, quæ habent idem subjectum pro subjecto, & causa: ab ipso enim dependent in esse, in fieri, & in operari: non verò de accidentibus, quæ aliud pro subjecto, aliud pro causa producente, habent: Ista enim prius recipiunt esse ab efficiente, & creante, quam subjectum inhærentiæ, atque adeo productio non est formaliter idem cum inhæsione, ideoque sustentatio non includit, aut infert eductionem: licèt enim cum accidentibus materialiter conveniant, in hoc, quod

egeant ſuſtentari, & hoc datur eis, ut modo convenienti perficiant ſubjectum: Attamen cum talis dependentia in his accidentibus ſit quid poſterius eſſe ipſorum, quod eſſe eſt inattingibile à creatura, debeatque reddere ſubjectum Deiforme, ideò eſto, quod producantur in ſubjecto, non tamen poſſunt educi à ſubjecto: ſicque negatur utraque conſequentia argumenti. *Vide Seraph. Doct. l. 4. d. 1. part. 5. q. 3. fund. 3. & l. 2. d. 26. quæſt. 3. & 4.*

Inſtat Meldula. Inhæſio, & receptio formæ accidentalis in materia, importat dependentiam in conſervari, & etiam in fieri, & eſſe, ſed gratia recipitur in ſubjecto, ſubjectoque inhæret, ergo, &c. Reſpond. S. Bonavent. conc. majorem, de accidentibus dependentibus à ſubjecto, ut à cauſa, & ſubjecto: neg. de aliis accidentibus, quia eorum eſſe, & conſervari eſt ab altiori cauſa, &c. ut dictum eſt.

Inſtat iterum. Actus ſupernaturales educuntur, & producuntur à creatura, ergo & habitus: ſunt enim pares in ſupernaturalitate. Reſp. neg. conſeq. & paritatem: nam actus continentur in virtute agentis creati ſupernaturaliter elevati; non ſic habitus, qui à ſolo Deo infunduntur, ut ſentit Seraph. Doct. *l. 7. d. 6. q. 2. & ſeq. & l. 4. d. 1. q. 4. fund. 4.*

57 Concl. 4. Quatuor prima coæva ſimul creata ſunt in principio mundi: nempè Angeli, Empireum, materia prima, ſimul cum ſeminario formarum, & tempus. Eſt Seraph. Doct. *l. 2. d. 2. p. 1. a. 2. quæſt. 3. corp.* Eſtque communis omnium Theologorum, ſolúmque diſcrepant à nobis circa ſeminarium formarum, de quo ſatis actum eſt in Phiſ. *l. 2.*

Probat Seraph. Doct. hanc concluſionem duplici ratione: prima deſumitur ab eo, quod in rebus, iſta priora ſunt in omni genere: Angelus quidem in genere entium ſpiritualium: Empireum in genere corporum activorum: materia prima in genere ſubſtantiæ paſſivæ, & receptivæ, ob idque in eo ſeminarium formarum corporalium, & tempus in genere menſuræ. Secunda deſumitur ex diſtinctione, & ordine rerum: Ad hoc enim ut Angeli haberent diſtinctionem, & ordinem exiſtentiæ, exigebant locum continentem, & proportionatum, ergo ſimul cum ipſis factum eſt Empireum, ut ſupremum corpus, & capaciſſimum: ſecundò ad hoc, ut non eſſet vacuum, neceſſe fuit fieri materiam corpoream: & quia omnis productio eſt in aliqua menſura, ſicque ſimul tempus concreatum eſt: Intellige tamen hic tempus pro menſura communi ad ævum, & tempus proprium: ex quibus patet, quod ſubſtantia ſpiritualis, & corporea ſimul duratióne incæpit.

QVÆSTIO V.

De potentia creativa: An poſſit communicari creaturæ.

58 Quæſtio hæc eſt bipartita: nempè de virtute cauſæ principalis, & de inſtrumentaria. An ſcilicet poſſit creatura ita elevari ad tantam virtutem, ut poſſit, ut cauſa principalis creare: Et An dato, quod non, An ſaltem, ut cauſa inſtrumentalis ſimul cum Deo. Quoad primam partem, prima opinio eſt Durandi, Gabr. Malonii, Araghæ, aſſerentium poſſe communicari à Deo creaturæ talem virtutem, non ſolùm inſtrumentariam, ſed etiam principalem.

2. Opinio negativa eſt communis omnium aliorum, & præcipuè SS. PP. quibus ferè omnes Theologi adſtipulantur, qui tamen poſtea diſcrepant in aſſignandis rationibus talis negationis.

Quoad virtutem inſtrumentariam. Prima opinio eſt affirmativa: eſtque Magiſtri ſent. Hurtadi, pluriumque aliorum. 2. Opinio eſt negativa: eſtque Seraph. Doct. *lib. 5. d. 1. p. 5. q. 4. & l. 3. d. 40. dub. 3.* Divi Thomæ, ſequaciumque ferè omnium Scoti, & Scotiſtarum. Poteſt etiam excitari quæſtio de cauſa inſtrumentali non phiſica, ſed morali: ejuſque ſolutio dabitur in hac eadem quæſtione. Pro ſolutione.

Not. 1. quod ratio potiſſima implicantiæ, quæ affertur à Theologis, & Sanctis Patribus deſumpta eſt ex finitate virtutis creaturæ, & infinitate neceſſaria ad creationem: In quo tamen valdè laborant in inquirenda, & invenienda evidenti implicantia: nam aliqui dicunt talem implicantiam, ſolis auctoritatibus ſacræ Scripturæ, & Patrum inniti, ita Varro, Valent. aliique: Alii negant, probari ex ſacra Scriptura, ſed ſolùm auctoritatibus Sanctorum Patrum, & aliquarum rationum: ſic Vaſq. Alii, ut Scotiſtæ negant, rationes D. Thomæ eſſe efficaces: Alii, eaſdem cum Seraph. Doct. efficaces conclamant, quos infrà expendemus. Conveniunt tamen omnes ſectatores hujus ſententiæ communis ad creandum requiri virtutem infinitam, quod in probatione concluſionum expendetur.

Not. 2. quod major difficultas eſt circa virtutem inſtrumentariam: nam cauſa alia eſt principalis, alia inſtrumentalis. Prima producit effectum ſua virtute intrinſeca, ſecunda producit effectum dependenter à cauſa principali. Addunt Theologi aliud genus cauſæ, & dicitur moralis, & eſt illa, ad cujus poſitionem, alia cauſa ſuperior producit effectum, ut evenit in Sacramentis ad mentes Seraph. Doct. & Scoti, in quibus ad applicationem ſignorum ſacrorum, Deus producit gratiam: & de iſta etiam poteſt procedere quæſtio, & circa cauſam inſtrumentalem.

Not. 3. quod, ut in 2. lib. Phiſ. fusè traditum eſt à nobis, duplex eſt potentia obedientialis: alia paſſiva; alia activa: paſſiva eſt in quolibet ad quodlibet, & dicitur potentia ſecundùm quid à Seraph. Doct. *lib. 1. d. 39. art. 2. q. 3. & 4.* Sic ex coſta Adæ facta eſt Eva ſecundùm rationes cauſales ex *l. 2. d. 18 quæſt. 2.* Activa verò non eſt in quolibet ad quodlibet, ſed ad hoc ut poſſit elevari ad effectum excedentem proprias vires, exigit in agente creato aliquam virtutem inchoatam, & remotam ſaltem, quæ elevata à Deo poſſit attingere effectum, ad quem habeat ordinem intrinſecum. De qua materia. Vid. in noſtra Philoſophia *l. 2. Phiſ. tract. 3. q. 10. à num 435.* His poſitis, ſit. 59

Concl. 1. Virtus creativa non poteſt communicari creaturæ, ut cauſæ principali. Eſt Seraph. 60
Doct. infrà cit. & communis, ut dictum eſt. Prob. primò auctoritate ſacræ Scripturæ à Seraph. Doct. ad 1 Juan. ex illis verbis: *Deus erat Verbum, &c. Omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil, quod factum eſt:* ubi Seraph. Doct. addit illud Sap. cap. 3. *A magnitudine creatura*

mra cognoſcibiliter bonum Creator poteſt videri : Ex quo textu arguunt ſancti Patres efficaci argumento contra Arium docentem, filium Dei eſſe creaturam, nempe quia ipſe creavit omnia, ideo erat Deus, quod argumentum nihil valeret, ſi virtus creativa poſſet communicari creaturæ. Iſtis textibus Sacræ Scripturæ addunt ſancti Patres alios plures textus idem probantes, & eadem argumenta idem patentiſſimè probantia, quæ à P. Gaud. *q.6.*fusè expenduntur.

Prob.2 Ex Seraph Doct. *l.2.d.1.q.1.fund.3.& a.2 q.2.fund.3. & d.7 p.2 a.2.q 1.* Omne agens producere poteſt tantùm ſecundùm id, ſecundùm quod agit, ſed nullum agens poteſt creare, ſecundùm materiam agendo: cum hæc ſit imperfectiſſima, & paſſiva, non activa, deque pati, non agere, ideo ſolùm ſecundùm formam poteſt agere, ergo ſolùm in formam poteſt, quæ cum habeat eſſe connaturale in materia, ſitque materialis, non poteſt produci, quin in materia producatur, ſi eſt corporea forma, vel cum materia, ſi eſt anima rationalis, vel Angelus. Nota hic, quod hac eadem ratione utuntur Scotus, & Scotiſtæ ad excludendam virtutem creativam ſolùm à ſubſtantiis corporeis: ſed ad aures Seraph. Doct. qui recognoſcit materiam in anima rationali, & Angelo, inſervit ad excludendam quamcumque ſubſtantiam etiam ſpiritualem.

Prob. 3. Vis creativa non poteſt communicari ſubſtantiæ ſpirituali creatæ, ergo multo minus corporeæ: patet conſequentia, quia creatio eſt actio nobiliſſima, ergo, ſi eſt communicabilis, erit talis reſpectu creaturæ nobiliſſimæ, & perfectiſſimæ, qualis eſt Angelus, & anima rationalis: Prob. antec. Natura ſpiritualis non poteſt agere, vel creare per naturam, quia neceſſariò ageret, & agere per naturam, eſt agere in ſubjectum præſuppoſitum, & non ex nihilo, quia natura ſupponit creationem ſuppoſiti, ut docet Seraph. Doct. *l.2. d.7.p.2.a.2.q.2.* Sed proprium naturæ ſpiritualis eſt agere per intellectum, & voluntatem, id eſt per artem; ſed talis modus agendi ſupponit naturam, & rem completam, ergo non poteſt creare. Vid. ibid. Seraph Doct.

Prob.4. Ex doctrina Seraphica *l.2. d.1.p.2.a.1. q.1.* Potentia creativa habet pro objecto totam latitudinem entis univerſalis, quod ſolùm poteſt ex nihilo conſurgere: nullum enim ſubjectum ſupponit, vel potentialitatem in termino, à quo, nec partem, ideoque eſſe primum, & illimitatum, & univerſale eſt tale objectum; ſed talis latitudo importat totam univerſalitatem illimitatam, ergo ſoli agenti univerſali illimitato convenit, ergo ſoli Deo, quia ſolus Deus poteſt dare eſſe primum, creaturæ verò ſolùm ſecundùm partem, ut advertit Seraph. Doct. *d.7.ſupra cit. & d.1.p.1.q.1 fund.1. & p.2.q.1.fund.4.*

Prob.5. Ex eodem Seraph. Doct. cit. nempe ex finitate intrinſeca creaturæ, & infinita virtute in agente creante. In cauſis præciſis, & adæquatis alicujus effectus, ſicut affirmatio eſt cauſa affirmationis; ſic negatio eſt cauſa negationis, ex Ariſt. 1.Poſt. ſed cauſa prævia, & adæquata, cur agens creatum agit dependenter à ſubjecto, non eſt, niſi finitas, limitatio, & imperfectio ſuæ virtutis, ratione cujus nequit eminenter continere cauſalitatem ſubjecti, atque ideo ſolas formas poteſt producere, (ex prima ratione ſupra tradita) ergo cauſa præciſa, & adæquata, cur agens increatum independenter à ſubjecto agit, erit ſumma perfectio virtutis, per quam poſſit cauſalitatem ſubjecti ſupplere efficienter; quantò enim agens nobilius eſt, eò paucioribus indiget ad operandum, ergo agens infinitum ſolùm ſe ſolo poteſt omnia, & totum ens, ut optimè advertit Seraph. Doct. *d.1.q.1. fund 2.& 3.*

Contra inſurgit Arriaga, dicens, quod ſi Deus ſupplet concurſum ſubjecti, cum talis concurſus ſit finitus, ergo poterit ſuppleri virtute finita, ergo creatio non ſupponit virtutem infinitam, quatenus ſupplet concurſum ſubjecti. Reſp. tamen neg. omnem concurſum finitum poſſe ſuppleri per virtutem finitam, ut patet in concurſu ſubjecti ad ſuſtentationem accidentis, qui à ſolo Deo poteſt ſuppleri: ſic & conſervatio, & concurſus ad effectus naturales, effectus formalis ſubſiſtentiæ creatæ, &c. & licèt terminus hujus concurſus materialis, nempe forma producenda, ſit finitus, quoad modum tamen producendi, includit quandam infinitatem valentem ſuper totum ens.

Prob. 6. Dependentia creaturæ à Deo eſt ipſi eſſentialis; ergo implicat, creaturam eſſe, & non eſſe à Deo. Sic ex Seraph. Doct. *d.1 p.1.q.1.fund.4. & 5. & a.2.q 2.in fund. & a.3.q.2.*

Prob. 7. Inter ens & nihil eſt diſtantia infinita, ergo exigit virtutem infinitam iſte tranſitus ab extremo, ad extremum. Sic Seraph. Doct. *d 1.p.1, a.2.q.1.arg.ult. & a.3.q.1.fund.4. & l.1. d.20.q.2. fund.3.*

Reſp. Scotus, neg. iſtam diſtantiam infinitam, quia quando extrema ſunt immediata, tanta eſt diſtantia inter illa, quantus eſt exceſſus unius extremi ſuper alterum, ergo ens creatum conſurgit ſuper nihil quantum eſt proprium ens, quod eſt finitum. Tum quia, ut dicit Val. Vaſq. nihilum diſtat ab ente ſolùm deficiendo, & nihilum non plus deficit, quàm ens creatum ponat in re, &c. Sed.

Contra. Nihil, & aliquid habent diſtantiam infinitam, non ratione contradictionis, quia omnia contradictoria ſunt æqualia, ſed ex ratione ſubjicibilis, cum nihil habeant, in quo conveniant: nihil enim negat omnem rationem entis creabilis, quod eſt infinitum, ergo diſtantia adeſt infinita: Unde falſum eſt, tantùm diſtare nihil ab ente, quantum ponitur ens ſuper nihil: ſunt enim relativa, ideo diſtat ens à nihilo, quantum nihil diſtat ab ente, ſcilicet ſecundùm totam ſuam latitudinem, ob idque infinitè.

Dices. Creans aliquid ex nihilo, ponit ens determinatum, non verò ens in communi, ergo vera propoſitio, & objectio Scoti. Reſp. verum eſſe antec. ſed tamen in illo ente determinato involvitur ipſa ratio entis, ut ſic, reſpondentis ipſi nihilo, & ad ipſum relati. Vid. Ferchium de Ang. *tom.1. q.12.n.14.*

Concl.2. Non poteſt creatura aſſumi à Deo, ut 21
inſtrumentum creationis. Eſt Seraph. Doct *l.4.d.1. p 1.q.4 & l.3 d.40.dub.3.* Divi Thom. ſequac. Scot. &c. Prob. autem quia cauſa inſtrumentalis vel diſponit terminum principalis agentis, vel attingit activè minus principaliter ſuum terminum creationis: non quidem primum, quia in creatione nihil præcedit capax diſpoſitionis, cum ſit productio totius entis ex nihilo: nec ſecundum, quia ad elevationem potentiæ activæ obedientialis requiritur ſaltem virtus inchoata, proportionata ad talem effectum, quæ, ex præcedenti concluſione, abeſt à creatura: ſi enim eſſet iſta virtus, deberet eſſe independens, quod eſt impoſſibile.

Ob ic. 1. Potentia obedientialis eſt in quolibet ad quodlibet; ergo in creatura eſt ad creationem elevabilis: Antec. eſt Arriagæ, & aliorum pauco-

rum: & probatur, quia in creatura adest virtus activa. quæ convenit cum virtute creativa Dei, secundùm aliqua prædicata, saltem communia, ergo potest elevari, &c. Resp. ex his, quæ à nobis tradita sunt in Phisica *l.2.tract.3.q.10.n.454.* neg. antec. Ad probationem. Resp. non sufficere proportionem secundùm prædicata communia causarum activarum, sed requiritur proportio virtutis inchoatæ proximæ, & in eadem linea, quæ in nostro casu deficit, ob improportionem finiti ad infinitum.

Objic. 2. Beata Virgo concurrit ad opus incarnationis: sed id non minor virtus exigitur, quàm ad creationem, ergo, &c. Resp. B. Virginem concurrisse ad generationem humanitatis Christi propria virtute, sed elevata, quoad modum tantum: & sic negatur paritas, & min. Resp. secundò, probabilem quidem esse opinionem Theologorum, admittentium, B. Virginem propria virtute concurrisse ad generationem Verbi hominis; sed instrumentaliter etiam ad unionem hypostaticam, quod & nos in tertio admittimus: qua opinione stante, respondemus, talem attingentiam spectare etiam ad virtutem generativam, existentem in B. Virgine; ob idque negatur paritas, de virtute creativa.

Concl. 3. Potest admitti causalitas moralis in creatura, ad creationem: nulla enim implicantia apparet, quod ad positionem alicujus rei creatæ Deus creet, sicuti ad prolationem verborum consecrationis, fit transubstantiatio panis in Corpus Christi.

QUÆSTIO VI.

An creatio mundi de facto, vel de possibili fuerit ab æterno.

22 QUæstio hæc spectat ad terminum creationis, ejusque durationem, quæ à nobis fusè pertractata fuit in 2 p nostræ Philos. Seraph. tract. de mundo, & cælo: Unde remittentes ad ipsam lectorem, breviter, & compendiosè hic explicabitur. Sit igitur.

Conclusio 1. Mundus unicus factus est à Deo in tempore, sive ex tempore. Hæc conclusio est contra plures hæreticos, & gentiles, quorum aliqui posuerunt, plures mundos creatos esse; alii ab æterno à prima causa istum creatum: Est tamen de fide, unicum mundum factum fuisse in tempore.

Notâ autem, quod mundus dicitur series ordinata omnium rerum infra Deum; ob idque involuit unitatem, non quidem numerationem, vel specificam, vel genericam, sed tantùm ordinis numericam; qui ordo rectissimus à Deo collocatus, tribuit esse formale huic mundo.

Prob. prima pars ex sacra Scriptura Gen. *c.1.* In principio creavit Deus Cælum, & Terram, &c. & quia in sacra Scriptura creatio mundi traditur semper in numero singulari, eo quia continet iste mundus omnem possibilem perfectionem, ut satis cit. loc. in Philos. probatum est, ergo unicus mundus factus est.

Prob. 2. pars, scilicet quod factus sit in tempore, & non ab æterno: quia indicatur de fide in Gen. *c.1.* habuisse principium, scilicet temporis, ut definit Concli. Lateran. tum ex *c.17.* Joan. ubi Christus dixit: Clarifica me tu Pater claritate, quam habui, antequam mundus esset.

Concl. 2. Implicat contradictionem, mundum potuisse esse ab æterno. Est Seraph. Doct. *l.2.d.1.p.1. a.1 q.1. ad 5.& q.2. per totam, & a 3 q.1. & 2. & lib.1. d.13. q.1. ad 3. & d.44. a.1. q.4. corp. & Brevil. & Comp. Theol.* Est & Alb. magn. Henr. Mars. Contra plures oppositum sentientes, citatos à nobis in Philos.

Prob. primò ex Sanctis Patribus contra Arium: Verbum esse Deum ex hoc, quod habuit esse ab æterno: & D. August. arguit, omnia ex nihilo facta, ideóque esse æterna, sic 12. *de Civit. cap. 15.* Vide P. Gaud. *quæst.* 2. fusè, & solidè examinantem sensus Sanctorum Patrum.

Prob. 2. quia creatio est productio rei ex nihilo, 23 ergo supponit rei inchoationem post non esse: ly, enim ex nihilo, non solùm negat dependentiam à subjecto, sed etiam ordinem successionis, & durationis. Nec valet effugium adversariorum, dicentium, ly, ex nihilo, dicere tantùm ex nihilo subjecti, scilicet sine dependentia à subjecto, ut eveoit in generatione: vel talem ordinem non dicere prius, & posterius, nisi naturæ, non durationis; vel dicere ex nihilo sui: non valet, inquam; primò, quia ut suprà probavimus, dependentia formæ à subjecto non tollit creationem; secundò, quia si prioritas naturæ sufficeret, esset generatio, non creatio, quia prius natura subjectum habet privationem formæ; & in creatione, si prioritas esset naturæ simul in eodem instanti, esset nihil, & aliquid: tertiò, quia si intelligeretur ex nihilo sui, adhuc infertur nostra conclusio; cum nihilum sui, & esse ipsius termini sint correlativa, ergo nihil sui debet præcedere: quæ omnia fusè in cit. Philos. exposita, & probata inveniet Lector, & fusiùs apud Gaud.

Objic. 1. Datur productio ab æterno ab intra, ergo potest dari ab extra: relucet enim Dei potentia in utraque. Resp. neg. conseq. & paritatem: creatura enim importat novitatem essendi, ob idque inceptionem, quæ abest in productionibus ab intra.

Objic. 2. Non repugnat creaturæ æternitas à parte post, ergo nec à parte ante: non enim est major ratio, &c. Resp. neg. paritatem: nam æternitas à parte post, non est vera æternitas, nisi denominativè, cum in æternitate non detur ante, vel post.

Objic. 3. ex D. August. 21. *de Civit. c.12.* si pes fuisset ab æterno, ei semper subfuisset vestigium impressum in pulvere: & *6. de Trinit. c.1.* si ignis esset æternus, etiam splendor ejus esset æternus, sed creaturæ exeunt à Deo per modum vestigii, & splendoris, ergo, si Deus est æternus, & creaturæ possunt esse æternæ. Resp. conced. totum data illa conditione, quia dato uno impossibili, alia necessariò debent subsequi negatur tamen, creaturas exire à Deo tali modo, per modum vestigii pedis, & splendoris: ista enim exeunt per modum naturæ creaturæ liberè, &c.

Hinc concluditur, implicantiam æternitatis mundi non provenire ex parte Dei, sed ex parte creaturæ: quæ implicantia desumitur, tum ex eo, quod creatura facta est, ergo cum mutatione, & novitate essendi in aliquo primo instanti positivo, & determinato: tum quia daretur infinitum actu, nec aliquid ipsi posset additum: ratione creationis, quæ importat esse, post non esse.

DISPUTATIO

DISPVTATIO II.

De Angelis.

24 ANtequam verò ad propositum Scopon gressu accedamus immediatiori, nomen Angeli non prætereundum. Licèt n. ex Galeno in 4. de utilitate partium, Themistio in 1. de Anima *c.19.* non esse differendum de nominibus, sed de rerum conditionibus, admoniti simus: attamen ex Alberto magno *de caus. & process. univers. à caus. 1. l. 2. tract. 1. c. 9.* hoc intelligendum est, postquam ipsius rei jam veritatem habemus; sic. n. ait, nomina non sunt multum curanda, in ipsis. n. parva vis est, cum rei veritas est comprehensa; non sic autem ante comprehensionem, & rei cognitionem. Ex D.Bonav. *in 2.d.34 a.1.q.1. ad ult. in fine, & in lib. cui titulus est Principium Sacræ Scripturæ col. 2. in fine.* In omni inquisitione prius oportet intelligere quid est, quod per nomen dicitur, & quia est, & in 2. loco profert Philosophum qui *in 1. Poster. c.1.* has duas docet præcognitiones è Platone Magistro, in Cratyllo docente, nomen esse doctrinæ instrumentum; sicuti enim Grammaticus tenetur considerare nomina ad efformandam congruam orationem; Rhetor ornatam, & ad persuadendum aptam; multò magis Philosophus, ac Theologus non solùm considerare, sed præcognoscere debet, quid per nomen significetur, ad æquivocationes tollendas, cum sæpè idem nomen æquè plura significet, ad proprietatem, & formalitatem astruendam.

Hoc nomen ergo Angelus, non est nomen naturæ, sed officii, semper enim spiritus sunt, sed cum mittuntur Angeli vocantur, ita D. Bonav. *de Eccles. Hierarch. c.3.* proferens D. Dionysium *de cælestis Hierarch. c.9. & in serm. de Ang. serm. de sancto Michaele* repetit, Angelus est nomen officii, non naturæ, nam Angelus idem est, quod nuncius, (profert D. August. *t.3. l.5. de Gen.*) hæc ille, conformis Græcis, & Hebræis, sanctis Patribus, & Scholasticis Theologis; hinc idem S. Bonav. *l. de Eccles. Hierarch. p.1. per totum*, docet nomen Angeli pluribus adaptari, nempè Christo, Iusto, Apostolis, Sacerdotibus, &c. eò quia mittuntur, & assumuntur, ad aliquid nunciandum; Hæc est propria nominis Angeli Ethymologia: Verùm de Angelis in hoc sensu sumptis à nobis non tractatur hic & à Theologis, sed de Angelo translativè sumpto, ut significat creaturam spiritualem, & incorpoream, quam Arist. *& Phis. & 12. Metaph.* intelligentiam, & substantiam separatam vocat, & Plato aliquando Dæmonem, 1. Sapientem, dum de Angelis loquitur inferioribus, aliquando Deum, dum de superioribus, verba habet, appellat ita, Apulleius scripsit librum de Deo Socratis, i. de Angelo Socratis. Videte D. Augustinum 8. *de Civit. Dei cap. 13. & sequentibus, & lib. 9. cap. ult.* & Platonem *in Timæo, & in Cratyllo, & lib. 10. de legibus.* Hæc de Angeli nomine.

Ablata, per nominis declarationem omni æquivocatione, Angelorum existentia se se offert examinanda.

QUÆSTIO I.

Vtrum sint, sive existant Angeli.

25 TRia in hac quæstion. consideranda. P. sensus articuli 2. Conclusiones, ultimò, quæ in contrarium adducuntur, cum solutionibus. Circa primum, tria sic quæruntur, primò: An verè à parte rei existat aliqua substantia spiritualis, à corpore elongata, quæ appellatur Angeli nomine. 2. An sit de fide, talem substantiam dari. 3. An hæc veritas valeat demonstrari.

Quo ad 2. partem, sit prima conclusio, primo sensui respondens. Verè à parte rei substantia Angelica existit.

Hæc conclusio diversis congruentiis à Doctoribus Scholasticis probatur, sed omnes ex duplici eas colligunt fonte, ex perfectione universo debita, & ex declaratione perfectionis Dei opificis. Ita S. Bonav. hanc veritatem existentiæ Angelorum hîc *d 1. p 2. q. 2. a. 1.* & alibi ex utroque supradictorum capite probat. 2. *Breviloq. c.6.* ait principium hoc ipso quod primum, omnia de nihilo produxit, & ideò non tantùm propè nihil, sed etiam propè se, non tantùm substantiam, à se longinquam. 1. Naturam corpoream producere debuit; verùm etiam propinquam, & hæc est substantia intellectualis, & incorporea, hæc Sanctus, quasi dicat, nulla major difficultas est Deo producere spiritualem, quàm corporalem substantiam, cum utraque ex nihilo sit, ad ostendendam, ergo hanc operandi facilitatem, non solùm infinita, & imperfecta, sed etiam summa, & perfecta creare debuit.

Et serm. 3. de Angelis, pag. 395. ex perfectione universi, hoc probat dicens, exigit perfectio universi, ut sicut quædam natura, sive creatura est simul corporea, & spiritualis, quædam purè corporalis, ita esset quædam natura tantùm spiritualis; nam quarta esse non potuit, ut esset aliqua creatura, quæ neque corporalis esset, neque spiritualis; hæc S. Doct.

Prob. ex alio Fonte nempè ad declarandam divinam perfectionem *ex Centilog. in 3. p. sect. 9.* Decuit namque Deum sic producere res, ut essent ad manifestationem suæ potentiæ, in manifestationem suæ sapientiæ, & suæ divinæ bonitatis: at potentia apparuit in productione creaturarum summè distantium, & earundem conjunctione, ut patet ex natura humana, in qua corporeum, & incorporeum uniuntur; Bonitas apparuit in diffusione, & communicatione in alterum, ut non tantùm daret alii potentiam vivendi, & intelligendi, sed etiam potentiam se communicandi. Ita sapientia ex perfectione ordinis maximè manifestatur; ordo autem necessariò tria requirit. 1. Infimum, medium, & supremum; infimum fuit natura corporalis, medium natura ex utràque composita, ergo & supremum dari decuit, nempè naturam spiritualem. Hæc S.D. 2. Conclusio in ordine ad secundum sensum. De fide est, Angelos esse. Sic ex S. Bonav. hic *d. 1. a. 1. q. 2. in resp. ad 3. p. 1.* dicente contra fidem, & veritatem errant Sadducei, qui negant esse Spiritum. Pr. ex multis locis S. Scripturæ. *Ecce Angelus Domini apparuit in somnis Joseph, &c. Angeli eorum semper vident faciem Patris mei dd. qui facit Angelos suos Spiritus, & sæpè ac sæpius, & in cap. firmiter.* Definitur Deum creasse spiritualem substantiam. 1. Angelum. Prob. item ex Patribus D. Bern. *l. 5. de consideratione*, & D. August. *in Psal. 103.* dicentibus, esse Angelos novimus ex fide. 3. Conclusio in ordine ad tertium sensum. Similis varietas existentiæ Angelicæ demonstrari non potest. Pr. 1. auctoritate D. August. *lib meditat. cap. 27. §. 4.* ô res mira, omnique stupore dignissima. De Deo quidem omnium creatore, qui est incomprehensibilis, & ineffabilis, quam excelsa, & mirabilia nimis, omni remota ambiguitate, legimus, loquimur, & scribimus. De Angelis autem, & animabus, quicquid dicimus non tam evidenter approbare possumus. Pr. 2. Non potest demonstrari, neque à priori, neque à posteriori, ergo nullo modo.

Non à priori, nempè ex Angelica essentia, eò quia existentia non est de essentia Angeli; soli enim Deo hoc competit. Non à posteriori, quia nullus effectus est attributus Angelis, qui vel Deo, vel alicui causæ creatæ attribui non possit. Pro ultima parte hujus articuli ad sunt argumenta in contrarium solvenda.

Contra Angeli existentiam primum argumentum. Inter finitum, & infinitum, non est medium; intellectus divinus est infinitus humanus est finitus, ergo non datur medius intellectus, hoc est Angelicus. 2. Inter contradictoria non est medium, sed habere intellectum cum sensu, & non habere, cum sensu, sunt contradictoria, ergo medium non habent. Intellectus autem humanus est cum sensu, divinus non cum sensu, ergo alius intellectus non erit.

Respondetur ad utrumque, concessis majoribus, non dari tertium distinctum ab utroque membrorum dividentium, tertium autem contentum sub dividentibus datur, ut sub finito continetur Angelicus, & humanus, sub intellectu separato à sensu, divinus & Angelicus. Ex Alexse tria habemus argumenta. 1. Non habet Angelus ordinem in universo, ergo non datur; non est enim supra hominem, non infra, non in eodem loco, ergo non habet ordinem, non supra, quia ex D. August. inter Deum, & animam humanam, non datur medium, at si esset supra hominem esset medius, ergo: non infrà, nec in eodem loco, eò quia est nobilioris naturæ humana natura, & nobiliori nobilior locus debetur, ergo. Respondetur ad hoc argumentum. Eundem Angelum ratione diversorum posse dici superiorem, inferiorem, parem homini, cum homo quodammodo sit omnium rerum finis. Primò Angelus dicitur inferior homine, quia ad hominem quodammodo ordinatus. 2. Ratione divinæ imaginis, puta memoriæ, intellectus, & voluntatis esse parem cum homine. 3. Ratione actus intellectus, esse homine superiorem, quia habet simpliciorem modum intelligendi, quàm homo: Ex Seraph. Doct. hic *d. 1. p. 2. a. 2. q. 2. ad 1.* clariùs Resp. negando antecedens, & ad probationem. Resp. Angelum esse superiorem; & pro auctoritate D. August. lib. de Trinitate, *cap. 15. & lib. 83. 99.* Resp. non dari medium secundùm causalitatem influentiæ, nam Deus immediatè in animam influit, ut non negari medium secundùm dignitatem naturæ, quod est Angelus.

2. Arg. Si Angeli darentur, esset administrandum homini, ut ait D. Paulus ad Hebr. Omnes sunt administratorii spiritus in ministerium missi propter eos, qui hæreditatem capiunt salutis; sed ratione ministerii eis competeret locus infra hominem, qui tamen eis non competit, ergo.

Resp. benè ex D. Paulo, &c. at per hoc ministerium non esse inferiores, non enim in homine residet aliqua dominatio respectu Angeli, sed ministrant homini propter Deum, & sic superiores simpliciter hominibus.

S. Bonav. ubi supra ad ultimum: Angeli ministrant homini, ergo & inferiores; negatur consequentia, ministrare enim alicui stat dupliciter, vel per se, uti Regi propter se, ministrant servi, vel aulici, quia est talis dignitatis, cui debetur ministerium, & ei ministrare, arguit inferioritatem in ministrante. Ministrare alicui propter aliud, uti miles ministrat Garzioni Regis, non enim propter servum, aut aliquid dignitatis in eo inhærentis, sed propter Regem, & sic servit Regi, & tale ministerium non arguit inferioritatem in ministrante respectu servi, sed Regis.

Unde idem Seraph. *serm. 1. de Angel. pag. 344.* de hoc ministerio tractans ait, hoc est ex dispensatione divina, & esse officium charitatis, & *serm 3. ibid.* ait, notatur mentis Angelicæ humilitas, & charitas, non compelluntur, sed voluntariè obsequuntur divina reverentia, & fraterna charitate devicti. Et *serm. 21 in Hexam. pag. 66. col. 2 in fine*, sicut homini stellæ serviunt omnes, sic homini serviunt Angeli, secundùm quod immittunt mirabiles illustrationes; unde peccator reprehendendus est, qui negligit ista, & adjutoria ejus. Lege sanctus.

3. Argumentum. Causa per se sufficiens, non alio indiget, ad suas operationes, Deus est hujusmodi, respectu hominis, ergo Angelo non indiget, ad hominem gubernandum. Respond. non propter indigentiam Dei, sed hominis majorem utilitatem, mundi perfectionem, & ab alias in superioribus adductas rationes, &c. esse creatos Angelos.

Contra 3. Conclusionem est S. Thom. 2. contra gent. cap. 46. Ferrar. ibidem Caiet. Bannes. &

& Nazarius, ex moderniotibus p.1.q.50.a.1. contendunt hi, non solùm experientia, sed etiam ratione naturali,exist.n iam Angeli,demonstrari posse; rationes autem sunt, quæ in superioribus allatæ sunt, has enim putant sufficienter demonstrare.

Arguunt ergo Ordo universi postulat, ut in eo inveniantur Creaturæ, quæ assimilentur Deo, secundùm modum, quo universum causat; at modus quo causat universum, est per intellectum, ergo reperiuntur Creaturæ intellectuales, in modo 1 Probatur major, quia ad perfectionem universi requiritur, quod in eo sint Creaturæ, quæ assimilentur Deo, perfectiori modo, quo possibile sit, sed talis assimilatio, est in intellectu, si assimilentur ei in modo operandi, ergo Angeli sunt, idest Creaturæ purè intellectuales.

At R. totum concedendo, excepta ultima conclusione, ergo sunt creaturæ purè intellectuales, debet enim concludi, ergo sunt creaturæ intellectuales, quæ habent operationes independentes à corpore secundùm se, licèt non pro hoc statu, in quoad Deum tendunt per intellectum, & voluntatem, uti sunt animæ nostræ: ad perfectionem enim universi sufficit, ut habeat gradum intellectivum, sub esse imperfecto, & inchoativè, & perfectio ejusdem Deo reservatur. Item, si haberet mundus omnem sibi possibilem perfectionem, perfectior non posset fieri à Deo, quod falsum est.

Arguunt 2. A causa perfecta, summè bona, & potentissima, non impedibili, nonnisi perfectus effectus debuit provenire; at Deus est talis, ergo pura intellectualis creatura debuit procedere, ut mundus Dei effectus esset perfectus. R. majorem esse veram, si talis causa sit necessaria ab extra, non libera; at Deus est libera causa, ergo debuit creare mundum, secundùm rationem suæ divinæ voluntatis; omnia enim quæcumque voluit fecit. Item ad majorem, à causa tali univoca, ejusdem speciei, cum effectu, exit effectus ejusdem perfectionis cum ea; at Deus est causa æquivoca mundi, ergo mundus inferioris est perfectionis;sol enim solem non generat. Hinc causa æquivoca recum.

Arguit Suarez in metaph. *disp.*35.*sect.*1. *num.*3. & 4. non repugnare talem gradum esse, nec ex parte Dei, quia infinitæ virtutis, nec ex parte rei; pure enim intelligibile, non repugnat limitationi creaturæ, ergo. Resp. ex non repugnantia desumi possibilitatem, non factum. Tandem arguunt,hoc esse demonstratum, à posteriori ab Arist. 12. *Metaph.* & 8. *Phi.* ex cœli motu, ab Angelis causato Resp. non certò constare: an cœli sint animati, & sic; an à seipsis moveantur, vel à Deo immediatè.

Arguunt eandem de hominibus arreptitiis, in quibus videmus hominem, seu mulierem loqui græcè, &c. & alia mirabilia efficere, ultra vires obsessi, signum ergo manifestum est, phantasiam, & linguam moveri ab aliquo Spiritu superiori, qui non potest esse nisi bonus Angelus, vel malus. At resp. hos effectus fieri posse ab anima, à Deo mota, vel influente habitus Prophetiæ linguarum, ut habemus in Saul, &c. unde non arguunt necessariò Angelicam existentiam.

Existunt ergo Angeli, idest substantiæ finitæ spirituales, intellectuales, quæ Angeli nomine appellantur, de quibus quatuor videnda. Primum, Quæ pertinent ad eorum substantiam. 2. Quæ pertinent ad eorum intellectum. 3. Quæ pertinent ad eorum voluntatem. 4. Quæ pertinent ad eorum productionem. De Angelica substantia duo consideranda veniunt. Primum. Substantia Angeli secundùm se. 2. Eadem substantia, in ordine ad corporalia.

De Angelica substantia secundùm se sumpta, sex sunt quæstiones. Prima. An Angelus sit omninò corporeus. 2. An sit compositus, ex materia & forma. 3. An Angeli differant tantùm numero. 4. An Angeli differant etiam specie inter se. 5. An Angeli sint incorruptibiles. 6. An rectè diffiniatur à D.Damasceno, ac Dionysio,&c. 7. An Angelus sit omninò incorporeus; vel ex S. Bon. An Angeli habeant corpora sibi naturaliter unita.*d.*8.*q.*1.

QUÆSTIO II.

An Angelus sit corporeus?

Vide text. circa quem nota pro titulo, esse quæstionem de Angelis, tam bonis, quam malis, ut patet in corpore, hinc dicitur utrum Angeli absolutè, &c. N. 2. solutionem, excedere titulum, unum enim promittit,& duo tradit,quod sæpè invenies, apud S. D. solitum tradere, ultra promissum. N. 3. solutionem Seraphicam, respondere titulo sancti Thomæ in summa q.50. dum quærit utrum Angeli sint omninò incorporei. N. ly, omninò. R. sanctus Bonav. probans nec naturaliter, nec inseparabiliter habere quomodo proponitur à D. Thom. in Magist. & ad Hanebaldum hic *d.*8.*q.*1. 27

N. 4. Falsum dicere Faventinum hîc, dum ait: Omnes ferè scholastici Doctores hanc omittunt quæstionem,solus D.Thomas illam examinat,falsò inquam, hoc asseritur à tanto Doctore, nam uno dempto,ex veteribus Scoto,cæteri Classici Doctores eam tractant, ut patet apud Alens. 2 *p.q.* 14. & *t.*1. Richard. Sic *d.*8. Albert. & Seraph. Doct. Nec verum est, quod ipsemet subjungit Faventinus, hæc duo coincidere,corporeum,& materiale, unde dum probat Scotus, immaterialitatem etiam probatam remanere incorporeitatem falsò enim asserente, hæc duo coincidere, cum materia de se non sit quanta ex Arist. ex Scoto *d.*12. *q.*1. *q.*2. respondeo ad quæstionem, & Angeli, & si materiales, non tamen corporei, ut in sequentibus videbimus.

Circa corpus quæstionis,cum possint plura examinari. 1. An ex natura sua sint corporei. 2. An saltem alligata habeant corpora. 3. An hoc sit dubium, & incertum, 4. An certum sit, & qua certitudine, omnibus respondet, quatuor conclusionibus.

Concl. 1. respondens titulo,& titulum declarans, est. Angeli nec boni,nec mali sunt naturaliter corporei. Prob.1. auctoritatibus,& rationibus. Auctoritates sunt duæ, Damascen. & Dionysii, vide ibi, quibus addi possunt Justinus martyr,Grisost.Greg. Nissen. & magnus Nazian & alii quos videre poteris apud Modernos. Prob. tribus rationibus,quarum duæ sunt illæ, quibus existentia Angeli, supra probata est. 3. ex immortalitate,& incorruptibilitate malorum Angelorum sic. Si corporeus Angelus, ergo mortalis, & corruptibilis. Consecutio falsa, ergo & id ex quo sequitur. Prob. deductio antecedentis: Homo peccans in mortem decidit,quia corporeus, at Angelus malus peccavit.ergo in pœnam, si corporeus fuisset, morti. & corruptibilitati damnatus esset.Fundatur ratio ex parte subjecti,eò quia mors supponit mortalitatem, & corruptibili- 28

tatem, at immortale, & incorruptibile est quod corpore caret. Ex parte Dei fundatur in indifferentia Dei, si enim, & homo, & Angelus peccarunt, & ambo corporei, ergo vel neuter, vel ambo amari debent, ne Deus dicatur acceptator personarum. Adde, si gravius Lucifer, quam homo deliquit, quare plectitur homo, non Angelus mortis pœna: immortalis ergo, & incorruptibilis Angelus peccans, quia incorporeus.

Concl. 2. Nec boni, nec mali Angeli, habent corpora inseparabiliter unita. Nota differentiam inter naturaliter, & inseparabiliter. Naturaliter dicitur, quod ex sui natura, & constitutione debetur, ut homini corpus naturaliter debetur, ut sit homo; Angelus enim sine corpore, est Angelus, ergo non habet naturaliter corpus, idest non est corpus, de constitutione Angeli; ait enim S. Bonaventura in corpore pro eodem, Angeli non habent naturaliter unita corpora, & sunt naturaliter incorporei; inseparabiliter autem, non arguit semper constitutionem ex eo, multi enim defectus sunt, in homine, & ab eo naturaliter inseparabiles, & tamen non de constitutione, licèt à natura homini, hi sint, & à naturali habeat origine tales defectus; unde bene infertur, quod naturaliter inest, idest de constitutione, omninò est inseparabile, ita ut sine eo non existat constitutum, nec etiam per divinam potentiam; ut patet in homine, &c. at non è converso, quod inseparabiliter adest, hoc naturaliter inest, in sensu, quem innuimus, ut sumit sanctus Doctor. Non solùm, ait, in conclusione, carent corporibus constituentibus, sed etiam carens inseparabilibus, non constituentibus.

Dupliciter. Prob. 1. à signo, de obsessis. Clarus est text. in corpore. 2. per interemptionem contrariæ rationis, hæc enim erat. Pœna materialis dari non potest in corporeo naturaliter, vel saltem inseparabiliter; at Angeli mali, pœna materiali torquentur, puta ab igne materiali, ergo corpori saltem alligati; talis ratio fundatur in maxima verissima, quod materiale non agit in spirituale, quæ naturaliter, & de lege communi vera est; at per divinam potentiam de speciali lege falsa, ut hic patet, absque enim corpore secundùm ordinem divinæ justitiæ potest ab igne materiali puniri Angelus, ait S. Bon. hinc negatur major absolutè considerata, per divinam potentiam, hinc falsa consequentia, ex malo intellectu, & insufficientia majoris.

Concl. 3. Non est amplius dubium, sed certitudinaliter, Angeli tàm boni, quàm mali, carent corpore, naturaliter unito, sive sunt naturaliter incorporei. In princip. corporis quæstionis. Vide hîc, & observa; de conclusione hac, dubitaverunt aliqui; at modo nulli dubitant: at de corpore inseparabiliter unito, adhuc durat dubitatio, dubitant, ait, & non de omnibus Angelis, sed tantùm dubium durat circa Angelos malos, ut valeant torqueri: Adverte insuper circa hanc conclusionem, in textu Germaniæ, seu Maguntiæ impresso, esse tunc pro nunc, ait enim, aliquando Magni Doctores dubitarunt, sed nunc, addit, satis certitudinaliter, &c. patet nunc debere poni.

Concl. 4. Angelos esse incorporeos, non est de fide, ait enim Seraphicus in corpore circa finem, satis probabiliter dici potest, non solùm non habere corpora, sibi naturaliter unita, &c. ait hoc esse probabile. Adverte dum subjungit (quantum est de lege communi) intelligenda est hæc restrictio, de corporibus inseparabiliter unitis non autem de naturaliter unitis, absolutè enim, sunt incorporei. Posset probari, quia nec locus apertus sacræ Scripturæ, nec Concilii determinatio, adest, horum incorporeitatis. Pro argumentis, & responsionibus nota benè, quod sicuti quinque fuerunt probationes, ita totidem sunt argumenta, quorum tria ab auctoritate, cætera à ratione desumit.

Duæ autem auctoritates sunt. Prima. D. Aug. *de Civitate Dei*, vocantis Dæmones, Animalia corporea ex aere. 2. D. Gregorii, vocantis Angelum bonum, Animal. Primum ergo argumentum: Omne Animal habet, &c. ly. Vide. At Angeli boni, & mali ex August. & Gregor. sunt animal, ergo. Resp. Seraphicus hic, ad minorem: Augustinum secundum Apulei, vel Platonicorum sensum, locutum ex D. Thom. Alens. Richard. Addit Seraphicus, regulam generalem circa materia Angelorum nos non debere desumere doctrinam ex D. August. *de Civit. Dei*, quia ibi, plus loquitur, secundùm aliorum sententiam, quam secundùm propriam.

Ad argumentum de animali, distinguit majorem, veram de animali secundùm veritatem, nempè habente formam animaleitatis, informantem corpus, &c. non autem de animali, secundùm apparentiam, & secundùm operationem competentem, proprio animali; hinc ad minorem, Angeli dicuntur animalia, non quia verè sint, sed quia apparent, dum corpus assumunt, & in illo corpore operantur opera, quæ solent operari vera animalia, puta, moventur, comedunt, loquuntur, &c. Hinc falsa conclusio, quia deducta ex falso intellectu majoris. 3. Auctoritas est D. Bernardi: Omnis Spiritus creatus indiget corporeo solatio, ex D. Bern. Angelus est hujusmodi, ergo. Resp. distinguendo majorem, ly, *indiget*, si propter se, ut propria valeat obire munera, & sic est indigentia intrinseca, & propria ipsius Spiritus, talis est indigentia, quam habent spiritus brutalis, & humanus, & sic talis spiritus est naturaliter corporeus; aut indigentia, est propter alios, & talis extrinseca indigentia non arguit corpus naturaliter unitum ipsi spiritui, sed ad tempus assumptum: at ad minorem Angelus, &c. si de propria indigentia, &c. nego; si de secunda, concedo; hinc vel falsa consecutio, vel nihil concludit contra nos, quam responsionem ex eodem Bernardo confirmat. Eodem modo. Resp. Alens. ibidem tom. 2. ex D. Thom. *q.* 15.

Cum autem dicat S. Bon. indigere corpore, ut aliis ministrent declarat ex Alensi non indigere, ad hoc ut custodiant, ut pugnent, ut illuminent, purgent, &c. sed in ordine ad sensum, puta, visus, auditus, &c. ut à nobis videantur, nobis loquantur, nobiscum comedant, ut in Angelo Tobiæ, & in Angelis Abraham, Loth, &c.

Duo argumenta ex ratione deducta sunt ex Angelica nobilitate. Arguitur 4. quantò substantia est nobilior, tantò est multiplicior in potentiis, Angelus est anima nobilior, ergo, &c. At anima vivificat corpus, ergo & Angelus. Resp. ad majorem distinguendo, ly, *de potentiis*, quæ simpliciter dicunt perfectionem, sine admixtione imperfectionis, & sic vera: si autem talis potentia, dicat perfectionem, cum admixtione imperfectionis, puta indigentiæ informationis; falsa major, tunc ad minorem. Resp. facilè ipsam admittendo, Angelum scilicet esse anima nobiliorem, est enim substantia perfectissima inter creaturas, & hinc verissima conclusio, si de potentiis scilicet dicentibus simpliciter perfectionem intelligatur: At dum subjungit, vivificare, &c. R. hanc perfectionem, esse de secundo genere perfectionum, cujus carentia, arguit nobilitatem, hinc falsa ultima concl.

A. guitur 5.

Arguitur 5. Influens vitam, & habens vitam nobilior est habenti tantùm: At Anima & influit, & habet, secus Angelus, qui solam habet vitam ergo nobilior illa, Angelu, sed hoc falsum, ergo influit in corpus, quod habet. R. ad majorem distinguendo: si de influente, per modum efficientis intelligitur, & sic conceditur: si per modum informantis, & sic negatur; tunc ad minorem. Anima influit per modum informantis, secus Angelus, & hinc negatur conclusio. Nota vivificare per modum efficientis, soli competere Deo, sic & D. Thom. in Magist. in præsenti quæstione in fine; hæc pro expositione text. Seraphici.

QVÆSTIO III.

Expenditur fundamentaliter incorporeitas Angeli.

30 EXplicato textu, duo occurrunt, ad extra opponenda, vel examinanda. 1. An recipiatur sancti Doctoris sententia, de incorporeitate Angelorum 2. An verum sit, talem veritatem, non esse de fide, uti idem sanctus testatur. Circa primum non defuerunt, & Philosophi, & Patres (imò & aliquis ex scholasticis profertur) asserentes Angelos corporeos: S. Thomas in scripto ad Hanibaldum d. 8. profert Avicennam dedisse Angelis cœlestia corpora, cum quo sunt Philosophi asserentes animatos cœlos, intelligentiis motricibus. 1. Angelis, qui quidem licèt errarint in positione, tamen data hypothesi corporum, perfectioni Angelorum aliud quam cœleste corpus eis non congruebat, ut innuit idem D. Thom. super Magistrum d.8. Alii aerea eis dedere corpora, ut Platonici, & præcipue Dæmonibus. Quidam etiam ex Patribus non defuerunt, Augustinum in Enchirid. profert. D. Thom. cum Avicenna, & in scripta super Magistrum, & alibi, multoties; ita & D. Bonav. ut patet in tex. Dionysius Greg. & alii plures apud moderniores Theologos.

Ex Theologis quidam proferunt Caiet. in Gen. *c.4.& ad Ephes.* 2. Et quod majus est, scriptura, & Concilia exhibent. Scripturæ locus est *Gen.*6. ubi dicitur, *videntes filii Dei filias hominum acceperunt* sibi in uxores, & genuerunt, quem locum septuaginta interpretes, pro ly filios Dei, Angelos legunt: At cum generatio requirat vegetativum corpus, & sensitivum, ergo, &c. Et licèt Angeli valeant, etiam si non corporei sint, per assumpta corpora quoquomodo generare, ut patet de incubis, & succubis, tamen cum in scriptura de generatione propriè dicta sit sermo, nec Angeli boni, tales ut filii Dei dignè valeant appellari actionem peccaminosam facere possint: (Absit enim quod talibus vilibus bonus Angelus se immisceat, ait Scot. *d.*8 2. circa resp. ad arg.) hinc generatio de qua scriptura tractat supponit necessariò in generante corpus naturaliter unitum, & vivificatum: at aer, & simplicia corpora non sunt vivificabilia ut ait D. Thom. ubi supra ad Hanibaldum, & innuit Scot. *d.*8 2. in medio, & addit neque corpora imperfectè mixta, ergo. Concilium, quo probant hoc idem, est Nicænum 2. asserens pingendos esse Angelos, utpotè corporeos.

Rationes sunt ut infra. 1. à motu, quam profert etiam D Thom in summa ex Arist Nihil movetur nisi corpus: Angeli semper mobiles sunt ex Damasceno, ergo corporei, & licèt Damascenus, ut advertit S. Thom. loquatur de intellectuali motu, nempe quod Angeli semper in actu exercito intelligunt, & Arist. de motu locali, & sic lateat æquivocatio, (non licet enim argumentari movetur intellectualiter, ergo localiter:) attamen adhuc viget Argumentum: Nihil movetur localiter nisi corpus ex Arist. 8. Phys. At Angeli, ut patet; moventur localiter, de loco, ad locum, ergo corporei. 2. ratio; Venereis quis non potest delectari, nisi corporeus sit: At Angeli mali delectantur venereis, ut in succubis, &c. ergo. 3. ratio, ex perfectione universi: requiritur omnis in universo gradus possibilis, sed datur in universo substantia corporea, & substantia intellectualis mixta, ex corpore, & anima intellectiva, quæ est etiam sensitiva, & vegetativa, ergo debet dari creatura composita ex parte corporea, & intellectiva abstracta a vegetativa, & sensitiva.

His tamen non obstantibus, verissima est D. Bonav. S. Thom. Scot. Alens. & omnium Theologorum doctrina Angelos esse incorporeos, unde Pr. (quicquid sit de Philosophis) ad Patres, vel de assumptis corporibus fuisse locutos, vel dubitasse, ut ait Sanctus Bonav. & D. Thom. vel secundùm mentem Platonicorum locutos, & præcipuè D. Augustinum ex Sancto Bonav. & D. Thom. & ex verbis ipsiusmet Doctoris: Aut comparativè locutos, ut patet in Damasc. ex verbis ipsius, quæ profert D. Thom. *q.*16 *a.*1. *ad arg.* Nec verum est quod docet præcipuus Theologus, D. Dionysium sensisse cum Platone Dæmones esse corporeos, non tamen bonos Angelos c. 1. *n.*4. de divinis nominibus, ubi probat corpus non esse causam omnis peccati; quia dæmones incorporei peccaverunt, & numquam in naturalibus distinxit malos à bonis, cum communi sensu Patrum, & Theologorum, cum ergo bonos incorporeos dicat, ergo & malos. S. Bernardus in Cant. hom. 5. profert se nescire, an Angelis ita sint propria corpora, atque hominibus, an ad opus tantum aliquod exequendum assumant, quoniam Patrum de hac re differentes sunt sententiæ, sed & nostris profectibus non multum conferre aliquam horum notitiam. 31

Ad Argumentum. Ex Sacra Scriptura variæ afferuntur responsiones; non tamen recipiendus Chrysost. hom. 32. in Gen. dicens Nomen filiorum Dei in scriptura non solere usurpari pro Angelis, quia, inquit, ad hebræos c. 1. dicitur. Cui aliquando Angelorum dixit, Filius meus es tu, contrarium enim habemus apud Job. 1. Cum venissent Filii Dei; ut assisterent coram Domino, & Job 38. Ipse Dominus ait, Job, ubi eras cum me laudarent astra matutina, & jubilarent omnes Filii Dei? ubi ait hic Seraphicus noster *d.*8. a 1. *dub. text.* de Angelis bonis intelligi textum, sic & Magister sent. ibi, qui profert Bedam dicentem, Astra matutina, & Filios Dei eosdem Angelos vocat: nec videntur illæ auctoritates aliam posse pati expositionem, nec obstat D. Paulus, qui de Filio Dei conaturali loquitur; si enim quilibet homo potest dici per creationem, ac per adoptionem Filius Dei, & de facto dicitur, quare non Angeli?

Resp. ergo alios pro Filiis Dei intelligere præpotentes Tyrannos ex Chaldæa paraphrasi, & Symmacho, vertentibus Filii Potentum. alii ex verbo Hebræo Elohim, quod in plurali Judices sonat, verti posse inquiunt Filii Judicum dominantium, & judicantium Israëli: at hi non solvunt lectionem septuaginta interpretum à multis acceptatam Patribus; unde ea admissa expeditior responsio

 est,

est, ex S. Bonav. supra, ubi de nomine Angeli, inquit, hoc nomen varia significare, sic enim non significat substantias intellectuales, &c. sed homines Dei, & ejus legis cultores Hebræos Populum Dei electum, vel filios Seth, & Enuos; sicut filii hominum vocantur descendentes à Caim, vel gentiles, erat autem interdictum Hebræis, ne alienigenis copularentur. Totum ergo conceditur Argumentum, at non probè colligitur, ergo Angeli, de quibus est modo sermo, sunt corporei, propter æquivocationem in nomine multiplicis significationis latentem, ea autem scriptura de Angelis nuncupativè dictis loquitur, & argumentum concludit de substantiis intellectualibus, quæ secundùm sensum communem apud Theologos propriè dicuntur Angeli.

Ad Nicæn. Concil. Respond. approbasse dictum Concilium sententiam Joannis Episcopi Thessalonicensis, nempe pingendos Angelos; at non rationem: puta, quia sint corporei. communius responsio: At non existimo, Joannem sensisse verè, esse corporeos, hinc credo, neutrum reprobasse Concilium, sed utrumque approbasse; ait enim Joannes; in forma hominis pinguntur, quia in ea, & proprio corpore visi sunt, idest quia apparuerunt in corporibus assumptis; appellantur autem corpora propria, non quia unita naturaliter, sed quia ab ipsis compacta, & assumpta, ergo non quia corporei, sed quia in corporibus apparuere pingendi sunt, quam approbat Oregius hîc.

Ad Arg. de motu neganda illa major uti falsissima, aperto enim ore negandus Aristoteles, ubi veritatem non attingit, per argumenta enim Aristotelis nimis amati impugnata fuit doctrina Christi, ait Seraphicus noster, in Libro cui inscribitur, Luminaria Ecclesiæ, *serm. 1 col. 2. circa finem*, Angelus enim per propriam motivam virtutem localem, sine corpore movetur, & est in loco, non tamen circumscriptivè, licèt enim D. Ambrosius dicat apud D. Thom. in Summa, omnem creaturam circumscriptam certis suæ naturæ limitibus; loquitur tamen, ut idem ait, referente D. Thoma, non de corporum circumscriptione, sed naturarum, quia finitæ.

Ad 2. rationem negatur minor; ad delectationem enim talem requiritur pars sensitiva, qua carent.

Ad ultimum. Responsum est supra ad idem Argumentum, ubi de existentia Angeli, an possit demonstrari; licèt enim gradus sint possibiles, non tamen sequitur, quod de facto sint, alioquin (ut ibi notavi) non posset Deus novam speciem addere mundo, si haberet mundus omnem possibilem perfectionem. Vel Resp. ut infra, in productione rerum, non quærendum quid possit Deus, sed quid congruat naturis rerum ipsarum.

Circa secundum: Affirmarunt aliqui esse de fidé Angelos esse incorporeos, & hoc esse definitum à quodam Concil. ait Tolet. post quæstionem proœmialem in lib. de anima: addunt hoc esse statutum in Concil. Lateran. sub Leone X. hoc item probat. ex Synodo sexta art. 11. & Symbolo Nicæno vocantibus invisibiles Angelos, & ex Scriptura appellante Angelum spiritum: Spiritus autem carnem, & ossa non habet dicebat Dominus Jesus Joan. cap. 20. & spiritus opponitur carni, dicente Christo spiritus quidem promptus est, caro autem infirma: At quia nullus apertus Scripturæ locus est, uti superiùs diximus, cum D. Bonavent & D. Thom. ad Hanibaldum dicentibus, contrariam opinionem non esse directè contra auctoritatem Canonicæ Scripturæ: imò idem D. Thom. 2. contr. gent. *cap. 45. & 91*, cum Albert. *2 p. summa q. 6. tom. 1.* minimè tenet contrariam temerariam dicendam, si Patrum auctoritates aliquando inveniuntur contrarium dicentes: Ad loca autem superiùs allata Resp. Lateranense Concilium nihil de natura Angelorum statuisse, sed tantùm de eorum productione ex Sixto Senensi, & aliis: & licèt vocentur invisibiles Angeli, non tamen hinc deducitur incorporales esse, sed ex D. August. ob tenuitatem corporum non esse oculis corporeis expositos: & ad Scripturam dicitur non habere carnem, &c. At & Angeli, si dicerentur habere corpora, sed cælestia, sed ignea, sed aërea, & sic sine carne, & ossibus esse dicerentur: Cum ergo auctoritates non directè loquantur contra nos, restat probata, ac certa D. Bonav. nostri sententia.

QUÆSTIO IV.

An Angeli sint compositi, ex materia, & forma ex S. Bonav. d. 3. 2. pp. a. 1. q. 1.

PRæcipua est talis quæstio, nec à plerisque, 32
secundùm seraphicam mentem, intellecta; hinc non solùm veritas, sed etiam seraphica sententia indaganda. Vide text. ex quo tres deducuntur conclusiones.

Prima ex principio corpor. quæstionis, quæ talis est, Angelus non habet essentiam simplicem, per privationem omnis compositionis.

Prob. 1. Quod est ab alio, non est simplicissimum, Angelus est ab alio, nempè Deo, ergo, &c. Prob. 2. Simplicissimum, quoquomodo consideretur, sive in se, sive in ordine ad alia, est suum esse, suum operari, sua virtus, sua personalitas, & supra omne genus; at Angelus, non est sua existentia, nec sua virtus, nec sua personalitas, ergo, &c. cætera in text. &c.

2. Conclusio. Ab Angelo removentur aliquæ compositiones, & sic dicitur simplex. Prob. Angelus non constat partibus heterogeneis, sive dissimilaribus, nec partibus, quantitatis, nec est ex corporali, seu spirituali parte, ergo simplex.

3. Conclusio respondens titulo; Angelus est compositus ex materia, & forma, sive ex duabus naturis, ex corp. circa medium, ly, sed de compositione. Adverte ne hîc erres, loqui hîc, Seraph. Doct. de vera, & propria materia, quæ sit altera pars substantialis compositi, non autem de materia metaphorica, puta potentia, quæ non est substantia, nec altera pars compositi, qui sensus germanus Seraphici stabiliendus venit propter aliquos contrarium sentientes, unde præcipuè displicet Capullius hîc, eò quia in D. Bonav. scribens Seraphici mentem, non melius assequi studuerit, quod planè ostendit, asserens Seraphicum, non dissentire ab aliis Doctoribus; de materia enim, ait metaphisica loquitur: si enim cum aliis Doctoribus sentit, dico ego, quare ait, de hac compositione esse dubium, cum de metaphisica nullum adsit dubium, nullus enim est Doctor, qui non asserat Angelos compositos, ex actu, & potentia; quomodo de materia metaphisica intelligendus, si jam ea enarrata & concessa, addit, sed de compositione materiæ, & formæ, &c.

Item ait Seraphicus compositos esse Angelos ex duabus naturis, nempè materia & forma, quid

clarius?

clarius? Item ultra potentiam in Angelo, adesse talis potentiæ fundamentum, nempè materiam; clarè adeò hoc patet, ex probationibus, & responsionibus, & ex sequenti quæstione 5. ibi, ut nulli inruenti clarius: ad uberiorem tamen addimus doctrinam, eundem Sanctum in libro cui titulus est, Luminaria Ecclesiæ *ferm.* 2. *pag.* 19 *col.* 9. *tom.* 1. ubi in medio sic loquitur. In substantia est altius vestigium sapientiæ, & divinæ essentiæ, habet enim omnis substantia materiam, formam, compositionem.

Habet substantia originale principium, formale complementum, glutinum, & in his repræsentatur mysterium Trinitatis, Pater, origo; Filius, virtus, & forma; Spiritus sanctus, unio, & compago. Verè autem originale principium, à formali complemento, distinguitur, non quidem distinctiva hypostatica qualis est in divinis, nec accidentali, sed reali distinctione principiorum, quorum unum activum, alterum, passivum, & hoc tollere à creatura, est tollere ab ea, repræsentationem Trinitatis.

Nec valet quod dicunt falsò Philosophantes; quod Angelus, & anima idcircò composita dicuntur, quia suot ab alio; nam esse ab alio non facit compositionem: tunc enim Filius, cum sit à Patre, esset compositus, & Spiritus qui est ab otroque.

Hæc S. Bonav. ubi supra ita concludens: Igitur solum esse divinum est simplex, in quo non differt esse, benè esse, & sic esse. Et *ferm.* 4. *ibid. pag.* 25. *col.* 2. *post medium.* Quidam dicunt, quod aliqua creatura sit simplex, & tunc sequitur quod est purus actus, quod est solius Dei, & attribuere, quod est Dei, creaturæ periculosum est; minus ergo est periculosum dicere, quod Angelus sit compositus etiam si verum non sit, quod sit simplex, quia hoc ego attribuo Angelo, nolens ei attribuere, quod est Dei; propter pietatem, quam habeo ad reverentiam Dei, sed secundùm veritatem, sic videtur: hæc ille, & alibi sæpè, & passim.

Prob. Concl. 3. latè, & per extensum ponuntur rationes, quæ epilogantur demum in fine corpor. quæst. & quia probationes involuunt aliquid obscuritatis, distinctas eas ponam, majori qua potero perspicuitate. Pr. primò: Angelus est mutabilis, ergo habet materiam. Prob. conseq. ubicumque inest mutatio, ibi & materia, ut mutationis principium, Angelo inest mutatio, ut patet, non tantùm de non esse ad esse, sed secundùm diversas proprietates; illuminantur enim, purgatur, gaudent, tristantur, &c. ergo habent materiam. Major probatur ex D. August. & Boet. Vide ibi.

Nec solvit, si dixeris, mutabilitatem rebus advenire, non quia sint ex materia, sed quia ex nihilo: Nam mutabilitas dicit aliquam positionem, cum privatione, non autem omnimodam privationem, ergo debet habere causam, dicentem positionem, cum privatione, & sic medium inter ens, & nihil, at tale quid est materia, ergo materia dicit mutationis subjectum.

Not. non excludere Seraph. Doct. materiam, ab ente, cum enim dicat cum Philosopho, esse propè nihil, & dicere positionem, ergo ens est; at dum ait medium esse inter ens, & nihil, sumit ens pro ente completo: si enim medium est, ergo de utroque participat: hinc desumitur ex Seraphico materiam habere actum entitativum, quod clarè deducitur ex tota hac quæstione, dum vocat eam naturam, subjectum, &c.

Prob. 2. Nihil idem secundùm idem agit, & patitur: At Angelus idem agit, & patitur, ergo; non secundùm idem, sed secundùm diversa principia, materiam scilicet, & formam: At principium secundùm quod agit, est forma, ergo principium, secundùm quod patitur, est materia: minor patet; recipit enim Angelus illuminationes, & inferiores illuminat, patitur malus Angelus inferni pœnas, & ministrat, ergo. Nec valet contra majorem objicere, medium, seu aer accipiendo lumen, etiam dat: Nam medium, non habet rationem activi, nec confert, nec dat lumen, sed per illud trasmittitur. Angelus autem verè agit, & illuminat, verè peccat, ergo non valet instantia, de aere, ac medio, in quibus non est verè actio, & passio.

Prob. 3. Supponitur in Angelo personalis distinctio, ut sint plures Angeli, numero distincti, & non per originem, quia unus ab alio producatur, sed per creationem, ut patet, hinc sic argumentor: omnis distinctio, secundùm numerum, venit à principio intrinseco, & substantiali: As non venit à forma, ergo à materia: Major pr. Omnibus accidentibus circonscriptis, differentia numero, sunt diversa, ergo ex principio intrinseco, & substantiali: Pr. minor ex Arist. Cum dico cœlum, dico formam, cum dico hoc cœlum, dico materiam, & in pluribus locis, repetit, quod materia numerabiliter se habet, ergo.

Nec valet, si contra objicias, quod materia ipsa vocatur Hypostasis, sive ipsum individuum: Nam quæro de tali Hypostasi, quæ est materia, vel aliquid addit supra formam Angelicam, vel nihil, si nihil, ergo ipsam formam non contrahit, forma enim universale potest esse ubique, & semper ita erit & Angelus, quod in divinis exemplificatum habemus; quia enim persona divina non addit supra essentiam, hinc persona est ubique, & immensa, sicut essentia: At Angeli Hypostasis est finita, & arctata, & ita hic, & nunc; ergo oportet necessariò, quòd ultra formam, sit aliquid arctans substantiale sibi: hoc autem non potest esse, nisi materia, &c.

Prob. 4. Quod definitur, in se habet realiter naturam generis, & naturam differentiæ, quibus & conveniat cum aliis, i. in natura generis, & differat ab aliis, in natura differentiæ: At Angelus diffinitur, ergo habet in se, &c. in quo conveniat, & in quo differat: sed impossibile est, plures naturas concurrere ad constitutionem tertii, quin altera habeat rationem possibilis, altera actualis, quia ex duobus entibus in potentia, & ex duobus entibus in actu nihil fit, ergo materiam necessariò habet.

Nec urget accidentia diffiniri, & habere genera, & differentias, nec tamen habere materiam partis sui. Nam accidentia ortum habent à substantia, de principiis ejus, non sic substantiæ, quæ ab alio genere non trahunt originem: Necesse est ergo diffinitum, vel habere in se diversas naturas, quibus constet, vel quod natura speciei, & generis primi, & subalterni, causentur ex diversis naturis, in subjecto repertis: at hoc ultimum poni non potest, non enim in subjecto est Angelus, ponendum ergo est, quod supra Angelum. sc. diversis constare naturis. Ad argumenta, & solutiones veniamus.

Primum Arg. ab auctoritate Boëtii & Arist. &c. vide

vide text. &c. Resp. declarando, auctorum sensum esse, de materia appropriata formis corruptibilibus, non autem de materia, secundum se considerata, quod patet considerando Auctores. Boethius vult probare, quod corporalia non convertantur in spiritualia, nec è converso, ergo de materia loquitur, quæ est principium transmutationis, alioquin Boet. sibi ipsi contradiceret, ut supra visum est, ubi etiam addit solum Deum esse immaterialem, sic & Aristoteles, animam, ait, à materia denudatam secundum quod materia est causa permixtionis. & corruptionis, dum ait neque mixtum cum materia.

2. Argum. est à ratione desumptum. Rationabiliter potest cogitari substantia immaterialis: At universum est perfectissimum secundùm ordinem naturarum, ità quod perfectius rationabiliter considerari non potest, ergo datur Angelus sine materia. Prob. major. Rationabiliter cogitatur substantia Deo similis per immaterialitatem, ut patet inductione. Cum enim sit aliqua natura, quæ secundum, &c. vide ibi.

Resp. S. Bon. ad majorem ibi rationabiliter negando eam, & fundamentum negationis est Angeli mutabilitas, quæ supponit mutationis fundamentum, nempè materiam; limitatio ejusdem Angeli, quæ præ se fert compositionem, ergo rationabiliter non potest creatura, sine materia considerari, imò nec esse.

Si objicias, Deus facit in sanctissimo Sacramento altaris, accidentia esse sine materia, ergo & forma sine materia esse potest. Resp. negando consequentiam: In conditione enim rerum, non quærimus quid possit Deus, sed quid congruat naturæ rerum; in miraculis verò (cum sint ea & contra, & supra naturam) quærimus, non quod congruit naturæ, sed divinæ potentiæ, dum ergo quærimus, an fecerit Angelicam formam, sine materia; de eo, quod naturæ rei congruit, quærimus, unde non valet argumentari, à miraculo, ad naturam, non fecit unquam materiam sine forma, nec è contra, quia non congruebat rerum naturis, rerum autem natura patet etiam in miraculosè separatis, idest accidentibus, quæ etiam separata conservant inclinationem ad subjectum, & materiam.

At breviùs etiam posset responderi ex ultimo fundamento, seu probatione supra negando consequentiam, ratio est, quia accidens pendet à materia extrinsecè: At composita substantia intrinsecè, tamquam à parte constituente; hinc non sequitur, potest ab accidentibus separari materia, ergo & à substantia Angelica poterit materia, separari, cum nequeat esse Angelus, sine suo constituente.

Ad ult. Argumentum, utcumque, & illud, & responsio, non habent difficultatem, nec aliud remanet peragendum, circa textus explicationem.

QUÆSTIO V.

An verum sit, quod ex Seraphico diximus, Angelos constare ex vera materia, & forma.

EXaminanda hæc quæstio, uti præcipua, continens Seraphici sententiam, ab omnibus ferè 33
negatam. Quatuor ergo, à nobis hic erunt facienda. Notabimus primo, quæ contra adducuntur. 2. fundamenta apponemus. 3. firmabimus denuò veritatem stabiliendo adductas rationes, & 4. respondebimus ad objecta. Quod ad primum supra propositum. Omnia, quæ in contrarium adducuntur, reducuntur ad intellectualitatem Angelicam, ad simplicitatem, & incorruptibilitatem, quæ omnia tolluntur, (inquiunt) posita materia in Angelo: hinc D. Thom. in summa *q.50. art.2.* & in Magist. *d.3.* & in scripto ad Hanibaldum, negant materiam ab Angelo, & ratione intellectualis naturæ, & ratione incorporeitatis.

Contra arguitur primo sic. Immunitas à materia, secundum Philosophos, est causa, qua aliqua substantia, est intellectualis, cum ergo Angelus talis sit, videlicet intellectualis, ergo sine materia.

2 Remota quantitate à materia, remanet substantia indivisibilis, sine partibus, non ergo potest una pars materiæ, constituere unum Angelum, & alia pars alium, nisi præintelligatur materia quanta, & sic quantus, & corporeus, erit Angelus, quod ut falsum jam reprobatum est: hæc ex D. Thom. ubi supra; Hanc eamdem rationem accipit Ægidius & Varro, licèt hic formet Argumentum hoc pacto. Nulla forma materialis, est reflexiva super se ipsam: At Angeli, & animæ, sunt formæ reflexivæ, &c. ergo immateriales.

Faventinus hic *disp.10. c.1. ex Scot.* iisdem mediis, quibus D. Thomas nostram impugnat sententiam, & reddit rationem, quare ad intellectualitatem requiratur immaterialitas, quia, ait, intelligere, recipitur in materia inextensa, & non quanta: addit, si corporei, ergo & immateriales: Duo subjungit. Primum, nos non declarare, cujus conditionis sit hæc materia, quam in Angelis ponimus. 2. ponit Sanctum Bonaventuram, eamdem sequi opinionem, asserentium, materiam Angelorum esse diversæ rationis à materia inferiorum.

3. Arguit Ægidius. Materia est principium corruptionis, cum sit potentia contradictionis: At in Angelis non est corruptio, ergo nec materia.

4. Hoc argumento utitur Pontius in suo Philosophico cursu. P.3. in libr. de anima *disp.11.q.2.* §.12. *Prob.4. col.2. pag.435.* Si materia esset in Angelo, vel esset ejusdem rationis cum materia inferiorum, vel diversæ, non primum, quia tunc Angelus esset corruptibilis, non secundum, quia materia non distinguit, & distinctio fit per actum, ergo non habet materiam.

5. Ex Durando. Si Angelus ex materia, & forma est compositus, aut forma illa, est separabilis, à materia, aut non: si separabilis, ergo Angelus corruptibilis est: si non separabilis, ergo imperfectior est anima rationali, quia forma inseparabilis

bilis à materia, imperfectior est forma, ot magis potenie, & independente.

6 Addo materia est in potentia, ad omnes formas, & eas omnes appetit, ergo forma, quæ debet informare, aut auferre talem appetitum debet in virtute omnes formas continere: at Angelica forma has oon continet, ergo adhuc est in potentia ad eas, ergo transmutabilis, &c.

7. Addo, appetitus est de essentia materiæ, aut saltem proprium quarto modo, ergo non potest separari à materia, ergo durat sub forma Angeli, & sic in eo erit causa transmutationis, & corruptibilitatis.

8. Tandem arguunt de anima rationali: Hæc non habet materiam, ergo nec Angelus. Hæc sunt quæ inveni contra Seraphicam sententiam.

34 Pro perfecta intelligentia, & prædictorum argomentorum solutione, N. 1. ex Seraph. Doct. *in 1. d. t 2. a. 1. q. 1. & in 2 q. a. 1.* & sparsim in tota præsenti distinctione, materiam dupliciter posse considerari, 1. secundùm essentiam, 2. secundùm existentiam, seu secundùm esse, seu ut applicatam formis; hæc enim idem sonant: Materia secundùm essentiam, seu secundùm se, & eos, in potentia, nec est spiritualis, nec corporalis, nec quanta, nec extensa, ot sic *p. t a. 2 q. 2.* in resp. & capacitas ejus, est ei pro forma, quæ capacitas indifferentiam ad formam, sive corporalem, sive spiritualem dicit, hæc antem insinoatur per privationem omnis formæ, ut notatur sic à Seraphico ex D. August. de Symbolo, &c. & 12. Confes. asserente; per privationem omnis formæ essentiam materiæ intelligimus, & ex Arist. diffiniente materiam, per negationem omnis actus; insinuatur autem ejus natura à Deo, in sacra Genesi appellante eam triplici numine, nempè terræ, abyssi, seu tenebræ, & aquæ. *In principio creavit Deus Cælum & terram, terram.* i. materiam; *nondum erant abyssi*, i. materia. *Spiritus Domini ferebatur super aquas*, i. materiam ex S. Doctore *dub. 1. text. d. 52.* hisce autem nominibus explicantur tres conditiones, quas habet materia in comparatione ad formam: dicitur Terra, quia ipsa materia dat fixionem formæ, & terra inter omnia elemenea plus habet de stabilitate; & quia à forma speciositatem, & distinctionem accipit, hinc fine ea tenebra est, & abyssus, & propter inclinationem, quam ad formam tenet, aquæ nomine appellatur, quæ fluxione hanc denotat aptitudinem, seu inclinationem, quibus in nominibus, solùm significatur materia esse sine omni forma ejus capax; & in potentia, ut sit formæ fulcimentum: adverte autem sic sumptam materiam appellari secundùm essentiam, non ut contra distinguitur à propria existentia: cum enim sic loquatur de materia, extra suas causas, verè de habente existentiam loquitur materia; quomodo enim esset altera natura, altera pas compositi, si non existeret; idem ergo est dicere materiam, secundùm essentiam, & secundùm se sine ulla forma, & sic distinctam ab omni peculiari existentia, secundùm diversitatem formarum, ut ab existentiis adventitiis, & sibi extrinsecis.

35 In ordine ad quas existentias. N. 2. (ex eodem ibidem) materiam secundùm existentiam, seu secundùm esse, seu ut applicatam formis, dupliciter se habere, dispositivè, & formaliter: dispositivè, seu initiativè fuit materia applicata formæ, in sua productione, in qua producta fuit, sub aliqoa forma incompleta, quæ erat dispositio ad ulteriores formas, & quia ex diversis partibus materiæ condiror ordinaverat diversas formas educere; hinc erat in illis diversus dispositionis modus, absque diversitate formarum, quæ dispositiones remotæ incompleta forma dicuntur: Exemplificat S Bon. de Embrione, qui cum actu habeat unam formam, & figuram quandam massæ carnis, cum eadem dispositus ad diversas membrorum figurationes, puta ossis, nervi, &c. ita ex materia, cum duplici tamen differentia, quarum prima est, quod forma materiæ non est tantæ actualitatis, sicut forma embrionis, onde Embrio visibilis est; secua verò materia sub tali forma, incomposita n. est, & invisibilis; 2. est, quod forma materiæ, non est in tanta propinquitate, ad eductionem formarum sequentium, sicut forma Embrionis, ad eductionem membrorom; ista enim per vim naturæ, ad perfectam completionem est possibilis; illa verò ad formas subsequentes, sola divina virtute, & operatione poterat produci: unde propter imperfectionem talis formæ, materia illa dicitur informis, & propter indeterminatum appetitum ad multas formas, confusa dicitur, & permixta; 2. formaliter dicitur applicata, post rerum productionem, post quam, si applicata est formæ corporali, habet extensionem; unde habemus sensum illius pronunciati extensiunem esse à materia, non à materia, secundùm se, & suam essentiam, sed prout suscipit formam corporalem, quæ non est nata esse in materia, nisi cum extensione: si aotem sit applicata formæ, non solùm corporali, sed etiam corruptibili, & generabili, non tantùm extensione, sed contrariis induta est qualitatibus, & sic habet potentiam; qua possit transmutari, & est fundamentum transmutationis, unde dicitur materia transmutabilis, & Phisica: *vide hic S. D. a. 2 q. 2. & d. 12. a. 2. q. 1. in corp.* ubi de materia post productionem loquens, ut jam applicata formæ cœlestiali, seu corporali tantùm, & formæ sublunari, & corruptibili docet, quoad esse, otramque materiam esse diversam, qoia sub ona forma est corruptibilis, sub alia incorruptibilis; sub una, est subjecta privationi, sub alia, non: materia verò in Angelis, facta est sub acto perfecto, sine ulla extensione, & absque ulla privatione, addit idem S. D. *d. 3. quæst. 2 ad 5.*

Hinc addo, seu ex seraphica doctrina deduco, quod licèt transmutatio sit medium inveniendi materiam, ex Arist. 1. Phis. *t. 9.* non sequi tamen, ubi non est transmutatio, materiam non reperiri, non enim transmutatio est adequatus effectus materiæ simpliciter, sed ratione appetitus à privatione originem ducentis; materia enim cum privatione, est causa adæquata, vel subjectum transmutationis, non solùm ex seraphico sensu, sed etiam ex Arist. in Phis. *t. 80.* subjecta quidem natura. i. materia, ona cum forma, sicut Mater est eorum, quæ fiunt, altera verò pars contrarietatis, idest privatio, multoties imaginabitur ad maleficium, idest corruptionem ipsius, & tex. 82. quod enim corrumpitur, in hoc, est privatio, quatenus autem secundùm potentiam, non per se, sed incorruptibilem, & ingenitam necesse est ipsam esse, ubi ait D. Thom. secondùm se, in quantum est quoddam ens in potentia, est ingenita, & incorruptibilis, & t. cœli: *t. 20.* docet tria requiri ad corruptionem, subjectum, contrarium. i. privationem, & terminum ad quem: At in his tantùm inferioribus, materia habet privationem annexam ex Arist. 10. de generat. *tom. 3.* Materia in generabilibus est causa, quod possibile sit, & non sit; qoia dicebat Scot. *d. 12. q. 1.* est capax alicujus formæ, quam non habet, quæ opponitur illi, sub qua est: secundùm

se, ergo Materia à privatione elongata sub forma inamissibili non est causa mutationis, & sic corruptionis.

Sed singularis locus est 9. Metaph. *t*.17. Omnis potentia simul contradictionis est quod est possibile, contigit esse, & non esse, contingens autem esse corruptibile, aut simpliciter, aut secundùm locum, aut secundùm quantum, aut secundùm quale; simpliciter autem quod est secundùm substantiam, nihil ergo incorruptibilium simpliciter, potentia est enim simpliciter, aliquid autem nihil prohibet, aut quale, aut ubi, hæc ille, quibus in verbis D. Thom. & Scot. uniformiter notant 1. Arist. de potentia passiva locutum. 1. materia: 2. advertunt sic Arist. docere aliquid dici in potentia contradictionis dupliciter, vel quia potest esse, & non esse secundum quid. i. quantùm ad esse accidentale, & exemplificant de luna, quæ est in potentia ad illuminare, & non illuminare, & de sole, existente in oriente, qui est in potentia, ut sit in occidente. 3. Notant licèt sempiterna non sint in potentia contradictionis simpliciter, & secundùm substantiam, nihil prohibet esse in potentia contradictionis secundùm quid, ad esse accidentale: Ad quid ergo contrarii contra nos arma vertunt, quæ veritati, & seraphico favent sensui: si materia, dicunt, est in Angelis, ergo in potentia contradictionis ad esse, & non esse ex Arist. ergo corruptibiles, & quare secundùm Arist. ibidem non concludunt, ergo in potentia contradictionis ad esse, vel non esse simpliciter & secundùm substantiam, vel ad esse, vel non esse accidentale, & cum Angelica lumina sint in potentia, ut illuminent, ut mittantur, ut purgent, & purgentur, & ad alia accidentia, aperto ore fatebimur illud Seraphicum mutantur Angeli, patiuntur, ergo habent materiam, ergo sunt in potentia contradictionis, ad accidentia, non autem ad substantiales formas, non ergo similis potentia, arguit semper potentia, ad non esse, secundùm substantiam ex ipsomet Arist. & licèt 12. Metaph. dicat, necesse est esse sempiternam aliquam substantiam, & talem, addat. esse sine materia, quo in loco se de intelligentiis loqui cœlum moventibus, ex textu patet, & ex D. Thom. ibi: Scotus tamen in conclusionibus metaphisicalibus concl. 12. ait. Si diligenter attendas, non excludit omnem materiam à substantiis spiritualibus, sed solùm illam quæ est subjectum generationis, & corruptionis (hæc ille) benevolos volo lectores, & solùm veritati addictos.

36 Ex quibus patet, non solum ullum inconveniens sequi, ex positione seraphicæ doctrinæ, nempe Angelos, esse materiales; sed etiam maximam habere probabilitatem, imò si metaphisicè considetatur, contraria, esse probabiliorem, eam enim sequuntur Richard. 2 *d*.3. *a*.1.*q*.1. *&* *a*.2. *q*.1. *&*. 2. Aurel. Scotellius, & alii Scotistæ apud Cavellum, Scotum ipsum, existimantes problematicum extitisse, & Montecutius in Typo omnium scientiarum Pro cujus confirmation. faciunt aliqua Arist dicta 8. & prim. Phys. *t*.30. Omne quod movetur, in se compositum est ex natura movente, & mota. i. ex forma & materia, ut ibi ostenditur: At subinfero ego, Angeli verè ex se moventur, ergo, &c. 2. Metaphys. *tom*. 12. Necesse est in omni eo, quod movetur materiam intelligere, & est sermo ibi de materia, ut est formarum susceptiva, vel ut subjectum cujuscunque mutationis. 2. de Anima *t*.2. forma est, per quam materia est hoc aliquid. i. ut ex ipsa comitante fiat compositum naturale, per se subsistens: Angelus est hoc aliquid, ergo, &c. tom. 12. 8. Metaphys. In substantiis sempiternis mobilibus tantùm secundùm locum est materia localis, quæ solius mutationis localis est subjectum: Angeli sunt substantiæ, &c. ergo in his est materia.

Nec audiendus est hìc Commentator, dum negat hanc materiam localem, esse veram materiam, cum hæc non inveniatur, nisi in generabilibus, & corruptibilibus. Nam veram esse materiam, & hinc, cœlum veram habere materiam, contra Comment. tenent communiter DD. & præcipuè D. Thom. 8. *Phys. lect*.21. *& part*.1, *q*.66. *a*.2. *&* 1. Cœli, & licèt 8. *Metaphys. t*.12. videatur sequi Commentatorem, tamen ut in Epitome notat Javellus melius considerans declinavit à via Commentatoris.

Prob. ex D. August. *l*.5. *cap* 8. de Genesi ad litteram, & præcipuè lib. de mirabilibus sacræ Scripturæ *cap*.1. ubi ait. Omnipotens Deus ex informi materia, quam ipse priùs de nihilo condidit, cunctarum rerum, hoc est, sensibilium, & insensibilium, intellectualium, & intellectu carentium, species, multiformes divisit: loquitur tamen August. ex Seraph. de prioritate naturæ, non temporis 2, *dist*.12. *a*.1. *q*.1. *ad* 1.

Nec soluunt Ægidius, & alii dicentes, sanctum August. locutum fuisse, de potentialitate, eodem enim modo loquitur Augustinus de intellectu carentibus, & intellectualibus, sed illa est vera materia, altera rei natura, ergo eodem modo, & de intellectualibus, ut legenti patet, erit intelligendum: Præterea materia, ex qua condidit omnia DEUS, fuit ex nihilo creata, ait Sanctus, ergo non potentialitas, quæ non potest creari.

Prob. item ex Damasceno *l*.2. *c*.27. quem proferunt D. Thom. & alii, ubi supra in præcedenti articulo citati: Angelus incorporeus, & immaterialis dicitur quoad nos, omne enim comparatum ad Deum, qui solus incorporalis est, grossum, & materiale invenitur: & in Logica cap. penult. se declarat melius, dicens; Angeli, Dæmones, animæ, quantùm ad corpus, immaterialia dicuntur, sed si ad principale immateriale (sc. Deum) materialia sunt. Hæc ibi: ex quibus benè pensatis constat, Sanctum Damasc. in Angelis, Dæmonibus, & Animalibus negare illam materialitatem, quæ constituit corpus absolutè, ac simpliciter materiale; unde quantùm ad corpus, immaterialia dicuntur, ait Damascenus, at quoad se, secundùm se, verè esse materialia; Notate, ait enim, dicuntur immaterialia; dum autem astruit materiam, non ait, dicitur, dicuntur, sed utitur verbo, sunt (materialia sunt, ait,) & fortasse cæteri PP. vocantes Angelos immateriales, eodem sunt locuti sensu, nempè in ordine ad corpus.

Nec soluunt, dicendo, voluisse innuere distantiam Angeli, à Deo, quomodo clarè, & apertè loquitur Damascenus citatus. Resp. enim benè quidem hoc à Damasceno intelligi, sed simul etiam qualitatem ejuscemodi distantiæ astrui præcipuè in simplicitate. In Logica enim gradus entium ponit. Primus gradus, est immaterialis simpliciter, secundus immaterialis quoad corpus, licèt materialis formaliter, tertius materialis quoad corpus: Primus, Deus: secundus, Angelus, & animæ: tertius, corporea.

Prob. item ex Boet. de unitate, & uno. Aliud, ait, simpliciter unum, ut Deus. Aliud simpliciter unum, conjunctione, ut Angelus, & anima quorum unumquodque est unum, conjunctione materiæ, & formæ: Quid clarius?

Nec

Nec ſoluunt, pro materia, intelligendo potentialitatem; nam non potentialitatem intelligere poteſt objectivam, cum hæc non conjungatur in compoſitione, cum ſit eſſe cauſæ; ſi autem potentialitatem intelligat ſubjectivam, benè, ſed hæc eſt materia, alterum ſubſtantiale principium, quod ſi pro potentialitate, non repugnantia, vel poſſibilitas ad non eſſe, ſumatur, quia ſc. poteſt annihilari: Hæc conſequitur rem, illa præcedit: neutra facit unum conjunctione. Ad rationes ex Seraph Doct. allatas nituntur reſpondere, ſed, ni fallor, fruſtra.

37 Ad illud de mutationibus, quod fuit primum fundamentum Concl. 3. negant conſequentiam, ad mutationem ſequi materiam: at immeritò negatur, quod ab Ariſt. ut ſupra vidimus pluries, & quidem clarè aſſertum eſt, nec non à D. Auguſt. & à Boet.

Quod ſi dicant de materia metaphiſica illos locutos, ſubjungam ego, & hos, ac cæteros omnes rogabo, ut ſi à recto, ac verò ſenſu judicare velint, in tanti momenti quæſtione, æquo animo in hac cauſa eſſe curent, citra omnem animi perturbationem, rem totam diſcutiant, & facile intelligent, an eorum reſponſio ultima vel evaſio Philoſophi textui ſit congrua; cum enim Ariſt. apertè dicat ex natura mota, id eſt materia, dubium ne alicui oriri poteſt, quod de materia metaphiſica loquatur? hanc fortaſſe appellabit naturam? certè non, quia Phyſicam materiam tantùm naturam in Phyſicis appellat. Dum autem Ariſt. vocat materiam, localem, ſubjectam mutationibus, & de vera, propriaque materia commentatur D. Thom. contra Commentatorem, & materia metaphyſica non ſit ſubjectum mutationis, quomodo nón manet in robore. S.D. argumentum?

Dicent fortaſſe ex Ægid. Boetium locutum de ſimplici forma. i. Deo, Angelum autem, non eſſe merè formam, utpotè habentem potentialitatem metaphiſicam: At audiant Boethium, qui reddens rationem, quare forma non ſuſcipiat accidentia, ſubjungit, quia hoc non ſuſcipit, niſi materiæ ſubjecta (hæc ille.) Contra ergo Boethium, & Ariſt. ubi ſupra contrarii loquuntur, & præcipuè ex Recentioribus Poncius de anima *diſp* 11. *q.* 1. dum ait formam ſeparatam à materia ſubſtare accidentibus; eſt enim ſimilis, & diſſimilis, nec refert, ait, quod hæc ſint accidentia relativa: nam ſi poteſt illa, nihil obſtat, quin poſſit recipere abſoluta (hæc ille.)

At contra ego ſubinfero, Deus eſt ſimilis, & diſſimilis, æqualis, &c. ergo quemadmodum reſpectiva hæc, ita etiam poterit recipere abſoluta accidentia, quod falſum, ne dicam impium, eſt, fit enim ſimile, vel diſſimile aliquid facta mutatione alterius extremi tantùm, ut manifeſtè patet in relativis, &c.

Pro coronide noſtræ rationis afferamus Scotum *in* 2. *d.*12. *q.* 1. §. ad illud ex 2. Phyſ. quod movetur, &c. ità aſſerentem licèt entitas actualis mobilis non ſit mobili ratio recipiendi motum, ſed magis, ut eſt ens in potentia, eſt tamen actus neceſſariò requiſitus, ad hoc ut moveatur, unde actus non eſt conditio per ſe requiſita, ſed per accidens, tamen neceſſariò requiſita ad motum; per ſe autem conditio mobilis eſt eſſe in potentia (hæc ille) *&* *q.*2. ait. Materia ſecundùm ſe eſt ens in potentia ad omnes formas ſubſtantiales, & accidentales. (Ita ille) ex quibus patet, entitatem, ndi actus eſt, eſſe in potentia ad motum activè, non autem paſſivè; ut autem eſt ens in potentia, id eſt materiam habet, recipere motum. Si enim actus non eſt ratio recipiendi, ſi purus ſit actus, à materia, poterit efficere motum, at non in ſe recipere, ſed alia à ſe movere, ut in primo mobili puriſſimo, qui purus eſt actus, patet.

Ad ſecundam rationem S. Doct. Nemo idem, ſecundum idem, patitur, & agit: ſed Angelus patitur, &c. Reſp. Ægidius, nos æquivocare de paſſione, non enim propriè patiuntur Angeli cum propria paſſio ſit in corporibus, in qua aliquid deperditur de ſubſtantia paſſiva: ſed quàm falſum ſit hoc Ægidii Commentum ex re ipſa patere poteſt; verè enim patiuntur Angeli, & animæ, ut patet ex Scripturà, Crucior enim in hac flamma, aiebat Epulo, & D. Auguſtinus. Cruciatus ubi dolorea acerrimi, & quis dicere audeat, dolorem non eſſe paſſionem, licèt non corporis? animus fortaſſe proprias non habet paſſiones? Vera ergo in ſpiritibus eſt animi paſſio, & non metaphorica, ſed realis, quæ recipitur in Angelis, ergo in verò, & reali ſubjecto, ergo vel aſſignandum tale ſubjectum, quod erit materia ipſa, vel dicendum quod major ipſa argumenti S. D. verè concludit.

Alii reſpondent ad minorem. Angelum non ſecundùm idem agere, & pati, ſed ut actus eſt & forma agere, ut autem in potentia eſt, recipere. Ita Pontius ubi ſupra dicens, ipſam animam ſeparatam à corpore eſſe primum paſſivum, etiamſi non conſtaret materia: At audiant Scotum ubi ſupra §. ſequitur. 2. Materia & forma ſunt omninò alterius rationis, materia eſt primo receptiva, forma eſt primo recepta, ſi forma recipit, ergo non primo recepta, ſi materia agit, ergo non primo receptiva (hæc ille) de ratione ergo formæ eſt, ut non recipiat, alioquin non eſſet alterius rationis à materia: Addit etiam Scot. ibidem materia eſt eſſentialiter receptiva ſecundùm totum ſuum genus, actus eſt eſſentialiter perficiens aliud (hæc ille) ex quibus patet an poſſit ſeparatum quid à materia eſſe primum paſſivum.

Præterea quæro, quid ſit illud ut in potèntia, vel enim iſta potentia, dicit ſimplicem formæ accidentalis negationem, vel negationem cum aptitudine, non primum quia non ſufficit ad recipiendas formas, ut negatio viſus in lapide; non enim reddit in potentia ad videndum, non ſecundum quia illud ſubjectum eſt in potentia ad formas accidentales, quando ex eo educi poſſunt, at forma non deducitur ex forma, ſed materia eſt ſinus, & ſubjectum, ex quo educuntur formæ, &c. ergo ſi nulla materia in Angelis, non ſunt in proxima diſpoſitione, & potentia, ad recipiendas formas accidentarias.

Dicea, Creantur à Deo; ſed contra, quia quæro ego vel mediante igne, vel aliquo alio inſtrumento: vel immediatè, at neutro modo, ergo; non mediante igne, quia creatura non poteſt elevari ad creationem ſecundùm omnes rectè ſentientes Philoſophos, ac Theologos, ut patet; non immediatè quia obſtat Scriptura, aſſerens ab igne cruciari: quod verò addit Pontius quantitatem, & accidentia ſeparata poſſe pati ſine dependentia à materia. Dicimus hoc probatione egere, & cum talis inſtantia fundetur, in ſanctiſſimo Sacramento altaris, ibidem erit locus: modo ait Sanctus Bon. in reſp. ad peoulr. Non quærimus quid poſſit Deus, ſed quid congruat naturis: hinc negandum naturaliter verificari poſſe Pontii dictum, quod ſi ſupranaturaliter Angelus ſine materia pateretur, reciperet formas accidentarias eſſet continuum & æternum miraculum, quod nullo modo ad-

mittendum contra Regulam Sanctorum Patrum, & præcipuè Dioniſ. ſine maximo fundamento, & vera neceſſitate.

Sed inſtabis ruſum. Quantitas à materia ſeparari poteſt, ergo & Angelus; negatur conſecutio, ut ſupra tactum eſt: Angelus enim pendet à materia intrinſecè tanquam à conſtituente, ſecus accidentia, quæ extrinſecè; unde ſi ſeparatur materia per divinam potentiam ab Angelo, jam non amplius erit Angelus, & hoc aliquid, ſed Angeli pars: unde ſi poſſet pati talis abſtracta forma, non dicerent Angelus patitur, recipit accidentia, &c.

Ad tertiam rationem Seraphicam. Reſpond. S. Thomas limitari dicta Ariſt. in Angelis, qui ſunt ſubſtantiæ completæ, ex proprio tantùm actu, ſic ait commentans locum 2. de anima t. 2. ſupra allegatum.

At viget argumentum, ex Doctrina Seraphica, ergo Angelus erit univerſale quoddam, quod etiam concedit S Thom. hinc quemlibet, ait, Angelum conſtituere ſpeciem, quia ſine materia Phiſica: at ſi ſic, ergo erit ubique ſaltem negativè, quia in nullo determinato loco, cum enim determinatio ad locum ſequatur determinationem locati quoad eſſe, & hæc pendeat ab unione formæ, cum materia; ſi hac careat Angelus, ergo nullibi eſt: hoc autem eſt contra Patres, & Concilia, & rationes, habent ergo determinatum locum, & determinatum eſſe, quia unionem habent formæ, cum materia. Tandem ſolvenda in contrarium argumenta.

Reſp. ergo ad D. Thom. ad primam immunitatem à materia phiſica, ſecundùm exiſtentiam phiſicam, verè impedire, quod aliqua ſubſtantia ſit ſpiritualis, licèt ergo Angelus ſit intelligibilis, non impeditur à materia ſecundùm ſe, & ſecundùm propriam tantùm exiſtentiam conſiderata.

Ad ſecundam remota quantitate, à materia remanet ſine partibus quantitativis, concedo: at non ſine partibus ſubſtantialibus, ut ait Scot. *d.* 12. 2. *q.* 1. cujus hæc ſunt verba: Materia ſecundùm ſe eſt in potentia ſeparata ab omni forma ſubſtantiali, & accidentali, & habet partes ſubſtantiales, & non per quantitatem (hæc ille.)

Ad illud de reflexione Reſp. S. Bonav. *d.* 3. 2. *ad* 1. Materiam cum privatione repugnare contemplationi: Non etiam (dico ego) materiam, imò nec quantitatem, nec corpus repugnare intellectioni, & reflexioni, ſed materiam, ſed corpus, ut ſic, ut ſubeſt corruptioni; corpus. n. quod corrumpitur aggravat animam, ait Spiritus ſanctus, non corpus ut corpus, ſed ut corruptibile, alioquin poſt judicium, Beati impedirentur, à proprio corpore, quod ſecus eſt; cum ergo de ſe materia ſit incorruptibilis, & ingenerabilis, impedire non poteſt Angelum, &c. à contemplatione.

Ex quibus patet Reſp. ad Faventinum, dum autem reddit rationem, dicendo, quod intelligere recipitur in materia inextenſa, & non quanta, concedimus totum, & hanc agnoſcimus in Angelo: dum verò ait, ſi incorporei ergo immateriales, negamus conſequentiam, dum autem ſubjungit; nos non declarare, cujus conditionis ſit materia, quam in Angelis ponimus, melius addidiſſet ſe non legiſſe Seraph. Doct. & illum verè raptim ſe vidiſſe oſtendit, dum ait, ſanctum Bonaventuram eſſe in ea opinione aſſerentium, materiam Angelorum eſſe diverſæ rationis à materia inferiorum, cum *in q.* 2. *d.* 3. 1. *per totum*, contrarium apertè dicat *d.* 12. & paſſim defendat, unam eandemque materiam eſſe ſuperiorum Angelorum & inferiorum, ſolùm quoad eſſe, ſive ſecundùm aliam, & aliam exiſtentiam differre.

Ad 3. Ægid. Quomodo materia ſit principium corruptionis, patet ex fundamentis, & præcipuè ex ultimo fundamento.

Ad 4. Si materia eſſet in Angelo, &c. Reſpond. eſſe ejuſdem rationis, quoad proprium eſſe materiæ; dum deducitur, ergo corruptibilis Angelus, negamus, materia. n. corrumpitur ſecundùm eſſentiam, & exiſtentiam propriam, ſed ſecundum aliud, & aliud eſſe, quod habet applicata formis.

Hoc argumentum præfert omnibus aliis moderniſſimus Pontius, de anima diſp. 11. probat 4. probare n. conatur materiam inferiorum eſſe corporalem, cum n. non ſit ſpiritualis, ergo corporalis. Quod ſi Reſp. materiam de ſe, nec eſſe corporalem, nec eſſe ſpiritualem, ſed ſine ulla forma ſubſtantiali, vel accidentali, ut ex Sent. ubi ſupra. Contra, ait, ſubſtantia dividitur in ſpiritualem, & corporalem, ergo implicat, dari unam ſingularem ſubſtantiam, quæ non ſit, vel ſpiritualis, vel corporalis, aut quæ poſſit eſſe indifferens, ad utrumque, ſicut implicat, dari aliquod ſingulare animal, quod non ſit rationale, vel irrationale, aut quod ſit indifferens ad utrumque.

At totum concedimus, ſed nihil contra nos; verum eſt enim, nihil eſſe in genere, quod non ſit in aliqua ejus ſpecie, ex Ariſt. 2. topic. at declaratur à ſanctiſſimo Doctore, hoc eſſe verum de eo, quod eſt in genere tanquam ens completum *d.* 12. 1. *q.* 3. *a.* 1. *ad* 5 Exemplum autem Pontii eſt in ente completo; materia autem non eſt ens completum, ut patet; materia n. eſt ſubſtantia diminuta, quia eſt in potentia, ex Ariſt. 7. Metaph. com. 9. & 1. Phiſ. t. com. 77. inter eſſe, & non eſſe, nihil mediat, ſed inter non eſse ſimpliciter, & eſſe, mediat aliquid, quia eſſe in potentia, mediat, unde, ut benè diſcurrit ex Ariſt. & Aphrodiſæo Zimara, ſi quæratur de materia, an ſit ens, vel non ens, an ſit ſubſtantia, vel non ſubſtantia. Reſp. eſt ens, & ſubſtantia; at ſi addatur, an ſit ens tale, vel non tale, ſubſtantia talis, vel non talis, reſpondendum, neutrum eſſe, nec ſubſtantiam prædicamentalem, nec accidens, &c. t. (ait Zimara) ſubſtantiam actu completam. Videndus Zimara, in tabul. ſuper Ariſt. & Averroeio L. M. eclarando illud Ariſt. 7. Metaph. t. com. 8. dicentis, materia ſecundum ſe non eſt quid, nec quantitas, nec aliquid eorum, quibus ens eſt determinatum, non ergo ex Ariſt. determinata, ſed indifferens de ſe, alioquin quomodo in potentia ad omnes formas, ſi de ſe, non eſt indifferens.

Ad 5. ex Durand. Reſp. formam Angeli naturaliter eſse inſeparabilem, ſupernaturaliter ſeparabilem; ad conſequentiam Reſp. ergo Angelus corruptibilis, melius dixiſset, annihilabilis, quæ enim per creationem incipiunt, per annihilationem deſinunt, concedimus ergo conſequentiam, in ordine, ad divinam potentiam.

Ad 6. Concedo, materiam eſse in potentia, ad omnes formas, ſed declaro non ad omnes ſimul, ſed ad unam, poſt aliam, eſt ergo ſenſus, eſse indifferentem ad omnes: at cum unam habet inſeparabilem, non eſt in potentia; materiæ. n. appetitus, cum perpetuitatem aſsequi non poteſt ſub una forma numero, conatur ſub formis ſibi ſuccedentibus continuè, ait Alenſ. 3. Metap. t. 12. quod addit formam, quæ debet auferre, hanc potentiam, ſeu appetitum debere continere, in virtute, omnes formas, quod non facit forma Angelica:

gelica: hoc patet esse falsum, si enim appeteret omnes simul, valeret instantia: at quia alternative appetit, hinc una forma sufficit, ad tollendum talem appetitum: Rationem autem, qua materia sub Angelica forma non appetit aliam, reddit ubi supra Seraph. Doct. in fundam. seu notab. 2. in fine, dicens materia in Angelis facta est sub esse perfecto absque ulla privatione: Hydropicus enim (dico ego) dupliciter satiari potest, ne ultra sitiat. 1. si daretur ei bibendum ad satietatem. 2. auferendo ab eo infirmitatem Hydropysis: Primo modo nullatenus sanabilis est, manente enim illa infirmitate, dum plus bibit, amplius sitit, de hoc. n. verificatur illud, quò plus sunt potæ. plus sitiuntur aquæ.

At si amoveatur Hydropisis, bibendo quod sibi sufficit, satiatur, nec ulterius vexatur siti, propter amotam dispositionem, Privatio materiæ annexa est ipsius materiæ Hydropisis: hinc sitibunda materia, sitio clamat, & nonquam dicit sufficit, existens sub uno contrario, ratione privationis, appetit esse sub alio; materia. n propter privationem, & mutationem turbat verum esse, ex Alberto mag. 3. de anima, tract. 1. cap. 19. at Deus præservavit ab hac Hydropisi cœli, Angelorum que materiam, non imprimendo ei omnem formam, sed formam, non habentem contrariam, & sic, formas à privatione sejunctas non appetit, ergo; quia subesse completo, sine hydropisi reperitur.

Ad 7. Resp. primo. Appetitum esse in duplici differentia, alium carentiæ, qui est aptitodo naturaliter conveniens rei ad consequendam perfectionem, qua caret: alterum complacentiæ, & est aptitudo, naturaliter conveniens ad adeptionem, vel diuturnam conservationem illios perfectionis, quàm habet: Utrumque babet materia, sed primus supponit privationem, ex qua oritur, secundus verò non: Modo, cum dicitur, appetitum esse de essentia materiæ, vel proprium quarto modo, distinguo, de appetitu, secundo modo concedo; non de appetitu primo modo, & hinc veræ deductiones, propter ultimam, non enim similis appetitus, ut poté elongatus à privatione, est causa transmutationis, appetit enim conservationem habiti.

2. Resp. absolutè, appetitum esse proprium quarto modo, negando, separati non posse, quia proprium quarto modo, si absolutum sit, inseparabile est etiam: at si relativum, separabile est; ratio autem disparitatis est, quia ad variationem relativi, sufficit aliqua variatio in extrinseco, sive in termino aut in aliqua conditione, in proposito, est variatio in condinone, ad hoc. n. ut sit appetitus, requiritur, quod materia, non sit conjuncta com forma inseparabili, at io casu nostro est conjuncta, ergo.

3. Resp. concesso, quod sit proprium quarto modo ille appetitus, & inseparabilis, dicimus non tolli, sed compleri; formæ enim inferiores non complent; at Angelica forma est cibus tantæ excellentiæ, ut compleat materiæ famem. Tandem ad argumentum 8. & ultimum de anima, hæc non haber materiam, ergo nec Angelus. Resp. 1. (quicqoid sit de anima) negandanc consecutionem, quod si dicas, ergo Angelos imperfectior anima, etiam hoc negandum, anima enim ex suppositione, etiam quod careat materia, est ens incompletum cum forma, enim pars sit, Angelus autem completum, hoc aliquid.

2. R. negando antecedens: habet enim anima materiam: At clamant contrarii, tunc sequeretur, animam esse extensam corruptibilem, &c. contra fidem. Item sequeretur, dum anima, est in corpore, vel unam formam, duas materias informare, nempe formam animæ, propriam materiam, ipsius constitutivum, & corpus, cum ea, hominis constitutivum, vel materiam, informare materiam, nempe materiam animæ ipsum corpus: At hæc sunt impossibilia, nam materia non potest habere rationem actus, nec distinguere, &c. & si una forma informaret duas materias, unus homo esset duo supposita, quod est impossibile, ergo à primo ad ultimum, anima, non potest esse composita ex materia, & forma.

Ad hoc argumentum, omissis aliorum responsionibus, Aureoli nempe & Scotelli, ex Sancto Bonavent. hic in 2. d. 17. a. 1. q. 2. respondemus negando primam sequelam, idest hinc futuram extensam animam & mortalem, illa enim materia ex Sanctu Bonavent. ibi in corpore sublevata est supra omnem extensionem, privationem, & corruptionem; subjectum enim adæquatum quantitatis non est compositum materiale secundùm totam suam latitudinem, sed compositum corporeum, quidquid dicant Suarez, & alii.

Ad aliud inconveniens, quod deducunt R. negando utrumque membrum, non enim anima informat secundùm partem sui, sed hoc totum, puta anima ex materia & forma creata, informat corpus, ita ut forma animæ informet suam materiam, & hoc constitutum, nempe anima informat corpus.

Quod si dicas, anima, ut sic, non tantùm forma est, sed etiam hoc aliquid, per se nata subsistere, ergo non potest venire ad constitutionem tertii R. ex eodem Seraphico, ibidem, negando sequelam, sicuti enim singula membra, in suo esse completo, cum propria materia, & forma, & corpus constitutum ex sua materia, & forma, completum, in ratione corporis, est hoc aliquid, & ad novam formam ordinatur, & ea informatur, quare hoc denegandum erit in anima, quod licèt hoc aliquid ea ipsa sit, quia valeat corpus informare? licèt enim ex duobus entibus actu non fiat unum per se. Ex S. Bonav. ex d. 3. 2. a. 1 q. 1. prob. 4. & Scot. tamen Glos. Scot. & benè d. 22 a. 9. 1. falsum esse dictum quando unum est in potentia ad aliud. Sic in proposito est in anima corporea forma, & in corpore ordinato ad animam, tanquam ad propriam formam.

Dices forsan, Seraphicum in lib. qui inscribitur, Luminaria Ecclesiæ serm. 3, pag. 1, col. 3. circa medium dicere, animam esse reflexivam sui propter immunitatem à materia; sed ex verbis Seraph. D. patet se loqui de illa materia, quæ impedit reflexionem, de qua supra in responsionibus ad 2. arg. videatur Seraphicus in eodem lib. serm. 2. pag. 4.

Dices ex Seraphico in Breviloq. 2. p. cap 6. Angelum babere simplicitatem essentiæ: at subjungit, necesse est etiam, quod sit substantia spiritualis, & incorporea, ac per hoc, simplex careat omni divisione quantitativa, hæc ibi.

Dices ex eodem in Centilnq 3. p. sex 9. Angelum esse purè spiritualem: at cum subjungat, substantia quippe spiritualis, & incorporea simplex & omni carens divisione quantitatis ejusmodi e contra Angelica (hæc ille) patet, semper eundent Seraphicum in sua verissima sententia permanere. Verum de his hactenus; parce amice lector, &c. si nimis prolixus fui; difficultas enim, & dignitas hujus articuli, librum integrum, nedum quæsitum unicum, facilè sibi posset vindicare.

QUÆSTIO VI.

Vtrum in Angelis, sit mera discretio personalis, vel an aliqui Angeli differant solo numero.

38 PRo titulo quæst. ly, discretio personalis, perinde esse, ac si diceret distinctio personarum, cum enim persona sit individua substantia rationalis naturæ, ex S. Doct. in primo sentent. ubi de personis divinis, ubicumque sunt plures substantiæ rationales, seu intelligibiles, ibi plures adesse personas, fatendum esse videtur; cum ergo in Angelis, plures substantiæ intellectuales reperiantur, ibi plures esse numero personas Angelicas, & sic discretionem personalem, videtur dicendum, vel etiam rationabiliter inquirendum.

Addit, meram, quia distinctio personarum dupliciter inveniri potest; primo conjuncta cum specifica distinctione, ita, ut tot species sint, quot individua, seu personæ, ut exemplificat Sanctus Bonav. in corpore quæst. in luminaribus mundi, Sole, Luna, Marte, &c. non solum enim unum, ab alio numero differt, sed etiam specie, cum quodlibet eorum propriam constituat speciem. 2. invenitur hæc distinctio personalis sejuncta à distinctione specifica, & tunc dicitur mera, idest pura, excludens specificam distinctionem, unde idem est quærere, an sit in Angelis mera distinctio personalis, & an solo numero distinguantur, ut patet ex S. Doct. in principio quæstionis. Est ergo sensus quæstionis, an Angeli inter se solo numero, ut Petrus, à Paulo, distincti sint, vel non solo numero, sed etiam specie, ut Sol, & Luna, distinguantur.

In corp. quæst. propositis duabus opinionibus, negativa, & affirmativa, unum supponit necessariò, & aliud determinat; supponit, enim quod quærit in 3. a. D. Thom. nempè Angelos esse in maximo numero, in fine tamen responsionis ad 2. habemus, eamdem cum Angelico Seraphicam conclusionem.

1. Concl. Angeli sunt in magno numero, secundum quod decet illam supernam Civitatem, omni decore fulgentem.

Notanda hic Seraphica verba: Cum enim quæratur, quot numero sint Angeli, & alii respondeant, numerum individuorum simul omnium specierum sensibilium Angelorum numerum superare velle videtur, ut Dionys. cap. 14. de cœlesti Hierarch. licèt non ità clarè, quod displicet Cajet. & aliis Theologis, quibus videtur incredibile, quod is fuerit sensus Dionys. propter arenæ numerum, unde censent ex Dionys. opinione, esse plures Angelos, quam omnia individua cujuscumque speciei per se sumptæ, sed non omnium simul.

Alii dicunt, Angelorum numerum se habere, centupla portione, ad numerum omnium hominum, qui sunt, fuerunt, & erunt. Alii quod sunt, tot Angeli, quot homines, quas sententias refert D. Athanas. ad Antiochum *q.* 2. sed neutram approbat, nec reprobat. Alii ut D. Hier. Daniel. 7. D. Greg. *lib.* 17. *moral. cap.* 7. quod est infinita, & à nobis incomprehensibilis Angelorum multitudo. Alii ut Cajet. numerum Angelorum excedere incomparabiliter numerum specierum rerum sensibilium. Alii tandem, ut Albertus Magn. in suo compendio Theologiæ, quod quilibet Chorus Angelorum habet, sex millia, sexcenta sexaginta sex legiones, & quælibet legio habet totidem Angelos, quot suot legiones, cum hæc omnia incerta sint.

Optima est Seraphici responsio, & certissima, Tot esse Angelos, quot decet illam supernam Civitatem. Ubi enim non apparent Scripturæ, nec Sanctorum PP. auctoritates, nec ratio cogens non videtur, nisi præsumptio aliquid determinatè asserere, ait S. Bon. *in corp.*

Prob. autem ex Seraphico in primo fundamento, per illud Daniel. 7. Millia millium ministrabant ei, & decies centena millia assistebant ei, ex qua probatione], conclusionem esse de fide patet, ut etiam patet Lucæ 2. Facta est cum Angelo, multitudo cœlestis exercitus. Matt. 26. & exhibebit mihi plusquam duodecim legiones Angelorum: David 62. Currus Dei decem millibus, &c. quem locum Sancti PP. de Angelis intelligunt, & alibi sæpè.

2. Concl. quam determinatè ponit est. In Angelis sunt aliqui, qui solo numero inter se differunt. Prob. primò status, & unum ministerium specie, pluribus commune arguit convenientiam, in specie, & differentiam tantùm, in illis numericam: At plures Angeli conveniunt in statu uno, & ministerio specifico, ergo & inter se specie conveniunt, numero tantum differentes: minor probatur ex Daniele 7. &c. 2. Gloria est Regi, &c. At Regnum in quo cum Christo gaudent Angeli est gloriosum, ergo Ministros aliquos saltem habet uniformes, in natura & numero differentes. 3. Discretio personalis tantùm est in Deo & hominibus, ut patet, ergo & in Angelis. Prob. deductio ista mera discretio, vel dicit imperfectionem, vel perfectionem; at non imperfectionem, quia non esset in Deo, ergo perfectionem. Tunc quidquid est perfectionis, in inferiori creatura, ponendum est in superiori, & Deo propinquiori. At discretio sola personalis ponitur in homine inferiori, ergo & in Angelo Deo propinquiori.

4. In quocunque est affectus sociabilis, & amicabilis, ibi est desiderium societatis sibi similis, in Angelis est talis affectus, ergo & simile desiderium. Tunc subsumit: Desiderium Angeli beati non est frustra, ergo verè aliqui saltem illorum similes in natura sunt.

Pro responsionibus ad argumenta. Sicuti enim quatuor rationibus probavit conclusionem, ità, & quatuor argumentis eam impugnat.

Primum argumentum. Pluralitas secundùm nu- 39
merum tantùm provenit ex divisione materiæ, at in Angelis non est divisio materiæ, ergo nec pluralitas, secundum numerum tantùm. Prob. major, exemplo Solis, Lunæ, &c. Quare sol, non tantum numero, sed etiam specie, à Luna, &c. dividatur, est, quia tota sua essentia est ex tota sua materia, unde ejus materia, nec divisibilis, nec multiplicabilis est: At in Angelo materia, non est divisibilis, nec multiplicabilis, unde non plures communicant in eadem Angeli materia, ergo.

Resp. ad majorem veram esse, de differentia numerica, per generationem habita, ex hoc enim, quod generans dat partem suæ substantiæ, fit multitudo: Ad minorem, conceditur ista, at negatur consecutio, nam debet concludere, non est pluralitas tantùm secundùm numerum, per generationem habita, quod totum conceditur, cum sit pluralitas, secundùm numerum tantum, habita per

divinam creationem, à Deo creante, Angelum, quemlibet nempè materiam, ut dicebat ſupra, ſub eſſe completo, ideſt forma Angelica.

2. Argum. Corruptibilitas eſt ratio finalis multiplicationis ſecundum numerum: at in Angelis, nulla corruptibilitas, ergo. Prob. major, quia enim ſpecies ſalvari in uno non poteſt, hinc multiplicantur individua, ut in ipſis duret, quod patet de Planetis, quia enim perpetua ſunt iſta, hinc nulla multiplicatio, dicebat enim Scot. pluralitatem individuorum, in una ſpecie, non per ſe intendi à natura, ſed per alium, nempè propter ſpeciei perpetuitatem, & Ariſt. *l.2. de anima t.35.* adducendo multiplicationis intentum ait quatenus ipſo ſempiterno eſſe divino participant, prout poſſunt, quo loco Averroas, ait, quod ſollicitudo divina miſerata dedit homini virtutem, qua poſſet permanere in ſpecie, & 4. lib. de cœlo invenit de individuis plura quam unum eſſe diminutum, quia ſi eſſet perfectum, ſufficeret unum, ſicuti eſt, de mundo & *quæſt.*8. pluralitatem individuorum, in una ſpecie, eſſe propter diminutionem ſui eſſe.

Reſp. Sanctus Bon. negando majorem univerſaliter, nempè in omni multiplicatione numerica: Alia enim multiplicatio ſucceſſiva per generationem habita, & de hac vera major: Alia ſimplex multiplicatio, non ſucceſſiva, non per generationis ſeriem, ſed per creationem, ut eſt Angelorum multiplicatio, & de hac major falſa; hujus enim multiplicationis ratio finalis, non corruptio, ſed declaratio potentiæ, ſapientiæ, ac bonitatis divinæ: hæc enim apparet etiam, in multiplicatione Beatorum: amor enim charitatis exultat in multiplicatione bonæ ſocietatis: eodem modo reſpondit Alenſ.

3. Argum. In quibus reperiuntur extrema, in his eſt medium poſſibile: at in natura intellectuali ſunt extrema, ergo & medium. Prob. minor. In Deo benedicto eſt pluralitas perſonarum in una, eademque numero natura, & in homine Deo, in Chriſto eſt pluralitas naturarum, in una perſona, humana namque & divina, in Verbi perſona, quæ extrema ſunt, ergo datur medium, nempè pluralitas naturæ, & perſonæ ſimul; at nullibi, ſi non in Angelis, ergo quilibet propriam ſpeciem conſtituit.

Duplicem adhibet reſp. D. Bon. prima eſt concedendo totum, nempe eſſe poſſibile tale medium: at negat eſſe poſſibile, in Angelis, licèt enim non habeant tantam diverſitatem naturarum, quantam habet homo, puta corpus, quantitatem, &c. nihilo minus aliquam habent, nempè materiam, & formam, quibus invicem, ſolo numero differunt.

Reſp. 2. ad majorem, non ſolùm eſſe poſſibile medium, ſed actu in homine, reperiri, licèt enim in hominibus diverſificetur humana natura, una ſpecie, in omnibus illis; attamen multiplicatur in ſingulis, & ideò aliud non eſt quærere medium.

4. Et ult. argumentum. Origo unius ab alio, eſt tota, & principalis ratio, diſtinctionis perſonalis, ut patet inductione in Deo, & in hominibus, & animalibus: at in Angelis, nulla origo, ergo nec ulla numerica diſtinctio. Prob. major ex Richard. Perſonæ in hominibus diſtinguuntur origine, &c.

Reſp. negando majorem, ratio negationis ſubjungitur, ſi enim vera eſſet, ſequeretur hominem diſtingui ſolum ab eo, à quo generatur, & originatur: at ab aliis diſtinguitur, ergo falſa; Diſtinctio enim venit à principiis conſtituentibus, & particularitantibus, ideſt facientibus hoc unum individuum; innoteſcit autem nobis, ex qualitatibus, & accidentibus, quæ quidem, cum inſint Angelis, habent enim ſua principia conſtituentia, & particularizantia, habent ſuas proprietates innatas; ſicuti enim homines diverſas facies habent, ex quibus cognoſcuntur, ſic & Angeli, habent & ſuas mentes, & ſuo modo proprietates mentales, quibus diſtinguuntur. Ad Richardi ſenſum reſponſum eſt, diſtingui origine, quæ neceſſaria eſt ad diſtinctionem: at hæc diſtinctio eſt ab origine, ſed non ratione originis, ſed principiorum conſtituentium, &c. Hæc S. Bon.

Circa præſentem articulum contrarium habemus Angelicum Doctorem, & ſequaces ejus, contendentes non ſolum de facto falſum eſſe Seraphici ſenſum, ſed etiam de poſſibili: Proponendæ ſunt igitur Angelica rationes. 2. ſtabiliendo ſupradicta Doctrina Seraphica. 3. ſolvenda D. Thomæ fundamenta.

QVÆSTIO VII.

Defenditur ſententia Seraphici Doct. ab adverſariis.

INter Diſcipulos D. Thomæ diſſenſio eſt, circa opinionem magiſtri dicentis in ſumma *quæſt.*50. *a.*4. impoſſibile eſſe Angelos ſolo numero differre, & in ſcripto primo in Magiſtrum, neceſſarium eſſe conſentire opinioni dicentium Angelos ſolo numero non differre, & in ſecundo ſcripto ad Hannibaldum, non poſſe eſſe, quod Angeli ſolo numero differant: alii enim de potentia Dei ſolum ordinaria, interpretantur, ut Ferrar. & Capreol. & cæteri: alii verò etiam de potentia abſoluta Dei locutum eſſe Magiſtrum dicunt. Sic Cajet. Bergomen. in concordia locorum D. Thomæ dub.115. & Nazarius. 40

Quicquid ſit, videant ipſi, noſtrum erit referre rationes, & tum de facto, tum de poſſibili oſtendere Seraphicam ſententiam veram. Prob. ab Angelico, Angelos de facto non differre ſolo numero, auctoritate D. Dionyſ. *cap.*10.*cœleſt. Hierarch.* dicentis in eodem ordine eſſe primos medius, & ultimos, ergo ſpecie, non numero tantum differunt. Item ratione probatur 2. *contra gent. cap.*13. Nobilior eſt eſſentia quam exiſtentia, ergo erit major perfectio in Angelis, ſi multiplicentur ſecundum eſſentiam, quam ſecundum exiſtentiam: at prima multiplicatio facit differentiam ſpecificam, eſſentiæ enim ſunt ſicut numeri. 8. Metaph. 10. ergo cum Angelis debeat concedi perfectio potiſſima, ſola ſpecie differunt. Probat non ſolum de facto, ſed etiam de potentia divina, Angelos non poſſe, ſolo numero, differre duplici ratione. Prima eſt. Omnis multiplicatio individuorum, provenit à materia, ex Ariſt. pluribus in locis: at Angelis repugnat materia, ergo & multiplicatio individualis; nec Deus poteſt ſupplere vices materiæ, ergo nec per divinam potentiam, poſſunt ſolo numero differre. 2. Ratio eſt Etiamſi Angeli haberent materiam, non poſſent ſolo numero differre,

ratio

ratio est, quia materia in ipsis, quantitate careret, cum sint incorporei: una pars materiæ diversas formas oppositas, & disparatas simul recipere non potest. at impossibile est, intelligere diversas partes, in materia, nisi præintellecta in eadem quantitate dimensivâ per quam dividatur, ergo in Angelis, non est possibilis materia, quæ individuare eos possit, ut puta sine quantitate dimensiva dividente existentes, hæc ex D. Thoma ubi supra.

Tertia ratio ejus Discipulorum. Angelus intrinsecè, non potest multiplicari in plures species, ergo nec in plura numero individua. Prob. quia, ab ea differentia, quia Gabriel est in sua specie, ab eadem habet singularitatem, & individuationem, ergo, &c. Prob. antecedens. Quia differentia individualis, sive principium individuationis in Angelo, sumitur ex principio intrinseco, & essentiali.

Quarta ratio. Natura, quæ de se est incommunicabilis, & impartibilis, ullo modo non potest multiplicari: At Angeli natura est talis; ergo, confirmatur; eò Angelus est incommunicabilis, quò est immaterialis: at immaterialis est, ergo, &c. De facto autem, plura non esse solo numero Angelica individua probant, cum Argentina, alii Angelici Discipuli licèt concedant de possibili, sequentibus argumentis.

Primò ex Arist. 5. *Metaph. c.* 8. *in fine*, *&* 12. *Metaph. c.* 8. *t.* 49 quæcumque numero plura sunt, materiam habent, quod habetur etiam primo cœli, *c.* 9. *t.* 92. *&* 5. *Metaph. c.* 6. *t.* 12. At in Angelis, non est materia, ergo, &c. Est D. Thomæ ubi supra.

2. Si homo cognitus ab intellectu universaliter, ita subsisteret, sicut cognoscitur, non esset nisi tantùm unus homo, sed Angelus ita se habet, quia re ipsa, abstractus est à materia, ergo unus tantum specie Angelus; est argumentum D. Thom. in Opusc. de spiritualibus creaturis.

3. Homo, & equus, differunt specie, quia differunt formis; sed Angeli differunt formis, ergo specie: deducitur ex D. Tom. ubi supra.

4. Species diversæ non sunt aliud quam quidam gradus essentiales divisi, sed Angeli sunt inter se quidam gradus, essentialiter differentes, in perfectione, ergo.

His tamen non obstantibus, sit.

41 Concl. 1. De potentia Dei absoluta, possunt plures Angeli dari solo numero differentes. Est opinio communis, exceptis Caietano. Nazar. Bergomensi. sic interpretantibus D. Thomam. Pr. communi ratione, nulla adest implicantia, ergo, &c. Prob. ex Scot. Animæ intellectivæ sunt puræ formæ, & tamen numero solo distinguuntur, ergo & Angeli; nulla enim apparet ratio distinctionis, in uno, quæ in altero non sit.

Dicent Thomistæ, animas individuari per inclinationes, ad corpora diversa, qua inclinatione, carent Angeli, at falsum est, ait enim Seraph. 2. *d.* 3 *a.* 1. & probat tripliciter, distinctionem secundum numerum, provenire à principio intrinseco, & substantiali, omnibus enim accidentibus circumscriptis, differentia numero sunt sunt diversa (hæc Sanctus) cum autem inclinatio, non sit intrinsecum principium, per eam, non valent animæ individuari.

Prob. 2. Non adesse repugnantiam: Tota enim repugnantia per D. Thom. consistit in materia, utpotè sola causa multiplicationis, & individuationis, quæ materia, secundùm ipsum, non est in Angelis: at per nos in Angelis, est materia, & secundum rei veritatem, ergo nulla repugnantia. Addo si repugnat tali speciei, esse in pluribus, erit species, & non erit species; ex suppositione est species; ex repugnantia non erit species, cum de natura speciei formaliter sit, ut saltem in plura valeat multiplicari individua, ergo erit species, & non erit species. At hoc est manifesta contradictio, ergo, &c.

Dicent forsan contrarii. Ad hoc ut species dicatur sufficit, ut per intellectum concipiatur absque conditionibus individuantibus. At contra, quia sic intellectus conciperet multiplicationem individualem, sine principio multiplicationis, imò cum repugnantia talis principii, quod implicat contradictionem; sicuti enim, non potest concipi, sub ratione universalis, quia propter singularitatem sibi repugnat; ita si Angelo repugnat, esse in pluribus, non potest concipi sub ratione universalis sibi repugnante.

Concl. 2. De potentia Dei ordinaria, possunt esse plures Angeli, solo numero distincti. Hæc est contra cæteros interpretes D. Thom. Pr. ex prædicta prima Conc. Possunt dari de potentia Dei absoluta, ergo & de ordinaria. Pr. deductio: Vel illa Angelica natura, est capax talis multiplicationis, utpotè habens intrinsecum principium, ad talem multiplicationem, vel non: si primum, ergo sicuti est possibile; de potentia absoluta, ita & de potentia ordinaria, hoc enim operari secundum rei naturam: si secundum nec de potentia absoluta, valent multiplicari, quia salva tali natura, non potest dari principium talis multiplicationis. 42

Dicunt ex Capreol. 2. *sent. d.* 3. Durandus, Ferrar. contra Gent. Soncio 12. Metaph. Javel. & aliis, servata natura, & simplicitate Angelica, non posse dari, talem multiplicationem, sed per Dei potentiam absolutam, posse dari per aliquid additum: at quid sit illud superadditum, non potest fingi, non est enim forma, nec materia, nec aliquid intrinsecum, ut patet; nec potest dici, quod sit aliquod accidens naturale, vel supernaturale, cum non possit accidens, rem individualiter constituere, ergo patet non dari posse: Ægidius ait si Deus multiplicaret Angelos, numericè, id facturum, quia non daret Angelos unius speciei, puta Michaëli, tantum esse quantum naturaliter posset recipere: at contra, quia cum Angeli essentia, consistat in indivisibili, ut quæcumque alia essentia, patet ergo ut dicebat Nazarius, per quodcumque superadditum, non posse individuari, sed necesse esse variari naturam, quod fieri non potest, ergo nec per potentiam divinam absolutam potest multiplicari, & si per eam, ergo nec per ordinariam, ut probatum est.

Prob 2. ex PP Damasc. *l.* 2. *c.* 3. dicente, an Angeli in essentia sint æquales, vel inæquales, idest, an differant numero, vel specie, nullus scit, solus qui fecit illos, scit, & Aug. lib. ad Orosium, contra Priscillianistas, c. 11.

Quod sint Angeli, firmiter teneo, quod differant, non dubito, quomodo autem differant, ignoro. Ex quibus patet, posse differre numero, vel specie; si enim, hoc esset impossibile, nullum esset dubium, an differrent numero.

Prob. 3. ex articulo Parisiensi determinante, si quis dixerit Angelos non posse multiplicari in eadem specie, quia non habent materiam anathema sit; quem articulum proferunt Richard. Henric. Durand. &c. Nec contemnendos articulus cum in cap. ad abolendum extra de Hæreticis sit dictum, suspectam haberi posse de hæresi propositionem

nem

nem condemnatam, vel quæ condemnatur in aliqua catholica Academia, qua ratione forsan motus Dionys. Carolus 1. *dist.3. quæst.3.* ait quod si D. Thom. post talem determinationem vixisset, recantasset sententiam.

Concl. 3. contra Argentinam, & alios Discipulos D. Thomæ. Angeli aliqui de facto solo numero differunt. Est ferè communis omnium Theologorum D. Bonav. Alens. Scot. & Modernorum, quæ conclusio cum ex textu jam probata sit, testac, ut ad rationes contrariorum à Seraphico non exposita respondeamus.

Quoad tertiam partem, & quæstionis complementum restant responsiones ab objecta: Ad auctoritatem D. Dionys. neganda consequentia, cum apud homines sint primi medii, & ultimi, sine specifica differentia, ergo & ibi.

Ad 2. Resp. primo negando: hoc est perfectius, ergo est in Angelis: habent enim Angeli limitatam perfectionem, unde quod congruit debet poni, non quod est perfectius, 2. Resp. negando consequentiam: In Deo enim, non est multiplicatio secundùm essentiam, sed personarum, ergo illud non est perfectius, sic enim in Deo esset.

Ad primam rationem, imò totam rationem contrariorum, ad quam cætera reducuntur argumenta. Resp. à modernis, negando majorem, & negando Aristotelem, si universaliter est locutus; spiritualia enim seipsis numero differunt.

Resp. Scot. ad majorem declarando Aristotelis sensum, non pro materia ut est altera pars compositi, sed pro omni eo, quod tribuit naturæ esse determinatum, ad esse, hoc, vel illud individuum, hoc enim est velut materiale, ad esse specie: tunc negat majorem, est in Angelis hæc materia, quæ est differentia individualis, quæ appellatur à Scotistis hæcceitas.

Resp. Seraph. noster negando minorem, ut enim constat ex dictis, in Angelis vera & propria est materia, qua responsione soluitur Doctrina Arist. & proprietas Verborum ejus circa materiæ nomen.

Ad 2. rationem concedo, materiam, in Angelis carere quantitate, & ad minorem concedo, in iis, quæ habent esse per generationem, nego in iis, quæ habent esse per creationem, uti sunt Angeli, est hæc responsio supra ad 2. in text. Seraphico.

Ad 3. negatur consequentia, & ad probationem negatur antecedens, & probatio ipsius; licèt enim differentia individualis sumatur à principio intrinseco, attamen aliud est principium, quo contrahitur ad esse specificum aliud, quo hæc species contrahitur ad esse hoc, vel illud singulare individuum, incommunicabile; hoc enim principium est ultima realitas, cujuscumque rei, alioquin si differentia specifica esset individualis, genus immediatè descenderet ad individua, quod falsum est.

Ad 4. negatur minor; si enim naturæ Angelicæ repugnaret communicari, esset imperfectior qualibet natura, & sensitiva, & vegetativa, & humana, communicari enim dicit perfectionem, quia in Deo est; at quia repugnat finitati communicari in identitate naturæ, hinc in hominibus, & Angelis, ut finitis, communicatur, cum multiplicatione: & Divina, utpote infinita, sola communicatur cum identitate. Ad confirmationem, negatur communiter major, à nobis minor, ut patet ex supradictis.

Ad argumenta pro tertia sententia. Ad primum. Negant Arist. omnes moderni, & Scot. cum sequacibus, de spiritualibus enim plures habemus ab Arist. propositiones, ut separata à materia sunt simpliciter necessaria, & in separatis à materia, quod est possibile, statim est, & aliæ prolatæ in argumentis, in quibus non est audiendus. Apud nos neganda est minor.

Ad 2. Resp. ad majorem, esset onus, sed communicabilis pluribus: ad minorem respondent aliqui, Angelos seipsos esse singulares, non sic homo, qui subsistit per materiam, unde licèt Angelus esset à materia abstractus, esset singularis. Nos respondemus, ex nostra sententia, quicquid sit de majori negando minorem.

Ad 3. Resp. declarando majorem, differunt formis quidditativis, & specificis, tunc ad minorem negatur, & sic falsa conclusio, ut deducta ex falsa intelligentia propositionum. Ad 4. negatur minor, & sic terminatur hæc quæstio.

QUÆSTIO VIII.

Utrum Angeli different etiam specie, vel, Utrum Angeli diversorum ordinum sint diversarum specierum. d.9. a.1. q.1.

Examinatur, & explicatur textus Seraphicus. In corpore quæstionis duas proponit opi- 43
niones. Prima quarum est. Omnes Angelos diversorum ordinum esse ejusdem speciei specialissimæ, & sic solo numero differre, ut omnes homines. 2. Est Angelos non solum differre specie, sed etiam genere subalterno, ità, ut quælibet Hierarchia sit unum genus subalternum, & ordines sint species: ambas vocat probabiles, sed primam tamquam probabiliorem eligit, quam probat in corpore, & in fundamentis, solvens alterius opinionis rationes.

Sit ergo conclusio. Omnes Angelos diversorum & omnium ordinum esse ejusdem speciei specialissimæ magis probabile est.

Prob. in corp. quæstionis post medium ex Scriptura, & Patribus, unde sic potest formare argumentum. Illa opinio quæ conformior est sacræ Scripturæ, & Sanctis Patribus, est magis Theologica, & sic probabilior, hæc est conformior, ergo, &c. Prob. minor ex scriptura, non innotescit nobis diversitas operationum, & ex PP. qui aggressi sunt hanc materiam tractare, & possumus existimare quod Divinitus cognoverint eorum officium, & naturam, ut Dionys. propterea dicunt, ea quæ sunt omnium ordinum esse in omnibus & singulis, licèt magis excedentibus, in uno quàm in alio, ergo magis est conformior Scripturæ, & Sanctis PP. quod omnes sint ejusdem speciei specialissimæ.

At hoc non solum, anima enim non est propter corpus, sed è contra corpus ad animam ordinatur, & unitas specifica, sive pluralitas à forma, non à corpore pendet; Præterea si animabus congruenter esse specie diversas, nihil repugnasset ab initio, & corpore fieri specie diversa: at non factum est, congruit esse ejusdem speciei. Prob. 2. Conformitas unius naturæ facit connexionem in charitate, & ipsam adjuvat: at in civitate cœlesti maximè attenditur unitas, & nexus, & conformitas charitatis, ergo ibi est in Angelis specifica unitas. Confirmatur; ad astruendam, & conservandam

apud homines charitatem, Deus voluit, non tantùm homines facere similes, sed omnes homines, ex uno homine, ut ait Apostolus Athenienses alloquens, ignoti ac veri Dei notitiam eis aperiens. Fecitque ex UNO omne genus hominum inhabitare, super universam faciem terræ. N. ex UNO scilicet homine, ita D. Chrisost. &c. & alii, &c. similiter dicunt: at major charitas est in Cœlis, ergo.

Exemplificat S. Bonav. de Arca dicens, sicut Arca consumata est cubito. Est locus in Gen. Et in io cobito consummabis summitatem ejus, ait Deus Noë; pro cujus exempli intelligentia, nota triplicem esse illius loci expositionem: alii enim referunt illud (ejus) non ad Arcam, sed ad fenestram, de qua immediatè, loquitur Scriptura, sic Vatabl. Oleast. Alii ad eam Arcam in communi, ita ut sit sensus semper ad manum habeto cubitum, juxta quam mensuram ædifices singulas partes Arcæ, sic Torniellus. Tertia expositio genuina, & SS. PP. communis, & textui magis conformis, est de tecto Arcæ ut sensim, & lentè tantum assurgat ad altitudinem cubiti, sic ut cubitus iste sit altitudo mediana culminis Arcæ, ex quibus apparet Seraphicum secundum Patrum expositionem locum intellexisse, est ergo sensus exempli, sicuti summitas tecti Arcæ erat unius cubiti, ita & summitas naturæ creatæ, quæ est natura Angelica est unius speciei: dicamus allegoricè Arca est Ecclesia, cujus Christus est Auctor & Redemptor, hujus summitas est natura Angelica quæ perficitur uno cubito, sive unitate specifica.

Quid sit cubitus, & de duplici cubito Geometrico, & communi, & de quo cubito locutus sit Deus, videte Cornelium à lapide, & alios interpretes (extra chorum enim saltare nolumus.) Unde.

Prob. ultimo. Ruina Angelica congruenter reparatur: at per homines unius speciei specialissimæ reparatur, ergo corruentes ejusdem fuerunt speciei, sed de quolibet ordine sunt lapsi, ergo omnes sunt omnes ejusdem speciei. Pro solutione argumentorum alterius opinionis minus probabilis. Primum argumentum. Multiplicatio Angelorum maximè manifestat divinam potentiam; &c. at major multiplicatio est illa, quæ est secundum numerum, & speciem quam ea, quæ est secundum numerum tantum, ergo utraque debet in Ang lis reperi. Resp. ad majorem declarando eam: Divina enim bonitas in communicatione sui ipsius, facit eam salvo ordine sapientiæ ordinantis mundum; salva proprietate naturæ, cui se communicat; & salva decentia Civitatis supremæ in hoc proposito; hæc autem magis salvantur, si Angeli unius & ejusdem speciei sunt. Sapientia enim divina reddit mundum perfectum individuis unius speciei humanæ; salvatur ergo ordo divinæ sapientiæ ordinans communicationem divinæ bonitatis in Cœlo, sicut fuit in terra in hominibus.

* Quoad naturam Angelicam, supremum & optimum Angeli, est deiformis intellectus (idest plenus formis) unum est in quo non convenit, cum hominibus, quorum intellectus est tanquam tabula rasa, ergo debet natura Angelica, esse una specie; salvatur ergo proprietas naturæ: Vult dicere S. Bonav. species sumitur ab illo gradu, qui in re est optimus, & in quo non convenit cum aliis naturis, sic species humana in hoc sumitur ab eo, quod est summa, in eo, nempè à rationabilitate, in quo ab aliis animalibus, non autem à vegetativo, & sensitivo, in quibus convenit cum aliis, optimum in Angelis, in quo differt ab homine, unum est, omnibus Angelis commune, hoc est deiformitas, ergo ab eo sumenda species, ergo unius sunt speciei, quia unus est in ipsis intellectus deiformis.

Quoad Civitatis decentiam, hæc unita debet esse, & perfectè restaurata, cum autem unitas specifica, magis conferat ad unitatem, & per homines unius speciei perfectè restauretur, ergo similis specifica unitas fovet decentiam Civitatis supernæ. Major sic universaliter negatur, vel conceditur salvis jam dictis, quæ cum salventur in multiplicatione tantum specifica, falsa hinc conclusio uti deducta, ex majori nimis universaliter sumpta.

Dices ex dictis, Homines,& Angeli, sunt ejusdem speciei, ut sic esset conformior restauratio: at non sunt, ergo nec Angeli, inter se. Resp. falsum esse, quod deducitur; Angeli enim, & homines, non conjunguntur in Cœlo, in unitate naturæ, sed obsequio beneficentiæ, dum Angelus, hominem adjuvat, dum homo Angelum reparat; si enim essent ejusdem naturæ, jam non esset obsequium beneficentiæ, sed obligatio, & affectus debitus propriæ naturæ.

2. Argumentum. Angeli diversorum ordinum, plus differunt in simplicitate, quam Angeli ejusdem ordinis: at Angeli ejusdem ordinis, saltem differunt numero, ergo Angeli diversorum ordinum differunt specie.

Resp. ad majorem differre accidentaliter, sicut aqua diversorum fontium, quæ sapore differunt, non specie. At contra, simplicitas essentiæ non est accidens in Angelis, sed essentialis proprietas, at Angeli differunt in simplicitate, ergo essentialiter, ergo specificè Prob. major, accidens potest intendi, & remitti in eodem subjecto: at simplicitas non, &c. ergo non est accidens. Respond. negando consequentias, eò quia intensio, & remissio in proprietatibus essentialibus non variant essentiam, seu species per se: magis enim se excedunt Angeli in gratiis & in gloria, quàm in simplicitate, & naturalibus proprietatibus, & tamen ex majoritate gradus gratiæ & gloriæ non differunt specie, sed solùm accidentaliter, ergo ex majori vel minori simplicitate, non colligitur specifica differentia. Ad probationem negatur conseq. nam & gloria non intenditur in eodem subjecto, idest essentialis gloria, & tamen non est essentialis subjecto glorioso, sed accidentalis, ergo nec simplicitas, licèt in eodem Angelo non intendatur, sive remittatur non tollitur, quin sit accidens. Nota, Seraphicum non appellare simplicitatem Angelorum essentialem proprietatem, sed inseparabilem, sed naturalem, & sic ut accidens proprium faciet differentiam accidentalem.

3. Argumentum à simili. Sicut se habet esse vegetabile ad vegetabilia, & sensibile ad sensibilia, ita intellectuale ad intellectualia; Tria enim hæc solùm sunt viventium genera; at prima duo diversis speciebus conveniunt, ergo & tertia: at esse intellectuale est in Angelis, ergo in ipsis sunt diversæ species Angelorum: at maxima Angelorum differentia, attenditur in diversis ordinibus, ergo diversi ordines, diversas constituunt species.

4. Argumentum. Sicut se habent corpora luminosa ad Cœlum, ita Angeli ad Empyreum, ab ipso enim Job, Astra matutina dicta sunt: at corpora luminosa, non solùm numero, sed etiam specie differunt, ergo, &c. Prob. minor. quæ habent operationes,

operationes, & impressiones omninò diversas, & speciales, differunt specie; Corpora luminosa sunt ejusmodi, ergo specie differunt. Resp. ad utrumque Argumentum, unica responsione, ambo enim sunt à simili. Non esse simile, in eo, quod assumitur; hinc in ambobus neganda consecutio; licèt enim intellectuale sit tertium genus viventium, non tamen sequitur respicere Angelos intellectuales tamquam species diversas: ita licèt Angeli, astra Empyrei, & ipsius ornamenta ut stellæ firmamenti, & orbium: attamen non sequitur Conclusio, propter disparitatem rationis: Viventia enim, & luminaria habent diversas specificas operationes, ut patet, non sic Angeli, ut patet ex Dionys. in Corp. suo in prima probatione Conclusionis supradicta; Item illa sunt ordinata ad diversas necessitates sublevandas, quæ in vivente sunt ad augmentum, ad vitam conservandam, Angeli verò ad solum Divinum obsequium: illa pertinent ad vitam activam, quæ requirit multiformitatem: Angeli ad contemplativam, de qua dicitur, porrò unum est necessarium unicum est Angelis, & uniforme domicilium Empyreum e diversum viventibus, & luminibus; illa tandem maximè distant ab uno, & summo Deo, qui maximè est unus: Angelus maximè appropinquat, ergo patet disparitas, & restat soluta ratio, & stabilita conclusio, quod probabilius est solo numero Angelos omnes differre: hæc quoad textum.

QVÆSTIO IX.

Defenditur Seraphica opinio de unitate specifica Angelorum.

45 Circa hanc quæst. contra Seraphicum adsunt duæ opiniones; quarum prima fuit Alex. de Ales. 2. *part.* q.20. *tom.*6. *a.*1. & 2. Gabriel *dist.*3. *q* 1. Et Dionys. Carthus. *d.* 3. *q.* 3. Richard. ibidem asserentium aliquos Angelos esse unius speciei, aliquos diversorum, ut Angeli forsan unius ordinis, sunt unius speciei, quamvis in hoc, non omnes conveniunt, quantum singulæ species complectantur. 2. Opinio est Patris Vasq. *part.*1. *tom.*2. *disp.*181. *cap.*1. *in fine*, cum aliis, in neutram partem inclinantibus.

Pro opinione Alens. & sociorum, ultra rationes adductas, & solutas à Seraphico, arguit Molonius *l.*2. Bibliothecæ scholasticæ dupliciter. 1. ex Scripturis; diversa sunt nomina Angelorum, ergo & diversæ naturæ. Antecedens patet ad Ephesios, ut innotescat Principatibus & Potestatibus: & alibi adversus Principatus, & Potestates, &c. Nec valet, ait Molonius, si resp. hæc esse nomina ministeriorum, quibus applicati, vel destinati sunt Angeli: Talia enim remanserunt in Dæmonibus, dicuntur enim & virtutes, & Principatus & Potestates, ergo nec ex gratuitis, sed essentialibus, desumpta, naturalia enim integra remanserunt in Dæmonibus amissis gratuitis. 2. Arguunt. Alii sunt Angeli superiores, alii inferiores, alii sanctiores, ergo differentes, quoad essentialia: gratuita enim sunt data Angelis, secundùm proportionem naturalium ex Magist. 2 *d.*2. Nec valet, ait Molonius, in Ecclesia militante sunt Apostoli, Prophetæ, &c. & tamen eadem natura specifica, sic & in Angelis; nam hæc gratuita hominibus dantur, prout vult Spiritus sanctus, ex beneplacito Dei: Angelis autem secundùm proportionem naturalium, ut dixit Magister cit. quare similis differentia, in gratuitis arguit differentiam penès essentialia.

3. Arguunt alii: Ad perfectionem universi, non magis pertinet multiplicatio individuorum, quàm specierum, ergo & Angelorum, &c.

4. Arguunt: Nullus datur gradus genericus, unica specie continens, at gradus substantiæ spiritualis, est genericus, ergo plures habet species.

5. Proferunt duplicem auctoritatem, quarum prima est, ex Damasceno in Elementario *ca.* 12. quam profert Scot. q.7. 2. est autem ejusmodi, secundùm unam quamque speciem fecit Deus Angelos. 2. est Nazianz. *orat. de nat. Domini.* Sicut mundus iste visibilis, ex pluribus speciebus consurgit, & constat, ita etiam mundus ille intelligibilis Angelorum ex pluribus eorum speciebus constare debet: Adducunt Aristotelem 12. *Metaph.* ex motuum specie diversorum, perpetuitate concludentem diversos specie motores.

Pro opinione Vasq. duæ proferuntur auctoritates. Prima est Damasceni, ubi supra asserentis, se nescire, an specie differant. 2. D. Augustini, ubi supra hoc ipsum se ignorare profitentis.

His tamen non obstantibus, restat Seraphici nostri absque ulla difficultate formatus sensus, probabiliorem esse opinionem asserentem, Angelos omnes ejusdem esse speciei specialissimæ, utpotè dicit hoc ipse Sanctus juxta sensum Sanctorum Patrum, quem sequentibus probamus auctoritatibus.

Prima est D. August. 12. *de Civitate Dei*, *c.*1. asserentis, Angelorum bonorum, & malorum esse contrarios appetitus, non naturis principiisque diversis: & *l.*85. 99. q.17. ait, omnes Angeli æquales creati, sed cadentibus illis, per superbiam, cæteri, Domino pia obedientia adhæserunt: at nulla major inæqualitas specifica, ergo æquales in specie, & essentia.

Nec obstat idem August. adversus Priscillanistas, &c ubi supra, dicens, nescire, an specie differant, sensus est enim, se nescire certò, & infallibiliter, quia nec scriptura, nec Concilium, nec traditio hoc determinat.

D. Anselm. *l.*2. Cur Deus & homo *c.* 21: ait. Et si omnes Angeli sint ejusdem naturæ, non tamen ejusdem generis; non enim sic sunt omnes Angeli, de uno Angelo, sicut omnes homines, de uno homine.

D. Athanas. in quæstionibus ad Antiochium *quæst* 4. ita respondit, petenti de distinctione Angelorum, essentia Angelorum una est, sicut omnium hominum, una est essentia, ordines autem novem, sunt sicut multum potens in Theologia Dionysius tradit (hæc ille.)

S. Basil. *l.*3. contra Ennomium contendebat Eunomius, Spiritum sanctum esse alterius substantiæ, seu essentiæ à Patre, & Filio, quia tertia esset persona; Cui Basilius, non longè à principio, post primam columnam circiter sic optimè ad rem nostram respondit: Angeli omnes, ut appellationis unius, sic ejusdem etiam sunt naturæ inter se, & infra post 32. lineas ejusdem columnæ: quorsum hæc oratio? quod non omninò, si quid ordine ac dignitate. Secundum aut tertium est, idest naturam alteram habet. Nam quemadmodum Angelorum alius Princeps, alius subditus, & tamen omnes Angeli natura sunt, & in dignitate, quædam diversitas: In NATURA verò COMMUNITAS est: etenim stella stellæ, præstat

in gloria, & natura stellarum omnium UNA est, & mansiones multæ apud Patrem, idest dignitatum diversitates; glorificatorum verò natura una, sic profecto, & Spiritus sanctus dignitate quidam ordinis tertius est. Hæc. Basil. loc. cit.

Nec solvit Malonius, & cæteri dicendo D. Basilium, & Patres cæteros loqui de specie subalterna, & D. Basilium, & Patres cæteros, loqui de specie subalterna, & D. Basilium per modum exempli, adduxisse ad probandam consubstantialitatem Spiritu sancti cum Patre, nam contrarium addit potius D. Basil. si vera est Mallonii expositio, quod afferat Basil. per modum exempli, identitatem specificam Angelorum ad probandam consubstantialitatem Spiritus sancti cum Patre, de qua agebatur; unitas enim in genere nullo modo ponit consubstantialitatem, & certè aliorum PP. dicta, adeò clara, & aperta sunt, ut expositiones ejuscemodi contrarias iis, quæ à nobis supra allata sunt omnino rejiciant.

D. Cyrillus in lib. quod Spiritus sanctus sit Deus, ait, Potestates, Archangeli, & alia nomina non substantias commendant, sed honorii dignitatem, & repetit dictum à D. Basilio ubi supra. D. Dionys. uti profertur ab Athanasio ubi supra, & adducemus illum in responsione ad argumenta. D. Damasc. in lib. cui titulus est, elementarius, ex quo, duas habemus auctoritates. Primas est unaquequæ species in una natura, est veluti omnes Angeli una natura sunt, & omnes homines una natura sunt, & altera natura est hominum, & altera Angelorum; 2. est ex eodem lib. Hypostases sunt, Michael, Gabriel, & reliqui particulares Angeli, species autem continua ipsorum Angelica natura.

Nec valet, quidquid in contrarium dicit Syrenus de unitate Angelicæ naturæ, negando primam auctoritatem esse Damasceni, eò quia Damasc. *in 2. lib. Orthodoxæ fidei, c. 3.* profitetur se nescire, an Angeli differant secundum essentiam, & Deum solum nosse; nam ipsemet Damasc. in lib. priorum institut. *c. 3.* asserit intelligendum est ea, quæ sola individua continent speciei infimæ vocari, cujusmodi est Angelus, Homo, & æquus, quid clarius?) cum ergo superior sit huic conformis auctoritati, non est cur negetur illam non esse Damasceni; dicit autem se nescire, idest certò, & infallibiliter, ut supra de D. Aug. dictum est.

Nec solvit rectè Malonius dicendo D. Damasc. in institutionibus locutum esse per modum exempli, alioquin sibi contradiceret, quia *l. 2. de fide Orthodoxa, c. 4.* ait Dæmonem esse ejusdem naturæ cum Angelis bonis: at in institutionibus *c. 7.* dicit animam, Angelum, & Dæmonem esse species infimas; si ergo Dæmon, & Angelus bonus sunt duæ species atomæ, quomodo ejusdem sunt naturæ? nisi dicemus, locutum de specie subalterna, Damascenum.

Sed quàm falsa ista responsio sit patet ex hoc; quia cum Damasc. in institutionibus de Angelis, ex professo tractet, quomodo per modum exempli loquitur, cum autem imponit in Damasceno contradictionem nullam talem esse convincitur; eò quia Angelus, & Dæmon in Damasceni textu, copulativè debent sumi non disjunctivè; unde colligitur apertè illum duas posuisse species atomas, unam scilicet animam, alteram vero Angelum & Dæmonem, & sic verè ejusdem illos esse naturæ, & essentiæ, consideranti cuilibet patet necessariò dicendum, cum enim Angeli (qui posteà Dæmones) ex omnibus ordinibus, ceciderint, si Dæmon est atoma species, ergo omnes Angeli sunt ejusdem speciei atomæ, quia Seraphin, Cherubin, Throni, &c. sunt individua Dæmonis, nec peccatum naturalia in Angelis destruxit, & præcipuè multoque minus essentiam absolvit: dum ergo Malonius in Damasceno effugere vult veritatem, ex eodem Damasceno, & sententia comprobat nostram, nec non magis, ac magis roborat ipsammet veritatem.

Proferuntur pro Seraphico sensu, etiam duo Gregorii Magnus, & Nazian. sed satis superque probabiliorem esse nostram sententiam, ex supradictis Patribus est probatum. Cum Sancto nostro Doctore, ex Scholasticis sunt, Albert. *2. p. tract. 2. q. 8.* Guill. Parisiensis *p. 1. 2. p. de universo, c. 67. & 170.* & alii. Pro complemento, solvenda veniunt argumenta.

Ad primum Resp. negando consequentiam ad Malon. optimam dicimus esse responsionem, & pro solutione difficultatis allatæ, adest D. Dionys. c. 11. de cœlesti Hierarch. dubitans enim, quomodo Angeli dicuntur Virtutes, &c. cum virtus sit nomen peculiare unius ordinis. Resp. non esse confusionem, nam illud nomen est æquivocum; significat enim ordinem, idest naturas Angelicas speciali ordine, & officio, & sic non de omnibus dicitur, significat etiam essentiam Angelicam, & sic de omnibus dicitur Angelis, & sic nulla confusio, quam doctrinam vide apud S. Bonavent. Sic *q. 4. in corp.* ex qua doctrina patet responsio ad Malonium, quod nomina hæc uti gratuita, diversos constituunt ordines, ut essentialia omnibus, tam bonis, quam malis sunt communia, quia unius essentiæ.

Ad 2. respondent, ut supra D. Athanas. Basil. Cyrill. unde ex ipsis falsa apparet consequentia, & ad Malon. Resp. ex sancto Doctore, differentiam in Angelis initiativè, & remotè à natura, completivè vero à divina gratia pendere, gratuita ergo diversa non arguunt diversitatem naturarum, sed aliqualem diversitatem in eadem natura, intra enim eandem speciem datur major, vel minor perfectio accidentalis, inter homines enim unus alio habet perfectiorem intellectum, uti adversus Vasq. ubi supra in fine. Ad 3. negatur conseq. necessaria enim est universo, similis multiplicatio, & homini ad necessitates proprias sublevandas, &c. & ad oblectationem; non sic in Cœlo, non sic in Angelis, qui solo Deo delectantur, & hoc solo jugiter perfruentes, verè ac beatè vivunt, ac integræ satiantur. Ad 4. Resp. nihil inde contra nos, substantia enim spiritualis, alia Angelica, & alia rationalis, en duæ species atomæ. Ad auctoritates, & ad Damasc. præsertim cujus fuerit opinionis, per varias ejusdem sententias absque dubio, supra satis demonstratum est. Ad Nazianz. Resp. quod profertur à sectatoribus utriusque opinionis, unde cujus revera fuerit sensus ignoro, sed quicquid sit, quid unus tandem contra tot alios, ac tantos? Tandem de Arist. parùm curamus pro nunc, cum de Angelis multoties erraverit, uti supra dictum est. Ad 2. opinionem Vasq. &c. Resp. quod parùm faciunt illæ duæ sententiæ, cum ex contrariis eorumdem DD. pateat illos fuisse locutos in sensu, hic à nobis pluries allato se videlicet nescire, &c. idest nescire certò, ac infallibiliter juxta supradicta, & hæc satis pro præsenti controversia.

DISPUTATIO

DISPVTATIO III.

De comparatione Angelorum ad corporalia.

QUÆSTIO I.

Vtram Angeli aliquando assumant corpora? dist.8. art.1. q.2. examinatur, & exponitur textus Seraphicus.

31 Circa materiam hujus quæstionis licèt Seraphicus Textus sit satis facilis, pro hujus tamen majori dilucidatione aliqua infra apponenda sunt. In ipso quæstionis initio, advertendum puto illud, quod adnotavit Pater Vasq. de Theologia, præsertim scholastica alioqui benè meritus, in commentario hujus articuli D. Thomæ, quod tamen non admodum consonum videtur veritati; hoc autem est.

Nullus, inquit, scholasticorum (quod ego legerim) disputat, an Angeli habeant corpora naturaliter unita, sed omnes, an Angeli secundùm suam substantiam sint corporei quærunt, excepto D. Thoma (hæc ille) quantum autem hoc à veritate distet, patet legenti Seraphicum Bonav. q.1. *hic dist.*8. quærit enim utrum Angeli habeant corpora, naturaliter sibi unita: circa alios scholasticos non moror, solùm Seraphico meo addictus; si enim Sanctum Bon. quis non legat, quomodo poterit sensum ejus germanum assequi, vel advertere? Pro corpore quæstionis observa primò S. Bon. ultra promissum abundantiorem tradere doctrinam; sic enim sæpè sæpius abundat; unum enim proponit, & duo tradit, dum docet Angelos primò assumere corpora. 2. ista humana esse effigie insignita.

Pro uniformitate, & corroboratione Seraphicæ Doctrinæ affero hic, quod tradit S. Bon. sibi semper conformis in Centiloquio *p.*3. *sect.*15. Duplex, ait, est vis Angelica contemplativa, qua contemplantur Deum, & negotiativa, seu administrativa, qua negotiantur circa salutem hominum: In operatione sunt perfectè ordinati, sivè contemplativa, sive administrativa, & hoc sivè in assumpto corpore, sivè in non assumpto corpore; hæc ille, & idem ferè repetit *in Brevil.* 2. *part. cap* 8. *& in comp. Theol. in tom.*7. (si opus hoc sit verè Seraphicum) ait.

Nota differentiam inter assistere, & ministrare: Assistere est faciem Dei contemplari, & sic assistunt omnes boni Angeli, item assistere, est immediatè recipere illuminationem à Deo, & sic tantùm assistunt primi tres ordines: Ministrare verò est nunciare pro temporis opportunitate, vel operari secundùm officium, est enim ministerium nuntii, & officii: hæc ille.

Not. ad istam assumptionem constituendam, non sufficere, ut Angelus corpora moveat, non enim asserit S. D. ad ultim. Angelus dicitur corpus assumere propter hoc, quod moveat, aut operetur aliquid, circa corpus: hæc ille, & D. Thom. in scripto primo hic ad 4. ad assumptionem corporis, non sufficit motus. Idem Alens. & Scot. *dist.*8. ait ènim Alens. ex D. August. *de Civitate Dei*, Angeli ex natura sua, & potestate divina habent potestatem omnia corpora movendi, sed non dicunt, (dicit Alens.) assumere omnia corpora ab eis mota, & quis umquam docuit Angelos assumpsisse orbes, quos tamen movent? requiritur ergo secunda conditio, quæ est, ut illud corpus Angelus ad se sumat, assumere enim est ad se sumere, ait Seraphicus in 3. & Scot. hic, assumere dicit Angeli intrinsecam substantialem præsentiam corpori, & partibus ejus; hinc vocat S. D. corpus habitaculum, seu vestimentum Angeli. 3. conditio est, ut corpore utatur tamquam instrumento, ad se manifestandum, alioquin ad quid diceretur assumere? hæc Sanctus & in corpore, & in fine quæstionis, quas conditiones forsan vidit, & hinc docuit noster Caspensis Capuccinus in suo cursu Theol. hic.

Not. 2. ex corp. & tota quæstione, assumptionem corporis tribus modis fieri posse. Primo per informationem, & sic anima nostra, reassumet corpus proprium resurrectione. 2. per unionem hypostaticam, uti Verbum corpus assumit ad illud supposirandum in se ipso. 3. modo per unionem quandam accidentalem, quo tertio modo, Angeli corpus assumunt, ex qua divisione licèt deducere qualitatem talis assumptionis, & quomodo se habeant Spiritus humanus, & Angelicus ad corpora: Spiritus enim humanus se habet per modum informantis, est enim forma proprii corporis Angelus per modum assistentis, & moventis; Ex unione animæ cum corpore, fit humanitas, ut homo; at in unitate Angeli ad corpus, non tertium quid. Insuper anima unitur corpori, naturaliter, Angelus voluntariè: Ex qua carentia corporis in anima generat indigentiam, non sic, carentia corporis in Angelo; Corpus animæ rationalis in gloria de ministerio remuneratur, secus autem corpus Angeli; ad assumptionem corporis, in anima requiritur proportio perfectivi ad perfectibile; In Angelo, sufficit proportio motoris, ad mobile, & tandem ex corpore, & anima fit animal, secundum veritatem, Angelus autem, licèt in corpore assumpto appareat animal, sivè homo, non tamen verè est, sed sola apparentia, nec ratione formæ, sed operis consequentis: In hoc saltem uno conveniunt uterque spiritus, quod sicut anima conservat, & regit corpus, ita ab Angelo conservatur, & regitur assumptum corpus. Hinc.

Duæ depromuntur conclusiones, quarum prima est: Angeli interdum assumunt corpora: Adverte Seraphicum locutum, non solum de bonis, sed etiam de malis Angelis, ut desumitur ex ultimo fundamento, & per totam quæstionem, in qua absolute loquitur, licèt eruendo posteà conclusionem solùm de bonis intelligere, ac loqui videatur, dicendo Angeli boni, &c. Not. hæc fundamenta, desumi ex doctrina allata à Seraphico hic *dub.*3. *text.* nihil potest videre sensus corporalis sine extensione quantitatis, quod dicendum est etiam de aliis sensibus corporalibus, cum au-

tem Angelus de se careat extensione, ut corporeo sensui congrueret, corpore indigebat,

2. Concl. Angelus assumit corpus non qualecumque, sed humana effigie insignitum; Adverte in hac 2. Concl. solum loqui de Angelis bonis, uti patet ex fine, non enim Angeli mali, ad nostram indigentiam, sublevandam ad eruditionem, ad solatium nostrum, assumunt corpora, sed ad damnum, ad ruinam, & qualecumque assumunt etiam brutale. Et si assumit Angelus corpora, ad humanas obeundas operationes, quales sunt loqui, hospitio recipi, nobiscum transversari, verè in humana effigie apparere debebat. Et si, ut credatur Angelus verè bonus, & nobis prosit, assumit corpus, humanum utique assumere debet, alioquin, quis crederet sub bovina specie, & hircina latitare Angelicum spiritum beatum: Et si ut solatium homini præbeat, nullum corpus aptius humano; similitudo enim est illa, ex qua consurgit delectatio, non minus quam mutua dilectio.

Pro responsionum ad argumenta in oppositum explicatione, in responsione ad primum ait hæc: Anima nec assumit, nec potest assumere corpus, hic loquitur de potentia naturali animæ, quod si dicas apparitiones passim tribui animabus separatis, responderetur ex D. Athanas. *quæst.*26. ad Anthiocum Chrysost *hom.* 29. *in matt.* August. lib. de cura pro mortuis habenda, has apparitiones, ut plurimum fuisse, per Angelos bonos, sivè malos: Non autem negat posse assumere de potentia Dei, in anima enim Moysi hoc patet in transfiguratione Matt. 17. ait Abulensis 1. Reg 28. & de anima sancti Felicis, quæ teste D. Augustino, ubi supra *cap.*16. palam multis apparuit, & de anima Paschasii ex D. Greg. 4. Dialog. *cap.*40. simile legitur in vita sancti Stanislai Poloni Episcopi Cracoviensis apud Breviarium Romanum die 7. Maii, ex quo patet illum suscitasse Petrum quemdam è sepulchro, qui statim redivivus Episcopum ad regium tribunal euntem secutus ibidem de agro à se vendito, & pretio ritè sibi ab Episcopo persoluto, testimonio dicto, iterum in Domino obdormivit.

In resp. ad alia argumenta, negat Angelum posse esse formam corporis, & clarè in sequenti quæstione, in primo fundamento, ait, nullus spiritus Angelicus potest humanum corpus perficere: ait Scot. & cæteri hoc implicare contradictionem, implicat enim intrinsecum actum, nempè informationem fieri ab alia re, quam à vera forma, quæ per se sit pars totius constitutiva, una cum principio possibili, & receptivo, idest materia.

At dum Scot. & Suarez probant repugnare Angelo esse formam talem, ex hoc probant, quia (ait Scot.) per se subsistens, quia est substantia completa ait Suarez, at debebant addere, ni fallor, est substantia per se ultimatè subsistens, aut ultimatè completa, non solum propter animam, quæ subsistit per se, & tamen est forma, & se corpori communicat, sed etiam propter hunc Deum, qui est substantia completa per se subsistens (ut ambo ducent in primo) & tamen communicatur personis divinis, &c. S. Bon. noster reddens rationem, quare anima cum sit per se subsistens valeat esse forma informans, &c. ait, non est ultimatè perfecta, sed ad ulteriorem perfectionem ordinata; at quia (dico ego) Angelus est ultimatè subsistens, hinc non potest informare corpus.

In resp. ad ultim. negat Angelum posse uniri hypostaticè humanæ naturæ, sivè corpori, & benè, Angelus enim non potest intrinsecum modum subsistentiæ, à substantia separare, nec decet admirabile Incarnationis mysterium, pluribus communicari ex D. August. Epist. 3. loquente de Incarnat. An de potentia Dei absoluta, hoc fieri possit affirmat Scotus in 3. contra Vasquez negantem.

QUÆSTIO II.

An verum sit Angelos quandoque assumere corpora, & quam veritatem habeat.

Contra est Rabbi Moyses, & Uldaricus, qui 5 a
falsò proferunt (teste P. Vasquez) Albertum magnum, & alii falsò exhibent Gulielm. Parisiens. *l.* 2. *de universo p.* 1. *cap.*69. asserentes Angelos non assumere corpora, sed intelligendi sunt DD. isti non assumere humana, licèt humana specie insignita. Dicebant ergo Rabbi, & Uldaricus citati apparitiones omnes Angelorum fuisse imaginarias, mutatione facta, vel in interioribus sensibus, vel in oculo, absque ulla reali exteriori figura, quam opinionem refert S. D. noster in Compend. Theologiæ (si Seraphicum sit opus) *l.* 2. *c* 19.

Profertur eorum ratio motiva ab Ægidio, nempè repentina talium apparitionum dissolutio, quæ non videtur possibilis in verè corporibus realibus. Cui respondet ipse, conformis Seraphico, corpus esse talis conditionis, ut ad nutum Angeli resolui valeat. Prob. autem eorum opinio ex Damasceno *l.* 2. *de fide, c.* 4. dicente permissione autem Dei facta, & fortitudinem habent, & transferuntur, & transformantur in quam volunt figuram secundùm imaginationem. Resp. ex S. Bon. *in Compend. Theol.* ubi supra apparitionem aliquando imaginariam esse, ut ait Auctor, aliquando verò extrinsecam, & realem in corporibus; primum fieri etiam dormientibus. 2. verò solum vigilantibus; eodem modo respondent alii. Addit Caspensis noster, vocare sanctum Damascenum apparitionem, secundum imaginationem, quia corpora, non sunt talia, qualia apparent, idest verorum hominum.

Arguunt 3. Lamiæ quæ referunt, se multa vidisse, & varias mundi partes peragresse, solùm secundum Phantasiam, illa omnia vident, ut definitur in Concilio Ancirano, vel Anquirensi, ut refertur *in can. Episcopi* 26. *q.* 5. Cur enim non dicemus, idem de Angelicis apparitionibus, cum ea quæ Lamiis apparere videntur, Dæmonum opera fiant: sic apud Vasq. Cui ipse respondet, ut supra, at non reddit rationem differentiæ cur non sic Angeli boni appareant, ut mali. R. ex S. B. si de bonis Angelis loquamur, talem imaginariam apparitionem, non congruere fini, propter quem apparent; præterea non decet semper Angelum apparere, cum sensuum perturbatione, sed in bona sensuum dispositione. Ad Concil. R. Alphons. apud Vasq. in can. solùm definiri mulieres illas decipi, putantes, quæ frequenter in somnis accidunt, re vera fieri, ob id tamen non definiri numquam re ipsa, sed semper imaginatione ea contingere: eodem modo. R. noster Capsensis hic, qui profert Martinum Delrio *l.* 5. *de Magia q.* 16.

Circa veritatis qualitatem D. Th. in scripto contrariam sententiam appellat errorem, errarunt aliqui (ait) cæteri Doctores, eam esse contra sacram Scripturam, & experientiam, sic Seraph. Scot. Ægid. Suarez, &c. unde notam saltem temeritatis effugere non valent illius sectatores.

QVÆSTIO

QVÆSTIO III.

Utrum Angeli assumant verum corpus humanum.

53 Circa hanc quæst. nullam invenio difficultatem in textu, nullam à cæteris litem, seu controversiam excitatam. Ideo duabus Concl. concluditur. Prima nec de facto assumere. 2. nec posse assumere. Prima negat assumptionem actualem, finis enim assumptionis est, ut Angelus dignoscatur Angelus, non homo: & Ministerium ad quod humanum corpus assumitur, si gloriosum, propter incorruptibilitatem, si non, propter gravitatem in eo existentem inhabile erit. Impossibilitas desumitur ex impossibilitate efficiendi tale corpus: Deus enim distribuit utique limites virtutis, quos infringere nullus valet: cum enim tria sint agentia, Deus, Natura, & Intelligentia, sive ars, Deus enim sua divina sapientia, quæ omnia ordinatè facit, disposuit, ut sicut natura Deum, ita ars naturam in operatione supponeret; natura expectat Deum operantem de nihilo, non enim facit, sed supponit materiam; ita & ars præsupponere debet operationem naturæ, ut operari valeat; at cum intelligentia sit artifex, supponit corpora jam facta naturæ virtute, & posteà sibi adaptat; non potest ergo, nec in genito ex putri sine operatione matris, ac patris eorum, nempè Terræ, & Cœli, nec in producto, ex actione viventis, per generationem, cum hoc ex simili pendeat. Videatur S.B. *d.7. p.2. q.2. corp.*

QUÆSTIO IV.

Utrum illud corpus quod assumitur ab Angelo, fiat de natura cœlesti, aut èlementari.

54 Ex corpore, ac tota quæstione educuntur quinque Conclusiones: ex corpore quatuor: ex altera parte quæstionis altera Conclusio.

Prima Conclusio ex tota quæstione. Corpus ab Angelis assumptum non est de natura cœlesti. Ad probandam hanc Conclusionem, quinque apponit fundamenta, Primum ex motu Cœli: perfectissimo enim corpori perfectissimus debetur motus; at cum in motibus perfectior sit localis, & inter motus locales, perfectissimus circularis (sic discurrebat Arist.) cum Angelus debeat in corpore assumpto, motu recto moveri, ad quid cœleste corpus assumet? 2. & 3. prob. ex natura Cœli: Non suscipit enim peregrinas impressiones ex primo Meteororum: hæ autem sunt condensatio, rarefactio, ad novam figuram transmutatio, ergo, &c. hanc eandem rationem ponit Scotus. 3. & 1. Cœli, & Mundi, vocatur ab Arist. Cœlum incorruptibile. 4. & 5. ex inconvenientibus, quia propter partem è cœlo abscissam remaneret vacuum in cœlo, sic etiam Alensis. Ult. cum Satan assumit corpus, ad cœlum conscenderet, quod falsum est.

55 Concl. 2. Angelus non assumit corpus ex pluribus elementis uno prædominante, ut sit mixtum verè. Probatur, quia plenè mixtum, non sic repente formatur, & dissolvitur: at corpus ab Angelo assumptum subitò formatur, & dissolvitur, ergo, &c.

Concl. 3. Non de simplici elemento, puta aere solo. Ratio est, quia est difficile intelligere, quomodo fiat solidum, & diversis coloribus coloratum cum producere colores, non sit artis, nisi auxilio naturæ; subintelligendum autem est, quod natura ex simplici elemento non producit, nec producere potest colores cum in mixto resultent ex primis quatuor qualitatibus, quæ in simplici elemento non adsunt; unde Scot. hic, in elementari non visibiliter appareret, nec corpus elementare est susceptivum illorum accidentium, in quibus apparet, ergo, &c.

Not. pro majori intelligentia, colorem esse in duplici differentia, alium naturalem, qui fit ex mixtione primarum quatuor qualitatum, de quo loquitur Arist. *in lib. de sensu, & sensato:* alium esse formalem, cujus esse maximè in apparentia consistit, causatur enim ex luce, & opaco; hi sunt colores causati in impressionibus Meteorologicis, causantur enim secundum diversitatem lucis, & opaci, ut colores Iridis: In simplici autem elemento, nec naturales, nec apparentes fiunt colores: non naturales, quia, ut dixi, fiunt ex quatuor qualitatibus, quæ non existunt in elemento simplici: non apparentes, quia requirunt tria lumen, perspicuum, in quo lumen recipiatur, & terminans, seu condensans diaphanum, si enim non terminetur, aut condensetur aër recipit lumen in toto suo profundo, & non reverberat ipsum, & tunc dicitur perspicuum illuminari, non autem colorari; si autem terminatur perspicuum, tunc recipit lumen, & reverberat ipsum, & dicitur colorari. Primum autem terminans, & condensans est terra cum hæc opaca sit; ex admixtione ergo aëris, & vaporis, & exhalationis fiunt apparentes colores; Iris enim non in aëre simplici, sed in nube rorida fit; hinc patet purum aerem non esse coloratum, nec colorari sine admixtione vaporum, & exhalationum, unde dicebat D. Thom. 2. *de anima lect.* 14. Color est lux obumbrata ex admixtione opaci: ex quibus notatis patet veritas Doctrinæ Seraphicæ non solum in vero, & naturali colore, sed etiam in apparenti.

Concl. 4. Corpus assumptum ab Angelo formatur ex aere principaliter, cum aliqua admixtione vaporis aquei, & terrei; hinc non plenè, sed imperfectè mixtum. Ita Scot. Ægid. Suarez & Vasq. & ratio est, quia est aptius ad condensationem, & colores, de facili potest formari, cum aer pro magna sui parte sit commixtus vaporibus, & sic facilè potest etiam dissolvi.

Concl. 5. Angeli boni assumunt corpora de superiori, & puriori aere, mali de impuro: Facilè hoc possumus probare ex Isidoro de summo bono, *cap.* 10. Angeli (inquit) corpora, in quibus apparent hominibus, de superiori aere sumunt. Communes apud omnes Doctores, & Scholasticos est. 56

Pro fundamento totius quæstionis deducuntur tria esse necessaria ad hoc, ut aliquod valeat assumi corpus ab Angelo. Primum celeritas motionis, ad exequendum ministerium, ne nimis grave sit, & inhabile, ut moveatur. 2. Facilitas formationis. 3. Agilitas depositionis, statim enim evanescunt; hinc nec cœleste, nec terrestre, nec humanum, nec perfectè mixtum: non est enim desumenda qualitas corporis à qualitate Angeli ipsius, sed à qualitate ministerii, cui proportionari debet, & non Angelicæ dignitati.

Hæc

Hæc sufficiant pro textus declaratione. Responsiones enim sunt facillimæ ad extra: Utrum dicta à Seraphico vera sint.

Pro prima opinione, contra primam conclusionem scholasticum non vidi asserentem, assumere Angelum corpus de materia cœlesti. Profertur Tertullian. de carne Christi dicens, ab Angelo corpus assumi, quod ipse vel de nihilo faciat, vel de cœlesti materia: At sicuti de nihilo facere non valet, ita nec de cœlesti materia, uti visum est. Verum Glossa in Gen. 18. habet (referente Richard. hic) de Angelis, qui apparuerunt Abrahæ, non apparerent, & cibos sumerent nisi solidum corpus ex cœlesti elemento haberent. At ex verbis ipsius Glossæ, patet non de cœlo, sed de aere locutam, cœlum enim non est elementum, dum ergo vocat materiam, corpus cœleste, elementum de aere, se intellexisse patet; sæpè enim & sæpius, cœlum loco aeris ponitur in sacra Scriptura; hinc aves cœli, idest aeris.

Contra 2. Concl. videtur Richard. à Media-Villa, hîc, dum asserit ex pluribus elementis, assumere corpus: at dum subjungit, non tamen resultare formam mixti, non contrarius, sed conformis apparet.

Contra 3. clarè loquitur Alens. asserens, assumere de Æthere. Æther autem est suprema pars aeris, & purior: at quia in fine quæstionis, ait, quocumque autem modo sit, sivè assumat de Æthere, vel de aere, sivè de cœlesti corpore, nihil circa hoc definiendum, sed sanctorum auctoritatibus adhærendum (hæc ille) ubi apparet non mordicus adhærendo, sed probabiliter asserendo, se posuisse ex æthere corporis ab Angelo assumpti materiam sumi.

Concordare cum Alensi videtur D. Thom. hoc enim clarè ait, sed quia exemplo nubis utitur, asserit Pater Vasquez illum non de simplici aere locutum, sic in summa ad 3. arg. At super Magistrum *in* 2. *d*.8. *a*.4. ait assumit de aere; oportet autem quod aer iste sit in aliquo inspissatus, servata tamen aeris veritate (hæc ille) & ad 4. respondens idem repetit, aer aliquo modo inspissatus potest figurari, & ab alio aere distingui (hæc ille) cum ergo nulla mentio de vaporibus fiat, & dum ait servata aeris veritate apparet, de solo locutum aere; exemplum autem potiùs oppositum probat, quam propositum; est enim sensus: sicuti in nube condensata fiunt colores, ità aere inspissato: hanc eamdem opinionem tenere Albert. ait Pater Vasq. absque ullo dubio, quam Archangelus Rubeus hîc *dist*.8. eam profitetur, horum rationes sunt, prima, quia aer presto est Angelis. 2. quia relinquitur corpus ab Angelo, & non resolvitur in crassiorem materiam, sed evanescit, ita ut statim, non appareat. 3. quia videtur doctrina Isidori, & Bedæ, quæ omnia cum etiam de aere mixto verificentur, & insuper de facili, nec condensari quantum oportet, & multò minùs, nec colorari aer valeat, sed peroptimè mixtum, hoc imperfectum sit, hinc rationes corruunt. Et Pàtres (teste Vasq.) non de simplici, sed de aere, ex corporibus mixto locuti sunt.

Dices cum Patribus Suar. & Vasq illos non esse veros, sed apparentes colores, non veram, sed apparentem duritiem, & mollitiem, hinc in aere, utrumque fore possibile. Resp. non esse tantum apparentes colores, & duritiem, imò reales ex imperfecta mixtione aeris, & vaporum, ut innuit Seraphicus noster: imò & si apparentes, non sufficere aerem solum, uti notavimus in textu: Si enim solùm talia in apparentia fuere, quomodo potuerunt Abraham Angelorum pedes lavare, & Jacob in luctam cum Angelo descendere?

Resp. Vasq. hoc fuisse propter virtutem Angeli motivam, resistentem corpori tangenti, & Patriarchas, nec Angelos cognovisse, nec advertisse, sed existimasse, illos homines fuisse, &c. sed ad quid talis delusio, cum, servata proprietate, nullum adsit inconveniens? & quomodo existimarunt homines, quos ut Deum adoravere? si petierunt ab eo benedictionem? imò si ipsimet Angeli testati sunt se esse à Deo missos, ut Pentapolim in cineres redigerent; si enim, uti Vasq. testatur, sensus tactus dignoscit veram, & humanam carnem, & ossa, ab artificiatis differentia: advertant Patriarchæ, & sic dignoscant, ex tactu, non humana esse corpora, & sic non homines, sed assumpta, & ex consequenti Angelus, ut sic adorent: sicuti enim vera caro, & humana, & perfecta durities, & mollities dignoscitur, & per eas verus homo agnoscitur, ita per imperfectam carnem, & ossa, mollitiem, & duritiem, arte factam dignoscitur ibi non homo, ergo Angelus, vel Deus, valentes solùm efficere, & tale corpus assumere.

QVÆSTIO V.

An Angelus in corporibus assumptis exerceat operationes animæ vegetativæ.

TRes, quæstio ista continet conclusiones, quas, 57
& in corpore, & in fundamentis probat, quarum negativa una, cæteræ affirmativæ: Prima est: Angelus in corpore assumpto, non habet operationem animæ vegetativæ, nec quantum ad cibationem, nec quantum ad generationem. Ratio est quia caret vi nutritiva, & generativa.

Concl. 2. Angeli in corporibus assumptis habent aliquo modo operationes cibationi, & generationi conformes, sed non plenè: hæc concl. duas habet partes, quas ambas Seraphicus probat: Probat primam partem sic: Sumptio cibi, & ejusdem consumptio Angelorum in corporibus assumptis est similis sumptioni, & consumptioni hominis, & viventis, sicuti enim verè sumunt, & consumunt viventia cibum, ita & Angeli in corporibus assumptis. Prob. 2. pars, quod non plenè conformetur cibi sumptio, & consumptio, & in Angeli in assumpto corpore, & in vivente; nam viventia ad nutritionem, & ad suplendam propriam indigentiam cibum sumunt: Angeli verò ad potestatem exercendam, non autem ad nutritionem, non enim cibus ab Angelo sumptus convertitur in substantiam aliti, & fit unum cum eo, sicut fit in vivente, ergo.

Concl. 3. Comestio non simulatè, sed verè fit ab Angelis in assumpto corpore. Prob. quia verè assumunt cibum, sibi appositum, & consumunt: hæc ex Seraph. in præsenti articulo.

Pro hac ultima concl. N. ex Seraphico Comestionem diversos actus includere: ait enim *d*. 12. *p*. 1. *art*. 3. *q*. 1. *ad* 3. 4. *sentent*. in manducatione tria sunt: Masticatio, in Ventrem trajectio, & incorporatio, & ibidem *q*. 3. *ad* 5. ait; Comestio, non tantùm dicit incorporationem, sed etiam deperditi restaurationem (hæc ille) benè tamen adverte, in his Verbis. S. Doct. loqui de homine viatore, ut intuenti patet: at in eodem 4. *sent*. *d*. 9. *a*. 1. *q*. 2. *in corp*.

corp. ait, licèt multiplex actus sit in manducatione corporali annexus, & consequens, iste tamen duplex est, qui est de integritate Masticatio scilicet, & incorporatio (hæc ille) ex quibus patet cæteros actus (demptis hisce duobus) non esse de integritate comestionis, sed annexos, & consequentes, ergo deperditi restauratio, quæ nutritio est, non est de integritate, sed consequens ad incorporationem: alioquin si quis assumpserit cibum, & posteà non digesto illo, nec mutato in substantiam corporis evomerit eum, colligitur quod iste non comedit, sed nullus ratione pollens, id affirmaverit, ergo hinc clarè apparet, nutritionem secundùm Seraphicum, & veritatem non esse de ratione manducationis.

In hoc articulo contra ultimam Conclusionem, sunt præcipuè Suar. & Vasq. contendentes illam, quæ fit ab Angelis in assumptis corporibus, non esse verè comestionem, quorum fundamenta solvenda in inferioribus, ne sæpius idem repetendum assumamus. Pro Seraphico tamen nostro Scotum habemus, *in* 2. *d.* 8. qui probans suam conclusionem etiam fundat eam secundùm Seraphicum sensum, in præsenti explicatum. Prob. ergo ex Scoto, comestio non est nisi divisio cibi, per motum localem maxillarum, & trajectio ejus in ventrem per motum localem, & tunc potest fieri exhalatio, & resolutio in humores, vel elementa: at isti motus locales possunt fieri, circa corpus virtute activa Angeli, ergo vera in ipsis comestio (hæc Scotus.

Habemus Alensem *p.* 2. *q.* 35. *m.* 2. apertè respondentem: vera fuit comestio, nec nimium limitat suam opinionem in fine, ut asserit de eo Suarez de Angelis, imò magis confirmat, cujus verba sunt licèt esset ibi veritas comestionis, quoad masticationem, non oportebat fieri quoad projectionem in ventrem, vel quoad incorruptionem cum hæc ad indigentiam pertineant, hæc ille ad secundum, dum ait, non oportebat, non negat extitisse, sed tantùm negat necessitatem existendi, eò quia ad manducationem per potestatem, & non per necessitatem, sufficiebat ad probandum veram manducationem vera masticatio. Sed quod majus est: Habemus D. Augustinum in lib sexaginta qq. contra Paganos dicentem legimus Angelos sumpsisse cibos non fictè, aut phantasticè, sed manifesta veritate: ita apud Alensem. Idem August. in Epist. ad Deo gratias, in quæstione de Resurrectione idem repetit, quæ auctoritas refertur, non solùm à Richardo hic, sed etiam à Patre Suarez, in qua videtur æquiparare Christi, & Angelorum comestionem, dum ait illum ejusmodi escas, eodemque modo sumpsisse non ficto, & inani phantasmate, sed manifestissima veritate, hæc ille, referente eodem Suarez ubi supra.

Ad quas auctoritates, & rationes uno eodemque respondent sensu, ac modo Suarez de Angelis *l.* 4. *cap.* 38. *à num.* 14. *usque ad* 20. *exclusivè*, & Vasq. *in p.* 1. *dd.* 75. *q.* 51. *disp.* 186. hic concedunt enim secundùm substantiam fuisse comestionem, nempe veram motionem, divisionem cibi, & trajectionem: at non veram comestionem dicendum, quia ad veritatem comestionis requiritur ut sit à principio vivente, & in ordine ad vitam; hæc enim sola vera est comestio, à modo autem desumendum nomen veræ comestionis, non à substantia ejusdem, ait Vasq.

At contra; quia si substantia motus, sive actionis est prior, ac nobilior modo, prout in rei veritate, ac de facto est, ergo dempto modo est talis actio, qualis re vera in seipsa est, & non habita ratione ad ipsius modum, est ergo comestio, etiamsi à non vivente fiat, & si denominatio à potiori facienda est, seu à nobiliori; à substantia quæ est nobilior, ac perfectior non ab ignobiliori, scilicet à modo rei fieri debet, non video quomodo non dicatur vera comestio in qua adsunt secundùm substantiam verè actus omnes ad eam requisiti, licèt non secundùm modum

Ad Augustinum resp. Vasq. duabus responsionibus, quarum prima est Augustinum locutum fuisse de vera apparitione; videbatur enim manducare, non illusione aliqua sensus, nec præstigiis, sed vera apparitione. 2. Resp. (nisi forsan Augustinus secundùm opinionem eorum qui putant Angelos esse corporeos, à qua ipse non multum abhorret) quod sensus erit Angelos in corpore naturali, verè manducare sicuti alia animalia. At displicent notabiliter responsiones. Imò quia litteram Augustini apertè destruunt, non enim, ait sanctus Pater, videbantur manducare, sed manifesta veritate sumpsisse cibos, quæ verba actum manducandi, non apparentiam comprobant.

Displicet secundò. 2. Responsio. Sufficiebat enim dicere D. Augustinum locutum secundùm opinionem sentientium Angelos corporeos, absque eò quod addere, à qua ipse non multum abhorret. Patribus enim errores non imputandi, imò si dixerint fortasse aliqua, quæ scrupulum ingerere possent, in meliorem sensum ac veriorem accipienti sunt Patres, ac benignius interpretandi, & ob debitam eis reverentiam, quantum fieri salva semper veritate potest, excusandi, quod passim, & docent, & faciunt D. Thom. ac D. Bon. ut verè doctissimi, ita semper modestissimi.

Suarez respondet, Augustinum asserere, verum motum realem, & sensibilem, at non veram comestionem. At Augustinus specificat qualitatem motus, dum ait Angelos verè sumpsisse cibos: at si veri sunt motus comestionem integrantes, ergo & vera comestio; veros fuisse motus fatetur Suarez, ergo & vera comestio; & dum se explicat Augustinus eodem dicendo modo, escas sumpsisse Angelos, quo Christus, clarè patet veram fuisse Angelorum comestionem, cum vera sine dubio fuerit illa Christi comestio; & licèt Suarez declaret sensum Augustini fuisse per eundem modum invenire ambos non necessitate, sed potestate sumpsisse, quod quidem licèt verum sit, attamen necessitas, & potestas, non modum actionis, sed finem dicunt, ut etiam fatetur ipsemet Suarez dum ait *n.* 18. Nutritio non est de veritate, vel substantia comestionis, sed est finis & terminus extrinsecus: multomagis necessitas ad quam dirigitur nutritio, nempe ad necessitatem solvendam; quærendus est ergo modus in quo convenerint Christus, & Angelus in sumptione cibi, qui talis erit, quod scilicet, sicut non apparenter Christus, sed verè comedit, ita & Angelus.

Reliquum est, ut motivæ contrariorum rationes solvantur, licèt, si ipsis credendum, non contrarii, sed Amici appellandi sint, proferunt enim ad astruendum suum ipsorum sensum, non solùm Angelicum Doctorem, sed etiam Seraphicum nostrum hic: ac errarunt, uti patet legenti; fatetur enim Sanctus Doctor noster, in Angelis non esse propriè cibationem: at & clarè profitetur in Angelo in assumptis corporibus veram se agnoscere comestionem, ut supra vidimus in 3. conclusione, quod reperit in resp. *ad* 1. 2. & 3. & in responsio-

ne ad alia arg. fatetur eodem modo, se habere Angelos ad generationem, quo se habent ad cibationem, quod si verè generare, sicut nec cibare se possunt: at verè prævia ad generationem faciunt, verè colligunt verum semen, & verè transmittunt ita & verè operantur prævia ad cibationem, verè colligunt cibum, & verè transmittunt: ad quid ergo in claris adeò atque patentibus ad sensum ipsum, præter rem in æquivoco laboramos?

Probant opinionem propriam primò auctoritate sacræ Scripturæ; quam profert etiam Seraphicus noster in argumentis; sed contra ea Tobiæ ultimo, ait Tobiæ Angelus Raphael, videbatur nobis quidem comedere, & bibere, ego verò cibo, ac potu invisibili utor, non ergo ex scriptura Angeli verè, sed tantùm apparenter loquuntur, & cibum sumunt.

Ad quod argumentum dissolvendum neganda conseq. desumpta ex falsa intelligentia textus: Comedere enim stat pro comedere, ex indigentia ad sustentationem, quod patet ex ratione, quam affert Angelus, sed non ad probandam comestionem, subjungit enim dicens, ego cibo invisibili utor, interpretatur Vasquez (sustentor) non indigebam comedere, quia sustentor cibo invisibili, licèt videbar cibo corporali nutriri.

2. Probant ratione. Comestio vera est actus vitalis procedens ab habente vim nutritivam: at in Angelis nulla vis nutritiva, ergo nec vera comestio. Ad quam rationem negatur à Scoto major; materialiter siquidem, nempè ut in vivente est vitalis, sed formaliter non. Resp. 2. ex Seraphico majorem esse veram, si comestio ad cibationem sit de se ordinata, at in Angelis non est ad cibationem ordinata, ergo non vitalis, & tamen vera comestio. 3. ex Alensi, & Seraphico majorem dicimus veram, in comedente ea necessitate, non autem potestativè: ad verificandam enim comestionem non est necessaria vita corporis, nec terminus vitalis: hinc in Angelis licèt non vivificantibus corpus, quia potestate comederunt, est vera comestio.

Dices, si in comedente ex potestate non ea indigentia, comestio non est actio vitalis, ergo Christus post resurrectionem comedit non ex indigentia, sed potestate, ergo hæc comestio non vitalis fuit: si non vitalis, ergo non fuit sufficiens testimonium ad probandam ejus resurrectionem. Ad hoc arg. resp. Scotus, concedendo totum excepta ultima concl. quam declarat, de se similis comestio non fuit sufficiens testimonium, sed quia non defuerunt plura alia testimonia, cum his benè, & sufficienter probavit, quam responsionem approbat Vasq. ubi supra.

Resp. 2. ex Sancto Doctore ipse In Lucam 24. ubi de comestione Christi Domini loquens ait fuit argumentum veræ resurrectionis veritas comestionis: non ait Seraphicus vitalitas comestionis, comestio enim non probavit resurrectionem, quia vitalis, cum enim non pateat sensibus, sed lateat, quomodo vitale principium exteriorem probare valebit resurrectionem. Probavit ergo quia vera fuit resurrectio, veritas autem cum sensibus exposita esse debeat, ut testificari possit, comestionis veritas pendet ex actibus extrinsecis, integrantibus illam comestionem, non ex vi nutritiva, sine qua tales actus verè existunt, ut ex contrariis patet, supra alligatis.

Respondere etiam possumus. 3. comestionem posse considerari dupliciter, vel ut sic secundùm se, vel ut in vivente, & in composito ex anima, & corpore: Secundùm se considerata, abstrahit à vitalitate, at ad vivens contracta, indicare vitalitatem: in Christo ergo fuit vitalis, at non secundùm se, & sic in Angelis non fuit vitalis, ubi nota quod sic committitur fallacia: comestio enim non est vitalis actus, ergo non fuit vitalis comestio Christi, sicut si dicamus, animal non est rationale de se, ergo in homine non est rationale.

QUÆSTIO VI.

Vtrum Angelus in corpore assumpto habeat operationes convenientes potentiæ sensitivæ.

PRo corpore quæstionis, ait enim Seraphicus animam esse perfectionem corporis necnon & ipsius motorem, sive motricem, idem repetit *in* 4. *dist.* 44 *part.* 1. *a.* 1. *q.* 2 *ad* 3. Anima, ait, est perfectio, & motor; est perfectio quantùm ad substantiam, & est motor quantùm ad potentias: hæc ille; hinc benè dicebat Scot. Sic motum localem materialiter tantùm esse viventis, quatenus repetitur in vivente, formaliter verò non esse: non enim terminat ad aliquem terminum intrinsecum animatum, sed ad solam ubicationem, hæc ille; non est ergo necesse, ut sit ab anima secundùm substantiam perficiente, unde etiam si non perficeret dummodo haberet potentias valet exercere officium motoris. 58

Addit Seraphicus animam esse formam, & perfectionem corporis, in super & esse hoc aliquid: & tamen docuit *in* 2. *dist.* 12. *a.* 2. *q.* 3. *ad* 1. Formam non esse hoc aliquid: hæc ille: Quomodo ergo, si anima forma est, potest esse hoc aliquid, quod formæ videtur repugnare? hoc declarat sanctus Doctor 2. *d.* 17. *a.* 1. *q.* 2. dicens animam esse formam uti patet, & esse hoc aliquid, quia per se nata est subsistere, cæteræ verò formæ quia definiunt cum corpore inhabiles ad subsistere per se, non possunt dici, hoc aliquid.

In corpore docet Seraphicus, operationes quæ procedunt ab anima in corpore esse in triplici differentia, aliæ ab anima tamquam à motrice procedunt, nec de se respiciunt animam secundùm substantiam informantem, ut motus simplex; aliæ respiciunt animam ut perficientem corpus, & sunt sensitivæ operationes, videre, audire, &c. sunt enim hi actus vitales, & à potentia vitali procedunt: Aliæ tandem sunt operationes procedentes ab anima, & tamquam informante, & tamquam movente, quæ in se claudunt, & motum, & hinc ad animam se habent, ut ad motricem, & aliquid intrinsecum, quod vitalitatem est, & hinc respicit animam, ut vivificantem, ut est videre, quæ operatio, & motum generum dicit, & cordis exhilarationem.

Hinc tres educuntur conclusiones. Prima est, Angelum in corpore assumpto movere corpus. Prob. quia motus progressivus; & quicumque alius sit membrorum exteriorum, est ab anima in corpore, ut est motor, ergo ab Angelo esse potest. Prob. consequentia. Anima per potentias movet: at in Angelo est motiva potentia, ergo movere potest.

Dices ex argumento, sed contra, idem est secundùm Aristotelem principium motus, & sensus; si

si ergo Angelus est principium motus, ergo & sensus: at non est principium sensus, ergo nec etiam motus. Resp. Aristotelem de viventi, & animali locutum, in quibus vult, cor esse & motus, & sensus principium: verè enim idem est principium motus, id quod & sensus, quando aliquid sensuum est capax, unde cum Angelus à talibus elongatus sit, non benè infertur, quod supra objectum est.

59 Concl. 2. Angelus non potest in corpore assumpto exercere opera potentiæ sensitivæ, ut gustare, videre, &c. est communis, quia hæc pendent ab anima informante: At Angelus non informat, nec vivificat corpus, ergo.

Dices. Habet organa ad hæc necessaria. Resp. non humana, & viventia, sed similia humanis, & sic inepta ad sensificationem. Hanc conclusionem ad longum probat in fundamentis, sed quia nullam involuit difficultatem, prætermitto.

Concl. 3. Operationes tertii generis quæ prodeunt ab anima ut motrice, & forma non sunt ab Angelo in corpore assumpto integrè, sed tantum quoad motum, ut videre, &c. Prob quia ad perfectionem, & integritatem similium operum requiritur anima, ut perficiens corpus: at Angelus non perficit assumptum corpus, ergo Concl. communis, & ne in claris tempus conteramus, ulterius non progredior. Ad extra.

Suarez videtur impugnare primam conclusionem, eodem modo, etiam quo Vasq. ubi supra: at verè non impugnat cum loquatur de motu viventis.

Primum argumentum contra Seraphicum assertum, ex fundamento: quæ procedunt ab anima ut perficiente corpus, ab Angelo fieri non possunt in assumpto corpore, ut probat Sanctus Bonav. at motus procedit ab anima, ut à perficiente corpus, ergo in Angelo non est: minor prob. contra Seraphicum; ait enim, motus non fit ab anima nisi informante corpus, quia non facit illud, nisi quatenus unum membrum per aliud movet, quod facere non potest, nisi membra vivificet, ergo.

At facili modo solvitur argumentum. Primò ex Scoto, ut responsum est in text. explicatione, majorem esse veram, de motu materialiter sumpto, non formaliter, idest secundùm se, non ratione subjecti, in quo est, accidit enim motui esse in vivente. Resp 2. motus non fit ab anima, nisi informante corpus (benè) ergo fit ab anima, ut informante, hoc negatur; licèt enim præsupponatur informatio, attamen non ut informans, sed ut potens, & habens potentiam motivam, & ut motor movens, præsupponitur enim informatio ad hoc, ut motus sit actus vitalis, & viventis non ad hoc, ut sit; nam etiamsi anima non esset forma corpus informans, sed assistens benè posset movere, & esset verus motus, sed non opus vitale.

Argult 2. simpliciter & verè non est motus progressivus, nec vitalis, nec animalis; nam de ratione talis motus est quod sit ab appetitu elicito, & consequenter ut à Phantasia procedat, & dirigatur, ex Arist. 1. de anima, & quod fiat mediante virtute existente in membris, & spiritibus animalibus; at in corpore assumpto, non adest similis virtus, ergo. Resp. ad majorem, esse verum motum; ac concedimus, nec vitalem, nec animalem, nec aliud probat argumentum, immò & fatetur Suarez dum concedit, quoad substantiam motus, quod verè faciunt Angeli, sensibilem motum, qui apparet, & materialiter est ejusdem rationis (hæc ille) quomodo potest consistere est ejusdem rationis secundùm substantiam, cum motu viventium, ergo non est verus motus, seu verè motus: modus cum supponit veritatem rei, & modus motus auget vitalitatem, non confert veritatem, quam dempto modo, secundùm substantiam, idest, secundùm se, habebat: Seraphicus cum Scoto ait Angelos in corpore assumpto efficere motum, non autem motum vitalem, & viventis; Et hæc satis pro præsenti articulo, & quæstione.



DISPVTATIO IV.

De comparatione Angelorum ad loca corporalia.

QUÆSTIO I.

Utrum Angelus sit in loco corporeo. S. Bon. dist. 2. p. 2. art. 2. q. 1.

60 Circa corpus quæstionis nota fundamentum primum. Supponit Sanctus Doctor, locum alium esse verum, metaphoricum alterum. Verum locum appellat corporeum, metaphoricum spiritualem, ibi in medio corporis quæstionis Angelus habet locum spiritualem, &c.

Not. circa idem corpus quæstionis, locum comparari ad locatum tripliciter, 1. ut continens locatum, sicuti vas, continet inclusum liquorem. 2. ut mensurans ad instar quantitatis, quæ aliam consimilem metitur quantitatem. 3. ut conservans tanquam natura, cujus munus est res ipsas conservare, loca enim naturalia petunt res ipsæ, ut in ipsis conserventur; & quia res contineri dicitur, quia finita, mensurari, quia quanta, conservari, quia corruptibilis; hinc quæ sunt finitæ, quantæ, & corruptibiles, omnibus prædictis modis sunt in loco, nempè continentur, mensurantur, conservantur; quæ autem finitæ sunt, & quantæ, sed incorruptibiles sunt in loco continente. Pro quo fundamento communi.

Not. Sanctum Bon. hic loqui de proprio loco, nempè corporeo, ut se declarat in medio corporis, & hoc dico (ait) in loco corporali *in 1. mem. d. 37. part. 2. art. 1. q. 1.* enarratis eisdem loci conditionibus subjungit, secundùm has conditiones locus se habet ad locatum per modum impartientis, & locatum se habet per modum suscipientis: hæc ille, hoc autem verificatur tantùm de loco vero, & corporali, ut patet: adverte tamen quod in primo sentent. quatuor ponit conditiones, continet (ait) mensurat, salvat, & terminat; ita ille, sed ad quid addere terminat? nonne terminare

idem est, ac continere? sicuti enim continet rem ratione finitatis, ita & terminat; forsan addit terminare, pro spirituali natura, cui continentia non sic propriè adaptari videtur; ait enim ibidem ad primum In, præpositio, videtur importare continentiam ambientem; hinc in loco esse aliquid habet improprietatis, in ordine ad Deum. (Hæc illæ) idem enim sequitur, in Angelis, quos ambire locus non potest, quia autem finita est Angelica substantia, & non quanta, propriè terminatur, & non sic propriè dicitur contineri, seu esse in loco, sed terminari à loco.

2. Fundamentum, quod in corpore tangit S. Doctor est desumptum ex perfectione universi, universum enim ad hoc factum à supremo artifice, ad Dei perfectiones manifestandas, potentiam, sapientiam, & Dei bonitatem; sicuti multiplicitas creaturarum valde distantium omnipotentiam prædicant, divinam bonitatem manifestat esse earundem intelligere, & invicem communicari; ita & sapientia divina ex ordine rerum invicem dignoscitur; sic discurrit Seraphicus 2. *d.* 1. *a.* 2. *q.* 2. *in fund.* hinc de ratione ordinis universi est partium inter se ordinatio: ordinantur autem rerum existentiæ invicem tripliciter. Primò quia una sine alia erit in esse post aliam. 2. quia una fit ab alia. 3. secundùm positionem, quia una est hic, altera ibi.

3. Fundamentum tangit Seraphicus ibi, quare in loco corporali Deum, ait, communicare suas perfectiones creaturæ, quia summè bonus: ac non quatenus ipse potest conferre, sed quod ipsa creatura nata est recipere. In se Deus summè simplex est, & immensus, quia summa pollet simplicitate secundùm totum intra omnia est, ratione autem immensitatis extra omnia, & omnia continet, ambas perfectiones creaturis communicat, secundùm earum capacitatem, spiritui simplicitatem concessit, quia spiritus partibus caret, non autem ut ita dicam immensitatem, & universalem capacitatem: corpori autem, quia partes habet innumerabiles, quin simplicitatem communicare non potuit, communicavit omnium capacitatem, & sic quandam immensitatis speciem, sicuti enim fecit nobilissimam creaturam, quæ omnium esset simplicissima, ita & fecit nobilissimum, & amplissimum copus, ut omnia ambire posset, & extra quod omnino nihil esset, & hoc est Empyreum, in quo est universalis potentia locandi omnia.

Addo ex primo ubi supra *p.* 1. *a.* 2. *q.* 1. *in corp.* esse in loco quis dicitur dupliciter, in ordine ad creaturas: circumscriptivè, & sic corporalia sunt in loco ratione quantitatis commensurantis, & totum, & quaslibet partes; & diffinitivè, & sic spiritualia, ita dicuntur esse in loco, quia à loco terminatur, ut alibi non sint; finitas enim creaturæ diffinitum petit locum. Ex corpore quæstionis plures deducuntur conclusiones. Quarum prima est respondens titulo; Angeli sunt in loco corporeo. Probat Seraphicus in corpore, quia limitatæ naturæ sunt. 2. & 3. Fundamento, quia operantur virtute finita in loco corporeo.

Concl. 2. Angeli non sunt in loco commensurativè, seu circumscriptivè. Quia nulla quantitas est in Angelo: at existentia talis in loco, requirit quantitatem in loco, ergo Angelus est sic in loco. Minor prob. à S.D. locus enim mensurat, ut quantitas.

Concl. 3. Angeli sunt in loco diffinitivè; hanc innuit in corpore clarè in responsione ad 2. & *q.* 3. *in fine corp.* Angelus in uno loco est: Deus est ubique (hæc ille.) Prob. quia illud, quod ratione finitatis tantùm non quantitatis, nec corruptibilitatis est in loco, est ibi diffinitivè: Angelus est in locu tali pacto, ergo, &c. ita in corp. & in fine corp. Angelus est hic, & nunc, ergo in loco saltem diffinitivè.

Adverte, quod esse hic stat dupliciter: aut demonstrativè tantùm, aut demonstrativè, & discretivè; si tantùm demonstrativè, sic verum est dicere, Deus est hic; non enim est signare locum, cui Deus non sit præsens; si autem discretivè falsum est, Deus est hic, hæc sanctus in primo ubi supra ad 3. sic enim faceret sensum, Deus est hic, ita ut alibi non sit, quod est falsum; modo quando dicimus Angelum esse hic, intelligendus hic, demonstrativè, & discretivè simul, ambo enim requiruntur ad determinatum locum.

Concl. 4. Angelus est sic in loco, ut totus sit in toto loco, & totus in qualibet parte loci. Post medium corporis quæstionis ait S. D. quia Angeli simplicitas non habet partem & partem, ideò secundùm totum est hic, & nunc, & *q.* 3. *in fine corp.* ait, & quoniam non potest extendi in loco, ideo necesse est, quod sit in toto, ita quod totus in toto, & totus in qualibet parte (hæc ille.) Pr. Deus est in loco secundùm totum, quia simplex est: at Angelus est simplex, ergo est in loco secundùm totum, idest totus in toto, & totus in qualibet parte loci. Major ex parte Seraphica in primo ut supra ad 4. ubi ait Deus secundùm totum est in loco, secundùm totum dicat simplicitatem, ratione enim simplicitatis Deus est in quolibet totus, hæc S D.

Concl. 5. Necesse est Angelum esse in Empyreo, sive intra empyreum; hæc in fine corporis Prob. ibid. Creata debent esse invicem ordinata ratione perfectionis universi, Angeli sunt entia creata, ergo debent esse invicem, & cum cæteris universi creaturis ordinata: tunc subsumitur: at non possunt alium ordinem habere, nisi secundùm positionem, ut supra probatum est in 2. fund. ergo necessariò sunt in loco: at Empyreum omnia ambit, & extra illud omninò nihil est, ex Seraphico in fine corp. ergo concludit, necesse est, Angelum esse intra ipsum. Videte cæteras rationes in fundamentis.

Concl. 6. Limitatio propriæ virtutis est locus circumscribens substantiam Angeli, & Deus est locus conservans eundem Angelum. De Metaphisico, & spirituali intelligendus loco, imò cum Deus sua immensitate contineat (in eo enim movemur, & sumus) ait D.Paulus, sua virtute conservet, sua efficientia limitet eorum naturas verè, est & Angelorum, & omnium spiritualis locus, secundùm omnes conditiones; & hæc sufficiunt: contra enim sunt clara in ipso textu. Ad extra.

Circa primam Concl. Angelum esse in loco corporeo, est de fide sic D. Thomas *in* 1. *sent.* *d.* 37. *q.* 3. *a.* 1. & Suar. Vasq. ubi supra.

Prob. à Seraphico ex Scriptura de malignis spiritibus. Matth. 25. *Ite maledicti in ignem æternum, qui paratus est Diabolo, & Angelis ejus.* Isai. 14. *Quomodo cecidisti de Cælo Lucifer, qui manè oriebaris?* Lucæ 12. *Videbam Satanam sicut fulgur de Cælo cadentem.* Apoc. 12. *Draco pugnabat, & Angeli ejus, & non prævaluerunt, nec locus inventus est eorum amplius in Cælo.* Tob. 8. *Tunc Raphael Angelus apprehendit Dæmonium, & ligavit illud in deserto superioris Ægypti:* & non desunt alia loca, in quibus patet Angelos in loco esse.

Ex Patribus id asserentibus tanquam ex fide certum, sunt Athan. in Epist. ad Serapionem non

longè

longè in fine. Amb. l. 1. de Spiritu sancto, *cap.* 9. & 10. Beda l. 1. in Luc. *c.* 5. Greg. magn. l. 2. Moral. *c.* 5. Nazianz. Orat. 4. de Theologia.

Contra tertiam conclusionem est Durand. *l.* 1. *sent. d.* 37. *p.* 2. *q.* 1. profitens, Angelum esse ubique: & si dicat Suarez proprium esse soli Deo ubique esse, subjungit Durandus maximam esse differentiam inter Deum & Angelum in hoc modo essendi in loco. Primo Deus est ubique, per immensitatem propriæ substantiæ; Angelus non, sed per præsentiam ordinis, quia ex sua substantia potest fieri præsens cuilibet loco, & ibi operari. 2. Deus est ubique, & ubique potest operari in multis, imò simul in omnibus locis: secus autem Angelus, nisi specificè. 3. Deus, quod vult ubique efficere potest: at Angeli limitata virtus, ad limitatos determinat effectus.

Sed meritò Durand. ab omnibus reprehenditur, & quidem jure, quoniam quemadmodum scitè, ac optimè aiebat Moralissimus Seneca, licèt alio tendens; qui ubique est, nullibi est, *q. d.* nul ibi talem esse, videlicet quod spectat ad aliquem certum, & determinatum locum, uti patet de Deo: at Angelus ita determinatè est hic ut etiam discretivè, idest alibi non sit, ergo non ubique. Verum audiat Durand. Damascenum *l.* 1. *c.* 16. & *lib.* 2. *cap.* 11. Angeli de Cœlo ad terram missi non manent in Cœlo; & paulo inferius non sunt, ait, ubique, sed in loco determinato. Audiat enim sacram paginam, de malis Angelis dicentem, quod *locus eorum non amplius inventus est in Cœlo*; & alibi, *quomodo cecidisti Lucifer de Cœlo, qui manè oriebaris*; si amplius non habet Angelus locum in Cœlo, non potest fieri præsens in Cœlo, per illam præsentiam ordinis, non ergo ubique.

Contra eandem concl. est D. Thomas, & tanti Doctoris sequaces, qui fatentur Angelos non esse in loco verè, & propriè, sed æquivocè, ait Angelicus in præsenti articulo primo. Corpus enim est in loco secundùm contractum dimensivæ quantitatis, quæ quidem in Angelis non est, ergo secundùm aliam, & aliam rationem. Cui ex Seraphico respondendum *in* 1. *d.* 37. *a.* 1. *q.* 1. *ad* 2. Ad hoc quod habeat veritatem hæc locutio esse in loco, non exigit, nec ponit, nisi præsentialitatem, & indistantiam. Hæc Sanctus: at hæc est communis ratio, & corpori & Angelo, ergo non æquivocè est Angelus in loco, sed secundum eandem rationem.

Nec obstat Damasc. *l.* 1. *de fide*, *c.* 17. dicens Angelum esse in loco modo intellectuali, nam noluit negare locum propriè ab Angelo, sed alium modum ab eo, quo corpora sunt in loco exhibere, negare voluit in Angelo locato commensurationem, ad locum, & astruere spiritualem modum, ut totus in toto loco, & totus in qualibet parte loci sit Angelus, idem dicendum ad illud D. Aug. de Gen. ad lit. c. 10. dicentis, spiritualem creaturam non moveri per loca, sic, & benè interpretatur noster Caisensis hic; licèt ergo sit alius, & alius modus corporis, & Angeli essendi in loco, tamen communis ratio indistantiæ, & præsentialitatis in utroque est neutrum, ergo æquivocè est in loco.

Contra quintam concl. est Scot. 2. *d.* 2. *q.* 6. quem sequuntur Scotistæ, & præcipuè Seribonius, qui in hoc derelinquens nostrum Bonaventuram in sua Cosmotesi *disp.* 5. *q.* 1. Scoto adhæret. Scoti fundamentum est tale. Hæc necessitas nec est ex parte loci, nec ex parte locati, ergo nulla necessitas. Prob. non ex parte loci, quia hæc est distantia laterum ipsius continentis; at Spiritus, ut corpore orbatus, hoc non præstat, ergo nullam tollit loci indigentiam, nec tollit ejus necessitatem: Nec adest necessitas ex parte locati, Spiritus enim non est in loco ob indigentiam ex sancto nostro Doct. non apparet, ergo talis necessitas ponendi Angelum in loco.

At ex Seraphico nostro in promptu est responsio, & pace tanti viri insufficiens est enumeratio necessitatis; Necesse est enim Angelum esse in loco, non ex parte loci, nec locati, sed ex parte ordinis universi, ut dictum est in textus expositione, & clarissimè hic *quæst.* 4. *in corp.* ait, ratio, ob quam Angelus est in loco, non est propter indigentiam loci, nec propter indigentiam Angeli, sed propter ordinem universi; (hæc ille.)

Dices, Angeli potuerunt creari ante creationem Mundi, & post mundi creationem possunt huc fieri, & esse extra corpus, ergo. Resp. ad primam partem concedendo eam veram esse de loco corporeo, at non de spatio: ad secundam partem ea negatur, eò quia sunt & ipsi partes universi, & ex hoc ordinatæ ad invicem.

Dices. Sunt Angeli ejusdem rationis nunc sicut fuerunt tunc ergo. Resp. negando sequelam; non enim propter variatam rationem alio se habent modo, sed propter ordinem universi in quo sunt.

Dices iterum: magis necesse est, corpus esse in loco, quàm spiritum: at primum Cœlum non est in loco, ergo multò minus Angelus. Resp. disparem esse rationem de primo corpore, idest de primo corpore, idest de primo Cœlo, ac de Angelo; ea positione enim, quod Cœlum primum non sit in loco, servatur universi ordo, alioquin quomodo primum corpus, si superius aliud adsit corpus, in quo tanquam in solo primum Cœlum sit; at non posito Angelo in loco tollitur universi modo: hinc ad argumentum negatur major, ubi de corpore sermo est, in quo est universalis potentia locandi, ubi est primum Cœlum ex Seraphico hic.

Patet ergo veritas Seraphica in simili conclusione conformis Straboni, Damasceno apud Seraphicum, & aliis apud cæteros. Quibus si respondeant aliqui cum Vasq. Patres de facto, non de possibili locutos. Resp. de facto esse locutos ratione finitatis eorum, & eò quia universi sunt partes, at universi partes, & de facto, & de possibili necesse est habere locum factum, ergo necessitantur etiam & ipsi Angeli ad locum aliquem, in diverso habendum.

QVÆSTIO II.

De modo quo Angeli sunt in loco.

HOc in loco Scholastici omnes, hanc quæstionem maxima cum diligentia examinat, 6
hinc, licèt Seraphicus noster peculiarem circa hoc non instituat quæstionem, hanc tamen non prætereundam censeo: dicam ergo quid cæteri sentiant, & quid demum sit ex Seraphico nostro resolvendum.

Duo ergo supponenda apud omnes: primum Angelum verè esse in loco, seu spatio præsentem. 2. Rationem formalem, per quam Angeli substantia, imò & quælibet alia est formaliter in loco, esse præsentiam ipsiusmet Angeli ad locum, quod

 innuit

innuit etiam Suar. hic de Angelis : quibus suppositis, quærimus rationem fundamentalem, seu fundamentum talis præsentiæ ad locum in Angelo? Cum autem in Angelo solam dignoscamus substantiam, & operationem, seu facultatem, ad operandum; hinc duæ possunt esse ad summum opiniones.

Prima est D. Thomæ 1 *part. q.52. a.1. & 2.* dicentis, Per applicationem virtutis Angelicæ ad aliquem locum, Angelus est in loco corporeo, per contactum dimensivæ quantitatis corpus est in loco, quæ quidem in Angelis non est, sed est in eis quantitas virtualis (hæc ille) in primo articulo, idem repetit in secundo, ut ostendat, quod licèt Angelus communicet cum Deo, in simplicitate tamen, licèt Deus sit in pluribus locis, imò ubique, non esse idem dicendum de Angelo, & reddit rationem, quia virtus Dei infinita est, Angeli verò finita, & cum Angelus sit in loco per applicationem virtutis suæ ad locum (hæc ille.)

Idem *in 1. sent. dist.37. in corp. quæst.4. art.1.* Angelus, & quælibet substantia incorporea, non potest esse in corpore, vel in loco, nisi per operationem, quæ effectum aliquem in eo causat. Ità ille ibi. Hoc idem repetit in 1. & 2. *resp.* esse in loco, ut operans in operato: & in respons. ad 3. hanc operationem appellat locati perfectionem: & ad 5. hanc operationem exire ab Angelo, & transire super locum & ad 4. non reputo, ait, inconveniens, quod Angelus, sine loco esse possit, & non in loco, quando nullam operationem circa locum habet (hæc ille.)

Ex quibus patet primò non solùm de facto, sed etiam de possibili Angelum esse in loco per operationem, sed nec posse esse in loco, dempta operatione. 2. Operationem non debere esse immanentem, sed transeuntem: vocat enim eam perfectionem locati exeuntem ab Angelo, transeuntem supra locum, &c.

Extendit autem hanc operationem Angelicam, qua constituitur Angelus in loco, in quolibet *p. art.4.* hoc pacto dico autem operationem, communiter secundùm quod Angelus se habet ad corpus contentum in loco per modum præsidentis, aut ministrantis, aut aliquo modo agentis, aut patientis.

Hanc D. Thomæ sententiam per extensum tetuli, ut hinc, cum ejus Discipuli in varios sensus dissecti sint, dignoscatur, quis eorum mentem dignissimi Magistri meliùs, ac veriùs sit assecutus.

2. Opinio est Scoti, & sequacium asserentium, fundamentum præsentiæ ad locum non esse operationem, sed propriam finitam substantiam.

Ad primam opinionem plures reducuntur diversimodè S. Thomam explicantes.

Primus sensus est communis Ferrar. *lib.3. contra*
63 *Gent. cap.68.* & Capreol. *lib.2. sent. dist.2. q.1. a.1.* operationem transeuntem esse fundamentum præsentiæ Angeli in loco: distinguuntur tamen hi duo Doctores inter se, quia primus, hanc operationem propriè, transeuntem esse debere ait, qua in locum agit, ex D. Thom. ubi supra, in primo sent. Secundus verò affirmat sufficere assistentiam, præsidentiam, custodiam, & passionem, & qualemcumque alium modum contingendi locum, ex D. Thom. ubi supra in quolibet.

2. Sensus est Cajet. negantis esse in loco immediatè per suam operationem, sed per applicationem suæ virtutis operativæ ad operandum etiam si non sequatur operatio; quod ut meliùs intelligatur tria dicit.

Primum quod differunt habere virtutem applicatam ad operandum, & operari, stat enim unum sine alio, v. g. multi habent applicatam virtutem ad trahendam Navim, & non trahunt nimio pondere, vel alia de causa, ita & Angelus. 2. quod ista applicatio Angelicæ virtutis multa claudit in se: Primum ex parte substantiæ Angeli dicit negationem distantiæ, quod non sit alibi ab isto. 2. ex parte intellectus Angeli dicit cognitionem practicam, qua intelligit Angelus, se illic operaturum. 3. ex parte voluntatis Angeli dicit acceptationem, quod velit ibi operari. 4. ex parte virtutis executivæ, dicit expeditionem, quod non sit alibi occupata virtus executiva, sed statim quod velit, operari possit: hæc omnia dicit applicatio virtutis Angelicæ. 3. quod licèt Angelus per hanc applicationem virtutis, sit in loco, tamen imperfectè, & inchoative dicitur esse in loco, quando autem sequitur operatio, tunc completè & perfectè est in loco. Hæc est Cajetani opinio ex D. Th. ubi supra in summa contactum virtutis Angelicæ sic explicantis.

Conveniunt autem Cajet. & Capreol. Primò, cum Angelus liberè applicat suam virtutem activam ad locum, in ejus potestate est, eam ad nullum locum applicare, & eò ipso, quod substrahit applicationem suæ virtutis, fieri, ut Angelus in rerum natura existens, nullibi existat. Ex D. Th. sent. ubi supra 2. In agentibus spiritualibus, ad transeuntem actionem exercendam non esse necessariam conjunctionem Angeli cum loco, in quo agit, tamquam conditionem sine qua non existentiæ actionis: Angelus enim (inquiunt ipsi) non est in loco nisi per contactum virtutis, quem potest subtrahere, & eo ipso quod subtrahit eum, non manet in loco, manet tamen negativè indistans à quocumque loco, & cum inter eum, & quemcumque locum sit sufficiens ordo, & habitudo motoris ad mobile, poterit immediatè agere in quemcumque locum, sine immediata aliqua præsentia, aut conjunctione, vel approximatione, eo ipso quod ad alium locum non habeat applicatam suam virtutem, ac proinde non sit in alio loco, si namque in alio loco esset, ad eumque applicatam haberet suam virtutem; tunc ratione illius applicationis distaret per accidens ab hoc loco, neque posset immediatè in eum agere, nisi deserendo illum locum, per subtractionem suæ virtutis. 3. Conveniunt prius Angelum esse in se ipso, quam sit actio ejus, & quam ipse sit in loco, attamen priorem esse actionem, & tactum virtutis Angeli, quo attingit locum, quam Angelo esse in loco, eo quod beneficio illius contactus ipse Angelus in loco sit.

Ad eumdem D. Thom. reducitur Vasq. *qui in 1. part.* D. Thom. *quæst.52. art.1. disp.189. cap.7* per contactum Angelicum, seu applicationem intelligit modum, quo Angelus conjungitur corpori, sic *num.32* Nec mirum, ait, videri debet alicui, si hoc modo mentem S. Thomæ interpreteremur, quando tot variis modis Thomistæ explicant hanc applicationem virtutis. Hæc ille.

Dicit ergo Vasq. Nudam Angeli substantiam non sufficere, ut Angelus in loco ponatur, sed requiri modum, non relativum, sivè intrinsecum, sivè extrinsecum, sed absolutum, quem vocat ibi Angelicum, sive intrinsecum locum. 2. dicit talem modum efficienter fieri ab Angelo in se ipso liberè

liberè, ratione cujus cum unitur corpori, præſens eſt illi. 3. cum talis modus non oriatur à ſubſtantia, poteſt eſſe minor, vel major, immò & non poni, & tolli ſecundùm Angelicum placitum. 4. Dicit hunc modum, ut in ſubſtantia Angelica ſubjectatum eſſe indiviſibilem, habere tamen extenſionem virtualem, qua facit ipſum Angelum, eſſe in loco diviſibili, & extenſo, in quo carpit Suarez, & alios ejus ſequaces, extenſionem in loco intrinſeco, ſeu ubi Angelico. Hos igitur Doctores ego vehementer miror: naturalis enim fuiſſe videtur ſemper quædam ſcholaſtica antipatia inter hæc duo ſublimia ingenia, ut dignoſcentur clarè à legentibus digniſſimos eorum labores.

Secunda principalis opinio fuit Scoti, & ſequacium, non ſolùm ex ejus familia, ſed ferè communis; eam enim proferunt Malon. *in 2. diſt.* 11. Peſantius in D. Thomam, quam tribuit Alenſi, & Henrico Suarez de Angelis *lib* 4. *c.* 7. qui profert Richardum, Becan. *part.* 1. ſummæ ſcholaſticæ, & tract. de Angelis *q.* 5. de loco Angelorum *num.* . mihi, ait, placet ſententia Scoti. &c. eſt tandem noſtri Caſpenſis in ſuo curſu Theologico tract. de Angelis diſp. de loco Angelorum *concl.* 4. *num.* 9. Rationem fundamentalem Angelo eſſendi in loco, eſſe propriè ſubſtantiam propriam: rationem verò formale eſſe præſentiam localem Angeli intrinſecam, de prædicamento ubi: & quia, ut oſtendam in inferioribus eamdem exiſtimo eſſe D. Bonav. noſtri hinc cæteris valedictis hanc amplector. Sit ergo.

64 Concluſio 1. Angelus non eſt in loco per operationem tranſeuntem: Eſt contra Ferrar. & Capreolum. Communis probatio eſt, eò quia ſequerentur multa inconvenientia; Primum Angelos non eſſe creatos in Empyreo, nec modò ibi eſſe beatos, nec damnatos in inferno, nec animam Chriſti deſcendiſſe ad inferos ſecundùm ſubſtantiam ſuam, eò quia nulla videtur operatio Angeli in Empireo, Dæmonis in Inferno, nec Chriſti in Limbo; negare autem tales exiſtentias, non ſolùm irrationabile eſt, ſed etiam contra fidem, confitetur enim quilibet fidelis præſertim catholicus in Apoſtolico ſimbolo quotidie paſſim de Chriſto Domino deſcendiſſe ad Inferos.

At facilè hoc tollunt inconveniens: Aliqui negant enim abeſſe operationes, verum omnè ſemper patiuntur Dæmones? & ſimilis paſſio ex D. Thom. ſupra ſufficit, ut Dæmones dicantur eſſe in loco boni autem plurimas operationes exercent in Empyreo, ſaltem immanentes quis etiam negabit, Chriſtum illuminaſſe Lymbum, conſolatione affeciſſe Sanctos Patres, quos tandem ex inferis erutos, ſecum adduxit in Cœlum? Interea, Placet mihi ratio, quæ deſumitur ex noſtro Sancto Doctore; docet enim ſupra, Angelum neceſſariò eſſe in loco, quia pars univerſi: hoc ſuppoſito probatur concluſio: ſi Angelus eſſet in loco propter operationem tranſeuntem qualemcumque ſequeretur quod poſſet eſſe pars mundi in Univerſo, & tamen nullibi eſſet: at hoc eſt impoſſibile eſt ergo in loco Angelus, ſed non per qualemcumque ipſius tranſeuntem operationem: Scio D. Thomam hoc quod ſequitur prævidiſſe; & reſpondiſſe ubi ſupra, nullum eſſe inconveniens, & in nullo loco eſſe; immò Suarez licèt hanc improbet opinionem de tranſeunti actione, attamen apertis eam fatetur Verbis, dum ait, ſi Angelus non operetur in loco aliquid, non dicitur in eo propriè ut in loco in Metaph. loco infra citando.

At quidquid dicant, non eſt intelligibile, rem eſſe in Univerſo, & nullibi eſſe, & probatur. Ponamus quod non concurrat Deus ad operationem, quam Angelus exercet in Empyreo, propter quam actionem erat ibi tamquam in loco; Angelus non operatur, ergo, &c. Dices non eſt in loco, & tamen eſt adhuc in Empyreo in eadem parte Empyrei præſens ei, ſicut erat prius. Contra, quia ſi ſic, erit ergo, & non erit, at aperta contradictio.

Dices, non; nam eſt in Cœlo, at non in loco; ſed contra, quia repugnat eſſe in Univerſo, & partem ejuſdem, & non in loco; item, per motum localem acquiritur locus, ſivè externus, ſivè internus, ſed Angelus nec à ſeipſo, nec à Deo localiter motus eſt, nec ulla mutatio facta eſt, circa locum, quomodo ergo factus eſt hic tranſitus, de contradictorio, in contradictorium, ſine mutatione extremorum? At maximè diſplicet Suarez, qui poſtquam docuit, Angelos eſſe in loco, per ſolam præſentiam ſubſtantiæ ſuæ indiſtantis à corpore, in quo eſſe dicitur, & probavit, quia ad hanc denominationem eſſendi in loco, duo requiruntur; ex parte Angeli præſentia, ſeu ubi; ex parte corporis, coexiſtentia corporis in eodem ſitu, vel ſpatio, in quo Angelus præſens exiſtit; hæc ait ſufficere: ad quid ergo in Metaph. *diſp.* 51. *ſect. num.* 2. addit, ſi non operetur in corpore, in eo propriè, non eſt in loco: involvunt enim hæc duo contradictionem. Ad hoc ut Angelus ſit in corpore aliquo, tamquam in loco, ſufficit præſentia Angeli, & coexiſtentia corporis in ſpatio, ubi eſt Angelus; ſed Angelus non operans, eſt præſens, & corpus coexiſtit, ergo eſt in loco, vel dicendum præſentiam, & coexiſtentiam eſſe ſufficientem, & non ſufficientem ad ponendum Angelum in loco.

Addit Suarez requiritur præſentia; alioquin poſſet Angelus dici locus corporis, ſicut è converſo, cum eadem habitudo ſit utrobique. 2. quia inter corpora, non ſufficit propinquitas, & indiſtantia, ergo nec inter Angelum, & corpus. 3. quia locus extrinſecus habet rationem continentis, ſed ſi nihil operatur, non continebit, ſed ſolùm concomitanter erunt ſimul.

At pace tanti viri, quem ſemper, & meritò, ſuſpexi, undenam vidit in his rationibus robur tantum, Pater Suarez, ut mutaret tam citò, quæ non ità pridem alibi dixit? & conditiones, quas ſufficientes uno in loco poſuit, pro inſufficientibus in alio damnaret? ad primam ergo neganda eſt ejus ratio, quod ſcilicet Angeli præſentia requiratur, non enim Angelus, quia Spiritus, poteſt habere rationem loci, & præcipuè corporalis, de quo modo loquimur: ex S. Bon. noſtro: ad 2. neganda concluſio; apparet enim manifeſta illa diſparitas, quia corpora debent commenſurari, quod ſecus in Angelis carentibus quantitate extenſa: ad tertium ad continentiam non requiritur actio; ait enim Sanctus Doctor noſter *in* 1. *diſt.* 37. *part.* 2. *art.* 1. *quæſt.* 1. *ad* 1. eſſe in loco, ad hoc quod habeat veritatem locutio, non exigit, nec ponit niſi præſentialitatem, & indiſtantiam (hæc ille.)

Concl. 2. Angeli non ſunt in loco per applicationem virtutis alicui corpori, antequam in id corpus operentur: Eſt contra Cajet. & ſequaces quos referunt Suar. ubi ſupra *c.* 5. & Vaſq. Probari poteſt eadem probatione, qua probavimus præcedentem concluſionem. Probatur autem ſic à noſtro P. Caſpenſi Actio immanens non eſt ratio ſe conſtituendi in extrinſeco loco: at ſimilis applicatio dicit actum voluntatis, & intellectus, qui ſunt actus immanentes, ergo, &c. 65

Antecedens

Antecedens patet, quis enim absens à loco, cogitat de loco, vult locum, imò disponit, & se præparat ad operandum in loco; neque tamen sic approximatur loco, ut in proposito patet de Angelis, quî existentes in Cœlo, possunt attendere ad ea, quæ aguntur in terris, circa hominem cum actuali voluntate, illum illuminandi, vel illi succurrendi, quod nihil præstat Angelo, ad hoc ut sit in terra: observatu sanè dignum; in hanc rem occurrit exemplum Angeli, qui Danieli apparuit uti legimus in Daniel. *c.* 10. à principio orationis Danielis, habebat applicatam virtutem, ut ad Danielem accederet, & illum doceret; ait enim, *ex primo die quo posuisti cor tuum, &c. exaudita est oratio tua, & ego veni propter sermones tuos, ut docerem te, &c.* erat ergo paratus ad locum accedere Danielis, ut doceret eum, & tamen quis dicet fuisse in loco, in quo erat Daniel, antequam de facto Angelus ad eundem Danielis accederet locum? absentiam planè testatur suam Angelus, dum ait, *Princeps autem Regni Persarum restitit mihi viginti, & uno diebus*, & subjungit, *& ego remansi ibi juxta Regem Persarum*: clarè hinc patet applicationem virtutis non sufficere, ut quis dicatur esse in loco: Quod autem applicatio aliud dicere non valeat, nisi hos immanentes actus, quibus se præparat ad operandum in loco Angelus, clarè patet: Talis enim applicatio, vel est actio transiens, vel est substantialis præsentia, vel tandem actio immanens: at negant esse transeuntem operationem, & præsentiam substantialem, ergo talis applicatio actiones dicit solummodo immanentes.

66 Concl. 3. Modus unionis ad corpus non est ratio, ob quam Angelus sit in loco; est contra Vasq. ubi supra, sed ex mente Suar. hic *l.* 4 c. 6 *n.* 3 & omnium sequacium Scoti, & D. Thom. alii enim similem modum, ut inutilem reprehendunt, ut P. Suarez, alii superfluum; quinimò ipsemet Vasq. dubitavit an talis modus inveniret benevolos acceptatores, an censores acerrimos: quapropter libenter velim à tanto Patre ediscere, quid sit iste modus, seu in quo consistit? explicant alii, rationem essendi in loco, nempè actionem transeuntem, applicationem unitatis, præsentiam, &c. talis autem modus, si neutrum eorum est, quæ diximus, dicat quæso quid sit in quo consistat?

Propterea ponitur hic modus unionis in Angelo, ut uniatur corpori, & hinc præsens sit illi, ait ipse: at unio subsequitur præsentiam, ergo potius unio enascitur ex præsentia, & eam supponit, quàm efficiat; non enim unitur anima corpori ad informandum illud, nec Verbum humanitati ad terminandam eam, seu suppositandam, nisi præsupposita saltem prioritate naturæ præsentia, & eorum extremorum uniendorum indistantia, ut benè notavit Caspensis noster; hinc dicebat Seraphicus noster *in* 3. *d.* 6. *a.* 1. *q* 3. *ad* 2. quia Deus maximam habet approximationem creaturæ, ideò maxima potest esse unitas inter creatorem, & creaturam (hæc ille.)

Item ait Vasquez modum hunc esse ab Angelo efficienter, ita ut possit Angelus omnino carere eo *n* 29. *c.* 7. quod si verum est, poterit se Diabolus ab inferno liberare; cavat enim se illo modo, & sic erit absens ab inferis; item poterit Angelus sine sui, nec loci mutatione transire, ab esse in loco ad non esse in loco quod tamen, ut impossibile, supra refutatum est.

Qui plura contra hunc modum videre desiderat, & contra ejusdem indivisibilitatem, legat Suarez ubi supra, ego enim ut Seraphicam innuerem mentem, in hac materia quæstionem hanc institui; sit ergo.

Conclusio ultima. Rationem fundamentalem Angelo essendi in loco esse propriam substantiam; formalem verò, præsentiam localem Angelo intrinsecam; de Prædicamento ubi. 67

Hujus sententiæ auctores quoniam supra enumeravi; solum addo S. Bonav. in hac enim opinione proculdubio ipsum esse existimo: in præsenti enim quæstione, an Angeli sint in loco, in corp. ait ratione suæ substantiæ esse in loco, & in fundamentis, quia substantia potest proportionari loco corporeo, *& q.* 4. *præsentis dist. ad arg.* Angeli, ait, ponuntur in loco quantum ad existentiam (hæc ille) non dicit quantùm ad operationem, aut applicationem virtutis, aut modum unionis: & *q.* 3. *ad* 2. est in loco, quia substantia finita, & limitata, & *q.* 4. *in corp.* ponitur in loco corporali, quia est de universo, quantùm enim de se omni corporali loco destructo, posset spiritualis substantia permanere: & *& in* 5. *sent. d* 37. *p.* 2. *a.* 5. *q* 5. *ad.* 5. uti supra notavimus esse in loco, ait, ad hoc, ut habeat veritatem hæc locutio non exigit, nec ponit nisi præsentialitatem, & indistantiam, hæc ille: sin autem ulterius quæratur ex ipso, quæ sit ratio formalis præsentialitas, & indistantia? respondet; nec ad hoc ut Angelus verè dicatur esse in loco, aliud ab iis quæ dicta sunt, scilicet substantiam, & præsentiam exigit, non modum unionis, non operationem, non applicationem virtutis: En ergo ex supra positis, quomodo firmum elicitur, & colligitur fundamentum; ex S. D. decidendi facillimè secundùm ipsum, quomodo, & cur Angelus sit in loco; ubique enim substantiam finitam Angeli pro ratione affert, & præsentialitatem.

Quare autem potius in uno sit, quam in alio loco, est, quia sua propria virtute movente, liberè transtulit suam substantiam ad eum potius locum, quam ad alium; vel ab extrinseca virtute vehementiori movente (si ipse resistat) translatus fuit ad eum potius locum, quam ad alium; vel denique quia in eo potius loco, quam in alio à Deo creatus est. Hæc conclusio cum supra cæteras clarior, & expeditior sit, verè aliis præferenda. Prob. autem ex Seraphico: Nihil aliud requiritur ad ponendum aliquem in loco præter præsentialitatem locati, & indistantiam à loco, quam coexistentiam dicunt alii, ergo per hæc sola Angelus dicitur, & est in loco. Antecedens non solum ex sancto Doctore probatum remanet, sed etiam ex insufficientia aliarum opinionum: sicuti enim substantia corporea est in loco, per propriam præsentiam, & est in hoc, vel illo loco, quia vel propria vi motiva, vel aliena, ibi collocata est, ita & Angelus; dicit Caspensis noster. Rationem ex Seraphico nostro Doctore accipit Suarez hic, qua sola probat conclusionem, & quam adeò magni fuit, ut ad longum extendere eam etiam gestiat.

Quod si dicas ex sancto Doctore *in* 1. *d.* 37 *p.* 2. *a.* 1. *q.* 1. *ad* 5. Præpositio (in) videtur importare continentiam ambientem, ergo non satis, ut vera reddatur hæc locutio, Angelus est in loco præsentia Angeli, & loci coexistentia: Respondemus ex eodem ibidem, quod in loco esse videtur habere aliquid improprietatis in Deo, & Angelis, uti supra notavimus, in præsenti articulo, declarando Text. in corp. Angelus enim, ut ibidem ex Seraphico notatum est, potius à loco terminatur, quàm contineatur; vel respondebitur, continentiam esse in duplici differentia, ambientem vel terminantem; locus ergo propriè continet ambiendo corpus: at terminando,

terminando tantùm dicitur Angelos continere.

Ultimò ſolvenda remanent aliqua in contrarium argumenta. Primùm argumentum eſt; ſicut ſubſtantia Petri eſt quidem in loco, ſed ratione exiſtendi in loco non eſt ejus ſubſtantia, ſed quantitas Petri, per quam contingit locari; ita in propoſito ſubſtantia Angeli, eſt quidem in loco, tamen non eſt ſubſtantia ipſa ratio exiſtendi in loco, ſed aliquid aliud. Reſp. hoc argumentum ad rem non facere; alia enim ratio eſt in corpore, alia in Angelo in ordine ad locum: Corpus enim indiget tactus, quia commenſuratur loco conſervatur à loco, at Angelus ut potè ſpiritualis non indiget ullo contactu.

Secundum argumentum. Si Angelus eſſet in loco per ſubſtantiam, nulla eſſet proportio inter Angelum, & locum; ſpiritualis eſt enim ſubſtantia Angelica; locus verò eſt corporalis. Reſpond. ſufficere proportionem in finitate; alioquin quomodo anima in corpore, aut in Empyreo erit, in quo, quid circa Empyreum non operatur.

Tertium argumentum. Si anima eſſet per ſubſtantiam in loco, eſſet in loco tantùm indiviſibili: at dicimus eſſe in corpore, ergo per aliud à ſubſtantia, nempe per tranſeuntem operationem. Major prob. quia ſubſtantia Angelica eſt indiviſibilis, & ſic ſolùm proportionatur indiviſibili. Reſp. negando majorem exemplo animæ, quæ modo indiviſibili per ſubſtantiam eſt in corpore diviſibili; ſic & Angelus eſt totus in toto, eſt totus in qualibet parte corporis; licèt enim actualem non habeat; virtualem tamen extenſionem habet.

Alii moderniores Theologi negant ultimò propoſiti hujus argumenti majorem, & ejuſdem probationem, eò quia ratio formalis, ut diximus ſubſtantiæ Angelicæ eſſendi in loco eſt præſentia ejuſdem, quæ quidem licèt in ordine ad ſubjectum, ideſt ſubſtantiam Angelicam ſpiritualem indiviſibilis ſit, tamen extenſa eſt, & habet partes extra partes in ordine ad locum diviſibilem, unde tota præſentia Angelicæ ſubſtantiæ, & in ordine ad totum locum adæquatum, & pars præſentiæ facit totum Angelum indiſtantem ab hac parte loci, ſive ab hoc loco inadæquato: ratione igitur hujus præſentiæ diviſibilis in loco diviſibili eſſe poteſt. Ratione autem hujuſce argumenti movetur modo præſens dubium.

QVÆSTIO III.

An modus, quo eſt Angelus in loco, ſive ubi, ſive locabilitas, (quæ in noſtra ſententia eſt Angelica præſentia) ſit diviſibilis, aut indiviſibilis.

68 INdiviſibilem eſſe aiunt Vaſq. ubi ſupra, & Meratius *diſp.* 15. *ſect.* 1. & Vaſq. dicit contrarium tenentes, hebetiores vocandos, & materiales, ut non valentes à materiæ fecibus evolare.

Inter ejuſmodi ergo materiales à Vaſq. judicatos, invenio primum Suar. ubi ſupra, ac Molinam, quos nemo non agnoſcit inter Theologos ex primariis; præterea invenitur etiam Torres Artub. Eminentiſſimus Oregius, & tandem doctiſſimus Caſpenſis noſter, qui à ſimili omnes hanc veritatem probant de anima humana, & de corpore Chriſti ſub ſpeciebus panis, & vini, quorum præſentia diviſibilis eſt, ergo & Angeli præſentia reſpectu loci corporalis. Si enim præſentia animæ in corpore non eſſet diviſibilis, & ſine partibus ſequeretur, dum ceſſat eſſe præſens in aliqua parte corporis putrida, vel amputata; quod etiam deſineret eſſe, & in cæteris partibus; at hoc apertè patet eſſe falſum, ergo diviſibilis præſentia; undè dum ceſſat præſentia in hac, non ceſſat eſſe præſens aliis partibus. Sequela majoris patet, nam indiviſibile totum perit, vel totum conſervatur. Idem dicendum eſt de præſentia corporis Domini noſtri ſub ſpeciebus Sacramentalibus, quod ſcilicet neceſſariò diviſibilis eſt; alioquin ſi pars Hoſtiæ conſumaretur, deſineret Corpus Chriſti eſſe cæteris in partibus, quod falſiſſimum prorſus eſt, & communiter reprobatum: eodem modo, & de Angelorum præſentia theologizandum eſt.

Ex quo infertur, quod ſi Angelus exiſtens in loco inadæquato, vult ſe ad adæquatum extendere, non mutata priori præſentia, eam extendit ad adæquatum; idem dicendum quando ab adæquato ad inadæquatum tranſit, quod ceſſat eſſe præſens toti, & ſe conſervat præſentem parti loci in quo erat, contra ſequaces ſuperioris ſenſus, qui neceſſariò debent fateri, ſicuti de facto dicunt, ſemper totam denuò produci præſentiam.

Dices ex Vaſq. ubi ſupra *n.* 30. & 35. extenſionem, & habere partes extra partes, & eſt proprium corporis, & accidentis corporei, non autem Angeli. Reſp. ex Oregio, & Caſpenſe noſtro extenſionem ex parte non ſolùm ſpatii, ſeu loci, ſed etiam ſubjecti eſſe propriam corporis, & accidentis corporei: at extenſio in ordine ad ſpatium, non verò ad ſubjectum Angelo convenire. Sed

Ulterius addes, cum eodem Vaſq. ergo hic modus diviſibilis extenſus, facit extenſum, & Angelum, & ſic facit totum Angelum eſſe in toto loco, & partem Angeli in loci parte. Reſp. hanc conſequentiam totam negandam; facit enim totum Angelum, & toti loco, & parti loci præſentem; unde quando deſinit à parte loci, deſinit præſentia totius Angeli, at non tota præſentia, qua totus cæteris eſt præſens partibus loci.

Ex qua Reſp. adverte, quod docet Caſpenſis noſter, variam eſſe diviſibilitatem præſentiæ Angelicæ, à diviſibilitate præſentiæ, quam habet quantitas in ſtatu naturali; nam hæc præſentia in utroque ponit extenſionem, & partes, nempe in locato, & in loco; facit enim totum, toti loco præſentem, & partem parti. non ſic præſentia Angelica; facit enim totum Angelum, & toti loco indiſtantem, & partem præſentiæ, parti loci, totum eandem Angelicam ſubſtantiam præſentem: hæc enim Angelica præſentia, licèt immaterialis; componitur tamen ex partibus, & eſt in ſubjecto indiviſibili; qualitas enim ſpiritualis habere poteſt diverſas partes intenſionis; motus etiam localis Angeli ſpiritualis eſt, tamen diverſis partibus conſtat, cum ſit continuus.

Vltimò arguit Meratius data diviſione præſentiæ, ſequeretur Angelum poſſe eſſe nullibi; ea enim ratione, qua poteſt excludere partem præſentiæ ſuæ à partibus loci, poteſt & à toto, ergo nullibi erit. Ad totum falſum; ex Angelica enim perfectione poteſt ſuſpendere præſentiam ſuam ab hoc, vel illo loco: at creatæ imperfectionis eſt non poſſe, ab ab omni loco ſeparare præſentiam ſuam; repugnat enim, ut ſupra diximus, eſſe in rerum natura, & nullibi eſſe. Hæc ſecundùm aliorum diximus ſenſum; quid enim expreſsè ſenſuit Seraphicus noſter, ergo neſcio.

QVÆSTIO IV.

Utrum Angelus possit moveri localiter, sine corpore? a. 2. q. 1.

69 Cum supra visum sit, Angelos posse assumere corpora, & in eis assumptis corporibus exercere motum; modò quid dicendum sit de Angelis secundùm se, sine corpore, an eis motus competat S. Doct. inquirit, cujus occasione etiam docet, quomodo per corpus etiam sivè in corpore Angelus moveatur.

Circa corpus quæstionis, ait esse in loco sive esse locale, in quibus verbis videtur secundùm S. D. non differre, esse in loco, & esse locale, cum hic utatur illo sivè, qui identitatem supponit, attamen non sunt idem; licèt enim quod est locale, possit esse in loco, attamen quæ sunt in luco, non omnia localia; est enim Deus in omni loco, & tamen localis non est, ut patet in 1. *dist.* 37. *part.* 2. *a.* 1. *quæst.* 1. quapropter notandum ex Seraphico ibidem, quod, esse in loco, esse locatum, & esse locale, differunt: Esse enim in loco, dicit præsentialitatem, & indistantiam à loco; esse locatum addit ambitum, & continentiam; locale verò ponit idoneitatem ad proprietates loci, & indigentiam aliquam; locale dicitur quod sequitur leges loci, sicut temporale, quod sequitur leges temporis; leges autem loci sunt quantum ad actum continendi, mensurandi, salvandi, & terminandi, &c. ex quibus patet, esse in loco, hic, non sumere S. Bon. in tota sua universalitate, sed de loco intelligere in quantùm superexcellit locatum, quam superexcellentiam exercet, determinando, & locatum diffiniendo, ex Seraphico ubi supra, ad argumenta: esse enim in loco hoc pacto est dominari ab eo, & sic in locato, ponit inferioritatem, & obligationem, ad leges loci: in quo sensu esse in loco, non solùm dicit esse diffinibile, & determinabile, sed esse etiam determinatum, & diffinitum, & sic esse locatum.

Subjungit (ita moveri per locum) ex quibus deducitur, quod res ita movètur per locum, sicuti est in loco: Motus enim nihil est particeps nisi quod est in loco ex D. Thom. *sum.* 3. *Phys. l.* 1. *t.* 2. conformiter ad Arist. 5. *Phys.* dicentem, motus omnis in loco est, & quod non est in loco non movetur; cum ergo res in loco sit propriè per circumscriptionem; minùs propriè, per diffinitionem; ita res & per locum movetur circumscriptivè, & diffinitivè; & motus per circumscriptionem, propriè est motus, & corporibus propriua, sicut esse in loco per circumscriptionem: motus verò per diffinitionem minus propriè est motus, & spiritibus propriè competit, sicuti esse diffinitivè in loco est esse in loco minus propriè, talis tamen modus essendi est propriè spirituum.

5. Conclusio, quæ respondet quæstioni. Angelus secundùm se sine corpore movetur; ibi moveri autem) in principio corp quæst. Prob. tribus mediis in unum argumentum redactis in corpore Angelus non est minoris libertatis, &c.

Advertite vim probationis: Formæ in corpore, aliæ ignobiles sunt, aliæ nobiles; aliæ ignobiliores. Ignobiles sunt, quæ virtutem non habent, nec se, nec corpora movendi, ut in non viventibus, & etiam vegetativis; potius enim se extendunt ad informandam novam partem, quam moveantur; Aliæ minus ignobiles, quæ licèt habeant virtutem movendi corpus, non tamen movendi se, sine corpore, nec libertatem, nec dominium suarum operationum, ut sunt formæ sensitivæ; ab objecto enim trahuntur sensitivo; sola enim voluntas, aiebat S. Bon. *in* 2. *dist.* 1. *a.* 1. *q* 2. *ad* 2. est Domina sui actus, & sola seipsam movens. Aliæ quæ habent nobilitatem, virtutem, & libertatem movendi corpus, & se, in corpore, at non sine corpore, pro hoc statu, ut anima rationalis; licèt enim sit Domina suorum actuum in corpore, & per corpus, non tamen extra corpus, pro isto præsenti statu. Tandem nobilior est actus, qui habet nobilitatem, virtutem, & libertatem parem, tam extra, quam intra corpus; talis est Angelus; non solùm ergo movetur in corpore assumpto, sed etiam ab eo separatus. Hanc concl. probat in fundamentis, auctoritatibus Scripturæ, & Damasceni, necnon, & tribus rationibus.

Prima ratio. Quod est in potentia ad locum unum non sit actu in illo, nisi per motum localem: At Angelus est in potentia ad locum unum, ergo non potest esse in illo, nisi per motum localem. Prob. minor. Quod non est arctatum ad unum locum, & non potest esse simul in pluribus locis, est sic in uno, quod potest esse in alio loco: At Angelus est in loco determinatus non arctatus, & non potest, ut vidimus, simul esse in pluribus locis vi sua naturali, ergo indiget motu locali ut in loco sit, & per motum ibi est. Secunda ratio. Anima corpore exuta, movetur ad Cœlos, seu ad Inferos: At Angelus minus pendet à corpore, quam anima, ergo potest moveri secundùm se, sine corpore. 3. ratio, Angelus per eamdem vim per quam quiescit in terra, se facit in terra: At propria vi, non corporis, quiescit in terra, ergo propria virtute, nullo adjuvante corpore, ad terram etiam se movet: Hoc ultimum non probat Seraphicus, quia ex supradicta ratione, jam prolata satis apparet; si enim hoc competit animæ vi propria, à corpore liberatæ, ergo multo magis Angelo, qui naturaliter, non est corpori alligatus.

Concl. 2. Angelus (sicut dicit scriptura) habet moveri (*in princ. corp.*) Not. ex scriptura, non habere Angelum moveri: at an in corpore, vel extra, & motus qualitatem, ait S. Bon. nos ex Scriptura nequaquam habere. Potest probari, ex loco Scripturæ in primo fundamento. Omnes sunt administratorii Spiritus, &c.

Concl. 3. Angelus per se sine corpore minus propriè movetur. (*in fine corp.*) Prob. ibidem. Quod minus propriè est in loco, minus propriè movetur: At Angelus est in loco minus propriè, ergo, &c. Prob. a. quod per diffinitionem movetur, motu minus proprio movetur: at Angelus movetur per diffinitionem, ergo motu minus proprio (ibidem.) 70

Concl. 4. Angelus non movetur motu proprio, sivè per circumscriptionem, nisi in corpore, non per se, sed per accidens, &c. *in corp. & in resp. ad* 2. Hæc conclusio duas habet partes. Prima quod non movetur, per circumscriptionem per se. Prob. moveri per circumscriptionem est tantùm corporum: *in corp. & in resp. ad* 2. Moveri per circumscriptionem per se convenit corpori soli (Not. ly, soli) ergo non competit Angelo. Item ex corp. Angelus per se non est in loco propriè, ergo nec movetur proprio motu.

Secunda pars, quod movetur in assumpto corpore, in resp. ad 2. Prob. quod alio motu movetur, per

per accidens movetur, ſed Angelus in corpore exiſtens, moto corpore per circumſcriptionem movetur alio, non proprio motu, ergo per accidens movetur item Nauta mota Navi, movetur alieno motu, non proprio, & ſic per accidens: At Angelus in corpore exiſtens, moto corpore, movetur, ut Nauta in Navi, ergo non proprio motu, ſed per accidens movetur.

Pro reſponſionibus ad argumenta ad primum. Quod movetur per accidens alio movente, & alio motu à proprio motu movetur; ſic Seraphicus t Alenſ. 11. *Metaph.* Moveri per accidens, vel dicatur quod movetur ad motum alterius, vel ad motum ſubjecti, velut forma ſubſtantialis, ad motum corporis, velut contentum ad motum continentiæ, hæc ille.)

Pro intelligentia addo ex D. Thom. 1. *d.* 37. *a.* 1. *q.* 1. *ad ult.* Nihil moveri per accidens; moto eo in quo eſt, niſi diffinitivè ſit in eo, ità quod non in alio, ſicut anima movetur per accidens moto toto corpore, & non mota manu tantum. Hæc D. Thomas; idem dic de Angelo.

Pro reſponſ. ad 2. Duas aſſignat reſponſiones. Prob. reſp. de motu naturali, & voluntario: Primus ponit, ſeu ſupponit indigentiam, & hujus ſignum eſt, quod habito loco, ibi quieſcit, nec hinc dimoveri poteſt: ſecus in ſecundo motu, ſua voluntate, petit locum, & relinquit, non ergo indiget: Idem enim Seraphicus *in* 4. *diſt.* 49. *part.* 2. *a. ult. q.* 2. *ad arg.* ubi de motu corporis glorioſi ait alia eſt carentia rei, quæ reſiſtit & tunc, aut illa eſt nata reſiſtere per naturam, & tunc illa indiget, & talis motus, etſi ſit rei perfectæ, atteſtatur tamen alicui imperfectioni, ut cum lapis movetur ad locum deorſum, aut locus ille non eſt natus reſiſtere per naturam magis quàm alius, quia illo non indiget, ſed per voluntatem, quia aliquid vult circa illum operari, talis motus non ponit imperfectionem, ſed libertatem, & talis poterit eſſe in corpore glorioſo: hæc Seraphicus: & ibidem ad 3. idem repetit breviori ſtilo: motus (aiendo) dicit imperfectionem ex Ariſt. verum eſt de motu ad formam, vel ad ſinum propter indigentiam non autem propter libertatem: hæc ille.

Pro 2. reſponſ. declarat, quod immediatè diximus, ex eodem in 4. indigentia alia ponit imperfectionem, alia quæ arguit mobilis limitationem, indiget Angelus motu ut de cœlo ad terram tranſeat, & talis indigentia naſcitur ex Angeli limitatione, non autem imperfectione.

Pro ult. reſp. Adverte 1 dum ait nihil reflectitur ... ſe propter alligationem cum materia, quod S. Doct. loquitur de materia corporali, & extenſa ... ut inferius videbimus.

Adverte 2. Angelus, ait Sanctus, habilis eſt ad moveri ex parte ipſius quod eſt, ſivè ſubſtantiæ, vel materiæ (ſi habeat materiam) in quibus Verbis, non dubitat, an habeat materiam, ſed ſic dicit, quia hic non eſt locus diffiniendi hoc problema; eodem ferè modo dicit *in* 2. *d.* 2. *p.* 2. *a.* 2. *quæſt.* 3. *in corp.* in confutatione 2. opinionis quidquid ſit de materia Angelorum, ſicut infra dicetur: hæc Seraphicus.

Contra prima concluſionem ſunt Durand. *in* 1. *diſt.* 37. *q.* 1. & Hervæus negantes, Angelos moveri localiter, ſed diverſo fundamento, Durandi ratio eſt, quia Angelus eſt ubique, ergo non adeſt locus, ad quem ſit in potentia: Hervæus autem ſic probat: Quia Angelus non eſt in loco, per propinquitatem ſubſtantiæ, ſed ſecundùm ordinem, quibus ſupra reſponſum eſt, oſtenſa falſitate utriuſque fundamenti: Contra eamdem eſt Capreol, *in* 2. *diſt.* 6. *q* 1. aſſerens Angelum, non moveri à ſe ipſo motu per ſe, quia non poteſt in eo diſtingui pars mota, à parte movente; & etiam Greg. Arimin. ibidem *art.* 4. aſſerens nihil in hac re certi haberi.

Ad Capreol. reſpondit ſupra Seraphicus ad ultimum, eſſe materiam, & formam, ſubſtantiam, & formam. Ad Arimin. reſpondit S. Bon. per ſcripturam, & Damaſc. & fundamenta. Quoad 2. concluſionem, eam dicere catholicam veritatem ait Vaſq. Alenſ. 2. *p. q.* 33. *num.* 1. pro ea poſſe adduci plures auctoritates ex textu Bibliorum. Malon, ait eſſe de fide, & quod abſolutè moveantur & profert loca ſacræ Scripturæ, & quod in corpore moveantur probat ex Angelis qui apparuerunt Abrahæ, Loth, & Jacob, quos ex ſcriptura conſtat extitiſſe in corpore: quod autem abſolutè moveantur localiter, probat ex Job. Circuivi terram, & perambulavi eam: ita de ſe dixit Dæmon Mitte nos in porcos, mitti enim ait Vaſq. ex uno ad alium locum non poteſt fieri ſine motu ſecundùm locum: ex locis in quibus Dæmones dicebantur à corporibus exire: ex deſcenſu animæ Chriſti ad Inferos; eſt enim de fide ſua reali præſentia ipſam ad Inferos deſcendiſſe: ex anima Lazari portata ab Angelis in ſinum Abrahæ, & abſurdum eſſet, dicere hanc ſecundùm parabolam non ſecundùm veritatem dici portatam, eò quia ait Vaſq. in parabolis nomina propria non ſolent introduci: Adſunt inter alias auctoritates, in quibus dicuntur Angeli deſcendere cum Azaria, & ſociis ejus. Daniel 3. 49. E. ibidem 4. *d.* 20. Joan. 1. & ibidem, *cap.* 5. *art.* 4. Has tamen auctoritates ait Vaſq. non probare eò quia deſcendere, & aſcendere, non ſemper dicunt motum: probat autem ex eo, quod dicitur de Verbo Divino, quod deſcendit de cœlis, & tamen hæc deſcenſio, motum non ſignificat, nec poteſt ſignificare, cum Verbum ubique ſit neceſſariò ea ſua immenſitate.

Not. hanc rationem approbare Vaſq. niſi idem Verbum deſcendere faceret articulum de fide, & ſic propriè ſumeretur, ut in deſcenſu animæ Chriſti ad Inferos: Sed contra, quia licèt aliquando deſcendere impropriè ſumatur, nec motum dicat; per hoc non tollitur, quin ubi ſervari poteſt proprietas, quod propriè non debeat ſervari, & ſic non faciat fidei articulum uti patet etiam in aſcenſione animæ, & corporis Chriſti ad Cœlos; aſcendit enim verè ad Cœlos ſecundùm utramque ſubſtantiam, & eſt de fide præterea hoc idem, ſic ad hominem probo, contra ipſum Vaſquez. Mitti ſumitur impropriè dum de Verbo increato, à Patre miſſo & de Spiritu ſancto miſſo aſſumitur, & tamen dum de Angelis malis dicitur facit articulum fidei, de motu Angelorum, ex ipſomet Vaſquez quare ergo & deſcendere, eo quia aliquando impropriè ſumitur non facit articulum fidei circa Angelorum motum non video. Verba enim quibus utitur ſacra Scriptura, intelligenda ſunt ſecundùm proprietatem ſermonis, niſi obſtet neceſſitas, & aliqua ſequatur abſurditas, & quia verba mitti & deſcendere de Deo propriè ſumpta pariunt abſurdum, quod ſcilicet moveatur qui ubique eſt, hinc ut impropria, neceſſario intelligenda, ſimili verò ceſſante neceſſitate conſervant ſuam proprietatem, ſicuti ergo mittere conſervat, & deſcendere de anima Chriſti, ita & in cæteris creatis, utpotè quæ ſunt capacia propriè motus, alioquin nullibi faciunt fidei articulum.

Contra 3. concl. eſt D. Thom. putans Angelos

moveri localiter æquivocè: Caiet. ait moveri metaphoricè, sicut videre dicitur impropriè de pratoi Probant autem: Nulla dabilis ratio communis in qua conveniant motus Angeli, & motus corporis, nam ratio existendi & movendi Angelo est operatio, seu contactus virtutis: ratio autem quæ competit corpori est continentia passiva, & commensuratio passiva quæ provenit ab ipso loco, in locatum, sed actioni, & passioni nihil est univocum, & commune, ergo, &c.

At cum sancto nostro Doctore est Alens. Scot. & communis sensus DD. & præcipuè Soto *in 4. Phys. q. 2.* asserentes Angelum propriè moveri, & sic, ut supra, dum de loco Angeli locuti sumus, ostendimus propriè Angelum esse in loco, & innuimus communem rationem, ita modo exhibemus: ad argumentum ergo respondemus, negando totum argumentum: minorem enim ostendimus falsam in superioribus: majoris verò falsitas ex vera ratione motus localis dignoscetur; ratio enim formalis motus localis propriè est mutare locum: motus, ait Seraphicus, separat à termino à quo, de motu propriè dicto qui concernit duos terminos, unum à quo incipit, alterum in quem reddit *2. sent. d. 42. a. 2. q. 1. ad* 5. Sanctum D. communiter sequuntur Theologi, & Philosophi, uti patet, quæ ratio cum conveniat motui corporum, & Angelorum verè motus localis est univocus ambobus, quod autem motus sit diffinitivus, vel circumscriptivus, hoc accidit motui, ut sic, ratione quantitatis mobilis.

72 Contra 4 Concl. est Scotus cum sequacibus, Rada in Controv. Posnaniensi in summa Theologica, & cæteris, &c. Posn. autem duo dicit. Primum Angelum non moveri per accidens ad motum alterius, in quo sit. 2. sit, moveri per accidens, quia in corpore non movetur per se, in tertio modo perseitatis. Pro quorum intelligentia, Not ex Scot. *in 4. d. 10. & 6. apud Posnaniens. l. 1. cap. 3. q. 2. concl. 6. in summa*, quod ad hoc, ut aliquid dicatur moveri per accidens, ad motum alterius, requiritur, ut illud sit in illo, quod dicitur per se moveri, vel sicut actus in potentia, vel sicut pars in toto, vel sicut aliquid necessitate naturali conjunctum, vel quod tale, quod dicitur mobile per accidens sit proportionatum virtutis moventis, alioquin si quid per actum voluntatis conjungitur contingenter illi quod est motum per se, & demum si tale conjunctum voluntarium, est improportionatum virtuti motrici, ita quod si per se, ac solitariè esset, ac proinde ab altero disjunctum, non posset ab illa virtute moveri, tunc omninò, nec ut conjunctum moveretur ab illa virtute, sed oportet quod eadem met voluntas, quæ est causa conjunctionis sit etiam causa motionis ejus.

Not. 2. Inter alios modos perseitatis, sive per se, quos docet Scot. tertius est, quo aliquid cum alio non est conjunctum, & ab eo independens est, ut Sortes per se est in Gymnasio, quando solus sine comite: quibus suppositis probat dictas Conclusiones.

Angelus (hæc erat prima) non movetur per accidens, moto corpore in quo est, & ad motum corporis.

Prob. 1. Quod conjungitur alicui ex propria voluntate, non autem necessitate, non movetur per accidens ad motum illius, cui conjungitur: at Angelus conjungitur corpori per voluntatem, non per necessitatem, ergo non movetur per accidens ad motum corporis.

2. Nullum improportionatum virtuti moventis, potest eo moto moveri per accidens; sed Angelus est improportionatus virtuti corporis, quod movetur per se, ergo eo moto non potest dici Angelum moveri per accidens. Confirmatur exemplo Corporis Christi sub speciebus Sacramentalibus: hoc non movetur per accidens motis speciebus, quia voluntate conjungitur ipsis, non necessitate; tum quia est improportionatum cuicunque virtuti creatæ motrici, cum sit ibi modo improportionato motui naturali, nempe sub modo quantitativo: at Angelus voluntate conjungitur corpori, & est improportionatus, uti diximus, virtuti corporis, utpote excedens improportionabiliter eam, ergo, &c.

Concl. 2. Angelus movetur in assumpto corpore per accidens, quia non solus ipse movetur, sed concomitante corpore cum non per se moveatur, ergo per accidens, idest cum alio: His tamen non obstantibus, remanet firma Seraphici Doctoris conclusio, quam D. Thom. cum sequacibus tenet, Suar. Vasq. & communitas DD. nempè Angelum in corpore ad motum corporis moveri per accidens, Pro qua re. 73

Not. aliud esse, an aliquid, sive Angelus moveatur in corpore, cui unitur per se, sive per accidens; & aliud esse, an in corpore ad motum corporis moveatur per se, an per accidens: Nullus negat Angelum in corpore existentem, non posse in eodem corpore moveri per se, sed quod negatur est circa motum corporis, an ad motum corporis, dicatur eo motu Angelus moveri, & quo motu, an per se, an per accidens: Non per se, sed per accidens moveri cum communi dicit Seraph. non tantum ob fundamentum Scoti, quia non solus movetur, sed etiam imò præcipuè, quia ad motum alterius, & alio moto movetur dicebat enim Abulens. Exod. *t. 1. cap. 7. q. 15.* Deum in assumpto corpore ad motum corporis, licèt corpus suum divinum moveatur per se; anima sua per accidens; Verbum seu Deum, nec per se, nec per accidens moveri, quia est ubique; Angelum autem ad motum corporis per se; per accidens moveri, quia sic est in assumpto corpore, quod non alibi: ex quo patet unionem voluntariam corporis non obesse quin dicatur illud quod unitur ad motum ejus, cui unitur moveri per accidens, nec improportionem virtutis; anima enim Christi, imò quælibet alia rationalis forma excedit in virtute corpus, quod separatum nullam habet in anima actionem, ut corporale in spirituale; nec quia motus corporis sit ab influente, sive à movente animam Angelo, & Deo; liberè enim uniuntur Angelus, & Deus, & Nauta Navi, sicut corpori liberè influunt motum, & tamen his positis ad astruendam libertatem volunt sic moveri, idest per accidens: quo notato patet resp. ad arg.

Erat primum argumentum. Quod conjungitur alicui propria voluntate non necessitate, non movetur per accidens, eo moto Angelus voluntariè corpori unitur, ergo, &c. Resp. negata majori; voluntariè enim unitur Nauta navi, & tamen ad motum Navis per accidens movetur; voluntariè enim unitur Verbum corpori & tamen dato per impossibile, quod esset diffinitivè in loco, ita ut alibi, moveretur per accidens, ad motum ejus, ut patet ex dictis, & probatur inductione: quæro enim, moto corpore, movetur Angelus nec ne? dicet Scot. movetur; quæro moveaturne per se, an per accidens? non per se, uti patet, ergo per accidens.

Dicet Scot. dici moveri per accidens, quia non

solus

solus movetur, sed simul cum corpore: Quæro, dum simul cum corpore movetur, an moveatur eodem motu quo corpus, an diverso; si eodem motu, ergo movetur tantùm per accidens, eò quia ut corpus moveatur per circumscriptionem, impossibile est Angelum tali motu per se moveri, cum careat quantitate: si dicas moveri alio motu, hoc etiam apparet implicare contradictionem; sic enim moveretur, & non moveretur. Motus enim localis (ut supra ex Seraphico notatum est) est mutatio termini à quo in terminum ad quem, sed Angelus est semper in eodem loco, & habet idem ubi, ergo non movetur: ex supposito autem movetur, non circumscriptivè, movetur ergo, & non movetur per se.

Ad argumentum de improportione, patet responsio ex fundamentis, & ad illud de Corpore Christi: movetur enim per accidens ad motum specierum dicebat enim Seraphicus *in 4. d. 10. p. 1. q. 4. ad 1.* Corpus Christi non est sub speciebus tanquam locatum in loco, sed tanquam signatum contentum in signo: sic illic: at contentum ad motum continentis movetur per accidens, ex Seraphico hic, ergo, &c. Vel dicendum ex fundamento S. Th. S. Bonav. hic, & communi responsione eodem modo, quo est in loco, movetur localiter: at Corpus Christi non est in loco, nec circumscriptivè, nec diffinitivè, sed Sacramentaliter ex eodem S. B. ubi supra *q. 4. ad 3.* ergo respondebimus Corpus Christi moveri Sacramentaliter non localiter: Ex quibus constat quàm verè, ac cautè Seraphicus sit locutus.

QVÆSTIO V.

Vtrum Angelus moveatur per medium? q. 2. a. 2. p. d. 37. D. Thom. p. 1 q.

74 Circa titulum nota, quod quæsitum est de motu (ait movetur) non autem de mutatione, ut deducitur ex relatione primæ opinionis, *in corp.* & ex resp. ad 2. argum. est autem differentia inter utrumque, eò quia mutatio excludit medium (ait in principio corp.) motus verò dicit partem post partem: ait ergo S. D. quod acquiritur, per motum acquiritur, ita quod pars post partem ad argum. ad 2.

N. 2. Hanc quæstionem disputari, non solùm in ordine ad naturalem Angeli facultatem, sed etiam ad potentiam divinam, an possit ex propria virtute naturali, vel saltem per divinam potentiam.

N. 3. Supponenda esse, quæ supra ex mente Seraphica dicta sunt, nempè Angelum non esse in loco per applicationem virtutis, sive per operationem, nec posse existere nullibi, sed in rerum natura existentem necessariò debere esse in loco, & semper alicubi; nec indistantiam negativam ab aliquo loco esse sufficientem conditionem, ut Angelus in illum agat immediatè, immediatione suppositi, sed necessariam esse præsentiam, nempe quod immediatè per suam substantiam existat loco præsens: hoc enim est esse in loco, & sufficit absque ullo alio addito modo. Pro corp. quæst. duas recenset opiniones, deinde propriam subjungit: Prima opinio est, non posse transire per medium, quia simplex. 2. Liberum esse ei transire per medium, quia ad nutum propriæ voluntatis movetur.

Prima Conclusio est, contra primam sententiam, Angelus potest transire per medium. 75

Probatur in corp. Homo, cum vadit, transit per medium: at Angelus custos potest sine corpore continuo illum, quem custodit, hominem comitari, ergo potest per medium pertransire.

Concl. 2. Angelum posse transire ab extremo ad extremum non transeundo per medium, non est probabile. Pr. opinio, quæ caret probabilis: ait Angelum moveri sine medio caret auctoritate, & ratione, nec mente capitur, ergo non est probabilis. Advertere 1. S. B. se declarare in fine corp. &c. talem sensum rejiciendum, non tanquam falsum, sed solùm tanquam improbabilem. Hinc nota illam opinionem rejiciendam, non solum quia apertè falsa, sed etiam quia improbabilis est. Improbabilis autem dicitur quæ caret auctoritate, & ratione, sicuti quæ pollet auctoritate, & ratione probabilis appellanda, sive rationabilis, idest à ratione fundata.

Advertendum 2. Quod oppositum videtur dicere idem Seraph. hic in fundamento ult. in quo ait. Quandocumque inter aliqua extrema cadit medium, quod habet naturalem ordinem ad extrema impossibile est, quod agens virtutis finitæ possit pertransire ab extremo ad extremum non pertransito medio: at inter Cœlum, & Terram naturaliter sunt alia corpora media, ergo impossibile est, quod Angelus virtute finitus à Cœlo in terram veniat, sine transitione medii Pr. major exemplo. Inter album & nigrum est medius color: at impossibile est, quod agens creatum faciat de albo, nigrum, quin faciat per colorem medium; sic à pari, impossibile est, Angelo, quod derelicto medio ab uno ad alterum transeat extremum.

In quo fundamento apertè dicit impossibile, quod in Concl. improbabile sive irrationabile dixit, nec ausus est falsum dicere. at si impossibile, & possibile opponuntur, & si quod impossibile est, verè falsum est, quomodo non contrarius sibimet videtur fuisse Doct. Seraphicus? At in memoriam revocandum est quod supra, dum de Angelorum loco dissereret S. D. in art. an unus Angelus in pluribus locis possit esse simul, vel plures in uno eodemque loco simul; edocuit aliquid dici impossibile tripliciter. Primò in ordine ad virtutem finitam, quæ in id non valet: Secundò in ordine ad nostram intelligentiam, quæ dicit impossibile quod non capit, vel in ordine ad divinam potentiam; & est id, quod intrinsecè repugnat; hoc enim non factibile est, nec ab ipso Deo, & hoc dicimus simpliciter impossibile sine deducitur nullam ad esse hic contradictionem; vocat enim impossibile pertransire ab extremo ad extremum, derelicto medio non simpliciter, sed in ordine ad nostrum intellectum, quia non intelligibile (ait in fine corp.) at ex hoc, non benè statim arguitur, rei falsitas cum aliundè possit habere veritatem: congruit ergo sibimet ipsi Seraphicus Doctor loc. cit.

Concl. 3. Rationabiliter, seu probabiliter dicendum, Angelum ab extremo ad extremum transeuntem pertransire medium. Prob. in fine corp. &c. quod est impossibile, & fulcitur auctoritate, & ratione est probabile: sed Angelum transire per medium in motu ab extremo ad extremum, est intelligibile, &c. ergo etiam est probabile.

Prob. in fundam. 1. quia pertransire, est per

medium transire : ut ex Damasc. Angelus pertransit, ergo, &c. 2. Non movetur in termino à quo, nec in termino ad quem, in quo est, mutatum esse, ergo si movetur, necessariò per medium seu in medio movetur. 3. claré patet, ergo, &c. Vide in Textu.

Concl. 4. Angelus per Divinam potentiam potest moveri ab extremo ad extremum, absque eò quod transeat, per medium ex fine corp. quæst. Prima ratio. Non est intelligibile, Angelum moveri ab extremo ad extremum absque eo quod transeat per medium; hinc dicitur impossibile, sed Deus potest supra id, quod nos possumus intelligere, ut ex supradictis patet, ergo potest facere, quod nos intelligere non valemus.

76 Pro responsione argumentorum : Primi argum. est ratio quam facit pro prima opinione in corp. simplex non potest transire per medium Angelus est simplex, ergo, &c.

Huic argumento non respondet expresè Seraphicus, solùm enim redarguit opinionem, at non soluit rationem, licèt videatur ex redargutione neganda major; non neganda tamen, sed distinguenda ex S. Bon in resp. ad arg. indivisibile enim est duplex : Aliud est indivisibile actu, & virtute, sivè virtualiter, ut punctus; aliud est indivisibile actu tantùm, at virtute seu virtualiter divisibile: Primum nullas habet partes in se, nec est aptum coexistere quantitati, seu corpori. 2. autem si formaliter non habet partes, virtute tamen, seu æquivalenter dici potest divisibile, quia aptum est coexistere corpori divisibili, ut patet in anima coexistente tota corpori, & in Deo coexistente omnibus rebus creatis : dicimus ergo, majorem esse veram de simplici re, & virtute, de quo locutus est Arist. 6. *Phys.* t. 32. & à text. 86. usque ad 90. dum ait indivisibile non posse moveri primò & per se; cum autem Angelus non hoc pacto, sit simplex; hinc falsa conclusio ex fallo intellectu simplicitatis.

2. Arg est in corp. pro secunda opinione, quod sic formari potest. Intellectus noster potest cogitare de Parisiis, & de Roma, cogitando de uno, & post de alia absque cogitatione viæ : at Angelo, ità est facilè ferri, sicut nobis cogitare, ergo Angelus moveri potest ab uno extremo, ad aliud extremum, absque eo, quod tangat medium.

Resp. S. Bon. ad minorem, disparem esse rationem, cogitationis & motus; hinc minor ipsa neganda : Parisium enim & Roma, sunt præsentia animæ per species, sine ordine situs; hinc ad libitum potest anima unum, vel aliud cogitare : at sunt Civitates hæ à parte rei diverso in situ, inter quas interiacet medium, quæ distantia impedit, quò minus possit Angelus, ab una, ad aliam transire, absque eo, quod medium pertranseat.

Quod si dicas minorem esse. D. Augustin. *lib. de cognitione vera vita*, *cap.* 45. dicentis Beatum posse tam citò transire hinc Romam, quam citò potest animus cogitatione id facere. Resp. ob reverentiam tanti Doctoris, quem semper suspexit, & secutus est Seraphicus, declarando auctoritatem D. August. differre id quod sumebatur in argumento, ab eo, quod ait, Augustinus Sanctus : In argumento tangitur facilitas; in sancto velocitas : negavimus parem esse facilitatem, in cognitione, & motu, propter maximam disparitatem utriusque: At non sic, venit neganda similitudo velocitatis; sicuti enim cogitationes mensurantur tempore, ità & Angelicus motus, qui quidem Angelus tanta pollet velocitate, ut dixerit supra Damasc. citò pertransit velocitates, & August. tantam esse, ut videatur æquiparati animo, cogitanti diversa.

3. Argumentum pro eadem opinione ad opposita ex auctoritate D. August. Deus movet creaturam spiritualem per tempora, & non per loca, ergo quamvis moveatur de loco ad locum, non tamen per loca, non ergo pertransit media loca. Pro resp. Supponit diversas esse proprietates loci à proprietatibus temporis; loci enim proprietates sunt non solùm locatum definire, ita ut locus, & locatum non se excedant, non solùm conservare, sed etiam mensurare, ita ut quælibet pars loci mensuret locati partem : & sic in utroque locato, & loco requiritur extensio ad exactam loci proprietatem : Temporis autem proprietates sunt, ut sit in se variabile, & rei variabilis, ut hic innuit, & claré docet. S. Bon. hic *in* 2. *p. dub.* 2. & 3.

Supponit 2. Angelum carere extensione quantitativa, utpotè spiritualem, at admittere novas affectiones, & cogitationes, quæ quidem intendi, & remitti possunt & motus, qui ob Angeli voluntatem velociores, & tardiores evadunt : hinc cum ex parte motus affectionis, &c. variatio existat benè potest Angelus secundùm has propriè unoquoque tempore mensurari : solvatur enim exacta proprietas temporis, ut sit in se variabile, & rei, quam mensurat, variabilis : at non solvatur proprietas exacta loci, quia abest mensuratio.

Supponit 3. August. propriè esse locutum de loco, & de tempore secundùm omnem proprietatem, ut legenti patet Magistrum declarantem Augustinum, ait, ideóque Augustinus attribuit mutationem loci corpori, non spiritui, quia licèt Spiritus transeat de loco ad locum, non tamen ita ut dimensionibus circumscriptus : hæc ille.

Hinc resp. negando consecutionem, eo quia Augustinus non negat Angelum transire per loca absolutè, sed per loca, quæ dimentiantur Angelos : in rigorosa enim proprietate sumendus locus, sic enim per loca pertranseunt Angeli uti in loco collocantur, ut supra ubi de loco Angelorum declaratum est : movet autem per tempora, quia secundùm omnem proprietatem tempus competit & motui, & affectionibus, &c. Angeli.

4. Argum. ex Arist. 6. *Phys.* t. 86. 87. 88 & 89. Impossibile est, impartibile moveri super magnitudinem : at Angelus de se impartibilis est, ergo immobilis per medium. Resp. declarando majorem ex ipsomet Arist. *ibi* t. 86. quo loci ait. Impartibile autem dico quod est secundùm quantum indivisibile : unde cum talis non sit Angelus, conclusio falsa, utpotè ex æquivoco illata.

Pro declaratione autem D. Bon. in auctoritatem Aristotelis ; Nota. Arist. duo dicere in superioribus textibus circa indivisibilis motum ; cum enim possit tale indivisibile dupliciter considerari, vel prout existit in continuo, vel prout secundùm se quærit situm in eodem : Arist. loquens de eo, ut in magnitudine, seu toto, ait, moveri per accidens, utpotè corpore moto, aut magnitudine, in qua est: loquens autem absolutè de eodem, ait, per se autem non contingit, quod tripliciter probat pro text. 87. 88. & 89. Seraphicus noster reliquit motum indivisibilis, quatenus in magnitudine est, sed de eodem loquitur secundùm se, quatenus per motum quærere dicitur situm in ipsa magnitudine, eo quia Angelus secundùm se movetur, & de tali motu modo est sermo : cum ergo motus dicat acquisitionem formæ per partem post partem : indivisibilis autem situs partibus careat, quas mediante motu acquiri possit, remanet ut indivisibile

quantum

quantum, cui situs indivisibilis competit, ad illum moveri non valeat: quod si dicas, ergo nec Angelus utpote indivisibilis.

Resp. S. Bon. negando consecutionem, eo quia non habet situm in continuo, sicut punctum, nec est in impartibili tamquam in loco, ut supradictum est. Adverte, quod ait, est tale impartibile Angelus, &c. hoc tale innuit, quod diximus in resp. ad primum præsentis articuli.

5. Argum. Angelus non transit nec per composita, nec per simplicia, seu indivisibilia, ergo non transit: Antec. prob. si enim per media composita, ergo compositus erit Angelus, quod falsum est: non per simplicia, quia talia sunt infinita, quæ pertransiri non possunt: Confirmatur, quia medium ex instantibus non est, ergo si per simplicia transit, per medium non transit.

Resp. ad antecedens transire per composita: neque hinc verè deducendam esse compositionem in Angelo patet ex ipsamet spirituali anima; hæc enim in composito est, & tamen composita dicenda non est: sic & Angelus transit per composita, tamen spirituali modo, ut sit totus in qualibet parte. Et dato, quod per simplicia transiret, talia cum sint in continuo non actu numerata; sed numerabilia, nec infinita actu, sed potentia, sicut continuum actu est finitum, hinc pertransibilia.

Tandem arguit. Impossibile est, quod aliquid pertranseat spacium majus, nisi priùs pertranseat minus, & æquale sibi: at Angelus pertransit spatium per nos, ergo minus; hinc æquale, & tandem majus: At æquale sibi non est, nisi indivisibile: & simplex additum simplici non facit majus, ergo in primo transitu tantum spatii transit ac si nullum transeat; similiter in secundo, & tertio, &c. ergo numquam transit spatium. Resp. neg. min. æquale enim Angelo non est indivisibile, cum tale non sit locus Angelo, ut dictum est: præterea spatium æquale est correspondens virtuti Angelicæ, quæ est quantitas ejus, ergo non punctus dicitur Angelo æqualis: & tandem Angelus actu est, & actio pertransit; at punctus non est in continuo actu, sed potentia, ergo non potest æquari Angelo.

77 Contra tres conclusiones habemus D. Thom. ubi supra *quæst*.53. & eumdem *in* 1. *sent. dist*. 37. *quæst*.4. & ad Anibaldum 1. *sent. d*. 37. *a*. 1. quibus in locis clarè dicit Angelum transire per medium, aliquando non posse transire. Pro cujus intelligentia præmittenda ex ipso aliqua.

Not. 1. ex summa, & ex scripto distinguisse S. Thomam motum in continuum, & non continuum: Continuus, ait, est per diversas partes loci, & motus: non continuus est per diversa mutata esse, & per diversa indivisibilia; unde in motu continuo oportet quod mobile moveatur per medium, quia moveri est ante mutatum esse, in motu non continuo successivo diversorum locorum etiam sine medio constituit talem motum, quia mutatum est pars talis motus, sicut unitas numeri, hæc ille. Et in fine corporis *art*.2. addit: differunt autem continuus, & non continuus; nam continuè moveri est dimittere successivè locum divisibilem, in quo prius erat; non continuè est totum locum simul dimittere, & toti alteri loco simul se applicare; sic D. Thom. in summa. Idem repetit in scripto. Partes motus continui sunt motus: at pars motus non continui non est motus; sed ipsa successio affectionum motus esse dicitur: Sic scilicet in pluribus articulis in scripto contentis: eamdem divisionem motus, & doctrinam habemus in scripto ad Anibaldum.

Tandem ait in summa, corpus non nisi motu continuo moveri posse propter magnitudinem; Angelum verò posse moveri utroque motu, & applicari se loco, prout vult: in scripto autem negat Angelum moveri continuo motu, sed tantùm moveri motu non continuo: & ad Anibaldum utroque motu moveri ait. Hinc dicit S. Doct. in summa in fine corp. *art*. 1. *q*. 53. In potestate Angeli est applicare se loco prout vult, vel per medium, vel sine medio.

Prob. autem: quod non sequitur leges loci in suo motu potest moveri ab extremo ad extremum, non pertransito medio: at Angelus non sequitur leges loci, ergo in suo motu potest transire de loco ad locum absque eo quod transeat medium: major probata venit in corpore, quod non potest transire ab extremo ad extremum, nisi per medium transeat, eo quia sequitur: leges loci mensuratur, continetur à loco: minorem probat, Angelica substantia, quæ tanta pollet nobilitate, ut loco subdita non sit, ut contenta, sed ut eo superior, ut locum continens: sic D. Thom. idem repetit apud magistrum *quæst*.4. *ubi supra a*. 3. quia, ait ejus substantia secundùm se absoluta est ab omni loco, & non definitur ad locum, nisi per operationem.

Arguunt alii. Corpus Christi existens in Empyreo fit in hostiis per consecrationem, & tamen non transit per medium, ergo & Angelus se poterit hoc modo diversis se facere præsens in locis absque eo quod per medium transeat.

3. Arguunt. Sanguis, ex quo Christus formatus est in utero Virginis uno instanti confluxit ad locum conceptioni destinatum, non transeundo per medium, ergo & similis motus non denegandus Angelo.

4. Argum. ex Vasquez. Angelus est in loco per modum quemdam unionis physicæ cum corpore productum ad imperium Angelicæ voluntatis: at Angelus existens in terra potest producere modum unionis ipsius cum Cœlo absque eo, quod producat cum aere medio, ergo potest mutare locum absque eo quod transeat medium, nempè aerem, & sic de aliis locis. Eodem ferè modo licèt in ordine ad divinam absolutè potentiam, discurrit Bubalus de Angelis in præsenti quæst. §. 4. Potest, ait, Deus producere formam; per quam immediatè fit Parisiis in Angelo, qui Romæ est etiam, si non producat in eo formam, per quam est in via, quæ tendit Parisios, ergo Angelus, qui est hic Romæ uti in termino à quo, habet formam, per quam immediatè sit in termino ad quem, absque eo quod collocetur in medio.

5. Ex Caspensi nostro. Non repugnat Angelo talis motus non per medium, ergo potest sic moveri. Prob. antecedens. Hic non requiritur virtus infinita motiva, ergo non est cur negetur Angelo talis facultas supra se ipsum. Tandem corpora Beatorum transire possunt ab extremo ad extremum sine medio, ergo & Angeli. Sic Caspens.

Quibus tamen, & aliis non obstantibus, verissimam existimo Doctrinam Seraphicam superius allatam, pro qua habemus Alensem *p*. 2. *q*. 33. *m*. 2. quærit tantus Doctor, quare necesse est Angelo pertransire medium in motu suo? & respondet. Exigitur ratione motus localis; oportet enim in omni motu locali, & generaliter in omni motu differente à mutatione ibi esse rationem medii differentem à ratione terminorum à quo, & ad quem, 78

quod

quod non oportet à mutatione, sed cum mutatus est, statim est in altero termino ad quem; nec oportet ibi medium esse differens ab extremo, sive à termino: quia ergo in motu oportet de necessitate esse rationem medii differentem ab utroque termino, ideo cum Angelus moveatur localiter, necesse est quod moveatur per medium, quia alio modo non potest intelligi moveri localiter. Hæc Alens.

Conformis Seraphica in corp. hic. Mutatio est ab extremo ad extremum sine medio, & locus sic se habet ad locum per modum immediati, secus in motu; idem patet in prima ratione fundamentali. In termino, ait, à quo est non motum esse in termino ad quem est mutatum esse, ergo solùm in spatio intermedio est mutari.

Habemus Scotum 2. *sent. d.* 2. *q.* c 2. cujus fundamentum est. Universi ordo à Deo præfixus necessariò servandus à quocunque inferiori agente, si debet circa talia operari, quam profert Seraph. hic in 3. ratione fundamentali.

Habemus Albertum magnum *in p. c. Sum. Theol, tract.* 18. *q.* 74. *a.* 2. dicentem. Angelus de loco ad locum transit per medium, quia, ait, aliud non potest intelligi, at paulo inferius addit quia in termino à quo incipit motus, in termino ad quem desinit motus, ergo motus solùm est in medio, quod tradit Seraph. noster hic asserens motu continuo successivo, imò & locali non posse fieri ab extremo ad extremum sine medio: ac benè posse fieri in mutationibus instantaneis; unde in uno Bonav. præcipuorum Theologorum habemus fundamenta.

Nostram opinionem communiorem Doctorum appellat Ricard. 2. *d.* 37. *a.* 3. *q.* 2. dictis Sanctorum magis conformem vocat Albert. contrariam verò inintelligibilem idem Albert. Alens. ultra Seraphicum: & ex moderrnioribus adest Carpensis: Nec valent in contrarium adducta.

Primò ad D. Thom. adverte Angelicum sibi non cohærere in summa, & in scripto; supra enim Magistrum negat motum continuum ab Angelo *d.* 7. *q.* 9. *a.* 1. *prim. sent. in corp.* ait; Motus localis non est continuus, quod repetit in resp. ad 3. & à 2. ad primum, & ad secundum, & à tertio ad sextum: In sum. autem tradit Angelum moveri posse, & continuo, & non continuo motu, ut patet supra quod repetit ad Anibaldum, ubi supra quod advertit Bubalus hic dicens, S. Thomam in senectute mutasse sententiam: at quid dicet existimantibus summam præcessisse opus in Magistrum, uti advertit, & notat Scherlog. in suis Antilog. ad lib. Cant.

2. Adverte pro motu non continuo non intelligere mutationem testibus Commentatoribus, sed motum discretum. de quo motu, nihil habemus apud antiquos, puta S. B. Alens. Albert. &c. nec apud Arist. dividentem motum in continuum, & instantaneum, sive in motum pressè dictum, & mutationem, de motu discreto, ne quid minimum dicentem; imò nec D. Th. in summa, & in scripto utitur hoc verbo discretum: ad quid ergo tertium hoc membrum cum sufficiat mutatio? Præterea indivisibilia non habent ratione loci, ut supra dictum est: at motus discretus per D. Th. ubi supra, est per indivisibilia, ergo non erit motus de loco ad locum contra suppositum.

Hinc ad argum. neganda venit minor Angelus enim est locabilis eo quia sequitur leges loci: solùm Deus non est locabilis, ex Seraph. in 1. quia licèt sit in loco, non tamen sequens leges loci: Angelus enim continet, diffinitur à loco, habens finitam substantiam, & virtutem, ergo locabilis; licèt enim quoad esse substantiale sit dignior loco, hoc tamen non tollit quin ratione finitatis, & ordinis universi collocetur, & à loco diffiniatur ad unum, fateor, suæ voluntatis collocatur in hoc, vel illo loco: at dum est hic, non potest esse simul alibi; ex se ergo verè diffinitur à loco: hinc argumentum posse contra arguentem retorquere. Quod sequitur leges loci non potest moveri de loco ad locum, medio non pertransito, ex argumento Angelico: at Angelus sequitur leges loci; ergo non potest ab uno ad aliud extremum transire, quin medium attingat.

Ad 2. de corp. Christi debet negari consecutio, & ratio negationis est, quia Corpus Christi ibi fit ratione conversionis, non autem ratione motus: moveri enim est relinquere unum extremum, & aliud petere, in quo sensu exagitatur quæstio, an Angelus transeat ab extremo ad extremum sine medio: Corpus autem Christi Empyreum non relinquit, dum sub Hostiis fit, ergo non verè mutari dicitur secundum locum.

Ad 3. de Virginis sanguine, vel antecedens negandum instantaneum fuisse transitum talis sanguinis, sed factum brevissima temporis morula, & sic per medium; vel dato, & non concesso, neganda consecutio, eo quia illud per divinam operatus est potentiam, utpotè miraculum; hoc autem puta transitum Angelicum in ordine ad proprias vires proponitur.

Ad 4. Ex Vasquez, & Bubalo ad primum jam supra negavimus necessitatem illius modi ex communitate Doctorum, & data, & non concessa majore, minor subest negationi: si enim distantium non est unio, quomodo existens Angelus in terra potest producere modum unionis cum Cœlo sic distanti; ad quid ergo Scriptura ait Angelos descendere de Cœlo in terra? ad Daniel. Tob. 5. & 10. si enim verè non descendunt, ergo impiè dicendum Scripturam falsè locutam: verus ergo descensus, & transitus, ergo per medium: si dices non per medium eo quia non producit medium unionis cum corporibus inter mediis: at transeat de Empyreo Angelus, & derelinquat medium unionis cum empyreo, transeat per cristallinum Cœlum, & non producat cum eo modum unionis, tunc quæro, an sit præsens, nec ne ipsi Cœlo: si affirmes, ergo verè transit per medium; si non, ergo nullibi est, cum nec cum empyreo, nec cum terra, nec in alio corpore habeat medium unionis, at hoc repugnat esse in Mundo, & nullibi esse, ergo, &c.

Bubalus autem, si de potentia Dei absoluta loquitur, benè concludit; non enim est alligatus dispositioni, licèt à sua divina sapientia constitutæ: at si de potentia Dei ordinaria loquatur, non potest hoc facere: talis enim potentia ordini constituto se accommodat.

Ad 5. non repugnat Angelo moveri sine medio, cum non requiratur virtus infinita, ergo.

Resp. ex propriis viribus repugnat Angelo & ratione motus propriè dicti, & ratione ordinis universi, & ratione finitatis Angeli, & quia non est intelligibile, requiritur ergo divina absoluta virtus.

Ad ultimum de corporibus beatis, ab aliis resp. negando consequentiam: non est enim adeo probabile, virtutem naturalem Angeli talem esse, qua-

lis

lis est vis illa supernaturalis corporum beatorum. At ego respondeo ex Seraphico, negando antecedens: ait enim Sanctus Doctor noster hic in 3. fundamento, Impossibile est quod agens virtutis finitæ possit transire ab extremo ad extremum sine medio, & *in 4. dist. 49. p. 2. a. 3. q. 1. ad 5. & 6.* docet in corporibus Beatis remanere finitatem, ergo cum sint sub beatitudine virtutis finitæ verè subsunt ordini universi, & sic dum ab uno ad alium se transferunt locum, per media pertranseunt.

Dices ex Auctore libri de cognitione veræ vitæ apud August. *c.* 4. Habemus corpora Beatorum citò posse transferri ab Oriente ad Occidentem, quantum id possit cogitatio nostra: at hæc sine transitu medii cogitat, ergo & corpora, &c. Resp. prædictam auctoritatem moraliter esse intelligendam, ut supra ex Seraphico notavi; & D. August. patet ex iisdem Verbis, ait enim, citò, hoc adverbium non instantaneitatem, sed brevem notat temporis morulam, & sic velocitatem significat, & sic dotem agilitatis in talibus notat corporibus, quæ citò transferuntur. Sat pro expositione, & defensione Seraphici, *a. 3. q. 3. a. 2. d. 57. p. sent.*

QUÆSTIO VI.

Utrum Angelus pertranseat medium motu successivo, vel subito? D. Bon. ubi supra p. 1. q. 53.

79 PRo titulo quæst. adverte primo agitari hoc quæsitum à Seraphico ex suppositione quod Angelus per medium transeat, dum ab uno ad aliud pertransit extremum; unde est sensus; supposito, quod Angelus per medium volitet, uti supra conclusum est, quærimus an simile medium successivo, an instantaneo percurrat motu. Pro corp. q. t. duas ponit opiniones: secundò deducit unam conclusionem, ubi dicendum est, & in fine ejusdem corp. (ibi, & concedendæ sunt,) tertio ponit unum notabile: ibi propter quod notandum est, quadruplicem proponit causam successionis in motu; duas ex parte medii, per quod fit motus, nempè distantia extremorum, & existentia medii: medium enim, ait, hic ad 2. facit distantiam inter extrema, quod repetit *l. 3. d. 2. a. 3. quæst. 1. in resp.* hinc propositio adest, magis unitur medium cuilibet extremorum, quam extrema inter se, & duas ex parte mobilis, quantitas puta ejus, quæ necessitat mobile, ut per partem commensuretur loco, seu medio, & virtutis finitas, seu entitas finita ejusdem, qua mobile impeditur, ne totum medium in instanti transeat cum enim infinitum solummodo improportionabiliter superet finitum; finiti enim ad infinitum nulla est proportio, ex Seraphico *l. 3. d. 1. quæst. 1. a. 1. in arg. 4. & resp.* finitas mobilis, ut proportionata medio in tempore, necessario per medium movetur, non in instanti.

Adverte hic in corp. S. B. quatuor causas innuere successionis motus, & postea quinque explicare, nempè ultra finitam virtutem mobilis, quinta, ait, potest esse finitas, & limitatio mobilis: at verè non ponit numerum, ubi enim est finitas virtutis, ibi, & entitas finita, & ubi est finitum mobile in entitate, etiam & in virtute finitum sit necesse est: forsan istud membrum à Typographis casu additum est cum de eo, ut contra distincto alio in loco ne verbum facit. In fine corp. dividit successionem in perfectam, in qua omnes quatuor causæ successionis inveniuntur, & in non perfectam, in qua aliquæ ex causis desiderantur. Facilitatis ergo sequentes deducuntur conclusiones.

Primò contra primam opinionem. Angelus non movetur per medium motu subito, idest instantaneo; sic glossanda conclusio, eo quia in resp. hic ad primam, subitò sumitur pro repente, & repentinum dicitur tempus imperceptibile: in conclusione autem pro instanti necessario sumendum ne sibi contradicat, cum dicat in resp. ad D. August moveri subitò: in corpore autem non moveri subitò. Pr. absurdum est, ex SS. PP. & Philosophis, Angelum ponere simul in pluribus locis, idest adæquatis, ut supra de loco Angelorum dictum est: at si moveatur in instanti per medium, hoc sequitur absurdum, ergo, &c. Minor prob. Quid enim est moveri per medium, quàm facere se præsentem omnibus partibus medii, ut supra declaratum est, ergo, &c. 80

Concl. 2. Angelus dum movetur per medium, movetur motu successivo, quia movetur per medium, in quo est tempus, non in extremis, ex fund. Quia est proportionatus & medio, & tempori, ut potè finitus, ex 3. fund. & in corp. Quia motus quo movetur, non est mutatio, quia nec corruptio, nec generatio est, sed est propriè motus qui habet prius, & posterius, & hinc tempus, & successionem, ergo. Videte text. in fund. satis clarum.

Concl. 3. in fine corp. Motus Angeli per medium non est successivus successiona completa. Prob. ubi deest aliqua ex quatuor causis successionis, ibi non est motus successivus completa successione: at in Angelico motu Angelus, qui movetur non est quantus, nec est medium quod resistere illi valeat, licèt corporale, quia corpus spiritui cedit, ergo. Ad argum. Duo sunt argumenta ab auctoritate desumpta; cætera ratione fulta.

Ad primum ex Augustini loco desumptum duas adhibet responsiones. Prima continet declarationem auctoritatis; dicebat August. Radius non citius pervenit ad loca propinquiora, quam loca remotiora, dum transit per medium: exponit sensum Augustini esse de tempore à sensu perceptibili, quod non apparet, nec sensu percipitur: vult ergo dicere August. Radius dum movetur per medium, quod prius petat partes viciniores, quam remotiores non apparet, licèt re vera sit in motu ipsius prius, & posterius; unde citò, vel subitò, non negat tempus, sed repentinum ponit, quod autem repentinum est tempore, licèt imperceptibili constat.

2. Resp. dum subjungitur in argumento. Potentior est Angelus ipso lumine, ergo Angelus movetur in instanti. Resp. etiamsi lumen in instanti transiret priores, & posteriores partes, attamen neganda consecutio, quia adest disparitario: Radius enim generatur ex partibus medii, unde non est idem radius in omnibus partibus aëris, sed statim ac est lumen generat splendorem, ita semper deinceps novus splendor ex diversa parte aëria adgeneratur; non sic Angelus, qui idem in omnibus spatii partibus transit: cum ergo de motu locali sit sermo, & motus splendoris non sit talis, sed diffusionis, seu generationis, non rectè ex tali generationi motu deducitur eodem modo fieri motum localem Angeli.

Ad 2. Argum. ex auctoritate Arist. negantis motum possibilem in vacuo : at non magis resistit distantia inter extrema Angeli, quam vacuum corporis, ergo sicut in vacuo fit motus in instanti : ita licèt adsit distantia, Angelus in instanti movetur. Resp. Seraphicus, & primo innuit diversitatem sensuum in Arist. secundo sequitur partes Aristotelis ; tertio eumdem declarat.

De Arist. varii varia dixere : Alii enim Arist. fuisse in hac doctrina allucinatum : Alii ut Arist. defenderent, respondent non ex proprio sensu, sed ea antiquorum opinione esse locutum : hi enim contendebant ex sola medii resistentia successionem esse in motu ; falsum, ait hic Arist. hoc enim posito, sequeretur in vacuum fieri motum in instanti, eo quia nulla adest in eo resistentia, quod verum non est. Seraphicus autem noster partes Aristotelis sequitur, dum ait, nunc autem Philosophum sustinendo, & ne sequendo Arist. veritatem persequatur declarat Philosophi sensum : Vacuum dupliciter posse sumi. Prob. 1. simpliciter privativè, ita ut vacuum non solùm sit privatio corporis intermedii, sed etiam privatio omnis distantiæ, ita ut inter extrema nihil mediet : alio modo vacuum relinquit distantiam, & tollit resistentiam, nempè corpus medium, ut modo loquuntur Theologi de spatiis imaginariis. Arist. in 1. sensu locutus, verè in vacuo negasse motum successivum, quia in vacuo nihil est nec corpus nec distantia ob defectum distantiæ : licèt enim esset mobile quantum, & virtutis finitæ, nulla esset successio in motu ; si abesset prius, & posterius in magnitudine supra, quæ est motus : si autem sumatur vacuum in 2. sensu, verè in vacuo est motus per talem distantiam ; unde ad argum. respond. si in 1. sensu sumatur vacuum simpliciter privativè, verum dicere Arist. & nec Angelus movetur successivè in simili vacuo : at si in 2. sensu sumitur vacuum, ut amoto corpore, servet distantiam, negatur major, & minor ; nam distantia sufficit ad qualemcumque successionem motus mobilis finitis.

Ad 3. Argum. Illud quod movetur successivè partim est in termino à quo, & partim est in termino ad quem : at Angelus non est partiabilis ergo. Resp. ad majorem, verum esse de motu successivo successione perfecta, in qua requiritur etiam quantitas mobilis : cum ergo motus Angelicus non sit successivus perfecta successione, licèt Angelo desit quantitas non deest successio motus. Adest enim successio in magnitudine, supra quam fit motus ; acquiritur enim medium successivè, & pars post partem : Angelus enim fertur totus supra quamlibet partem magnitudinis medii, & quando dicit, quod mobile in successivo motu partim est in termino à quo, & partim est in termino ad quem, hoc non dicit diversitatem partium mobilis, sed solùm ejusdem mobilis accessum, & recessum, in quantum ab extremo à quo recedit, in tantum approximatur termino ad quem.

Ad 4. Resp. quod licèt Angelus, quia simplex, simul se transferat totus, & non per partes, quibus caret, quia non se transfert totus supra totum spatium hinc successivè movetur ; totus enim se transfert supra hanc partem spatii, deinde simul totus se transfert supra aliam partem spatii, & sic deinceps neque ad extremum.

Ad ultimum : Nullum accidens compositum est in subjecto simplici, motus successivus est accidens compositum, ergo non in Angelo, qui simplex est. Resp. ad majorem veram esse, si tale accidens habeat partes actu permanentes, secus si fluant partes. Ad minorem, motum habere partes successivas, & fluentes, possunt ergo partes motus esse in Angelo, quia est in eo simplici semper simplex pars, quæ fluit motus, sicut apparet de duratione. Vide text. & sufficiant hæc pro Seraphica quæstione.

Contra primnm conclusionem proferuntur Hen- 8
ricus, Albert. Mars. Major Greg. & Hibernicus. Distinguunt hi Doctores motum continuum ex successione partium existentium in medio, & continuum ratione spatii tantùm inter extrema existentis : differunt autem hi motus, eo quia primus in medio resistentiam invenit quia plenum partibus ; Secundus autem cum in medio partes non inveniat, & nulla appareт resistentia qua retardetur, sicque fiat successio. Hoc supposito, probant motum fieri in istanti ab Angelo. Ubi nulla resistentia, ibi nulla successio : at in motu Angeli nulla resistentia, ergo nulla successio, ergo in instanti. Majorem probant ex Arist. docente in vacuo motum esse in instanti, eo quia nulla resistentia : Minorem probant, eo quia substantiæ spiritualis, qualis est Angelus, etiam plenum medium non resistit ; solùm enim mobile quantum quanto commensurari necesse est.

Inter prædictos auctores Hibernicus non solùm tenet Angelos moveri in instanti, sed addit non posse non moveri in instanti. Arguunt alii : Angelus unico instanti potest obtinere totum suum locum adæquatum, ergo & in instanti moveri ad illum. Prob. antecedens primo. Si Deus crearet Angelum in aliqua definita parte Mundi, & tunc Angelus unico in instanti obtineret locum adæquatum.

Præterea anima rationalis dum infunditur corpori, omnes simul attingit partes, saltem in eodem temporis instanti, si non naturæ : sic & Angelus, cum totus sit in toto suo loco adæquato, & totus in qualibet ipsius parte. Prob. conseq. ex eo, quod traditur à cunctis, & præcipuè in hoc proposito à Martinone hic : quod simul esse potest, & simul acquiri potest ; si ergo unico in instanti potest in toto loco adæquato Angelus esse, potest & in unico instanti talis acquiri, & acquiritur per motum, ergo motu sequitur locus instantaneo.

3. Argum. Angelus uno, eodemque instanti novum potest acquirere locum, & alium deserere : at talis est motus, est enim transitus de loco ad locum, ergo in instanti fit Angelicus motus.

4. Argum. quod non mensuratur tempore, non potest tempore moveri : at Angelus non mensuratur tempore, ergo non in tempore, sed in instanti movetur : Major patet. Minor prob. quia tempus mensurat res corporales corruptioni subjectas, non autem spirituales, ut sunt Angelus, & operationes ejusdem.

Contra eamdem conclusionem Scotus aliqualiter adest, licèt propriè loquendo, nobiscum sit, uti videbimus in sequenti conclusione. Distinguit 1. motum in proprium, & in commune, seu communiter acceptum, ut scilicet comprehendit instantaneam mutationem. 2. Distinguit de medio communicante cum extremis, nempè quod sit aliquid extremorum, & sic indistans ab extremis ; & medio differente ab extremis, ut aer est medium distantiæ inter terram, seu aquam, & ignem.

Motus (hinc ait Scot. 2. *dist*. 2. *quæst*. 11.) ut dicit instantaneam mutationem, potest fieri in instanti : Declarat autem quid sit sic moveri, dicendo potius debemus alio termino magis proprio uti, nempè mutari, quam moveri, potiusque dici debet

bet

bet simplex acquisitio loci, seu termini ad quem cum desertione termini, à quo. Tunc probat apud Posnaniensem in summa, & Rada *in controv. t.2.* hoc pactu: Aliqui motus virtute agentium corporeorum fiunt in instanti, ut illuminatio: at Angelus est majoris virtutis, quàm Sol, & minorem patitur resistentiam medii, quam lumen experiatur, ergo sicut sol ordine naturæ prius illuminat propinquiorem partem, quàm remotiorem, in eodem tamen instanti durationis; ita & Angelus in mutatione instantanea, & indivisibili prius est in medio prioritate naturalis præsuppositionis, quàm in termino, sed in uno, eodemque temporis instanti.

2. Prob. quod terminus motus non statim acquiratur à movente hoc est ex mobilis imperfectione: at talis imperfectio Angelo tribuenda non est, sed dignificanda ejus natura, quoad fieri potest, nisi aliqua necessitas ad oppositum urgeat, quæ hic cum non appareat, verè potest mutari in instanti mutatione instantanea, & indivisibili.

3. Pr. Angelus moveri potest de loco ad locum non pertransito medio ab extremis non distanti, ut puta, si Angelus sit in loco palmari, potest se transferre in consimilem, ita ut nec successivè deserat, nec novum acquirat, sed in eodem instanti toto simul antiquum deserat, & novum acquirat, ergo moveri potest in instanti: medium enim non facit distantiam inter extrema, cum sit aliquid eorum; extrema autem non excedunt virtutem Angelicæ motricem, cum includantur in eodem loco adæquato ejus, ergo nihil obstat ad instantaneam mutationem.

Concl. 4. Motus, ut contradistinctus à mutatione etiam de potentia Dei absoluta non potest fieri in instanti.

Cæterum si auctores supra allegati, Henricus puta, &c. taceant, concordes cum Seraphico, video non solùm Scot. D. Thom. de utroque motu continuo, & discreto, & moderniores, puta Gaspenlem nostrum, &c. de motu proprio loquentes, instantaneum impossibilem astruunt: Nec obstant in contrarium adducta.

Fundamenta enim Henrici, & cæterorum, nem-
82 pè solam resistentiam medii pleni facere successionem, non autem distantiam, secundum Angelum nullo in medio pleno invenire resistentiam, sed tantùm corpora: falsa omnes fatentur; causæ enim successionis ex parte motus non solùm est resistentia medii, sed etiam extremorum distantia, & ex parte mobilis non solùm ejus quantitas, sed etiam ejusdem entitatis, & virtutis finitas, & tandem motus ipse de se dicit priùs, & posterius, & sic successionem: Quod ad Angelum verò distantiam extremorum resistentiam motui Angelico facere; tanta enim esse potest, ut Angelicam superet virtutem, & sic necessariò debet sibi ipsi succedere in motu: præterea enim non necessarium sit movens, sed liberum, non cogitur, ut semper se moveat secundùm totum ambitum suæ virtutis, unde potest totum se præsentem facere partibus, & partibus spatii successivè. Ad Arist. circa vacuum quid dicendum sit vidimus in text.

Ad 2. argum. concesso antecedente neganda venit consequentio. Ad probationem respond. verum dicere, quod potest simul esse, & posse simul acquiri: at quod subjungit per motum simul posse acquiri, negandum est: quod autem addit contra responsionem in 3. argum. Angelum in uno, eodemque instanti posse acquirere novum locum, & primum deserere, & sic haberi motum instantaneum; est enim transitus de loco ad locum. Resp. neg. conseq.

Rationem negationis accipite: differunt enim acquisitio loci, ac motus ab extremo ad extremum, motus enim duo loca supponit: at loci acquisitio potest fieri præcisè in uno loco tantùm, ut patet in exemplo de anima rationali, quæ adæquatum locum acquirit sine motu ad illum: creatur enim in loco suo primo à Deo benedicto: præterea etiamsi acquisitio loci & alium præacquirat locum, illum extrinsecus supponit per instans externum, nempè primum sui non esse, exempli gratia, nunc res non est ubi erat, sed immediatè ante fuit: motus verò localis positivè essentialiter plura loca petit, & in illis plures existentias reales, vel plures contactus successivus, cum transit ab uno ad alium locum, quarum una est prior, alia posteriori existente, & quoniam Angelus non potest in eodem instanti esse in pluribus adæquatis locis, ut in tempore moveatur necesse est.

Ad 4. argum. resp. negando minorem; negatur item & ad probationem, tempus enim non solùm corporeas, sed etiam spiritualea mensurat operationes; Tempus enim est mensura rei mutabilis secundùm quod mutabilis est, sivè moveatur instantanè, sivè continuè, & sic non tantùm est in motu primi mobilis, & in eis, quæ ei subjacent, sed etiam in omni creato, circa quod accidit variatio; & sic est in Angelis, ait Seraphicus *l. 1. c. 37. p. 2. dub. 3. text.*

Hinc. Not. non recipi à Seraphico D. de tempore discreto Angelico mensurante ipsius Angeli motus, & actiones: necessitas enim adinveniendi hoc tempus discretum Angelicum fuit ex ipso D. Thom. & sequacibus, eo quia Angeli communi tempore mensurari non possunt, eo quia non subsunt motui primi mobilis; at cum tempus non solùm mensuret ea, quæ subsunt primo mobili, sed omne creatum, dummodo variabile sit, & cum Angeli in operationibus, & præcipuè in motu patiantur variationem, sivè successivam, sivè instantaneam in his tempore mensurantur. Quantùm verò ad existentiam Angelicam, nepotè invariabilem ævum est ejus mensura, ut ibidem tradit Seraphicus noster: superfluum ergo hinc apparet esse tempus discretum; non sunt enim multiplicanda entia sine necessitate.

Circa Scoti sensum Seraphicus noster, cum supponat se loqui de motu per medium, & hinc quærat, an motus per medium fiat in instanti, videtur excludere mutationem instantaneam; si enim per medium, quomodo in instanti? quod si dicatur, Scotum loqui de medio communicante cum extremis, Seraphicus verò de medio non communicante, in quo cum Seraphico adest Scot. Cum S. Bon. universaliter loquatur in sua universalitate, relinquendus videtur, prætterquam quod tale medium, cum sit aliquid extremorum, nec ab extremo elongetur, potiùs extremum videtur, quàm medium; addimus Seraphicum hic in fundamento ultimo, motum per medium propriè dictum non esse mutationem, ergo fieri non valet in instanti etiam per Scotum solùm de mutatione loquentem.

At quia Scotus impropriè fatetur, se locutum in quo sensu potiùs dicitur Angelus mutari, quàm localiter moveri, cum sit talis mutatio simplex loci acquisitio; hinc.

Resp. ad argumenta. Ad primum ex superioribus patet resp. duplex ex text. ad 1. Ad 2. argum. resp. non ex imperfectione mobilis, sed ex finitate

ejusdem; non enim imperfectum dicitur, quod habet quidquid ei debetur; de ratione autem entis ab alio est finitas: insuper pendet ex divina voluntate sic ordinante, 3. potest pendere etiam ab Angelica voluntate, quæ cum liberum constituat mobile, etiam si posset moveri in instanti, temporaneum eligit motum.

Ad 3. resp. potius talem motum esse intra locum adæquatum, quàm motum de loco ad locum; potius, ait benè Caspensis, talis motus est diffusionis respondens rarefactioni corporum, quàm localis, extenditur enim Angelus ad ulteriores partes loci adæquati secundùm suæ voluntatis placitum, quæ partes, ut apud Seraphicum, ut supra notavimus est, dicendæ potius loci, quàm loca.

Tandem ad illud, quod addit pro tertia conclusione, resp. ex ipsomet Scoto, declarando minorem; docet enim tantus Doctor motum Angeli ex sua ratione extrinseca esse successivum, nempè ratione ordinis à Deo constituti, & finitatis sub divina ordinatione: præterea ex Seraphico nostro resp. (hic ad a.) Partibilitas mobilis, vel finitas virtutis non facit successionem, nisi sit prius, & posterius in magnitudine, supra quam est motus; successio, ergo, & præcipuè Angelica motus extrinsecè se habet in motu, puta ex magnitudine.

Hinc ad argumentum pro affirmanda conclusione, motum nec per divinam potentiam absolutam posse fieri in instanti, eò quia successio est de ratione motus: quod autem est de ratione, tolli non potest nec à divina potentia, licèt absoluta. R. cum hæc ratio sit extrinseca verè posse à divina potentia tolli, secus si esset de ratione intrinseca; hinc ad majorem: successio est de ratione motus extrinseca: concedo, intrinseca, nego; ad minorem: quod est de ratione alicujus tolli à divina non potest potentia: vera est; si sit de ratione intrinseca, non autem si sit de ratione extrinseca; hinc falsa conclusio, ex eo quia illata ex falsitate majoris. Sat sit pro hoc tertio articulo.



DISPUTATIO V.

De Intellectu, seu de Angelica cognitione.

QUÆSTIO I.

Utrum virtus intellectiva, & intelligere Angeli sit esse, vel substantia Angelica.

83 Videtur quod sic, eo quia Angeli attributum est simplicitas essentiæ, substantia quippe spiritualis, & incorporea simplex, & omni carens divisione, cujusmodi est Angelica natura, hoc ipso, quod simplex, & virtuosa in operando ex S. B. in Centiloq *p. 3. sect. 3.* si omni caret divisione, ergo virtus Angeli intellectiva, & intelligere non differt ab essentia, & substantia Angeli, 2. in perpetuis non differunt esse & posse ex Arist. 3. Phis. *contr. 42.* at Angeli sunt perpetui. 3. subjectum habet esse mixtum, & ideo non agit se toto, & ideo differunt in eo quod est, & quo est & actio, S. B. *d. 8. p. 2. a. 1. q. 2. in corp.* sed simplex Spiritus non est permixtus alicui compositioni 2. *d. 3. p. 1. dub. 2.* ergo suum intelligere, & suus intellectus est idem cum sua substantia.

Pro fundamentis. Primum nulla creatura est actus purus, quia in omni creatura differt quo est, & quod est, ut dicit Boëtius de hebd. & de Trin. at Angelus est creatura, ergo. 2. fund. In omni substantia per se ente, quæ dicitur creatura, est compositio substantiæ virtutis, & operationis *l. 1. d. 8. p. 2. a. 1. q. 2. in corp.* R. Deus, qui est in fine totius simplicitatis, & perfectionis absque omni medio suæ voluntatis Imperio, quæ non est aliud, quàm ipse, potest omnia producere, & se ipso agere, *ut 2. d. 1. p. 1. a. 1. q. 1. ad ult.* & ibidem *q. 2. a. 3. in corp.* Quia Deus est summè simplex, est sua actio, & secundùm rationem intelligendi solùm differunt Deus, & actio ejus: impossibile est autem creaturam agere se totam, cum nulla sit omnino simplex; ibidem.

Ad primum argum. *ex 2. d. 3. p. 1. q 1. in corp.* Cum Angelica substantia dicatur simplex hoc non est per privationem compositionis quo est, & quod est, actus, & potentiæ, substantiæ, & potentiæ, & aliarum compositionum; certum autem est aliquas compositiones removeri à substantia Angeli, utpotè compositionem ex partibus quantitativis, ex partibus homogeneis, ex natura corporali, & spirituali, qualis est in homine; hæc ille. Caret ergo omni divisione partium quantitativarum, & corporearum; at non caret compositione, de qua est sermo.

Ad 2. resp. Arist. declarandum, scilicet loqui quò ad esse substantiale, & de differentia non secundùm naturam, sed de distantia secundùm tempus, quia in eis materia non præcedit tempore actum.

Ad 3. argumentum. Ad minorem. Responsio patet ex ipso text. ait enim in allegato dubio. Simplex spiritus non est permixtus alicui compositioni, quæ sit opposita simplicitati Angelicæ, & in eodem *l. q. 1. p. 1. a. 1.* declarando Arist. 3. de anima contr. 4. dicentem de intellectu separato, seu de Angelo, neque corpus est, neque forma in corpore, neque mixtum cum materia; omnia, ait S. Doctor, Aristotelem esse locutum de materia, uti est causa permixtionis, & corruptionis; hæc autem est, quæ opponitur simplicitati Angelicæ, ut patet ad primum supra: ad Text.

Pro titulo nota substantiam duo dicere, ut quo est Ang. lus, & quod est, ex Seraphico 2. *d. 3. dub. 1.* nempè essentiam, & personalem discretionem, & sic essentiam, & existentiam, intelligere, & vis intellectiva, & sic in præsenti articulo tres D. Th. articuli includuntur.

84 Pro corp. quæstionis supponit quod tradidit 2. *d. 3 dub. 2.* Quantò in spiritualibus aliquid est simplicius, tantò virtuosius; declarat autem hic non sufficere, ut aliquis se ipso operetur quamlibet simplicitatem, sed summam esse necessariam; hæc autem solùm adest ubi abest omnis compositio.

Omne

Omne enim simplicissimum est absolutissimum, *d. 1. p. 2. a. 3. q. 2. in fine*; & nullum agens est suum esse, suum agere, nisi sit summè simplex 2. *d.* 8. *p. 1. art. 1. dub.* 3. hinc enim dicebat, quia creaturæ sunt compositæ, non sunt suum esse. Ad mensurandam autem Angelorum simplicitatem *in 2. d. 3. dub.* 2. edocet, non esse observandam paucitatem compositionis, sed observandum quis Angelorum magis accedat ad summè simplex, nempè ad Deum; talis autem excessus desumitur ex majori nobilitate formæ; quibus in verbis videtur sibi contradicere cum doceat, ori immediatè notavimus, compositionem tollere simplicitatem, & hic dicat in Angelis non esse desumendam simplicitatem ex minori compositione, sed ex majori approximatione ad Deum, unde ille Angelus simplicior est, & hinc altero virtuosior, non quia ex paucioribus, sed quia magis Deo accedit: at si benè perpenditur, nulla adest contradictio; supra enim universaliter loquebatur; hic autem de Angelis, quomodo inter se habeant verba facit; cum enim unus Angelus sit alio Angelo potentior, & radia potentiæ sit simplicitas, ergo major simplicitas in uno, quàm in alio; at æquales sunt Angeli in simplicitate, ut dicit privationem partium; *ibidem dub.* 4. ergo ex alio capite simplicitas Angelorum desumenda est inter eos in ordine ad Deum, nempè ex majori accessu ad simplicitatis fontem, quæ desumitur à majori perfectione formæ, ergo nulla adest contradictio. In uno quoque genere summum in eo est cæterorum mensura: accessu autem, & ab eo recessu mensurare clarum est. Conclusione autem ea corp. duæ.

Prima, est, potentia intellectiva non est eadem, quod substantia Angelica. Prob. ex corp. & ex 2. fund.

Concl. 2. Intelligere non idem cum Angelica substantia, seu cum Angelo. Patet tum ex 1. fund. tum ex corp. quæstionis.

Pro responsione ad argumenta. Pro resp. ad primum adverte quod tradit S. B. 1. *d.* 24. *dub.* 1. in divinis admitti distinctionem; divisio enim dicit separationem; distinctio verò alietatem; hinc caret Angelica substantia omni divisione, at non benè infertur omni distinctione; distinguuntur enim potentia intellectiva, & volitiva ab Angelica substantia, at non separantur, nec separati valent.

Pro 2. responsione, ait S. B. Aristot. intelligendum, in sempiternis idem esse, & posse, idest posse esse, & excludere prioritatem temporis inter esse, & posse esse, non autem prioritatem naturæ; non ergo loquitur de potentiis in ordine ad operationes, idest, de facultatibus animæ, vel Angeli, sed loquitur de potentia, quæ cum actu facit unum per se, idest de materia, quam ferè semper appellat potentiam; in æternis enim non est prior tempore materia ipsomet esse Angeli, ut dicebat noster Seraphicus in superioribus creata est materia sub esse perfecto. Hinc differt materia horum inferiorum à materia Angelorum, & animarum, illa enim tempore præcessit entia, quæ ex ea sunt; facit enim unum ex quatuor coævis. Materia autem Angelorum simul creata est sub esse perfecto, unde solùm potest dici prior naturæ prioritate, ut pars componens compositum, se præcedit.

Pro 3. resp. adverte, mixtionem dupliciter dici, propriè, & communiter: propriè mixtio est corporum, & per contrarietatem efficitur, ex Alexandro aphrod. in Metaph. Communiter compositio est quædam mixtio; ex eodem de mixt. de qua mixtione loquatur Seraphicus patet in text. non de propria, sed de communi, quæ dicit compositionem tantùm: hæc circa text.

85 Communiter se habent Scholastici in affirmanda veritate Seraphici, nempè intellectionem, & intellectum non esse essentiam, & existentiam Angeli. In contrarium à Vasq. Martinon. Bubal. & ab aliis proferuntur Durand. *in* 2. *d.* 3. *q.* 5. *ad* 1. & Arist. 12. *Metaph. c. p.* 9. Dicunt enim illi Durandum negare distinctionem intellectus Angelici ab ipsa substantia, & essentia Angelica, concedere autem distinctionem ejusdem, & voluntatis ab anima; insuper cognitionem, qua alia à se intelligit, differre realiter ab intellectu, non autem qua se ipsum intelligit, quam opinionem absurdam appellat Vasquez.

Hanc eandem opinionem, aiunt, fuisse Arist. 12. Metaph. *cap.* 9. asserentis intellectum Angelorum esse eorum substantiam, alioquin fatigaturum Angelicum intellectum in intelligendo, & vilesceret Angelus; ab alio enim à se perficeretur, quem sensum profert Vasquez esse dignum erroris nota: at existimo nec prædictos nostram inficere veritatem. Non Durand. eo quia loquitur de distinctione reali, quam negat in Angelis inter potentias, & essentiam illorum: hæc sunt verba ejus. Non potest convinci, quod potentia intellectiva Angeli differat realiter ab ejus essentia; & si dicamus potentias animæ ab anima realiter differre, ergo & ab Angelo, respondet diversam esse rationem, nam ab anima differre separatio ali ua nos edocet, dum ipsa corpus informante potentiæ tales non informant: at cum Angelus corpus non informet, nullum habemus signum talis separationis, quo possimus arguere etiam talium distinctionem ab alio.

In resp. autem ad primum, & de eadem reali distinctione verba facit, ut patet; & in resp. ad secundum argum. ex verbis D. Dionysii, dum ait, non dicit Dionys. quod hæc differant realiter, nec oportet de substantia, & virtute: hæc ille, & in eadem prima resp. nihil dicit de intellectione sui ipsius, & comparat intellectionem intellectui, non autem intellectum Angelo, unde ergo Vasquez sumpsit fundamentum appellandi Durandi sensum absurdum, & quot sunt Scholastici negantes has potentias non solùm non distingui realiter ab Angelo, sed nec ab anima? non ne Scotus cum sequacibus? non ne Seraphicus noster? ut suo tempore videbimus? non ne ferè omnes propriè Thomistas?

Ait Vasquez. Patres absque limitatione loquuntur de intellectione aliarum rerum à se ipso, & de intellectione sui ipsius; sed non video Durand. contra sanctos Patres locutum in responsione illius primi argumenti. Nec video ex Arist. desumi posse argumentum contrarium: in ipso enim sive septimò, sive nono 12. Metaph. non loquitur de Angelis, sed de prima mente immateriali de Deo, teste D. Thoma in ipsius Commentario: In hoc enim capite duas quæstiones moveo. Prima est quomodo intellectus primi moventis se habeat ad suum intelligere, secunda est quomodo se habeat ad suum intelligibile. Ad primum respondet se ipso intelligere non mediante aliqua potentia. Ad secundum resp. non intelligere aliud à se, sed seipsum, & in se alia; primo ne fatigetur; secundo ne alio à se perficiatur, sic enim esset optimus, unde de facto est ea quibus patet in hoc primo intellectivo esse indistincto substantia intellectus id, quod intelligitur, & intellectionem.

Nec obstante verba in fine ejusdem capitis, ne

benè notat Martinus; non autem Vasquez, alio in capite hæc adese perstrens: hæc autem sunt, non altero igitur existente eo quod intelligitur, & intellectus quæcumque non materiam habent, idem erunt & intellectio ejus, quia intelligitur una, sivè secundùm lectionem Bessarionis. Cum igitur non sit diversum id quod intelligitur, & intellectus, quæcumque non habent materiam, idem erunt & intellectio una ejus quod intelligitur; ex quibus non desumenda est extensio dicti ad intelligentias, sed probatio dicti à minori ad majus: si enim est sensus, in rebus materialibus, res scita, & scientia unum sunt à materia abstracta, ut Domus in mente ædificatoris est ipsa ars ædificativa, & sanitas in mente Medici est ars medicativa, manifestum est in his quæcumque materiam non habent, uti est Deus, idem erunt & intellectio, & quod intelligitur Videatur D. Thom. ibi.

Unde ergo etiam nota? quod si dicas, cum ponant defatigationem, benè resp. inferre, si principium intellectionis esset extra, non consistente vim passu, seu intelligente, uti advertit S. Thom. ibi; sic enim esset actio violenta, & quodammodo inferret defatigationem, posito uno impossibile plura si qui necesse est, sic enim ad impossibile Arist. deducit: hinc patet quàm communis sit opposita doctrina.

Unum existimo addendum. Hic non disputari quanta sit hæc distinctio inter intellectum, & Angeli substantiam: benè credo ponendam distinctionem majorem distinctione rationis; nam & eadem saltem est inter intellectum Divinum, & ejus essentiam, seu substantiam, ne videatur Angelus, quoad hoc habere æqualem simplicitatem cum Deo, imò majorem apud ponentes distinctionem formalem inter intellectum Divinum, & ejus naturam. Hæc distinctio an realis, an formalis, an essentialis, infra videndum est, & in tractatu nostro de formalitatibus Seraphicis, quem paramus prælo committere, si Deo placuerit, & Seraphico. Hæc satis pro hoc articulo.

QVÆSTIO II.

Vtrum in Angelo sit intellectus agens, & possibilis.

86 Videatur reatus *in 2. d. 3. p. 1. a. 2. q. 1. in corp.* in confutat. primæ opinionis, & in tertia positione, & propria, & fundam. 5. Ex quibus locis duæ conclusiones desumuntur.

Concl. 1. Angelus habet intellectum possibilem. Prob. ex Seraphico. Angelus potest recipere species intelligibiles, ergo habet intellectum possibilem, in quo eas recipiat. Pr. anteced. Deus potest producere aliquod novum, cujus species intellectui non insit Angelico: at novitatis entis posset Angelus recipere species, ergo intellectum habet possibilem: minor probatur eo quia nulla apparet repugnantia; alioquin imperfectior esset homine.

Prob. 2. Intellectus noster est possibilis per Aristotelem, quia de se prius est nuda potentia, deinde factus in actu per species: at ex S. B. intellectus Angelicus se ipso non est in actu, sed nuda potentia factus in actu per species ab extrinseco immissas, ergo est possibilis. Prob. 3. ex eodem Seraphico. Angelus non est purus actus, ergo habet intellectum possibilem.

Pro declaratione hujus conclusionis, & defensione, notandum ex Seraphico, (quod postea desumptum est à Scoto, & ampliatum) inter extrema semper datur aliquod medium, quod de extremis participet, ut in omnibus clarè videmus: In distinctione enim prima ejus *2. p. 2. a. 1. quæst. 2. fundam. 5.* ait Seraphicus; omnis ordo habet de necessitate, & summum, & medium, & infimum (hæc S.) sic etiam in genere intelligibilium, ut ordo servetur cum sit summum, uti intellectus divinus, totus actus elongatus ab omni potentia, qui se ipso omnia intelligit, cum sit infimum, ut humanus intellectus, qui de se in nativitate hominis est purè potentia tanquam tabula rasa ab Aristotele appellatus, in quo nihil est descriptum, sed in potentia per temporum intervalla omnia fieri, necesse est ut in media natura, & medius assit intellectus, qui nec purissimus actus sit cum Deo benedicto, nec pura potentia cum homine, sed actum habeat cum potentia conjunctum; de se enim est pura potentia, & prius natura; ab extrinseco autem est factus in actu per omnium rerum species à Deo benedicto ipsi intellectui concreatas, necessariò ergo habet intellectum possibilem, ut valeat fieri in actu primo, & sic species recipere; alioquin non existente possibili, non fuisset intellectus Angelicus de se, cum non habeat species, ea communi forè omnium seosum; nam possibilis recipere eas, & se ipsa non valens intelligere, cum hoc sit proprium Dei; planum est ergo, dicebat hic S. B. in Angelo esse intellectum possibilem.

Talis autem possibilitas in intellectu Angelico desumitur ex triplici capite: primo in ordine ad species, quas habet à creatione ipsius à Deo sibi immissas: secundo in ordine ad actum intellectionis: tertio in ordine ad species recipiendas: Cum enim intellectus Angelicus de se, & ex sui natura, nullas habeat species, sed sint hæ accidentia gratis à creatione ipsi à Deo condonata, verè prius natura est possibilis, ad hoc ut sit per species in actu primo constitutus: cum vero plenus specierum non semper actu intelligens sit, restat, ut etiam in ordine ad actum intelligendi remaneat, licèt plenus specierum in potentia sive possibilis ad similes actus; & tandem cum Deus nova creare possit, supponit Angelicum intellectum habentem possibilitatem recipiendi novas species rerum de recenti creatarum, ne dicatur easdem nosse non posse, cum id possit homo mediis similitudinibus, licèt inferior ipso Angelo.

Concl. 2. In Angelis est intellectus agens. Prob. 87
Angelus potest abstrahere species, ergo habet intellectum agentem. Prob. antecedens. Angelus corpori alligatus potest species abstrahere, sed majoris virtutis est intellectus Angelicus, utpotè separatus, quam si esset corpori alligatus, ergo potest abstrahere species. Prob. 2. anima separata habet intellectum possibilem, & agentem, ex D. B. *l. 2. d. 24. p. 1. a. 2. q. 3. in corp. in improb. 4. op. mentis*, At Angelus habet modum intelligendi, quem habet anima, ex *2. d. 1. p. 2. a. 3. q. 2. in corp. 4.* ergo Angelus habet intellectum agentem, nedum possibilem. Idem dicit S. D. de Adam, qui habuit species concreatas, sicut & Christi intellectus, & tamen ambo habuerunt intellectum ne dum possibilem, sed agentem, ergo deiformitas non tollit agentem intellectum, nec possibilem.

Seraphicus *in 2. d. 3. p. 2. q. 2. a. 1.* in opponendo argum. 4. ponit intellectum possibilem, & agentem

in

in Angelo, & ibidem *d. 7. a. 1. q 3. ad 5* & hic apertè; ait enim, planum est esse in Angelo intellectum possibilem, & planum est esse intellectum agentem.

Ex quibus patet, cum in anima separata sint hæ differentiæ intellectus possibilis, & agentis, cum in Adamo, & Christo extiterint, non inesse eis ex sola conjunctione corporis, ait S.B. *in 2. d. 24 p. 1. a. 2. q. 3. in corp.* non in esse solùm ob phantasma; eo enim ablato, & operatione ejus intellectus agentis, in phantasmate non necessariò existente, eo quia in animabus Adami, & Christi erant species universales omnium rerum à Deo inditas, & singularium species ope intellectus agentis fiunt universales; ad quid ergo in his hæ differentiæ intellectuales possibilis, & agentis, nisi quia sunt de perfectione ipsiusmet intellectus creati? quod enim est de perfectione inferioris, etiam est de perfectione superioris, si ejusdem sit generis: cum ergo videamus, intellectum agentem ad perfectionem animæ pertinere, & anima, & Angelus in genere conveniant intellectivo verè, & intellectus agens erit de perfectione Angelici intellectus: concurrunt enim ad complementum, & perfectionem potentiæ intellectivæ potentia, per quam recipit, & potentia, per quam abstrahit, ait S. B. *2. d 24. q. 1. p. 1. a. 2. q. 4. ad 3.* & in corp. in improbat. 3. opinionis: Perfectio, & complementum substantiæ intellectualis lux est spiritualis, ait S. B. quod esse agentem intellectum ex Arist. probat ne detur hoc absurdum, nempè perfectiorem esse hominis intellectum Angelico intellectu; quod si in homine phantasma illuminet, non est ex imperfectione intellectus, sed perfectione cum enim sit lumen illuminat: dicebat enim Averroes primo suæ Metaph. *c. 3.* aliam esse utilitatem, quæ confertur per modum servitutis, & aliam, quæ tribuitur per modum influxus, prima dicit inferioritatem in conferente, secunda verò exhibetur à superiori erga inferiorem; dum ergo lumen sol intellectualis diffundit, suam deprædicat perfectionem; & quid mirum, quod Angelicus intellectus intelligat? mirum benè est, quod in homine, ubi adest impedimentum carnis, & sensus phantasmatis, his non obstantibus, illuminando talia, abstrahendo species, imprimendo in possibili intelligat, ita ut de illo possimus dicere per participationem, quod de supremo lumine divino absolutè dictum est, in tenebris lucet, & tenebræ illud non comprehenderunt.

68 Primò adinvenio Malonium *l. 2. Bibliot. Scholast. disput. 5.* Suarez de Angelis, *l 2. cap. 1. n. 15.* asserentes Seraphicum nostrum in contraria opinione, nempè Angelum carere intellectu possibili & agente; ait enim Suarez: & si in superallegata distinct. & quæst. in corp. quæst. in principio videatur Seraphicus defendere in Angelis intellectum possibilem, & agentem in fine tamen corp. ejusdem destruit hujus opinionis fundamentum, quo sublato ruit opinio: Quale autem sit hoc fundamentum subjungit: Supponunt, ait Suarez, hi auctores, nempè tenentes in Angelis intellectum possibilem, & agentem Angelum sumere species à rebus materialibus, quod falsum est, & ita nituntur falso fundamento: hoc fortè est fundamentum, quod destruit Seraphicus in fine non solùm corp. sed etiam quæst. quibus in locis loquens de Angelica, singularium cognitione, ait, non recipere singularium species; sed per species universales inditas, & modificatas illa cognoscere, ut infra declarabimus; At apud Seraph. falsum est hoc fundamento niti, dum ponit intellectum possibilem, & agentem, uti ex textu patet, & videbitur in responsionibus ad argumenta.

Insuper Suarez, dum cum Scoto, Alens. & aliis affirmantibus in Angelo intellectum possibilem, & agentem enumerat Seraphicum, horum sensum esse, non de intellectu, uti ab Arist. de anima, & in Metaph. sumitur & proprio, & usitato, sed quod Angelus ex natura sua est potentia passiva intellectualis ad actum, quem potest elicere, & ad illum, quem elicit, ad species aliquas intelligibiles, quas potest de novo accipere, sive infusas, sive acquisitas, & ad quas habet actu, quemadmodum semper materia est potentia passiva formarum, etiam quo actus habet: Et de intellectu agente docet Doctores, & sic Seraphicum sumere illum, uti est efficiens actuum intelligendi, dum illum in Angelo collocant, quæ significatio est inusitata; quantum aberret à sensu horum Doctorum, & præcipuè Seraphico, expono.

Suarez cum D. Thoma, Vasquez, & sequacibus negantibus in Angelo intellectum possibilem, & agentem propriè sumptum ad mentem Aristotelis, sic argumentantur. Intellectus possibilis est ille, qui de se est in pura potentia ad omnem actum intelligendi, quem habere potest, & ad omnia principia talium actuum, quæ in se recipere potest, sive species intelligibiles, sive habitus sint, ex Arist. 3. de anima, & 9. metaph. ait Angeli intellectus non est possibilis simpliciter, quia ex natura sua habet nunquam esse in potentia pura passiva intellectuali, nec quo ad actum secundum, quia semper aliquid intelligit, nec quo ad actum primum, quia à principio habet concretas species, ergo carent intellectu possibili.

Ad argumentum concessa majore: ex Seraphico neganda venit minor; ait enim Seraphicus, ut patet ex supradictis in probatione primæ conclusionis; intellectus Angelicus se ipso non est in actu, sed nuda potentia factus in actu per species ab extrinseco immissas: hæc Sanctus: quomodo ergo non possibilis ex natura sua? quomodo non in potentia pura passiva intellectiva? si enim vocat Arist intellectum tabulam nudam, & sic propriè possibilem, & Seraphicus appellat Angelicum nudam ex propria natura potentiam, ex quibus patet, quàm allucinatus sit Suarez in sensu Seraphico, dum ponit in Angelo possibilem intellectum. Sed ad hoc contra Suarez: Angelus potest recipere aliquas species intelligibiles de novo sive infusas, sive acquisitas ex Suarez ibidem ergo de se, & ex natura sua est possibilis: quod enim sit in potentia ad multas, vel ad aliquas, non lædit possibilitatem in ordine ad species sumendas est in pura potentia, quia est tabula nuda, ergo verè propriè possibilis. Item deiformitas in Christo, & in Adamo non tollit intellectum possibilem, quare ergo in Angelo? Eodem modo arguunt D. Thom. & ejus sequaces: hinc sufficit hoc argumentum opponere, & solvere.

Vasquez *in p. 1. D. Thom. t. 2. disp. 199.* ait hanc quæstionem circa intellectum possibilem esse solam quæstionem de nomine: at quomodo de nomine, si propriè & ad sensum eundem negat D. Thom. affirmat S. Bonav. in Angelo intellectum possibilem.

Contra aliam concl. Seraphicam in ordine ad intellectum agentem arguit Suarez, ubi supra: Intellectus agens propriè dicit potentiam spiritua-

lem

lem activam, quæ, ut talis, est solùm activa specierum intelligibilium in intellectu possibili carente illis, quo sensu ponitur à Philosophis intellectus agens in anima rationali: at Angeli habent concreatas species, hæc indigent intrinseca facultate productiva illarum, & in Angelo non sunt phantasmata, à quibus possint abstrahere species, ergo carent intellectu agente.

Ad hoc argumentum majorem concedimus, dummodo de potentia, non de actu intelligatur, nempè activâ, quæ sit potens abstrahere species; at non quod actu abstrahat, alioquin ad quid in Adamo, in Christo, in animaque separata adest intellectus agens? apud quos nulla abstractio; sunt enim desformes, ut Angeli, & anima à corpore elongata caret phantasmate: audiamus Seraphicum, qui reddens rationem, quare intellectus Angelicus non solùm possibilis, sed & agens sit, quia, ait, intellectus Angelicus potest abstrahere species, hic *in corp. & d. 24. in 2. p. 1. a. 2. q. 4. in fine corp.* quærens, quomodo intellectus agens dicatur semper in actu; assimilat illud lumini, dicens, sicut lumen corporale semper lucet, & de se promptum est ad illuminandum; res autem illuminabilis non semper illuminabitur per aliquod impedimentum: sic in proposito intelligendum est (hæc Sanctus) & *ead. dist. p. 1. a. 2 q. 4. in corp.* in improbatione quartæ opinionis anima separata habet intellectum agentem, & possibilem etiam cum separata est, non enim insunt ei ex sola conjunctione sui cum corpore: Sic Seraphicus. De ratione ergo perfectionis intellectus creati est intellectus agens; quod autem abstrahat nec ne, est, quia in Angelo non indiget, nec in anima separata: sensibile, & vegetabile non sunt de ratione rationalis, nisi secundùm quod est rationale per unionem; sed quia Angelus est spiritus purus, idest non rationale per unionem, ideo istis non indiget, ait Seraphicus *in 2. d. 1. a. 1. q. 2. p. 2. ad 3.* Quare non abstrahit in anima, & in Angelo, quia non adest sensibile à quo abstrahat: benè quidem per se adest lumen intellectuale utrinbique; at abest sensibile phantasma; hinc non abstrahit, nec illuminat.

Arguit item Suarez. Intellectus agens, licèt aliqualem perfectionem afferat rationali animæ, supponit tamen imperfectionem repugnantem Angelo, scilicet esse actum corporis, carere innatis speciebus, illásque per corpus acquirere, & ideo talis perfectio non est consentanea naturæ Angelicæ.

At resp. declarando antecedens. Si supponeret necessariò similes imperfectiones, ita ut sine illis inveniri non posset, benè concluderet: at cum sine eis adsit, ut pura in anima separata in Adamo, & in Christo, in quibus intellectus est informatus speciebus non acquisitis per corpus, ergo similes imperfectiones non sunt à parte intellectus, ut supra ostendi; nec eas supponit necessariò, cum sine ipsis inveniatur. Cum ergo fateatur Suar. Intellectum agentem dicere aliqualem perfectionem, ergo & in Angelo constat ponendam esse.

Quod si dicat Vasquez, ubi suprà, ad quid? non enim ad illustrandas species, ut dixit Albert. non ut sit principium eliciendi intellectionem cum specie, ut dixit Alex. non ad abstrahendas species à rebus: cum ergo ad nullum horum sit necessarium, ergo non ponitur; non ad primum, quia sola species ex se conjuncta intellectui possibili est principium sufficiens cognitionis, ergo frustra ad hunc effectum conceditur intellectus agens; non ad secundum, nam solus possibilis cum specie vim habet eliciendi cognitionem; non ad tertium, quia Angelus non accipit species à rebus, ergo ut superfluus tollendus est intellectus agens. Resp. ad quid ergo ponitur in Christo? ad quid in Adamo? ad quid in anima separata? non ad enarrata munia, ergo in anima separata in Christo, & in Adamo non est intellectus agens: at verè adest in eis intellectus agens, ergo insufficienter ennumerat; nam his deruptis invenimos, Angelicum agentem intellectum, imò & humanum.

Respondemus hinc ad perfectionem intellectus creati dari in animabus, & in Angelis intellectum agentem: si enim conceditur possibilis, ergo & agens; cuilibet enim potentiæ possibili naturali correspondet & naturalis activa, ut se ipso valeat operationem sibi debitam obire: sicut enim Deus dedit cuilibet vim activam, per quam exiret in operationem propriam, sic credendum est indubitanter, quod humanæ animæ non tantummodo dederit intellectum possibilem, sed etiam agentem, ita quod uterque est aliquid ipsius animæ, ait S. B. *d. 24. 2. ubi supra q. 4. in corp. in princip.* sic de Angelo dicendum esse censeo; quia licèt intellectus agens secundùm indigentiam & abstrahat, & semper valeat abstrahere, ut dictum est, & tamen intelligere dicitur: nec enim intellectus possibilis intelligit sine agente, nec agens sine possibili, docet S. B. in prædicta *dist. 24. in corp.* in confutatione 2. opinionis, & tandem etiam illuminare; ait enim Seraphicus ibidem, perfectio, & complementum substantiæ intellectualis lux est spiritualis, illa potentia igitur, quæ consequitur animam ex parte intellectus sui quoddam lumen est in ipsa, de quo lomine potest intelligi illud Psal. 4. Signatum est super nos lumen vultus tui Domine; & hoc lumen viderur Philosophus 3. de anima *contr. 5.* intellexisse esse intellectum agentem; dicit enim, quod ille intellectus, quo est omnia facere, est sicut habitus quidam, ut lumen. Hæc Seraphicus ex quibus omnibus patet, quàm verè locutus fuerit S. B. noster: videatur Scot. 2. *d. 3 q. ult. §. contra:* Albert. Ricard. Alens. quos pro nostra sententia proferunt Scholastici; ego contentus solùm Seraphico, sisto.

QVÆSTIO III.

An Angelus quæcunque cognoscit, per species innatas cognoscat ex D. B 2. d. 3. p. 2. a. 2. quæst. 1. ubi explicatur textus Seraphicus.

NOt. titulum, ait, utrum Angelus quæcunque cognoscit, &c. & in quæstione utrum Angelus omnia creata quæ cognoscit, &c. Pro explicatione hujus quæstionis adverte, objectum Angelicæ cognitionis elevari ad superiora supra se, nempe Deum, reflecti ad interiora, nempe ad seipsum, & quæ essentialia sunt ipsi; inclinari ad inferiora infra se, modo illud verbulum (*quæcunque*) non distributive universaliter, sed accommodè; non enim comprehendit objectum supra se, nec intra se, sed tantùm respicit objectum infra se positum: in quæstione enim declarat illud (*quæcunque*) duo ait (omnia creata) hinc excluditur Deus, utpote increatus: & in corp. quæst. in principio Seraphicus Doctor ab objecto excludit ipsum Angelum, & quæ sunt eidem essentialia, di- 89

cens

cens, cognoscit res creatas per species (subjungit) ni talis sit, quæ essentialiter sit in Angelo; ab objecto creato hic excludit Angelicam naturam, sed solùm quærit, an quæcunque Angelus cognoscit, dempto Deo, & se ipso cognoscat per species.

Addit (innatas) in qua quidem particula, totam, ait consistere difficultatem in corp. quæst. in principio; ita ut docet, duas hic claudit quæstiones: Prima & facilis est, an talia hæc omnia objecta cognoscat se solo, aut mediantibus speciebus, & hoc ultimo concesso, secunda est de modo, quo per species cognoscit, & hoc est quod patitur difficultatem. Pro corpore circa modum cognoscendi per species duas proponit opiniones quas impugnat, & pro tertia propriam addit, quam declarat, & probat. Prima ibi aliqui posuerunt. Secunda ideo est alia positio. Tertia ibi, & ideo est tertia positio: Hinc conclusiones tres educendæ.

Concl. 1. Angelus cognoscit res creatas per species: Hanc conclusionem supponit probatam ex communi sensu, dum ait, omnes qui aliquid intellexerunt, hoc posuerunt. (In principio corporis.

Concl. 2. Angelus non cognoscit res per omninò seipsum, ibidem. Prob. cognoscere rem omninò per se ipsum, hoc est solùm illius, qui est actus purus: at Angelus non est omninò actus purus, ergo. Prob. 2. Qui est se ipso omnium causa efficiens, & exemplar, & non alio quoddam ea, quorum causa se ipso est, etiam se ipso cognoscat: at Angelus non est se ipso exemplar creatarum rerum, ergo nec se ipso cognoscit.

Concl. 3. Angelus cognoscit res creatas per species innatas, in corp. in fine. Reddit autem causam, cur non per species acquisitas: causa non est, quia Angelus non possit species accipere, potest enim, uti hic probat, & probavit super in improbatione primæ opinionis: sed causa est, quia Deus intellectum possibilem tot speciebus implevit, quot erant necessariæ ad omnia cognoscenda sine quacunque acceptione nova.

Prima opinio. Ait per solas species innatas cognoscere, & has sufficere, quia Deus indidit eis rationes seminales, quibus possint se multiplicare, seu intellectus Angelicus potest ex iis naturas educere, causa autem, quare Deus has posuit virtutes seminales in talibus speciebus, est quia Angelus ab objectis emendicare species non valet: virtutes enim rerum creatarum non possunt agere in intellectum Angelum; nullum enim materiale habet actionem in spirituali, nec adsunt organa sensuum, & potentiarum sensitivarum, nec phantasma ergo.

Displicet S. B. positio, & causa positionis: positio ob difficultatem; non enim possunt species multiplicare, nec secundùm numerum, eo quia plures species ejusdem rationis solo numero distinctæ in uno subjecto, puta Angelico intellectu, adesse non possunt; nec secundùm speciem; unius enim rei species generari non valet speciem natura differentem ab alia.

2. Opinio est, per species innatas universales Angelum universalia cognoscere, singularia verò per species acquisitas.

Non placet seraphico ob tactam rationem, tum quia uno, eodemque subjecto multiplicari non possunt species solo numero differentes, tum quia non habent hæ species quomodo individuantur; si enim à subjecto sumant hanc individuationem, ergo non plures ibi sunt, sed una, cum unicum sit numero subjectum: non sunt per se individua, quia species carent materia, quæ cum forma est principium individuationis, restat hinc non posse multiplicari. Et si dicas multiplicari in aere species, & lumina ejusdem naturæ, & hominis facies respondet S.D. id esse, quia à pluribus causis producuntur; educuntur enim ex diversis partibus aeris & diversæ species hominis (licèt hominis species differant tantùm numero) attamen ratione figuræ possunt specie differre; cum enim homines in natura conveniant, diversificent verò in figura; alius enim puer est, alius senex differt autem homo puer à se ipso sene, sic ratione figurarum specie differentiam plurificantur ejusdem hominis species, & ita illæ species, non numero tantùm, sed specie differunt. Quoad esse verò quidditativum, species universalis repræsentat totam individuorum quantitatem, ut ait Seraphus hic; species enim est tantum esse formale individuorum: at adverte non ait, totum esse, sed totum esse formale; unde species naturæ humanæ quamlibet naturam hominis repræsentat specie universali mediante, ergo cognosco & Petrum, & Paulum quo ad tale esse formale, non ergo Angelus indiget alterius speciei hujus, vel alterius hominis, ut in individuo cognoscat illos, quatenus homines sunt: Pro textu hæc sufficiant; coetera enim petunt alias difficultates, & præcipuè eam, quæ est circa cognitionem singularium, de qua suo loco infra.

Contra 1. Conclusionem duas invenimus opiniones, prima est negantium absolutè species à quavis cognitione, sive sensibili, sive intellectuali, sive humana, sivè Angelica, quam tenent Nominales, Greg. ab Arimino, Ocham, Bassolis, & Durand. & alij, quos videre poteris apud Modernos duplici fundamento; 1. quia species nullo modo dantur; 2. quia & si darentur, supervacaneæ essent, quorum Argumenta inferius ponemus, & solvemus. 90.

Contra 2. Conclusionem profertur Altisiod. *l. 2. tract. 5 c. 4.* cum Baccone *d. 6. q. 1. a. 4.* asserentes, Angelos omnia cognoscere per propriam substantiam. In hoc enim docet Altisiod. essentiam Angelicam assimilari Divinæ essentiæ, quæ est speculum omnium rerum, distingui autem ab ea, eo quia Angelus non semper omnia intelligit, sed tantùm, quando convertit animum suum supra rem contemplandam; Deus autem semper actu omnia intelligit, quæ pro hac adducuntur, infra proferam, & solvam.

Pro intelligentia eorum, quæ dicta, & dicenda sunt in præsenti materia N. 1. ex Seraphico *1. d. 35. a. 1. q. 1. in corp.* Quod similitudo est ratio cognoscendi non solùm in nobis, sed etiam in Deo; benè verum est, quod aliter in nobis, & aliter in Deo; in nobis enim ratio cognoscendi, & medium, quo cognoscimus est similitudo rei; objectum verò cognitum est rei veritas, eo quia cum intellectus noster respectu cogniti sit possibilis, & non actus purus sit in actu 1. per aliquid cogniti. quod est ejus similitudo, quam habet, ab extrinseco accepta & impressa: at in Deo est è converso, cum enim Deus sit actus purus, & se ipso est in actu; & cum sit perfectissimus, ratio cognoscendi est ipsa veritas, cognitum autem est similitudo veritatis, ipsa scilicet creatura: hinc in Deo veritas facit cognoscere, in nobis verò est similitudo.

Nota 2. ex eodem seraphico *in 1. d. 3. p. 1. a. 1. q. 1.* in apponendo ad cognitionem quatuor requiri. Primum est Proportio inter cognoscibile, & cognoscitivum. 2. Unio, seu receptio, ita ut cognoscibile

in cognitivo recipiatur. 3. Informatio, ot scilicet tanta fit unio, qua unitur objectum potentiæ intellectivæ, quod intellectus informetur à re intellecta. 4. Judicium de objecto jam recepto, & unito: Quoad 1. Propositio non consistit in consimilitudine naturæ; ad hanc enim proportionem, quæ necessaria est ad cognitionem, necesse non est, ut objectum, & intelligens sint ejusdem naturæ. S.B. *in 3.d.14.a.1 q.3 ad 3 & 4 in fine*: sed sufficit, ut unum alterius sit similitudo (quod patet in cognitione Dei) quæ enim major improportio, quàm inter Deum infinitum, & finitam creaturam? & tamen invicem dignoscuntur propter similitudinem, quia Deus est omnium similitudo, & idea, & creatura rationalis est Dei imago, aliæq. quæcumq; sunt Deum imitantur, & illum exprimunt velut umbra, & vestigium, sicque ut quædam similitudo, licèt in diversitate naturæ, ex Seraphico dicente. Creatura dicitur similitudo Dei, & è converso. Dena est similitudo creaturæ, & hoc modo similitudo est ratio cognoscendi 1.d.35.a 1.q.1.in corp. 2. Requiritur unio: cum enim intellectus ex Arist. sit omnia fieri, nullo modo intellectus poterit fieri objectum, nisi hoc recipiatur in illo, vel intellectus exeat, & in objecto volitando quiescat: at cum 1. & 2 sint impossibilia, nec enim intellectus ab anima, vel Angelo separabilis est, nec materiale objectum in intellectu ullam habet actionem, nec secundùm suum esse materiale potest inesse intellectui; necesse fuit ponere genus entis intentionalis, quo cognoscibile esset in cognoscitivo, ut per illud intellectus fieret omnia; ait enim S.B. sensibilia exteriora intrant in animam, non per substantias suas, sed per similitudines suas. *In itiner.cap.2.col. 2. in princip.* 3. requiritur informatio si enim fierine unum objectum, & intellectus, necesse est quod objectum informet potentiam, & maximè cum fine unum per similitudinem, non per proprietatem; hinc dicebat Seraphicus *in 1.d.15. in corp.q.1. a.1.* necesse est, ut cognoscens, vel sit rei cognitæ similitudo, vel informetur à similitudine ejusdem rei cognitæ Ex quibus patet, cum Angelus secundùm suam substantiam non sit ratio cognoscendarum similitudo, & hæc cognoscenda per extrinsecam potentiam ad esse cognitum non valeant pervenire, necesse esse, ut per extrinsecam rerum receptaio similitudinem Angeli ad intelligentiam objectorum informentur, sicque species inditas, vel abstractas rerum. Tandem requiritur 4. nempè judicium de objecto: judicat autem intellectus discernendo utrum sit, vel non sit; quid sit, an homo, an brutum; qualis sit, quantus sit &c. uti patet. Quibus prænotatis, veritas duorum conclusionum, quas profert Seraphicus, clarè elucet: Et quia prima conclusio solo communi sensu eorum, qui intelligunt, fulta ex textu apparuit; hinc probatur rationibus ex eodem ibi Seraphico alibi: sit ergo.

Conclusio. Angelus cognoscit creata eo sensu, quo supra locuti sumus, per species. Pr. primò ex 1. notabili: similitudo est ratio cognoscendi: at in Angelo nulla secundùm se est similitudo rerum, ergo earumdem nec ratio cognoscendi. Major patet etiam in Deo, ergo in omnibus, quæ debent Deum imitari secundùm posse: creata enim cognitio est participatio Divinæ cognitionis. Minor prob. Angeli enim secundùm se, & per propriam solam naturam non sunt objectorum similitudioes, cum nec ea eminenter contineant, nec objectorum causæ sint, nec habeant (ut contrarij concedunt) rerum species, ergo non intelligunt secundùm se, cum careant medio cognoscendi; quomodo ergo intellectuales substantiæ? recipiunt ergo species, ut veré, & in actu exercito cognoscere valeant.

Præterea ex 2. Notabili ad cognitionem requiruntur proportio inter objectum, & potentiam, unio, & informatio: at dempta objectorum specie nec proportio, nec unio, nec informatio adest objecti cum Angelica natura, ergo necessaria est species, ad hoc, ut Angelica mens intelligat ipsa creata. Pr. hîc ex corp. quia Angelus non est actus purus, ergo per similitudinem objecti fit in actu: sic de nobis ex eodem fundamento argumentabatur *in 1.d.35.a.1.q 1.in corp.* Intellectus noster respectu cogniti est passibilis, & non actus purus, ideo fit in actu per aliquid cogniti, quod est similitudo ejus. Hæc Seraphicus.

Pro necessitate specierum *videatur itiner. mentis in Deum cap.2. Videantur Luminaria Ecclesiæ ser.2.* Videatur Exameron multis in locis, sed præcipuè serm. 11. ad Longum à medio usque ad finem, quo in loco ennumerans generationes per expressionem, ut imaginis à sigillo, sermonis à loquente, cogitatus à mente, primo in loco ponit productionem speciei ab objecto, cujus generationem vocat mirabilem, & concludit: Dedit Deus virtutem cuilibet rei, ut gigneret similitudinem suam ex naturali fœcunditate sic sanctus. Nec quæ in contrarium adducuntur à Nominalibus, & à Durando speciem de medio tollentibus, prædictaio valent offendere veritatem.

Arguebant 1. species intelligibilis est ejusdem naturæ specificæ cum natura objecti, uti species coloris est color: species substantiæ corporeæ est substantia corporea: At certum est in Angelo non esse colorem, substantiam, & objectum secundùm propriam naturam, uti ex Seraphico ostavimus, ergo nec ejus species. Probr. major exemplo luminis. Lumen quod est in corpore solis, producit lumen, quod est in medio: At utrumque lumen est ejusdem speciei, licèt unum sit alio intensius: sic color in corpore terminato, ut albedo in pariete generat in aere, quæ medium est, speciem sui: At hæc species nihil aliud est, quàm color albus minus tamen remissius colore in pariete existente, ergo species, & objectum sunt idem specificè; ergo si objectum in intellectu poni non potest secundùm suam substantiam, nec poterit ibi inveniri secundùm propriam speciem, & naturam.

Ad hoc Argumentum respondent Favent. Granada, & alij negando majorem ex Seraphico nostro Doctore *in 1.sent.d.37. p.2. dub.4. text.* ubi ait, supponunt speciem rei in anima non differre per essentiam à re extra: At ait S.Doctor: Si veritas Asini esset in anima, quare non diceretur, animam esse asinum, hæc ille & benè deducit; forma enim asini informans materiam asinum facit, eadem forma secundùm essentiam informat Angelum, seu animam, & quare non asinus diceretur?

Ad probationem resp. ex Seraphico negando minorem; ait, N.S.Bonav. *in 2.sent.d.13. a.3. q.1. in corp. circa finem.* Lumen per comparationem ad ipsum aerem non est forma naturalis, sed potius similitudo ejus scilicet lucis, sic species coloris in medio non est propriè color, sed ut color, sivè similitudo coloris; nec habet plenè rationem accidentis naturalis, sed similitudinis, vel intentionis, & profert commentatorem dicentem, lumen est in aere, sicut intentio, sicut species, vel similitudo. Hæc Seraphicus quibus in Verbis ex Diametro habemus in terminis doctrinam contrariam Durand. neque enim ait Seraphicus, similitudo coloris est color, sed intentio; neque lumen est forma lucis,

sed

sed similitudo, sed intentio; unde habent esse intentionale, quomodo ergo non differunt essentialiter à lucè à colore, &c.?

2. Argum. inutiles sunt species ad cognoscendum objectum, ergo non dantur. Prob. Antecedens. Duplex est rei cognitio; intuitiva, quæ est rei præsentis; & abstractiva, quæ est rei absentis: at ad neutram necessaria est species, ergo. Prob. Minor. non ad intuitivam, eo quia ad hanc sufficit objecti præsentia, nec ad abstractivam, eo quia ab intellectiva hac intuitiva remanet quædam habilitas, & promptitudo in intellectu, quæ sufficit ad rem intelligendam absentem.

91 Resp. negando antecedens: ad probationem tota negari debet, eo quia non sufficit ad intuitivam cognitionem externa, sed interna requiritur objecti præsentia, uti patet ex dictis in 2. notabili; neq; enim determinari potest intellectus de se indifferens ad cognoscendum hoc, vel illud à sola externa objecti præsentia: cum ergo de se objectum, & secundùm se ad extra non valeat intellectum informare, ob idque nec determinare, hoc efficere debet per aliquid sui, ait ubi supra S.D. & hoc est species objecti: & circa abstractivam illa habilitas, & promptitudo derelicta, ut voluntatè allata reiicitur. At addunt. Voluntas determinatur quoad specificationem actus ab objecto cognito absque receptione speciei illius objecti, ergo & intellectus ad hoc, vel illud objectum determinabitur à sola extrinseca objecti præsentia: sed cum maxima sit disparitas voluntatis, & intellectus, quid mirum, si neganda venit consequentia? Voluntas enim non indiget objecto ad proprium actum eliciendum, cum objectum se habeat ad actum voluntatis, ut causa finalis, ad quod inclinatur voluntas. Intellectus autem ad hoc, ut notitiam pariat, requirit objectum, cujus quidem veritas cum omni intellectui, & illum informare non valeat, informari necesse est à specie ejusdem, ut sic efficienter se habeat ad cognitionem; ab objecto enim, & potentia gignitur notitia: quidquid tamen sit de necessitate specierum ad cognitionem; hæc enim quæstio pertinet ad Philosophiam.

In proposito de Angelica cognitione arguit Vasq. species non adesse. Si intellectus Angelicus habet species, vel illas accepit à rebus, vel habet illas ab initio suæ creationis à Deo sibi concreatas: at neutro modo potest habere, ergo. Prob. minor quo ad primum partem, Angelus caret intellectu agente, ergo non potest recipere species à rebus: Prob. quo ad 2. partem; vel illæ species essent infusæ à Deo, ut perfectiones debitæ illi naturæ, vel ab ipsa fluentes, vel essent intra eam, ut non debitæ; non ultimum, quia sequeretur, Angelum posse carere ijs speciebus sine violentia, & tunc Angelus careret omni cognitione sine violentia, quod est absurdum: sequela patet. Cognitio Angeli ponitur pendere ab ijs speciebus, ergo illis sublatis talis cognitio aufertur. Præterea si species hoc modo illi infunderentur, essent supranaturales, sicuti est lumen gloriæ, & in Angelo esset sola potentia passiva ad illas recipiendas. Neque primum dici potest, quia perfectiones naturales debitæ ipsi naturæ Angelicæ sunt determinatæ: at illæ species sunt indeterminatæ, ergo. Prob. Minor. Vel Angelus inclinatur ad species rerum creatarum tantùm, sed istæ pendent à voluntate Divina, & ità inter se sunt indeterminatæ; vel etiam inclinatur ad species rerum possibilium, & hoc non, quia illæ sunt infinitæ, unde vel illas omnes haberet, & sic essent infinitæ, vel aliquas tantùm haberet, & alijs careret, quod esset contra inclinationem passivam.

R. ad Argum. Angelum species habere à Deo sibi concreatas: at si non haberet posset eas accipere; hinc habet agentem intellectum ex supradictis, & sic probatio primæ partis infirma remanet: quoad probationem 2. partis sensum invenio varium apud scholasticos; alij enim debitas appellant, & præcipuè Granado, & Thomistæ, eo quia hi existimant à natura fluere Angelica; alij ut Caspensis noster, qui licèt neget has similitudines ab essentia Angelica tamquam passiones fluere; attamen debitas esse docet, ut suam operationem intellectivam exercere valeat: & quicunq. docenc alio modo, nisi per receptas à Deo species non posse creata cognoscere: è contra cum Scot. hic, & Seraphico nostro, ut credo, has non debitas censeo Angelicæ naturæ, sicuti Adamo, nec Salomoni tradita sapientia, sed ut beneficium singulare deprædicans, singularem Dei benignitatem admiror, ut hinc sit donano hæc similitudinum collatio, & specialis materia Divinæ erga Deum collatorem laudis, ergo potest carere speciebus sine violentia concedo; addit ergo careret omni cognitione sine violentia, quod est absurdum; careret dico, cognitione per species inditas concedo: at non est absurdum, cum remaneat ei cognitio sui ipsius, & omnia quæ intrinseca sunt ei, & per eum habeat Dei benedicti cognitionem, cæterorum verò poterat recipere species, & sic cognoscere, licèt alio medio; & quis dicat, Deum debere nobis scientiam rerum naturalium, quarum notitiam labore nostro accipere non possumus, licèt naturaliter scire appetamus, ut docet Arist. in princip. Metaph. eodem modo de Angelis dicendum credo: Addit Vasq. Si species inditæ essent non debitæ, ergo supernaturales ad instar luminis gloriæ. Ad hoc resp. negando consecutionem. Ratio negationis est, eo quia sunt à Deo tamquam ab Auctore naturæ, non tamquam ab Auctore gratiæ, sunt supernaturales ratione modi, quo producuntur; dicuntur autem connaturales, non quasi naturali virtute Angelorum producantur, vel ab Angeli natura fluant, vel naturæ Angelicæ debitæ sint, sed quia à natura, sivè nativitate insunt, & quia de objectis sunt naturalibus, & quia Angelus habet potentiam suam intellectivam passivam, & inclinationem naturalem ad eas tamquam ad formas, quibus mediantibus, possit exercere operationem intellectivam in eo ordine rerum, in quo à Deo conditus est, sunt ergo quo ad substantiam similes ijs, quas ipsi comparassent, si caruissent: Quod tandem subjungit Vasq. non posse esse species debitas naturæ, quia sic essent determinatæ: concedo si fluerent ab Angelica natura; emanatio enim est fluxus naturalis, & natura semper operatur, & agit quantum potest: Concludit tandem. Vel Angelus inclinatur ad species rerum creatarum tantùm, cum istæ pendant à Divina voluntate sunt indeterminatæ in se: vel inclinatur ad species rerum possibilium; & hoc non quia illæ sunt infinitæ, unde vel illas omnes haberet, & alijs careret, & hoc esset contra inclinationem passivam.

Ad membrum finale hujus longissimi Argum. Resp. Angelum utpotè finitum habere potentiam finitam, & inclinationem naturalem secundùm potentiam; alioquin illa inclinatio frustra esset; cum ergo infinitum actu non sit dabile ex Seraphico, ergo nec naturaliter potest illud appetere: At dato, quod inclinaretur ad infinita intelligenda, si dabile

esset infinitum; hinc non necessariò sequitur debere habere species infinitas: si enim credimus Angelico, similitudo una plures species, & naturas repraesentare potest: & posita inclinatione in Angelo ad species rerum creatarum tantùm, falsum est talium objecta esse indeterminata, & species consequenter; nam sunt jam determinatae, cum jam creatae: hinc dixit Seraphicus meus, in intellectu Angelico intellectum possibilem in ordine ad species, ut si nova natura crearetur, possit ab Angelo intelligi per novam à Deo receptam speciem; in ordine ergo ad creata, sicuti divina voluntas jam est determinata, ita necessariò & species talia repraesentantes.

92 Contra secundam conclusionem solvenda sunt Altisiod. & Baccon. asserentium, Angelos omnia cognoscere per suam substantiam.

Prob. 1. Non implicat contradictionem, quod Angeli per se ipsos cognoscant caetera, nempe quod aliquod unum repraesentet omnia, ergo perfectissima creatura, ut Angeli, hoc pacto propria cognoscunt objecta: Non ratione primi, quia Angeli & se ipsos, & Deum saltem cognoscunt per se ipsos, ergo & alia sic poterunt cognoscere: non ratione secundi, quia divina essentia hoc facit. Quod si dicamus hanc eximiam perfectionem repraesentandi omnia per se ipsam solùm divinae naturae esse propriam, hinc deneganda Angelo. Resp. perfectionem in divinis dicere summam identitatem intellectus, & essentiae divinae: at cum in Angelo distinguatur intellectus à propria essentia, uti vidimus, & substantia; quod indigeat ab essentia informari ad hoc, ne valeat caetera cognoscere, imperfectionem involuit per hocque distingui à divina perfectione.

Ad hoc argum. Resp. implicare contradictionem ex utroque capite. Ad probat. cap. 1. negatur consecutio, quia ad se ipsum, & Deum cognoscendum non requiruntur species: at ad cognoscenda caetera necessarium est, velut Angelus sit illorum similitudo, vel ut accipiat illorum similitudines: at non est similitudo creatorum objectorum, eo quia, ait S. B. hic, nullus qui non sit actus purus est causa efficiens, & exemplaris rerum; Angelus non est actus purus, ut ipsi fatentur, ergo non est causa exemplaris: si enim, dico ego, est actus purus, ergo totum esse rerum est illimitatum, ergo & ipsa rerum omnium veritas, cujus participatione caetera sunt, & hinc cuncta in se repraesentare se solo potest: implicat ergo Angelum se ipso repraesentare caetera; sic enim esset actus purus, quia repraesentat, & actus non purus, quia quid creatum, & compositum, & finitum est.

Ad prob. 2. capit. Resp. ex eo quod imperfectus est Angelus, & non suus intellectus, non est actus purus, & hinc nec exemplar rerum; non est enim accidentalis, seu intentionalis similitudo, nec rerum substantialis idea, cum non sit objectorum unitas, ergo non est ratio cognoscendi caetera: sicuti enim, dicebat S. B. 1. *d.* 15. *p.* 1. *q.* 2. *ad* 2. Deus se ipso agit, ita & se ipso cognoscit, & sic se uno agit multa, ita se uno cognoscit multa: creat Deus se ipso, nullo conitte universa, ita se ipso omnia cognoscit nullo indigens, nec ad creationem, nec ad cognitionem, nisi non repugnantia; quod si non repugnet illud creari, nec repugnabit illud cognosci. at sicut creatura se ipsa agere non potest, sed subjectum necessariò supponit, sive materiam, ita ad hoc ut cognoscat, debet supponere objectum sibi unitum, vel in se, vel in specie propria ejusdem objecti: ratio autem disparitatis est, quia Deus ex se habet quidquid ad operandum, & ad intelligendum necessarium est: at non sic creatura, sive Angelus; non enim habet necessaria ad operandum, si desit subjectum; ad intelligendum, si absit objectum, vel in se, vel in aliquo sui praesens, ut omnium Angelo: dicebat enim Augustinus 9. de Trinitate *cap. ult.* ab utroque paritur notitia à cognoscente, & cognito.

2. Argum. adversariorum. Quod continet virtualiter aliud, est ratio cognoscendi illud: at essentia Angeli continet virtualiter essentias creatas; ergo. Pr. minor: Formae sunt sicut numeri: Item vegetativum est in sensitivo, & sensitivum in intellectivo, sicut trigonum in tetragono, & tetragonum in Pentagono, 2. de anima, ergo caetera inferiora in Angelo tanquam in intellectivo insunt, & ab illo per se ipsum cognoscuntur. Praeterea in sua substantia propria, & illius praedicatis habet Angelus sufficiens principium, à quo determinetur ad caeterarum rerum cognitionem, ergo propter se ipsum nullius eget ad caetera à se cognoscenda.

Antecedens probatur. Natura cujuslibet Angeli habet aliquod praedicatum, in quo convenitte cum qualibet alia re: at Angelus perfectè illud praedicatum cognoscit, ergo per illud cognoscit rem cum qua convenit. Major patet, quia nulla res est, cui Angelus non sit similis in aliquo, ergo habet aliquod praedicatum, quod sit fundamentum talis similitudinis. Probatur consequentia; quia praedicatum commune refertur intrinsecè ordine ad inferiora, quibus est commune; unde què praedicatum benè cognoscit, percipit etiam inferiora, tanquam terminos intrinsecos habitudinis, qua refertur ad illa.

Ad hoc argum. negatur minor; non enim continet formaliter, uti patet, non eminenter, seu virtualiter, cum aliorum essentias producere non possit, ergo nullo modo continet: & ad Aristot. resp. Philosophum loqui de speciebus subalternis, non autem de specialissimis, ut haec sunt; non enim Angelus est species subalterna in ordine ad rerum creatarum species.

Ad aliam probationem negatur antecedens: ad caetera resp. licèt habeat Angelus praedicata, in quibus convenit cum aliis rebus non sufficere, ut caetera sine speciebus cognoscere valeat: at homo etiam similia habet praedicata, quae licèt cognita non satis sint, ut caetera sine similitudine percipiat, alioquin ab Angelo his cognitis, cognoscerentur futura possibilia, & supernaturalia; praedicata enim eum talibus conveniunt, hoc autem absurdum est: nec enim eatenus perfecta est praedicatorum horum cognitio, ut similium inferat perfectam cognitionem. Restat ergo verissimum esse sensum D.Thom. Scoti, & Seraphici, imò & Dionysii *cap.* 7. de divinis nominibus, & D.Aug. *l.* 2. *super Genes. ad lit. cap.* 8. *&c.* Angelos non per essentiam propriam alia à se creata cognoscere, sed per species universales sibi à Deo inditas; de cognitione autem universalium haec intelligenda sunt, non singularium, &c.

QVÆSTIO IV.

Utrum Angeli cognoscant per species à rebus acceptas.

93 QUia ab initio Angeli omnes species, sive naturas agnoverunt, & non per propriam naturam, sed per species cognovisse jam traditum est, consequens est alia quæstio, an hæ similitudines à rebus acceperint, an verò fuerint connaturales, idest, fluentes à natura Angeli ad modum proprietatis. Cum ergo de iis similitudinibus loquatur Angelicus (uti notat Ponecta hic) quibus creatas naturas agnoverunt, & agnoscunt, deducitur hanc quæstionem versari circa cognitionem universalium, non particularium.

In hac quidem materia (præter Altisiodorensem, & Nominales, de quibus supra in præcedenti quæstione) omnes invenio Doctores concordes, nempè intelligere creatas Angelicas naturas per similitudines, non à rebus acceptas, sed à Deo immissas; an verò ab Angelica fluxerint natura, hoc opus, hic labor est, & controversia, & dubium, &c. Quia apud Seraphicum nostrum non adest præcipuus hujus materiæ articulus, hinc ex ipsiusmet Doctrinæ locis, quid sentiat apponimus.

Sit ergo prima conclusio. Deus in Angelis concreavit species universales rerum omnium fiendarum, & per illas certum est, quod potest omnia universalia cognoscere, 2. *d.* 3. *p.* 2. *a.* 2. *q.* 1. *in corp. circa finem*, idem repetit *in* 2. *d.* 4. *a.* 3. *q.* 1. *in corp.*

Concl. 2. Hæ species sunt connaturales Angelo, quæ tamen non fluunt ab Angelica natura. Prob. ibid. ad 3. Angelus dicitur esse in actu respectu rerum; non quia se ipso fit in actu, sed per species factus est in actu (hæc ille) at, dico, si species hæ fluerent ex ejusdem substantia, se ipso esset in actu, ergo.

Prob. 2. Species Angeli immissæ sunt quid accidentale ipsi, ergo non fluunt. Probatur antecedens ex D. B. 2. *d.* 1. *p.* 2. *a.* 3. *q.* 2. in probat. primæ opinionis. Anima separata modum intelligendi habet, quam habet Angelus, & anima Adæ habuit species innatas, ut habet Angelos, & hoc totum quid accidentale videtur dicere (hæc Sanctus) ibidem, ait Deiformitas habetur per gratiam, & loquitur de Angelo; *&* *l.* 2. *d.* 23. *a.* 2. *q.* 2. *ad arg.* ait, perfectionis cognitionis in Adamo erat ex dono.

Concl. 3. Angelus ad intelligendum non recipit species. Pr. Deus in Angelo impressit similitudines, & rationes, secundùm quas posset cognoscere cætera fienda sine receptione nova *d.* 3. *ubi supra fund. ult.* & ibidem ait, Deus intellectum Angelicum possibilem tot speciebus implevit, ut per illas poterat omnia cognoscere sine receptione nova. Sic sanctus in 3. positione.

Concl. 4. Et si Angelus non recipiat ad intelligendum novas species, potest tamen recipere. Pr. Angelos omnia cognoscit per species innatas, non quia non possit recipere species, sed quia non indiget, *ibidem d.* 3. Secundo ibidem in prima improbatione primæ sent. Intellectus agens alligatus corpori potest abstrahere species, & possibili imprimere: Angelus habet intellectum agentem majoris virtutis, quam si esset corpori alligatus, ergo potest species abstrahere. Hæc satis pro textu Seraphico.

Duæ sunt ex præcedentibus conclusionibus, quæ impugnantur; secunda nempè, & quarta, quæ & tertiam amplectitur, sed quia in inferioribus, ubi de cognitione singularium erit proprius locus huic materiæ, ut supra, aliqua de eadem dicta habemus, ubi de intellectu agente, &c. hinc ne dicta repetamus, & dicenda alibi necessariò præveniamus, sistimur in secunda conclusione.

Contra quam præferuntur D. Thom. *in* 1. *sent. d.* 3. *q.* 2. *a.* 3. *ad* 5. & hic *in sum. p.* 1 *q.* 64. *a.* 1. *in corp.* Caiet. 1. 2. *q.* 50. *a* 6. Capreol. & ex modernioribus Valent. Nazar. Bann. & docti recentiores, dicebat Granado, quos sequitur ipse, quorum fundamenta infra solvenda. Nota ex Seraphico nostro naturale aliquid dici multipliciter. Primò illud dicitur naturale, quod inest alicui per propriam naturam, ita quod nec per aliam nec dantem, nec conservantem, & hoc modo solo virtus divina est naturalis; omnis autem alia à Deo est data liberaliter, & liberaliter conservatur, & adjuvatur, ut agat, & ideo gratuita 1. *d.* 41. *dub.* 5. 2. Dicitur naturale aliquid, quia à natura est secundùm consonantiam naturæ, sicque creaturæ multas habent potentias naturales, ibidem. 3. Dicitur naturale, idest cum natura, quod inest homini, aut Angelo à principio suæ nativitatis, ut multa bona gratis data concreantur. 2. *d.* 19. *a.* 3. *q.* 1. *in corp. ad* 1. 4. Naturale importat aptitudinem naturalem, hioc Beatitudo naturalis homini, quia homo habet aptitudinem naturalem ad eam, ibidem.

Modo ad rem. Species appellantur Angelo connaturales, sive naturales, non in primo sensu, uti patet; sunt enim à Deo immittente, & concreante. Contrarii secundùm secundùm sensum amplectuntur, existimantes eas ita fluere à natura Angelica, uti potentiæ naturales ex anima; tertium vero, & quartum sensum amplectimur nos, sicque in tertio sensu justitia originalis dicitur Adamo naturalis, quia eam habuit à nativitate, & motus Cœlo, & in quarto sensu dicitur lux connaturalis Diaphano propter naturalem capacitatem Diaphani, licèt aliunde illam habeat, quo prænotato repeto.

Concl. Species non fluunt à natura Angeli, sed à Deo donatæ sunt. Ultra D. B. profeentur Scot. ex modernioribus, Molin. Martinon. Ferr. & alii, quos profert, & sequitur Suarez, *l.* 2. *c.* 3. *n.* 4. Probatur ex communi appellatione. Species istæ vocantur infusæ, ergo non ex subjecto fluunt; aliàs deberent potius dici effusæ, sicuti passiones fluerent à natura Angelica: hinc Ferrarien. afferens, hunc sensum esse D. Thom. notavit 2. contra gent. *cap.* 98. Angelicum Magistrum nunquam vocasse species proprias passiones, sed tantùm connaturales congenitas. Prob. ex doctrina S. Thom. *p.* 1. *q.* 56. *a.* 2. *ad* 4. ubi ait, species fuisse Angelis à Deo infusas, & Deum plures species fuisse eis concessurum, si plures rerum naturas creare statuisset: at quæ fluunt à natura rei, non possunt esse neque plures, neque pauciores, ergo species à natura non fluunt. Item ex eodem D. Thom 3. *p. q.* 9. *a.* 3. ubi comparat hanc impressionem specierum cum illa, quæ per Verbum Dei animæ Christi sibi unitæ personaliter impressæ sunt: at similes non fluxerunt ab animæ natura, ergo nec Angelicæ. Pr. ultra allata ex Seraphico postquam 94

postquam negavit, Angelum esse in actu se primo, sed factum in actu per species, addit unde hæ species sint, dicens, Deus intellectum possibilem Angeli tot speciebus implevit. Sic Sanctus, non ergo pullularunt. Præterea deiformitas Angelorum habetur per gratiam, ergo non à natura. Item similes species in Adamo fuerunt ex dono, ut supra ostentum est, ergo & Angelorum species, ergo non debitæ, ergo non fluentes à natura Angelica.

Probatur rationibus. Prima est quam tangit Caspensis noster Capucinus in suo cursu. Species se tenent ex parte objecti, ac proinde non debent manare ea essentia intelligentis. Vide S.B. 2. *sent. d.*35. *a.*1. *q.*3 *ad* 2. *n.* Prob. 2. ratione communi. Quod à natura fluit est determinatum, sed per contrarios, fluunt species uti passiones, ergo determinatæ: At hæ sunt indeterminatæ; pendent enim à voluntate Dei creante, ergo & possunt esse plures ex utroque Doctore Angelico, & Bonaventura, ergo. Tandem sequeretur, necessarias non esse species, eo quia se ipso Angelus omnia intelligeret, quod probatur sic. Quod est formaliter in effectu, est saltem eminenter in ejus causa: sed omnia sunt in esse intelligibili in speciebus, quæ secundùm Adversarios sunt effectus Angelicæ naturæ, ergo natura, ut causa, omnia in esse intelligibili continet eminenter, & sic secundùm se sine speciebus omnia cognoscere potest, quod supra negatum est: hoc enim est solius essentiæ Divinæ.

Nec obstant quæ in contrarium adducuntur ex D.Thom. *p.*1. *q.*54. *a.*4. *ad.* 1. In Angelo non generatur scientia, sed naturaliter illi adest, & ideo non oportet, quod habeat intellectum agentem, atque possibilem: Resp. naturaliter dici, quia à nativitate est, non quia fluat: in ijs enim generatur scientia, qui per species labore suo acquisitas intelligunt: at Angeli à sua nativitate habent species divinitus inditas, &c. talis est sensus D.Thom. ex Porretano ibidem.

2. Argumentantur ex eodem D.Thom. *q.* 55. *a.* 3. *ad* 1. Prius ordine naturæ sunt in intellectu Angelico universales rationes rerum, quàm in ipsis rebus; ita D.Thom. at si non essent propriæ passiones, non essent prius. Resp. ea verbis D.Thom. Si verò (ait) sit aliquis intellectus à rebus cognitionem non accipiens, universale ab eo cognitum, non erit abstractum à rebus, sed quodammodo ante res præexistens, vel secundùm ordinem causæ, sicut universales rerum rationes sunt in verbo Dei, vel saltem ordine naturæ, sicut universales rerum rationes sunt in intellectu Angelico: Hæc S.Th. ex quibus patet species non causari ab intellectu Angelico, sed Divino, ergo non propriæ Angeli passiones; sic Angelus esset passionum, seu rationum causa: cum autem subjectum sit specierum verè earumdem rationum natura, licèt non ut causa prior existat.

3. Argumentantur ratione. Si species non fluerent, Angelus esset homine imperfectior, quia homo se habet activè ad recipiendas species, quia virtute propria potest acquirere: Angelus verò se habet passivè: Resp. negando sequelam: ex hoc enim extollitur Angelica perfectio; non enim recipit activè species, quia earum non indiget, ait S.B. ubi supra, ubi de intellectu agente: in homine autem posse desummere arguit indigentiam illius. Item Angelus à nativitate, seu creatione est in actu primo: secus autem homo. Item à principio Angelus se habet in actu ad se ipsum cognoscendum, & ad Deum: non sic autem homo.

4. Argumentantur. Ex duobus corporibus diaphanis perfectius est habere lumen à se, quàm ab alio: At Angelus est perfectior homine, ergo cum homo habeat species ab alio, Angelus à se debet habere: at si non fluunt, non habet, ergo fluant, ut à se habeat. Resp. neg. conseq. licèt perfectior sit; non tamen perfectissimus, nec verum est debere habere à se, ut in hoc sit homine perfectior: satis est enim, ut à Deo immediatè Angelus recipiat sine labore, & à creatione ipsius, secus autem homo, qui longo tempore, & non ab initio, & multo cum labore à rebus species accipit, & sufficienter supra humanam se extollit perfectionem.

Tandem arguit Granado. Angelo naturaliter est debita cognitio plurium objectorum, ergo species necessariæ ad eorum cognitionem fluere debent ab ejus essentia. Antecedens prob. quia hoc est discrimen humani ab intellectu Angelico, quia ille non est perfectus in gradu intelligendi; secus Angelus, ergo à natura Angelus potest multa objecta cognoscere: hinc species multorum objectorum ei sunt debitæ. Conseq. pr. quia quod alicui substantiæ connaturaliter debetur, profluit ab ejus essentia: species debentur connaturaliter Angelo, ergo fluunt ab Angeli essentia. Resp. antecedens esse verum de cognitione sui, ac Dei, pro quorum cognitione non requiruntur species, ergo falsa conclusio: Dei enim cognitio, & sui necessitatæ sunt; at non sic cæterorum objectorum; quod si & debitam existimat & cæterorum objectorum cognitionem, etiam neganda venit consecutio: nam à se ipso poterat Angelus species accipere: nulla ergo necessitas ponendi species effluentes: hujus enim debiti fundamentum non video; quod tale fundamentum sit intellectualitas dici non potest; nam & anima humana est intellectualis, ergo & ei essent debitæ species; & licèt perfectior sit Angelus homine; attamen non eatenus supra hominem est elevatus, ut per se ipsum intelligat, uti facit Deus, dum David cecinit, minuisti eum, idest hominem ab Angelis paulo minus: non tam ergo perfectior est homine Angeli natura, ut ex ipsa effluat principium cætera intelligendi à se. Nec anteced. probatum remanet: licèt enim à nativitate habeat species Angelus, & sit perfectus in actu primo intelligendi, secus homo, non ex hoc deducendum, ergo Angelus habet fluentes ex sua propria natura species; nam & Adamus fuit à nativitate sic perfectus, & tamen non fluunt ex ejus natura, sed teste Seraphico 2. *d.*23. *a.*2. *q.* 2. perfectio cognitionis in Adamo erat ex dono, addit, & si stetisset, non solùm in ipso, sed etiam in posteris, non indoctè creditur à pluribus, similiter fuisset, saltem quantum ad habitum, & hoc dico propter causam infantiæ: hæc Sanctus: ex quibus patet innocentiam fundamentum morale talis doni specierum; & cum innocentia non sit ex principio naturæ, sed Dei primum donum, ergo nec talis perfectio specierum infusarum, dum posita innocentia, ponitur ablata, non datur, uti patet in nobis: non ergo fluunt, sed merito innocentiæ conceduntur. Ad conseq. prob. R. concedendum totum, sed non ad rem: supponit enim quod probandum esset, nempè species connaturaliter deberi, quod jam negatum est: Non taceam tamen, & alios Scholasticos concedere, species deberi Angelis, attamen negantes eos, à natura effluere Angelica. Sic Caspensis noster, & Gamach. & alii, &c.

QUÆSTIO

QVÆSTIO V.

Vtrum Angeli superiores cognoscant per species magis universales, quàm inferiores.

95 ET videtur, quod sic *ex dist. 9. a. unico, q. 4. ad 7.* ubi ait Seraphicus, In Cherubin, & Seraphin est amplior plenitudo cognitionis: at dico, non per plures species se extendentes ad plura significanda.

At in contrarium habemus apud eundem Seraphicum, *1. d. 25. a. 1. q. 4. in resp. & ad 2.* Si habet solam ideam unam, impossibile est intelligere, quod secundum illam simplici aspectu cognoscat diversa. Hæc ille.

Pro fundamento seu corpore quæst. resp. ex eodem *1. l. d. 35. a. 1. q. 2. ad 1.* Ideam esse duplicem, in genere unam, & aliam extra genus similitudo in genere, seu secundùm proprietatem generis, de hac non est dubium, quod non potest esse una plurium genere differentium: secunda similitudo simpliciter extra genus, & hæc, quia ad hoc genus non coarctatur, qua ratione est unius, eadem ratione est alterius; & qua ratione est unius secundùm totum, & talis similitudo est divina veritas, & idea in Deo: hæc S. B. hinc Conclusio. Angeli superiores, & inferiores, sive omnes iisdem numero speciebus intelligunt.

Prob. *in 2. d. 3. a. 2. p. 1. q. , in 3. opinione*, ubi ait. Deus intellectum Angelicum possibilem tot speciebus implevit, quod per illam poterat omnia cognoscere: (& paulò inferius) Deus in Angelis concreavit species universales omnium fiendarum rerum, & per illas certum est, quod potest omnia universalia cognoscere: hæc S. B. quibus in verbis eodem modo de omnibus Angelis locutus est: nota, *tot speciebus, & omnium fiendarum rerum*, si enim tot speciebus, quot res fiendæ, ergo non per unam speciem plura perpetranda repræsentantur; non enim sic quot correspondeteret tot.

Item ibidem in improbatione primæ opinionis, declarando quomodo se habeant species in anima, & Angelis, hæc ait. Sicut unius objecti est una species in speculo indiviso, ait. Nec obstat in contrarium de Cherubin, & Seraphin: ibi enim loquitur Seraphicus, non de cognitione respectu inferiorum, quæ fit per species, sed respectû superiorum, nempè Dei, ut patet ibi.

96 Contra nostram Conclusionem est D. Thom. hic *q. 55. a. 2.* Caiet. ibidem, & Capreol. *in 2. d. 3. q. 2 a. 1.* & alii antiqui: ex modernioribus Granado, Martinon, & Caspens. noster in suo cursu Theologico hic, quorum fundamenta in inferioribus adducenda, & solvenda.

Contra eandem profertur Henricus à Gandavo. *quolibet 5. q. 14.* relatus à Scot. hic *d. 3. q. 10.* qui quidem Henricus negat dari plures species in Angelico intellectu; sed sufficere unum habitum scientialem in quolibet Angeli intellectu, quod etiam quodammodo appellari potest species, eo quia sicuti habitus est de difficili mobilis, ita & species.

Pro cujus opinionis declaratione pono. Primò hunc habitum ex mente Henrici esse à Deo immissum in Angelo, seu concreatum Angelico intellectui. 2. Hos habitus non esse æquales; sed in superioribus Angelis docet esse habitus simpliciores, quam in inferioribus, quibus superiores possunt perfectius, quam inferiores. 3. Hos habitus posse etiam repræsentare infinita, eo quia unus habitus scientiæ continet plura intelligibilia, & ideo non repugnat similem habitum continere infinita intelligibilia non formaliter, neque per inhærentiam, sed objectivè, quia in eo relucent. 4. Hunc habitum reducere intellectum Angeli de potentia ad actum, quia intellectus Angelicus habitu illo concreato naturaliter inclinatur ad intelligendas rerum simplicium quidditates; quemadmodum grave non impeditum sua gravitate tendit deorsum. 5. Talem habitum inclinare primo ad unum primarium objectum, deinde ad reliqua. Quid sit autem hoc objectum, quod inter cætera primatum teneat, ad quod inclinet, notat Vasq. hic *disp. 203.* Henricum non assignare; sed si credimus Scoto (Faventino referente) & potius Henrico dignissimo Commentatore sui Henrici de habitu scientiali *cap. 5. & 6.* verè assignat, nempè esse illud, quod habet in se plus intelligibilitatis; & cum est factus, singula inclinat prius ad intelligendum, quod voluntas vult intelligere, & posterius quod voluntas vult posterius intelligere: ponit enim Henric. (uti notat Favent.) in Angelis discursum non eum, qui deducit ex hoc aliud, sed illum qui est cognoscere hoc post illud: Hanc volui opinionem per extensum exhibere, ut sic faciliùs dignoscatur sensus ipsius, & in quo à Seraphico sensu differat.

Communiter non recipitur in positione habitus; in negatione specierum nobiscum est, eo quia non multiplicat habitus in Angelis, sed unicum tantùm in singulis ponit, licèt simpliciorem; sic & nos easdem numero ponimus in singulis Angelis sive superioribus, sive inferioribus; quod autem quò superior Angelus, eò clariùs, & distinctiùs intelligat, enascitur ex perfectiori intellectu, sicuti eodem calamo quis peritior alio, caracteres affirmat pulchriores. Item nobiscum sentit; dum vocat hos habitus immissos, & concreatos, non autem tanquam proprias passiones ex Angelorum natura effluentes. Ex quibus patet talem rationem cognoscendi, sive sit habitus, sive species, non esse diversam numero in Angelis, nec fluere à natura Angelica, in quibus consistit præsens difficultas. Henrici rationes solvendæ in inferioribus.

Cum Seraphico sunt Scot. *in 2. d. 3. q. 10. §.* ista propositio, & §. ad quæstionem Ballus, & Scoti sequaces Posnan. Favent. &c. ex modernioribus Vasq. dicamus ergo etiam ex aliis. Angelus, quò superior, eò clariùs, & distinctiùs intelligit; non tamen intelligit per pauciores, aut perfectiores species. Pr. ex Aureolo: Si vera esset opinio D. Thom. & Caiet. Vel Deus non posset creare Angelum perfectiorem supremo; vel sic, quod nullam speciem intelligeret; & sic per semetipsum, quod negatur à D. Thom. & repugnat alteri à Deo; ex Seraphico nostro ubi supra.

Item ex Scot: Si per unam tantùm speciem intelligeret, nunquam posset unum sine alio cognoscere; quia illa species naturaliter repræsentat omnia, quotum est species.

Nec valet dicere, repræsentat quæ vult Angelus: non enim est speculum voluntarium, sed naturale, sed necessarium, quæ secundùm omne posse agit, & sic repræsentat.

Item. Species infusæ Angelis sunt similes speciebus acquisitis quo ad esse, sed species acquisita una est unius objecti, ergo in Angelis una species differentia non potest repræsentare.

Nec valet quod respondet Martinon. Speciem quamlibet diversa repræsentare, nempè hominem accidentis,

accideotia, & communia accidentia, & alia plura: nam hoc repræsentantur, non ut plura sed ut unius objecti adjacentia : at species Angelorum ex contrariis plura, & plura dicuntur repræsentare specie, & genere differentia, quod est impossibile, ait Seraphicus, ubi supra.

Nec obstant quæ in contrarium dicuntur à Thomistis, ut probent in Angelis à superioribus pauciores dari species, quia universaliores, quæ plures rerum naturas, & plura genera simul exprimere queunt : in tantum, quod Caiet. non timet dicere, supremum Angelum per unam tantum speciem intelligere, quæ omnes rerum naturas repræsentat.

Non obstant auctoritates, quæ in contrarium proferuntur.

Prima est ex Dionys. Superiores Angelos habere scientiam magis universalem, quàm inferiores. Martinon. legit Cherubinorum scientiam sublimiorem esse, ordinum vero inferiorum magis particularem, & inferiorem pro modo suæ conditionis.

Universalium legunt Vasq. & Gamachæus, & glossat hic, quæ paucioribus plura complectitur.

Et idem de divinis nominibus *cap.* 7. Naturale est animæ rationali per signa inferiora, & dividua cognoscere; Angelos verò universalius cognoscere, & plura in unum colligere.

Ad primam auctoritatem jam ex textu patet respond. esse locumm Dionys. de cœlesti Hierarchia, *cap.* 12. de cognitione non respectu inferiorum, seu naturali Angelorum, sed in ordine ad superiora, seu de cognitione revelata superioribus à Deo, & his mediantibus aliis, uti patet ex eodem *cap.* 15. de divinis nominibus, dicente, Angelos superiores dividere io inferioribus, quæ ipsi unica, & uniformi intelligentia conceperunt : Hæc ille. Loquitur ergo de revelatione mysteriorum, quorum non habent Angeli species; sic etiam glossat Vasquez has auctoritates. Unde Glossa Gamachæi non est ad propositum contra nos.

Ad aliam auctoritatem respond. comparare animam Angelis, non autem hos inferiores superioribus, uti patet : Nec obstat insuper auctoritas auctoris de causis proposit. 10. dicentis, superiores Angeli dicuntur cognoscere per scientiam magis universalem; auctoritas est. Omnis intelligentia plena est formis; veruntamen ex intelligentiis sunt quæ continent formas plus universales, & ex eis sunt, quæ continent formas minus universales : Nam, ait Vasq. talem auctorem hujus extitisse opinionis; at non tantæ auctoritatis est, ut superet D. Thom. auctoritatem, quam si non sequimur, ergo nec ipsum. 2. Respond. fortè loqui de cognitione supernaturali Angelis superioribus revelata, ut inferioribus communicet; nam ait, reddens rationem dicti in eadem propositione, quia intelligentiæ propinquæ uni puro sunt majoris quantitatis, & majoris virtutis, accidit inde, ut formæ quæ procedunt ex intelligentiis primis procedant processioni universali unita. & nos quidem abbreviamus, & dicimus, quod formæ, quæ veniunt ex intelligentiis primis in secundis sunt debilioris processionis, & sequitur non recipere speciem superioris, nisi secundùm separationem, & divisionem, & per modum, secundùm quem possunt recipere; ex quibus patet non loqui de specie in ordine ad res ad infra sed supra; hæc enim revelantur à superioribus ad inferiores, quæ secundùm propriam recipiunt capacitatem : species enim rerum creatarum, & creandarum non communicantur à superioribus ad inferiora; nec possunt, ut tradit Seraphicus *d.* 3. 2. hic se multiplicari, sicuti esset in proposito, si una in pluribus divideretur.

Vel tandem potest responderi sic loqui; quia existimavit species fluere à quidditate Angelorum, quod innuit, dum ait, formæ procedunt ex intelligentiis primis : sic n. nihil contra nos negantes hanc fluxionem, tamen quia non loquitur hic de fluxu harum specierum ex natura Angelica, sed de eis, quatenus à prima in 2. fluunt intelligentiam, dum ait : formæ, quæ veniunt ex intelligentiis primis in secundis : hæc ille : hinc amplectendam existimo secundam, & primam responsionem. Ad rationes pro S. Thom. allatas.

Prima ratio communis, quam etiam profert modernissimus Martin. est desumpta ex perfectioni superiorum Angelorum natura; hinc enim arguunt alii plura uno actu percipiunt, & exercent actus universaliores, & hinc habent ampliores species illis adæquatas. Sic Martinon. hinc debentur illis universaliores species, utpotè à natura fluentes, ait Granado; alii tandem ex antiquioribus, & ex modernioribus, puta Gamach. propter perfectiorem naturam intellectualem sunt Deo similiores in modo cognoscendi: at Deus per se ipsum omnia intelligit, ergo Angeli superiores saltem paucioribus speciebus omnia intelligunt, quæ alii inferiores per plures species.

Ad hanc rationem secundùm ultimum sensum acceptam resp. Vasq. hanc similitudinem consistere in hoc, quod superior perfectiùs intelligat : at non est sita in eo, quod per species pauciores, & perfectiores. Argumentum n. vel nimis, dico ego, probat, vel nihil probat; deducenda enim esset conclusio. Superiores Angeli ex similitudine majori in entitate debent assimilari in modo cognoscendi : at Deus per se ipsum, ergo & tales Angeli per propriam essentiam; at hoc pacto conclusio desumenda nimis probat, ergo nihil probat, assimilantur ergo in cognitione non in modo, nec medio cognitionis. Ad eandem rationem in sensu Martin. resp. neg. quod ipse supponit, uno enim actu non percipiunt plura, nec exercent actus universaliores inferiorum, sed benè perfectiores quo ad excellentiam, claritatem, distinctionem, quod ob perfectiorem intellectuum iisdem speciebus facere possunt. Ad eandem pro 3. sensu jam ostensum est, species non fluere à quidditate Angeli, sed extrinsecus immissas à Deo : hinc non debitas, non pauciores, vel plures.

Arguit Caspens. noster. Possibilis est hæc universalitas inæqualis specierum, ergo de facto concedenda Angelis juxta inæqualem eorum perfectionem, ut species sint proportionatæ potentiæ, seu Angelicæ naturæ : confirmatur. Angelo infimo concedendæ videntur universaliores species, quàm animæ rationali propter perfectiorem vim intelligendi, quam vindicat, ergo ob eandem rationem perfectiori Angelo, quàm minus perfecto concedendæ sunt species universaliores. Resp. neg. consecutionem quidquid sit de possibili, Deus enim non facit omne possibile, sed quod placuit suæ divinæ sapientiæ, quod aliàs edocuit Seraphicus, & *d.* 9. *a. unico q.* 3. Deus non secundùm naturalia dat gratiam, & dona, nec pensatur donum, ex parte suscipientium, sed ex parte Dei conferentis, ibi fundamento primo. Ad confirmationem resp. quidquid sit de antecedenti, neganda venit consecutio, eo

quia

quia anima, & infimus Angelus differunt specie; non sic Angeli inter se specie differunt, sed omnes sunt ejusdem speciei atomæ ex Patrum sensu, quem approbat Seraphicus: Caspensis autem hoc posuit, eo quia differre specie Angelos superiores ab inferioribus existimavit, uti patet in conclusione, proponit enim eam; sic Angeli specie differentes different etiam in universalitate specierum universalium, ita ut nobilior per pauciores intelligat, & magis universales.

Tandem Gamach. & omnes arguunt. Non implicat unam speciem plura repræsentare, ergo talis est species Angelica in supremo Angelo. Prob. Antecedens patet in Divina idæa, quæ una simplicissima est, & omnia repræsentat, ergo. R S.Doct. neg antecedens, & ad probationem item negat consecutionem; fit enim transitus à similitudine in genere ad similitudinem supra genus, uti habemus apud text. in corp. & d.25.1. ubi super in text ait S B si habet solam idæam unam, impossibile est intelligere, quod secundùm illam simplici aspectu cognoscat diversa; non sic in Deo; simplex enim idæa est expressiva universalis, ut universale, & singularis ut singulare, licèt nec universalis, nec singularis sit, uti Deus; ratio est, quia talis similitudo est rei veritas, & Divina veritas: hæc Seraphicus: at similitudo creata, nec Divina veritas, nec rei veritas est, sed solummodo similitudo. Præterea, dato antecedente, & non concesso, non sequitur, quod talis sit in primo Angelo: non repugnat enim hominem, sive Angelum esse creatum in Beatitudine, & tamen non sequitur, ergo est creatus beatus.

Unum maximè advertendum apud Gamachæum, & Vasquez, & est, quod proferunt in D. Thomæ opinionem Seraphicum nostrum Bonaventuram *in 2.d.3.* reddit rationem Vasquez *in p.1.s.1 disp.*2c a. & est, quia S.B. ait per unam speciem cognosci naturam Seraphicam, & omnia ejus individua: hoc benè ait Sanctus Doctor; sed quid ad rem, cum hîc sit in disputationem, an una species plures naturas, & genera repræsentet, quod, uti patet ex text. negat Seraphicus: non simpliciter tenet sufficere speciem universalem ad cognoscenda ejusdem speciei, sive naturæ repræsentiæ individua, nisi addita compositione, & directione, uti declarabimus in articulo de cognitione singularium; hallucinati ergo sunt hi Doctores Seraphico in Sensu.

Pro opinione Henrici profertur & auctoritas, & ratio: auctoritas est Arist. 2. *Etichor. c.5.* ponentis in anima potentiam, habitum, & passionem; at in Angelo ratio intelligendi non est potentia; sic enim aliquid naturale esset sufficiens principium repræsentandi omnia intelligibilia, nec potest esse passio, quia passio non facit intellectionem, erit ergo habitus. Ad hanc auctoritatem resp. ex Scot. Nomine habitus includi etiam species, quia & ipsa est qualitas difficile mobilis: Ratio præcipua Henrici est, quia dempto connaturali hoc scientiali habitu, erit Angelus in potentia essentiali; nec in actu 1. sed merè potentialis ad instar humani intell. ctus: Ad quam respondendum per interremptionem; cum sit intellectus Angelicus à nativitate plenus formis idest speciebus, & sic in actu 1. sed de hac quæstione: satis quære. Favent. Scotell. Capreol.

QVÆSTIO VI.

Utrum Angelus cognoscat futura.

Visum est in præcedenti quæstione, Angelos 97
singularia cognoscere; at quia ad similem cognitionem ipsorum singularium necessariam esse præsentiam traditum est, recto ordine, an, & quomodo futura cognoscat examinandus venit articulus, de quo Seraphicus noster *d.7.p.2.a.1.q.3.* Videatur text.

Circa quæstionis titulum advertendum, quod licèt videatur Seraphicus loqui de solis Angelis malis, dum quærit, an Dæmones futura præcognoscant, vel, an in Dæmonibus sit præcognitio quo ad futura; tamen quia ex D.Aug. 11. civit. Dei relato à S.Bonav. *in 2.d.4 a.2.q.1. in fine corp.* pares fuerunt Angeli quantùm ad conditiones ante lapsum; & in præsenti Articulo præcipuè loquitur de naturali cognitione, hinc doctrina præsens cummunis est omnibus Angelis.

Advertendum secundò, quod licèt postillatores præmiserint titulum: an futura contingentia præcognoscant Dæmones; attamen de absolutè futuris quærit Seraphicus, uti patet in corp. quæst. & in titulo ipsius in Quæstione, dum quærit, utrum in Dæmonibus sit præcognitio quo ad futura. Circa corpus quæstionis in Tomo Romæ editio adverte errorem in principio; ait enim: ut potè sunt alia (illa) debuerat dicere. In corpore duo facit; Proponit unam distinctionem futurorum, deinde, quid respondendum sit, deducit. Quoad distinctionem: futura alia habent causam determinatam, & infallibilem; alia determinatam, sed fallibilem; alia & indeterminatam, & fallibilem, ut quæ pendent à libero arbitrio.

Dum ait in secundo membro, secundùm inferiorem naturam, habet relationem ad quod dixit in primo membro, secundùm motum superiorum corporum. Natura enim dividitur in superiorem, & inferiorem, seu sublunarem, uti patet ex Seraphico in expositione Ecclesiastæ cap.9. in illa verba (Vidi tempora, & casum in omnibus) quo loco, ait, si loquamur in comparatione ad causas creatas, aut circa causas immutabiles, sicut circa motum superiorum corporum, aut circa mutabiles sicut sunt causæ inferiores, quæ sunt sub sole, sic ille.

Quo ad secundam partem corporis quinque claudit conclusiones: quarum prima est. Angelus non cognoscit naturaliter futura in se (in medio corp.) hoc idem ait supra *d.3.q.1.ad 2.* Dum negat Angelum cognoscere futura, nec enim præsentia, nec existentia sunt. Probatur autem hic: cognitio creaturæ pendet à re, idest sicut se habet res ad esse, ita ad cognosci; at res futura non habet esse in se, ergo nec valet in se à creatura, & sic ab Angelo cognosci.

2. Conclusio, futura quæ pendent à causis 98
determinatis, & infallibilibus, ut sunt cœlorum motus, ortus, occasus, ecclypsis, &c. naturaliter cognoscuntur ab Angelis certò in propriis causis. Adverte esse sermonem de cognitione abstractiva, cum sit hæc cognitio in alio, puta in causa, & rei in se absentis; Angelus ergo certò, & naturaliter non cognoscit futura cognitione intuitiva,

ot ex prima conclusione: sed cognoscit ea naturaliter in causis, certò, vel non certò secundum qualitatem causarum in quibus dignoscuntur. Pr. quæ habent causam determinatam, & infallibilem, in ea cognita cognoscuntur; at Angeli similem causam certò cognoscunt, ergo & talia futura in causa cognita.

3. Conclusio. Futura, quæ pendent à causis determinatis, sed fallibilibus non cognoscunte naturaliter ab Angelis ita certe, sicut prima.

Adverte, quod Sanctus hic non negat, Angelum cognoscere certò talia futura: sed ait, non tamen ita certitudinaliter sicut prædicta: qu a determinatam habent causam, hinc certè cognoscunt; quia potest adesse impedimentum, hinc aliquo pacto defecerunt ab absoluta certitudine. Prob. eo modo, quo futura habent esse in causis, ita & cognoscuntur: sed in causis habent esse fallibile; tum quia causæ inferiores de se sunt fallibiles, tum etiam, quia possunt impediri à cœlestibus causis, ergo licet certò naturaliter ab Angelis talia futura cognoscantur, non tamen eatenus certò, sicut ea, quæ non solùm determinatam habent causam, sed etiam infallibilem.

4. Conclusio. Futura, quæ habent causam indeterminatam, & fallibilem, nulla certitudine possunt ab Angelo naturaliter cognosci, ut sunt illa, quæ sunt à voluntate nostra: Probatur; quia res, à qua pendet qualitas cognitionis, nec in se, nec in causa ipsius est certa, ergo nec certò ab Angelis naturaliter sciri valet. Probatur anteced. non in se, quia futurum non existens non est presens: non in causa, quia voluntas non est determinata ad hoc unum, vel ad hoc faciendum, sed ad opposita, idest ad operandum, vel non operandum libera, ad hoc, vel ad oppositum indifferens.

Hinc patet, futurum contigens, seu liberum, nec intuitiva, nec abstractiva cognitione certò, & naturaliter posse ab Angelo cognosci. Dixi naturaliter, quia benè à Deo potest ei revelari; sicut enim Deus certissimè cognoscit hæc futura contingentia, ita potest certitudinaliter denuntiare, & revelare, hæc Sanctus in medio corp.

99 Quinta conclusio. Hæc futura contingentia libera, solum conjecturaliter, seu probabiliter possunt ab Angelis vi naturali cognosci, *in fin. corp. & resp. ad* 1. Hæc conclusio duas claudit, negativam unam, affirmativam aliam; non cognoscit certò, ecce negativa: cognoscit conjecturabiter, ecce affirmativa. Probatur prima pars, seu negativa ex Seraphico in medio corpore; dicere, ait, quod dæmones futura contingentia per se ipsos certitudinaliter præsciant, hoc est tribuere, quod Dei est. Unde in forma; Quod proprium est uni, alio non competit: sed cognitio futurorum contingentium naturalis est Deo propria, ergo nequaquam Angelis competere potest. Quod argumentum, non solum probat Angelos actu non cognoscere futurum contingens naturali vi certò, sed nec posse. Videte fundamenta hanc conclusionem probantia, quorum aliqua sunt communia omnib. Angelis, alia solùm malis competunt.

Nota, in fine corporis tradit definitionem Divinationis: est enim prædictio certa futurorum contingentium, quæ pendent à voluntate; & subjungit hinc Divinationem esse prohibitam, quia usurpat, quæ Dei sunt, vel dæmoni tribuit.

In resp. ei fere ad tertium, vide causas somnium, alias esse internas, alias verò externas; primas corporis, alias ut illius dispositio mentis, alias sollicitudo ipsius, seu voluntatis desiderium, extrinsecas esse in triplici differentia: à Diabolo illudente: ab Angelo bono revelante: & à Deo visitante.

Vide secundò ibidem, Divinationes Haruspicum nullius esse ponderis. Haruspex, Divinator dicitur, seu qui futura prædicit; ab auctoribus scribitur cum aspiratione: hìc tamen non apponitur, forsan ab impressoribus derelicta: cum apud Galesinum,& Calepinum cum. H. scriptum inveniam.

Advette tertiò. Insomnia, quæ procedunt ex dispositione corporis, & sollecitudine mentis, esse signa futurorum, quorum causa adest in nobis; aliorum quorum causa non est in nobis, non sunt signa: puta contingentium liberorum, ut docet infrà *d.* 25.*quæst.ult. ad* 5. & hìc in fine responsionis, dum ait: & sic ex hoc non habetur, quod præcognitio futurorum contingentium aliter habeatur, quam à Deo visitante, vel per Angelum revelante.

Ad ultimum ait: solvendum argumentum per interemptionem, idest per negationem; loco enim negationis, interemptione utitur semper Seraphicus. Derelictis iis, quæ propria sunt Diabolo: puta dolus, illusio, astutia, & duo ultima fundamenta: cœtera sunt omnibus Angelis communia, & de se clara.

Ad uberiorem doctrinam. Ad primum resp. ubi quod objicitur de Astronomis, seu Mathematicis, &c. uti Seraphicum Genere pro specie; Mathematica enim est circa sex: aut circa numeros simpliciter, & sic est Arithmetica: aut circa numeros prout considerantur in sonis, & sic est Musica: aut in quantitate continua, & circa proportiones dimensivas generaliter, & sic est Geometria: aut per additionem de linea visuali, & sic est Perspectiva: aut secundum utramque quantitatem, & secundum discretiones numerales, & substantiales, vel continuas, & discretas, & sic est Astrologia; & illa est duplex: una de corporibus regularis per motum, & sic est Astronomia; Alia de influentia, & hæc partim secura, partim periculosa; & hæc Astrologia periculosa propter judicia, quæ sequuntur; & ab hac fluunt Geomantia, vel Chiromantia, & coeteræ species Divinationis: hæc Sanctus in Hexam. serm.7. cum ergo hìc sumat Mathematicam, & Astronomiam pro specie Divinationis, ut patet, verè sumit Genus pro specie. Et in libro cui titulus est Luminaria Ecclesiæ *serm.*1 *pag.* 11.*colum.* 1. in medio, ait: Mathematicæ, licèt prima consideratio sit circa mensuram terræ: ultima tamen ejus consideratio est circa motus corporum superiorum,quæ habent disponere hæc inferiora secundum influentiam, hæc Sanctus.

Pro eadem responsione nota secundò: Quam impium sit, & periculosum prædicere futura contingentia libera, impium, quia tollit fidem: species enim infidelitatis est usurpare, quæ Dei sunt; Periculosum, sæpè sæpius non sine Diabolico fit commercio; pro de similis materia, vide apud eundem Seraphicum *in primo dist.*14. *art.*2. *quæst.*3.

Nota ad eandem responsionem *&* *ad* 3.*&* *ad* 4. *&* *in corp.* appellari à Seraphico futurum contingens, solùm, quod habet causam fallibilem,

&

& in determinatam ; habet enim in corp. ficut ea, quæ funt à voluntate noftra ; & fubjungit : res quæ eft incerta in fe , & in fua caufa : & ad primum de contingentibus, habentibus caufam fallibilem , & indeterminatam. Et ad quartum , futurum contingens non habet effe , nifi indeterminatum conforme fibi , *in 3. fent. d. 3 t.a.t. q. 3. ad 4.* Contingens quoddam eft , quod pendet à vertibilitate voluntatis humanæ , & caufæ creatæ ; & contingens propter libertatem , & indifferentiam Divinæ voluntatis , quod poteft facere , & non facere (hæc ille) coetera autem futura fallibifsia, cum caufam habeant determinatam , ad unum, licèt impedibilem , non appellatur à Seraphico , contingens.

Nota pro refponfione ad tertium , quod doctrina fomnij pertinet ad ftatum naturæ poft lapsum, non extenditur enim ad ftatum innocentiæ. Si enim fuiffet fomnium in ftatu innocentiæ , hoc effet , quia ab altiffimo mitteretur aliqua vifio, in qua homo non deciperetur , fed potius illuftraretur , ait Seraphicus : *in 2. d. 23. a. 2. q. 2. ad 4.*

Ad eandem refponfionem cum ait , & Deum effe caufam fomnij , & caufare fomnium , eft pulchra quæftio ; quare Deus in fomnijs loquatur, immo magis in fomno , quàm in vigilia. Cui refp. Seraphicus *in 2. dift. 2 . . quæft. ult. ad quintum* Tum , quia , anima in vigilia eft difperfa ad exteriora fenfibilia comprehendenda : tum quia etiam in fomnis magis agitur homo , quam agat , & in revelatione Divina plus fe habet permodum fufcipientis, quam agentis.

Ex parte Dei dicentis : non videbit me homo, & vivet ; & quia homo in fomnis tenet medium inter mortuum , & viventem , quodammodo ita à vita hujufmodi recedit ; Tum etiam, quia Dominus . qui pofuit tenebras latibulum fuum ad fui ipfius occultationem, magis vult in fomnis, quam in vigilia revelationes emittere hæc fanctus.

100 Circa primam , & fecundam conclufionem, nullum habet Seraphicus contrarium : totalis , & controverfia eft circa tertiam conclufionem. Primò ex Vafquez habemus hic duo advertenda ; Primum eft , quia ponit Seraphicum noftrum in opinione afferentium Angelum talia cognofcere, tantùm conjectura , nullo modo certo : & profert locum diftinctionis fupra, quem præ manibus habemus. Verùs pendet à textu Seraphico ; ait enim : poffunt præfcire non ita certitudinaliter . ficut prædicta , hæc ipfe ; nec conjecturæ inemunt, nifi in refponfiune ad primum : in ordine ad futura libera.

Secundum ex eodem advertendum,quod etiam Seraphico opponitur. Hæc futura impedibilia à caufis creatis naturalibus non liberis, ita certò , & evidenter cognofci naturaliter ab Angelo , ficut illa quæ nullo modo impediri poffunt. Hoc etiam non videtur verum , licet enim in ordine ad omnes collectivè fumptas certò cognofcat : tamen in ordine ad caufam proximam impedibilem , vel caufas defectibiles, tale futurum certò non cognofcitur ab Angelo ; Secus autem , futurum habens caufas omnes determinatas , fivè proximam determinatam , & infallibilem , in qua fivè in quibus omnibus certò , & evidenter cognofcitur : Non ergo ita certò , & evidenter futura impedibilia dignofcuntur, ficuti non impedibilia.

Contra noftram Conclufionem eft D. Thom. hic , & in fcripto fupra Magiftrum cum fequacibus. Hæc futura non nifi conjecturaliter cognofci naturaliter ab Angelo ; Cafualia autem , & fortuita , nullo modo dignofci affirmans , cujus fundamentum eft : Quia Angelus eo modo cognofcit rem , ficut ipfa habet effe certum , & incertum in fuis caufis ; hoc autem fatemur effe verum ex Seraphico ; attamen dicimus , tale futurum , habere effe certum , & determinatum in fuis caufis collectivè fumptis ; Cum enim caufæ fint naturales : & natura fit ad unum determinata , verè caufæ funt determinatæ , & fic in ipfis poffe ab Angelo naturaliter , illas omnes cognofcer , & impedimenta ex illis occurrentia, & quorumlibet illorum virtutem certò , & determinate cognofci.

Quoad cafum , & fortunam ; ex Seraphico, cafus , & fortuna eft illud , quod præter intentionem decurrit , in 1. enim fent. d. 45. dub. 4. ait : Res , ut comparantur ad caufam creatam , quæ eft natura , & intelligentia : multa cum eveniant præter intentionem , multa funt cafu , & fortuna, hæc illæ. Ad propofitum autem , Nota ex eodem Seraphico *2. fent d. 37. a. 2. q. 1. in corp.* Privationem intentionem poffe intelligi dupliciter. 1. Univerfaliter refpectu cujufcunque agentis , fivè univerfalis, fivè particularis, five operantis, fivè cooperantis, fivè gubernantis , &c. & hoc modo , cafuale, feu fortuitum, fortuna, & cafus nihil funt. Secundo modo refpectu agentis particularis, ut potè particularis naturæ, & intellectus creati : & hoc modo, aliquid eft cafuale , aliquid eft cafus , aliquid fortuna ; & eft, cum aliquid affequitur inopinatè, fivè præter intentionem : hæc fanctus , ex quibus patet, quid dicendum fit ad rationem Angelici, de cafu.

Dicendum eft : licèt enim in ordine ad particularem caufam detur cafus : tamen in ordine ad omnes caufas , & ad naturam fic, nullus cafus. Et fic in ordine ad Angelum omnes caufas cognofcentem naturaliter , nullus cafus ; in caufis enim collectivè fumptis , futurum hoc cognofcit , quod cafus dicitur in ordine ad particulares caufas. Fortuna autem ad liberum fpectat arbitrium , quod enim præter intentionem hominis vel Angeli evenit , fortuitum dicitur , ficut cafuale , quod præter intentionem naturalium caufarum.

Nec obftat : fic enim tales effectus non effent contingentes , quod eft abfurdum : Ad quod argumentum refpondetur , nullum effe abfurdum ; illud enim eft abfolutè contingens , quod à caufa , non ad unum determinata , fed ad oppofita fe habente procedit , ut fupra notavi ex Seraphico hic , & ex tertio fent. d. 3. Quod poft Seraphicum docere Gabrielem , & Cordubam, notat Vafquez , Ferrarienfem , notat Suarez in præfenti articulo , feù quæfte ; folum dicuntur contingentes fecundùm quid , in ordine ad proximam caufam.

Nec obftat tertio , quod addunt , talem fenfum fuiffe damnatum ex articulo Parifienfi determinante : Qui dixerit , nihil effe à Cafu , & Fortuna : fed omnia neceffariò evenire , Anathema fit ; Nam damnatio hæc eft contra negantes liberum arbitrium ; & infuper non negamus, cafum , & fortunam fecundum quid , in ordine ad peculiarem caufam : immo ponimus & fatemur ; abfolutè autem non dicimus , contingens cafum , quia non à voluntate , & in ordine ad collectionem caufarum eft determinatum.

Nec obftat quarto ex Patribus Tertulliano,

 Athanafio,

Athanasio, & D. Augustino: quorum primus, nescire hæc futura (dicit) certò, hinc de talibus amoiguè respondère. Secundus, non posse prædici à Dæmone. Tertius, Dæmones falli, quia ea vident solis in causis; melius autem ab Angelis bonis cognosci futura temporalia, quia ea vident in Verbo. Nam Tertullianus erravit, quia sensit Angelos corporeos; Athanasius, quia Divino judicio ab Angelis bonis impediuntur; unde interventu liberi arbitrij rectè dicuntur impediri, ne sciant: sed talia futura non sunt, de quibus loquuntur, uti accedit causa libera. August. de temporalibus ex libero arbitrio loquitur. Sic respondet Vasq.

Nec obstat quintò ex Scriptura, nempè Sapientiæ 8. ubi ait: Cognoscere monstra antequam fiant, esse proprium Dei, & talia sunt effectus naturales ex causis omninò naturalibus; Nam Suarez respondet, de Sapientia in communi loqui; Vasquez de sapientia creata, non autem increata: hæc enim creata sunt monstra, & præterita; & de futuris æstimat, ea ratione duntaxat, quia in hac vita permissum est. Seraphicus non fatetur, subjectum libri hujus esse Sapientiam, & loqui non solum de Increata, sed in eo, & de creata: sic in librum Sapientiæ in Prohemium; locum autem, quem præ manibus habemus, interpretatur de Sapientia Increata, ad argumentum, si interpretandus veniat locus, quod hic aliquid proferat proprium Deo; ita quod non alio ab eo loqui dicimus de scientia, seu cognitione independente, & simpliciter certa; Angelorum autem licet certò sciant monstra, tamen sub conditione; nisi aliter Deus ordinaverit, ut notat Alens. 1.p q.26.m.4. & sic dependenter à Divina voluntate,& potestate,quod innuit Christus Apostolis dicens: non est vestrum nosse tempora, vel momenta, quæ Pater posuit in sua potestate.

Secundò potest respondere hic: Modum cognitionis esse proprium, non cognitionem; Scit enim monstra Deus, scit eadem Angelus: sed Divina Sapientia scit antequam fiant (subjungit Seraphicus) ità benè, sicut quando jam facta sunt; quod secus est de Angelis, postquàm enim facta sunt, in se ipsis vident, antequam facta sunt, in causis. Unde semper eodem modo, & invariabiliter sapientia, Monstra, & cætera cognoscit, non sic Angelus.

Tandem non ait, quod hoc proprium sit Sapientiæ Increatæ: sed simpliciter, ait, & monstra scit antequàm fiant: non negat autem horum cognitionem ab homine, vel ab Angelo; undè quilibet pro sua qualitate scit Monstra conjecturaliter, homo ratione causæ latentis, certò Angelus (supposito, quod aliter non ordinaverit Deus) absolutè Divina Sapientia, vel perfectissimè Deus, & semper eodem modo: secus Angelus.

Circa cæteras duas conclusiones conveniunt omnes Theologi: Immò circa primam, eam de fide esse dicunt ex pluribus locis sanctæ Scripturæ; eamdem ampliationem recipit Seraphicus, dum in fine corporis tradit: in contraria assertione adesse infidelitatem: tribuitur enim, quod est proprium Dei, Creaturæ.

Nec obstat in contrarium: Talia contingentia esse naturalia, ergo naturaliter cognosci posse ab Angelo; Nam respondetur primò ad antecedens: distinguenda sunt naturalia quo ad substantiam, concedo: quo ad modum, quo exeunt in esse, vel possunt exire, & sic nego; Nam naturalia sunt a causa ad ea determinata, non valente oppositum operari: nam natura ad unum est determinata: Undè futura naturalia sunt determinate in causa, hæc autem libera, licet non supernaturaliter, sed intra spheram activitatis creatæ, & naturalis; attamen non modo naturali, sed libero insunt in causa libera, & ab ea prodeunt; ità ut possint non fieri, quia causa est ad opposita, qua ratione, propter indeterminationem causæ nequeunt ab Angelis cognosci. Ad argumentum, ergo sunt naturalia quo ad substantiam, concedo: sed nego consecutionem; non enim sufficit hæc naturalitas, ut ita dicam, ut naturaliter cognoscantur; Vel respond. negando esse absolute naturalia, & sic nulla consecutio.

Probatur autem Conclusio communi ratione Seraphica, & cœterorum Theologorum, nempè: quia hæc futura, nec in se, neque in causis possunt certò cognosci. Hanc rationem non probat P. Vasquez: objecta enim futura hæc sunt de se scibilia, cum Deus ea sciat; quare ergo scibilia non sint Angelo, non apparet. Dicere enim, quod sunt ab æterno præsentia Deo secundum eorum præsentiam realem, est falsum; Ergo non remanet, cur non cognoscibilia ab Angelo in eorum causa. P. Vasquez improbat P. Suarez hìc, videte illos.

Ego ex Seraphico respondeo, optimam esse rationem, ut poté communem; ad argumentum, concedo hæc futura scibilia, ergo & ab Angelo, nego: non quia sint Deo præsentia secundum præsentiam eorum realem ab æterno; sufficit enim præsentia objectiva, quæ non à te pendet, sed ab ipsomet, qui omnium est veritas: quæ cum sit certissima, certissimè cognoscit contingentia, ut necessaria, ait Seraph. &c. & futura, sicut præsentia 1.d.39.q.ult... En ratio, quare sint scibilia Deo, non autem Angelo. Essentia enim Angelica, non est rerum veritas, unde in se ipso valeat videre eas; cum ergo pendeat à reboa, & hæc non videat in causis, utpote indeterminatis non in se ipsis non existentibus, ergo patet cognoscere non posse.

Dices ex alijs: ævum Angeli coexistit omni tempori, ergo potest Angelus futura cognoscere, ut Deus ob coexistentiam æternitatis. Ad hoc respondetur in nostra sententia, ævum, cum sit successivum, & divisibile simul, non coexistere tempori. Secundò, ævum non mensurare cognitiones Angelorum, sed tempus: quid quid sit de ratione consequentiæ.

QUÆSTIO VII.

An ab Angelo naturaliter cognoscantur præterita, & quomodo.

Triplex est enim Præteritum; aliud est, quod non & præcognitum fuit; aliud, quod licet non præcognitum, tamen sui reliquit aliquod vestigium in effectu, vel causa, vel aliquo alio modo; Tertium, quod nec præcognitum, nec remansit in aliquo vestigio, vel signo.

Prima opinio est Vasquez hìc affirmantis, Angelum naturaliter cognoscere omne præteritum, etiam si non extet in aliquo sui vestigio,

vel

vel signo: & hoc, vel per solum lumen proprium naturale, vel per inditas species apud eos, qui eas admittunt: Prob. primò, quia nullam rationem invenit, propterquam non possit Angelus talia præterita cognoscere. Prob. 2. quia Patres, & Theologi solam negant Angelis cognitionem naturalem futurorum contingentium: Prob. 3. quia species habent præteritorum, ergo possunt ea cognoscere.

Secunda opinio est Suarez de Angelis hic 1 qui, postquam impugnavit Vasquez, proprium ponit sensum in triplici dicto. Primum, est cognoscere præteritum jam præcognitum in specie non universali, & ingenita, nec accepta à re, & conservata: sed producta in intellectu Angelico ab ipsamet cognitione præteriti: quod est talis speciei productæ objectum, in qua videt præteritum sub ratione præsenti 2. præteritum, licèt non præcognitum, quod reliquit sui vestigium, cognoscere per speciem vestigij relicti, sicut cognoscuntur futura per conjecturas, vel signa certa. 3. Dictum, Præteritum non præcognitum, & quod sui signum, aut vestigium non reliquit, nullo modo cognoscit sub ratione præteriti.

Pro Seraphico censu existimo, Angelum naturaliter cognoscere præteritum præcognitum intuitivè, in specie universali composita, quæ repræsentat præteritum cum sua existentia, loco, tempore, & accidentibus. Probatur item 1 in Angelis est memoria, quo ad habitum, quæ est retentio speciei, & saltem in bonis; est etiam memoria, quo ad actum, sivè usum, quod est reminisci; ergo non solum propter memoriam, ut habitum, quæ est retentio speciei sic compositæ: sed etiam saltem in bonis, propter memoriæ usum, potest recordari præteritorum; si enim hoc faciunt homines, ergo & Angeli *vide 2.d.7.p.1.a.1.q.2.in corp.*

Pro Secundo dicto, Angelus cognoscit præteritum, licèt enim non antea cognitum in vestigio relicto (conjectura:) Prob. boc modo; cognoscit futurum ex aliquo vestigio futuri, puta, inclinatione, compositione, prædominio, ergo, quare non præteritum; adjecta experientia, & Angelico acumine; ex præsenti quæstione ad argumenta

Pro Tertio dicto: Nullo modo præteritum cognoscit: Prob. quia præteritum nullum esse habet, nec in se in causis, nec in vestigio, ergo non adest unde cognoscatur.

Dices, nec futurum liberum, & tamen cognosci diximus. Resp. negando antecedens: Nam futurum, habet aliquod vestigium sui in causis superioribus, puta, influentiam in causis inferioribus, puta, complexionem talem, qualem non sic præterita, de quibus loquimur. Ad Vasquez ratio jam est allata: quare non possit cognoscere, quia caret omni existentia, qua cognoscibilis sit in se, vel in causa, vel in vestigio.

Ad argumenta ex PP. Theologis: immo Patres non negare, Angelis futurorum contingentium conjecturalem cognitionem; quod si non negant præteritorum cognitionem, est quia præteritum præcognitum certò cognoscitur, ut vidimus in primò dicto, quod dici non potest de futuro contingenti.

Immo Scriptura Sacra, Sapientia 8 sicut dicit proprium esse Sapientiæ Divinæ nosce futura; eodem modo loquitur de præteritis, dicens: scit præterita, & de futuris æstimat; ubi Seraphicus, cum sint occulta ex conditione temporis quia præterita jam transierunt, futura verò nondum evenerunt, hæc ille. Cum ergo Theologi negent futurum contingens certò cognosci naturaliter ab Angelo, quia nondum evenit, idem ex ipsis dicendum, ex ipsis de præteritis contingentibus, quia jam transierunt; in utroque enim militat eadem ratio, nempè carentia existentiæ.

Ad ultimum respondetur, Speciem, quam habent esse universalem, & sic insufficientem ad repræsentanda singularia præterita secundùm propriam actualem existentiam, & secundùm præteritionem: species enim innatæ abstrahunt ab omni differentia temporis, ait Seraphicus *in 1.d.3. p.1.a.1.q.1.ad 3.*

Ad Partem verò Suarez. Ex Seraphico; quid dicendum? Dicta approbare Seraphicum vidimus: Modus verò dicendi, non recipiendus à Seraphicis. Probatur, quia ex eodem d. 3. dictum est: Deus intellectum Angelicum possibilem tot speciebus implevit, quod per illas potest omnia cognoscere, sine omni receptione nova: hæc ille, quod sæpiùs repetit. Secundò ex eodem ibidem: si habet species universales, non potest recipere species singularium; Cum ergo præter inditas species, alias addat species Suarez, cum præter universales tot singularium multiplicet, non potest à Seraphico recipi talis dicendi modus hæc satis circa hoc dubium.

QVÆSTIO VIII.

Utrum dæmones possint scrutari secreta conscientiæ nostræ D. Bonaventura.

PRo titulo quæstionis Seraphicæ, qui est: Utrum Dæmones possint scrutari secreta nostræ conscientiæ *in d.8.p.2.a.1.q.4.* Nota primò; licèt titulus sit expressus de dæmonibus, tamen universalis est doctrina omnibus Angelis, sivè bonis, sivè malis, ut patet ex corp. in quo ait nulla creatura, nec humana, nec Angelica, &c. & ex primo fundamento, in quo concludit, ergo non Dæmon, non alius, &c. 101

Nota 2. pro declaratione nominis conscientiæ, licèt usitatiori modo nomen conscientiæ sumatur pro habitu intellectus practici; attamen, & Potentiam, ipsam nominat, in qua inest; ut dicimus, legem naturalem scriptam in conscientiis nostris, idest potentiis, in quibus residet habitus conscientiæ, sic apud Seraphicum *2.d.39. a.1.q.1. in corp.* hoc in loco conscientia sumitur pro potentiis intellectus, nempè, & volunatis; unde est sensus: Utrum sciant secreta conscientiæ, idest actus intellectus, & voluntatis seu cogitationes, & volitiones, uti deducitur ex corpore.

Nota 3. Idem esse dicere, secreta cordis, & conscientiæ; Cor enim nominat partem intellectivam, & partem affectivam, seu intellectum, & voluntatem, ut docet, & ex scripturis probat Seraphicus in Psalmis, Psalmo 118. *v.10. a.1.* ex corpore articuli deducuntur.

Prima conclusio, nulla creatura, nec humana, nec Angelica potest conscientiæ humanæ certò nosce secreta, nisi vel Deus, vel homo revelet probatur, quia secreta, & profunda conscien-

tiæ non penetrat, niſi Divina Sapientia; nec poteſt, quia nulla potentia præſidet intellectui, & voluntati humanæ, ergo non poteſt ſecreta ipſorum naturali vi cognoſcere: in principio, & fine corp. & fundamenti primi.

Secunda concluſio, hæc ſecreta Angelus, tum bonus, tum malus poteſt conjecturaliter ſcire: immo ſæpe de facto ſcit. Prob. Angeli naturaliter cognoſcunt exteriora opera, & ipſa, & cordis motus; at per talia poſſunt cognoſci ſecreta conſcientiæ, ergo.

Tertia concluſio, Angelus, volitiones non ſolùm verum eſt, nec humanas cognitiones naturaliter cognoſcit, ait Seraphicus in corp. Prob. ex fundamentis, & Divi Auguſtini auctoritate ibidem exiſtente.

Quarta concluſio, naturalia conſcientiæ noſtræ Angelus naturaliter cognoſcit, in reſponſione ad quartum. Prob. ibidem, res ſicut ſe habet ad eſſe, ita ad cognoſci; ſed hæc exeunt in eſſe naturaliter, ita & naturaliter cognoſcuntur, & naturaliter ſe repræſentant: ita ut non poſſint ſe occultare; reliqua videat unuſquiſque in textu.

Ad uberiorem Doctrinam. Ad primum argumentum, non deerunt accuſator, & teſtia, ait in textu. Peccatores accuſabuntur à multis; à ſcriptura, quibus non crediderunt; à creaturis, quibus abuſi ſunt; ab aliis pœnitentibus, qui facilius pœnituerunt; à juſtis, qui eis prædicaverunt, vel exempla bona dederunt; à Deo creditore, quem offenderunt; à peccatis, quia erunt materia accuſationis, & damnationis eorum: hæc S.Bonaventura *in Ioan. capite* 5. *in fine*; *& in lib. ſap. cap.*4 *in fin.* A corde ſeu conſcientia noſtra hic; à cogitationibus ex gloſ. ad Romanos, ad illud cogitationum inter ſe accuſantium, aut defendentium; in illa die cogitationes accuſabunt animam, vel defendent *ex D.Bon.*4.*d.*45.*a.*3.*q.*1. *in corp. & ad* 3.

Ad ſecundum pro charactere; character dicit aliquam aſſimilationem, & configurationem ad Chriſtum, ſicut character Beſtiæ ad Diabolum: de quo in Apocal. c 4. S.Bonav. 4.*d* 6.*q.* 1.*a.*1.*p* 1. *in corp. in principio.*

Ad quintum de ſpeculo. Speculum eſt Dei Filius immaculatum actu, & potentia; ſpeculum eſt Angelus ſecundùm Dionyſ. purum, & clariſſimum, licèt immaculatum actu, maculatum ſaltem potentia, ſaltem remota; ſpeculum eſt ſpiritus humanus, in quo relucet imago Divina, maculatum actu, & potentia; ſpeculum etiam omnia creatura, quia per eam, tanquam per veſtigium repræſentantur Dei inviſibilia; ſpeculum etiam ſacra Scriptura *in lib. Sapientia cap.*7. *circa finem.*

Ad ſextum; in anima ſunt multæ virtutes; apprehenſiva, ſenſitiva, imaginativa, æſtimativa, & intellectiva, in lib. cui titul. Luminaria eccleſiæ *ſerm.*1. *pag.*4. *col.*3. *in finem*: & in anima, idem eſt ſummum, & intimum ibidem; unde virtus intellectiva eſt ſuprema, & ſic intimior, & magis ſecreta: ait bene ſibi conformis Seraphicus.

Pro fundamento ultim. Auguſtinus de Gen. *ad litt.*3. *l.*11. *cap* 17. ait: illam in Job nobilem, ac mirabilem patientiam, proculdubio ſi poſſet Diabolus cernere, nollet à tentato utique ſuperari: hæc ille.

Contra primam concluſionem Seraphicam, varij ſcripſere, cum enim duplicem hæc habeat partem; de facto enim, & de poſſibili, neget conſcientiæ ſecreta ab Angelorum naturali cognitione; hinc.

Contra concluſionis partem, de poſſibili tantum arguit Scot. *in* 2.*d. quæſt.*1. *&* 2. *& in* 4. *d.*10. *quæſt.*8. *ad* 3. qui cum ſequacibus ait, Angelum poſſe talia cognoſcere, actu autem non cognoſcere: quia Deus non concurrit ad eliciendum talem actum cognitionis; non ſecus ac ſubtrahendo ſuum generalem concurſum, effecit, ut ignis in fornace Babylonica non exureret tres illos pueros, quos alioquin ſua natura combuſſiſſet.

Contra eandem, ut etiam de facto proponitur, eſt Durand. *in* 2.*d.*3. *q.*7. *num.*18. *& q.*8.*n.*6. qui ait, ſecreta conſcientiæ noſtræ, puta cogitationes, & affectus præſentes, Angelum naturaliter certò cognoſcere: ſecus tamen futuras. Cum Durando eſt Egidius, Herveus, Henricus: licèt inter ſe in modo dicendi differant.

Contra tertiam concluſionem, nempè, nec cogitationes hominis, aut Angeli ab Angelo cognoſci, P.Vaſquez hic diſp.210. cap.2. qui plures profert dicentes, cogitationes noſtras, quatenus cogitationes ſunt, non eſſe computandas inter ſecreta cordis: ſed ſolùm, quatenus pendent ex affectu voluntaris; hinc ut ſic ſecundùm ſe ab Angelo cognoſci naturaliter certò, quos ipſe Pater probabiliter defendit, non ſolum probat. Cum ſancto tamen noſtro Seraphico, eſt Angelicus hic cum ſequacibus, Ricard. Gregor. ab Arimino & communis.

Nec valent, quæ pro Scoto adducuntur à Fa- 103
vene. & Rada hic. Omne quod eſt intelligibile proportionatum, & approximatum intellectui Angelico, poteſt ab eo naturaliter cognoſci: ſecreta hæc ſunt hujuſmodi, ergo.

Nam reſpondetur ad majorem, dummodo poſſit ſupra tale intelligibile; ſecreta autem ſunt talia, ut non ſit potens ſupra ea, quia adeſt obſtaculum, & ignis habet ſtupam proportionatam ſuæ virtuti debitè approximatam, & tamen non combureret, ſi aliquod interponatur impedimentum. Ignis Babyloniæ fornacis detinebat intra ſe pueros incluſos, & tamen non potuit comburere eos, licèt combuſtibiles ob carentiam Divini concurſus; & hic non poteſt Angelus cognoſcere ſecreta, licèt non ſupernaturalia, licèt approximata ſupponantur ob carentiam Angelici concurſus, cujus ſunt ſecreta. Quæ reſponſio deſumitur ex Seraphico in reſp. ad ultimum Reſpondet ſecundò ad minorem, ſecreta non eſſe approximata, ait noſter S.Bonav. quoniam non eſt ſibi præſens; non dicitur enim illud præſens ad hoc, ut intueatur, ſi oculi actionem terminare non valet, ut ſupra notavimus.

Secundum argumentum, Angelus naturaliter cognoſcit animæ, & Angeli eſſentiam, ergo & intellectionem, & volitionem; non enim videtur major ratio, cum ambo ſint entia realia, illa ſubſtantia, hæc accidentia. Reſp. Seraphicus, negando conſecutionem: ratio eſt, quia ſubſtantia ſe naturaliter repræſentat, ſicut naturaliter eſt, & ſe occultare non poteſt: intellectio vero, & volitio, ſicut voluntariè exit in eſſe: ita & voluntariè manifeſtatur, & ita occultari poteſt ad 4.

Tertium argumentum daretur proceſſus in infinitum, quod non eſt dabile. Prob. antecedens: quia actus voluntatis, quo non vult, vel vult manifeſtare, eſt intelligibilis: ſed non niſi per alium actum

voluntatis

voluntatis volentis, vel nolentis, & hic per alium, & sic adeò processus in infinitum, Resp. negando processum, ubi non multiplicantur actus nolitivos, vel volitivos, manifestat enim vel non manifestat, sine novo actu positivo voluntatis.

Ad Durandum autem, & coeteros, novus non succedit labor cum eodem fundamento secundo Scoti suum probent sensum, cui satisfactum est ex Seraphico. Quæ verò adducuntur contra tertiam conclus. à Vasquez, & al. is ab eo allatis sunt.

Cogitationes non sunt formaliter liberæ, ergo nulla est ratio, per quam non possint cognosci ab Angelo naturaliter; antecedens probatur. quia libertas formaliter est in voluntate; Nec valet dicere, sunt imperatæ, & extrinsecæ à voluntate: nam hac ratione omnes actus imperati essent ignoti Angelo, ut ambulatio, locutio, &c. quod falsum est; cum ergo nulla appareat differentia inter extrinsecas operationes, & cogitationes: omnes enim à voluntate imperantur: Hinc si extrinsecæ, notæ sunt, quare non cogitationes? quod si dicamus, Sacram obstare Scripturam, & Patres negantes cogitationum nostrarum ab Angelo cognitionem naturalem.

Contra, contendunt non obstare, eo quia de cogitationibus, ut operationes solius intellectus non loquuntur: sed ut conjunctis cum affectu, & ab eo directè ad hunc, vel illum finem: unde cogitationes cordis appellat, id est voluntates; licèt ergo cognoscantur cogitationes, ut intellectiones sunt, satisfieri videretur scripturæ asserenti, Deo soli patere cogitationes, & secreta cordium: intelligit enim ipsas cogitationes secundum finem ad quem diriguntur, vel à quo procedunt.

Ad quod fundamentum respondetur, negando consecutionem: ad probationem dicimus, cogitationes esse Angelis ignotas, non quia imperantur à voluntate, sed secundum eorum substantiam, ut actus sunt intellectus, ut ait S.Bonav. in principio corporis; sicut Deus voluntati creaturæ rationalis dedit dominium, sive arbitrium, cui nulla potentia præsidet, nisi Divina: sic ejus cognitivæ dedit conscientiæ secretum, cujus secreta, & profunda non penetrat, nisi Divina Sapientia: hæc sanctus; in quibus patet, cogitationes secundum substantiam, naturaliter non cognosci ab Angelo; nam intellectus, & voluntas solùm subsunt Deo: cum enim liberum arbitrium constet intellectu, & voluntate, ex Seraphico *3.d. 5.p.1.a.1.q.2.* ubi de lib. ro arbitrio, & hoc sit in manus hominum, verè non solùm voluntas, sed etiam intellectus, ut ita dicam, liberi arbitrij partes, solùm Deo subsunt, non creaturæ, nisi ipsa volente; operationes enim, aliæ ab intellectivis, & volitivis sunt tantùm extrinsecè liberæ: quia scilicet imperatæ; at intellectiones sunt liberæ, non solum, quia à voluntate imperante, sed intrinsecè, quia à potentia proficiscuntur libera, ait enim Seraphicus, *2.d.25.q.3.in corp. & ad ultim. in fine.* Libertas dicitur esse in ratione, & voluntate: itaque utraque illarum potentiarum est libera, hæc ille & *q.6. in corp.* docet libertatem inchoari in intellectu, & consummari in voluntate.

Nec recipiendum existimo expositionem datam à Vasquez: cum enim scripturæ locutiones absolutæ sint, & absolutæ interpretandæ: & cum negativæ, & de ratione negationis est, non recipere accommodam interpretationem, sed totum negare. Cor autem cum comprehendat utramque potentiam: ut in titulo articuli ex Seraphico notavimus, dum negatur cognitio cogitationum cordis ab Angelo, quæ Deo competit de corde, ut comprehendit utramque potentiam, intelligendam puto, si asem scripturæ. Deus enim solus intuetur cor, non solum ex scripturis voluntatem, sed intellectum ut sic; ergo cum nullus ab eo intueatur cor, intelligendum, idest, neque intellectum, ut sic dictum. Videatur Pat. Suarez de Angelis *cap.25.n.6 & 7.* ad longum, neque enim, ut sæpe sæpius dixi, codices aliorum transcribere mens mea est.

Præcipua autem difficultas, & controversia est circa rationem fundamentalem conclusionis: quare secreta cordis, seu conscientiæ hominis, vel Angeli non cognoscantur ab altero Angelo certò naturali vi; in assignanda enim ea, quot capita, tot sententiæ, proferam principales, & sensum, quem esse Seraphicum existimo, proferam.

Prima ratio, quam profert D.Thom. hic, est, quia soli Deo subjacent intellectus, & voluntas; solus Deus, ait, cognoscit cogitationes, prout sunt in intellectu, & affectiones, prout sunt in voluntate: quis voluntas rationalis creaturæ, soli Deo subjacet, & ipse solus in ea operari potest: *sic D. Tho. hic in corp.* 2. ratio est Scoti, & sequacium refundentium talem negationem cognitionis certæ, & naturalis in Deum, qui statuit non concurrere cum Angelo ad cognitionem talium actuum, nisi volente homine, aut altero Angelo cujus sunt actus, & ordinante ad alterum eos, ut cognoscat. 3. ratio est Vasq. *disp.209.* desumitur ab objecto: quia ait similes actus sunt objecta improportionata naturali lumini Angelico; Quare verò sint improportionata ignorari, nisi quia ex testimoniis scripturæ, & Patrum, talia esse dignoscimus. 4. ratio est Suar. de Angelis *l.2. cap.24.* quam desumit ex parte Angeli: quia non sunt perfectè in actu primo; species enim congenitæ non sufficienter repræsentant has actiones, donec novæ species accesserint objecto applicato ab Angelo volente loqui alteri Angelo, vel ab homine.

Cui si dicas, Angelum non accipere novas species, respondet non accipere species rerum naturalium, sed benè liberorum actuum, cum alio modo dignosci non possint: sic concludit caput. Has accipe, ut principaliores, coeteras minus principales vide apud Suarez, & Vasq.

Quid sentiat Seraphicus patet hîc in corpore, & responsionib. Seraphica ratio est, quia homo, & Angelus habent dominium horum actuum, ut possint elicere, & non elicere, suspendere, & prosequi, occultare, & manifestare: & hinc respectu horum, vocatur speculum voluntarium: sic Seraphicus; sicut ergo Deus, quia speculum voluntarium ostendit, quæ vult, & occultat: ita & Angelus, & homo liberorum actuum ostendit, & occultat, quæ vult, nec alius intellectus à Divino, nolente homine, aut Angelo, habet potentiam in ordine ad consimiles actus.

Dices cum modernioribus: similes actus sunt in potestate hominis, & Angeli antequam elician-tur: at postquam habent esse, & existunt, sunt necessarij, & sicut coeteræ operationes expositi intellectibus Angelicis; at quàm falsum sit dictum, patet: sicuti enim, postquam existunt semper tolli, & suspendi possunt similes actus: ita & manifestari, & abscondi, ait Seraph. in resp. non sic autem coeteræ operationes: cum enim tales pendeant, etiam ab alia immediata causa à voluntate, & intellectu, non est homo ita Dominus earum, sicut cogitationum, & volitionum.

Hoc autem Seraphicum fundamentum, nullus negare

negare potest, patet esse D. Thom. ut supra admittit Scot. dum ait, Deum non concurrere ad actum intellectionis, nisi voluntate hominis, & Angeli accedente: quæ si non accedit, non concurrit: & sic nunquam Angelus intelligit nolente homine secreta talia, ergo Homo Dominus. Et P. Vasquez, tunc talia objecta esse proportionata, quando manifestantur ab homine, &c. ergo sub potestate hominum. Idem ex P. Suarez: Tunc enim fit Angelus perfectè in actu primo, quando objectum producit in Angelico intellectu species, & volitio & cognitio, non fiunt objectum, nisi applicentur ab Angelo volente alteri Angelo loqui vel ab homine; in quovis ergo sensu, non intelligit Angelus secreta cordis humani, vel Angelici, ipso nolente, ipso volente intelligit; ergo verè Dominus talium actuum: & quia Dominus hinc cor aperit cui vult; & hæc sola, & perfecta ratio, quare Angelus secreta cordis humani non de se certò, & evidenter videt.

Ratio autem Scoti refundentis causam in Deum quia non vult, ait, concurrere cum intelligente Angelo, nisi accedente consensu humano: patitur difficultatem, quæ est: ergo frustra concessit potentiam ad talia intelligenda apta; si statuit non concurrere ad actum, ad quid enim concedere potentiam, si ea non sinit uti?

Præterea talis negatio concursus tollit potentiam, ratio est, quia tunc dicitur, agens habere potentiam ad aliquid agendum, quando nihil ei deest ex parte efficientis: sed nulla potentia causæ secundæ est talis si ei negetur concursus causæ primæ, ergo si Deus statuit non concurrere ad similem cognitionem, Angelus non potest cognoscere: & contra sunt sancti PP Clemens Rom. *t.1.ep.3.col.6.* de Christo, etiam cogitationes hominum providebat, quod nulli est possibile, nisi soli Deo. P. Hieron. in cap. 17. Hierem. Nullus potest videre cogitationes, nisi solus Deus. Vide alios apud Suarez.

Vasquez ratio non aperit talis improportionis fundamentum, cum enim ambo, & cognitum, & cognoscens sint entia finita creata, undè improportio: & si superior perfectio potest aliquo pacto, ratione excessus perfectionis, improportionata dici inferiori perfectioni, & sic abscondi ab ea; quomodo quod Angelus excedat in perfectione hominem, potest homo, quæ in ipso sunt abscondere Angelo? Item quomodo, homo volens, facit inter hæc objecta proportionem, quid addit, quid detrahit non video. Præterea nulla major improportio, quàm finiti ad infinitum: neque unquam potest tolli inter Deum, & creaturam, licèt addatur creaturæ gloriæ lumen, quod finitum est: & tamen stante tali improportione, creatura certò, & evidenter videt Deum sicuti est; non ergo similis improportio impedire posset, & si adesset: dummodo adesset proportio ordinis, quæ hic adest, ordinante homine tale objectum ad intellectum Angeli capacem.

Suarezi ratio, Seraphico placere non potest: tum quia ponit Angelum indigere speciebus ab objecto, quod supra aperte, & absolutè negavit; tum quia, simul in intellectu Angelico poni universalia, & singularium species, quod impossibile esse dixit; tum ob multitudinem specierum, quæ essent secundùm multitudinem actuum, seu cognitionum liberorum actuum hominum, & Angelorum volitionum, cognitionum.

Cum ergo aliorum rationes has patiantur, & plures alias difficultates, à quibus libera est Seraphica: & cum cæteræ semper, ut necessarium ponant consensum hominis & Angeli, quorum actus debent intelligi: remanet germanam esse Seraphici rationem: Quare non cognoscantur ab Angelo secreta conscientiæ, nempè ob dominium, quod habent Homo, & Angelus de eis. Unum remanet examinandum pro completa hujus articuli cognitione, hoc autem est. Dubium Laterale. *Utrum hæc conclusio Angeli certò, & evidenter non cognoscunt secreta cordis, tanta polleat veritate, ut sit veritas de fide.*

Moderniores enim invicem dissidentes video, Suar. tenet, non solùm esse de fide, Angelum actu non cognoscere certò, & evidenter in se secreta cordis, sed nec etiam posse; in quem sensum ait convenire D. Thom. hic, & alibi Alens. Bonaventuram hic, Richard. & alios. Probat ea pluribus locis sacræ Scripturæ. 1. ex D. Paulo. Quis hominum scit, quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis, qui in eo est. 3. Reg 8. Tu solus nosti corda omnium filiorum hominum. 1. Paralip. 28. omnia corda scrutatur Dominus, & universas mentium cogitationes intelligit. Et *l.b.1. cap 6* ait saltem: Tu enim solus nosti corda filiorum hominum. David 43. Ipse novit abscondita cordis, & 7. Scrutans corda & renes Deus. Hierm. 12. Pravum est, cor hominis, & inscrutabile, quis cognoscet illud? Ego Dominus scrutans cor. Ad Hebr. 4. dicitur, quod Deus sit discretor cogitationum, & intentionum cordis. Sap. 1. Actorum 1. Ad Rom. 8. & addit esse secundùm communem sensum PP. Sanctorum, à quibus dissentire non licet, ex Trident. sessione 4.

Cum Suarez. Profertur Vasquez: qui licet apertè non dicat esse de fide, tamen æquivalenter hoc astruit dicens: oppositam doctrinam adversari manifestis Scripturæ & PP. testimoniis.

Contra hos, moderniores Mastrius hic, sustinet negando hanc doctrinam esse de fide: sed benè magis conformem sacræ Scripturæ, & communicati Patrum Sanctorum, & pro se profert Scot. 2. *dist.* 9. Gabriel, & Ocham: Quod probat discurrendo per singulas præallegatas scripturas.

Dicunt, scripturam hanc cognitionem tribuere Deo, Psal. 2. v 9. Sap. 1. v. 6. Hierem. 11. v. 20. Act. 1. v. 24. Hebr. 4. v. 2. Respondet, & alia multa tribui Deo à scriptura, quæ & Angelis conveniunt: Ut intueri abyssos Dan. 3. v. 55. numerare multitudinem stellarum Psal. 146. v. 4. scire solutiones argumentorum Sap. 8. v. 8. & similia.

Ad scripturas, in quibus similis notitia soli Deo horum competere, aiunt ut 3. Reg. v. 39. & 2. Paralyp. 6. v. 30. & si aliæ sint. Respondetur collective intelligendas, solum scilicet Deum cognoscere corda omnia; hoc autem non tollit, quin Angeli aliquorum corda cognoscant: licèt non omnia puta futurorum, præteritorum, possibilium, &c.

Ad loca Hierem. Pravum est, &c. Et 1. Reg. 6. Homo videt in facie, Deus intuetur cor. Et 1. Corinth. v. 11. Quis novit hominum, quæ sunt hominis, &c. Resp. scripturam loqui de Deo in comparationem hominum, non autem Angelorum, ut patet. Et Gloss. ad Hierem. ait: Pravum est cor hominis, & inscrutabile (hominibus ait.)

Ad Patres: ita eos plures, ita sentire fatetur, at non omnes; pro sua enim sententia profert Bedam,

dam, Greg. mag. Zenon. Basil. Theophila. & Augustinum.

Circa hoc dubium, quid tenendum sit, ex Seraphico nostro hæsito. Hoc unum scio, in lib. Sapientiæ, cap. 1. in illa verba: Quoniam renum illius, & cordis illius scrutator est Deus; Nota, ait, quod ponit instrumenta pro operationibus ab ipsis procedentibus, eo quod sicut instrumenta immediatiùs se habent ad animam, quàm eorum operationes, sic Deus immediatiùs, quàm aliquis alius cognoscit omnes hominis actus, tàm interiores, quàm exteriores: hæc Sanctus; Et profert ad hunc locum dictum Davidis Psal. 7. Scrutans corda, & renes Deus. Et Hierem. 27. Ego Dominus scrutans corda, & probans renes; Et licèt talis sensus regulandus sit à sensu expresso hîc in præsenti distinctione, & articulo; attamen ex hoc, seu his locis Scripturæ non habemus quid declaratum de fide contra Angelicam cognitionem in ordine ad corda hominum; & cum in distinctione, & articulo præsenti hoc non determinet Seraphicus: licèt enim proferat scripturas, tamen deducit (videtur quod talem cognitionem non communicet Diabolo) ponderandum Verbum (videtur) & cum nec aliqua æquivalens clausula habeatur, puta (oppositam sententiam adversari manifestis locis sacræ Scripturæ, &c.) videtur Seraphicus non hanc doctrinam nobis tradere uti de fide declaratam: sed ut magis conformem Scripturæ, & Patribus. Adde quod nec D. Thom. hîc, nec Alens. nec Richard. tradunt hoc uti de fide, uti patet legenti: quidquid dicat Suarez.

QUÆSTIO IX.

An Angeli cognoverint à principio ante lapsum supernaturaliter fidei mysteria?

105 HInc inde invenio opiniones, P. Vasquez. *3. part tom. 2. disp. 515. c. 2.* licèt utramque opinionem probabilem dicat: tamen docet, & defendit affirmativam: nempè Angelis fuisse à principio revelatum mysterium Incarnationis: de hoc enim præcipuè instituit quæstionem: & Angelis bonis, & malis, in via enim factam, ait, fuisse hanc revelationem. Probat hanc sententiam ex D. Thom *quæst. 64. art. 1. ad 4.* sed ait, docere videtur: sed clarissimè hanc docere *2. dist. 11. q. 1. a. 4.*

Profert ex Patribus Rupert. Abb. in illud Joan. 8. Ille homicida fuit ab initio; Caietan. Viguer. Jacob de Valent. Nicol. de Lyr. Dionis. Chartus. citat etiam D. Bernardum serm. 12. super Cant. licèt id constanter (ait) non affirmat. D. August. *5. lib. de Gen.* ad litteram ex sensu D. Thom. *in 2. ubi sup. a. illo 4.*

Probat ratione dicens: ex rationibus, quæ congruenter solum hoc ostendunt, ea potissima, meo judicio, est: Quod Adamus in statu Innocentiæ hoc mysterium cognoverit, ergo & Angeli.

Præmittit mysteria Trinitatis, justificationis, & Beatitudinis fuisse revelata omnibus Angelis ex D. Thom. *in 2. ubi sup. & hic ad 1. & in 1. p. q 64. art. 1. ad 4.* Negant, ait, aliqui recentiores Thomistæ, Angelis fuisse hoc mysterium revelatum à principio ex scripturis, & Patribus.

Quid senserit Seraphicus, desume *ex 3. sent. d. 3. dub. 4.* Nihil, ait, impedit, quin Gabriel scire potuerit mysterium Incarnationis, & alii Angeli poterant ignorare; vel potest dici, quod inferiores Angeli, sciverunt mysterium Incarnationis, sed quærebant profunda Divini Consilii apud Isa. 62. Quis est iste, qui venit de Edom. Et hoc meliùs cognoverunt post Filii exaltationem, quibus explicita, & manifestata est multiformis Dei sapientia, hæc ille.

Et ex *3. dist. 23. quæst. 3. art. 2. ad 3.* cujus verba sunt: In prima eorum conditione fuit revelatum mysterium Trinitatis omnibus Angelis, etiam malis; & in corpore, ait: In prima conditione sua, loquitur de Dæmonibus, habuerunt cognitionem aliquam de articulis pertinentibus ad Trinitatem, de iis quæ spectant ad Divina, quantùm ad articulos spectantes, est in eis cognitio acquisita per miracula, & experimenta, quasi extorta necessitate quadam: hæc Sanctus: Ex quibus duobus locis, sequentes accipe conclusiones.

Prima conclusio, Angelis omnibus in via fuerunt revelata mysteria Gratiæ pertinentia ad Divinitatem: quæ conclusio communis, non solùm Seraphica, est. Ratione autem potest probari: quia hoc medium necessarium est ordinatis ad finem supernaturalem; Angeli omnes ad talem erant ordinati, ergo.

Concl. 2. Ante Incarnationem fuisse revelatam Incarnationem, quoad substantiam omnibus Angelis bonis: hanc ponit Seraphicus ubi supra.

Tertia conclusio, nihil impedit, quin Gabriel scire potuerit mysterium Incarnationis, & alii Angeli poterant ignorare.

Ultima conclusio, Angeli mali non agnoverunt mysterium Incarnationis, nisi post factum: & hoc non per revelationem, sed per miracula quæ viderunt ab homine Deo operari. Prob. ex D. Aug. *de Civit. Dei*, ait D. Bon. *ubi sup. ad 3.* Ipse Christus, ait, innotuit Dæmonibus, non per id, quod est veritas, & Lux: sed per quosdam suæ virtutis effectus; unde quia ipsi videbant miram Christi virtutem in suis effectibus, cui nullatenus poterant resistere, cognoscebant ipsum & purum hominem, sed Deum esse: hæc ille.

Hanc opinionem sequuntur Chrisostomus, Theodoret. Theophil. Oecumen. Hieron. & Nissen. teste Vasquezio; unde cum qualitas horum Sanctorum superet qualitatem illorum, quos pro se profert Vasquez; hinc corruit probatio ab auctoritate apposita à Patre Vasq. Nam quid censerit D. August. patet ex prolata ejus auctoritate, de Civit. Dei: cui magis credendum est, quàm auctoritati (si adesset) de Gen. ad lit. quia, ut supra notavimus ex Seraph. de Gen. opinativè, de Civitate Dei, assertivè loquitur.

Ad Rupertum in illa verba Joan. 8. Ille homicida fuit ab initio, explicat Seraphicus locum dupliciter: ille homicida fuit ab initio, scilicet in primò homine. Secunda expositio est: ab initio, quia in eo instanti, in quo creatus est, fuit lapsus; idest parum post creationem. Non ergo de homine Christo revelato ei loquitur D. Joannes, Nec Rupertum constat interpretari locum de odio in hominem Deum. Granado *1. p. t. t. tom. 13. disp. 1. sect. 4. num. 28.*

Ad D. Thomam hic ad primum, ait: Revelatum fuisse omnibus Angelis mysterium Incarnationis à principio suæ Beatitudinis, *& q. 64. art. 1. ad 4.* ait: Cognovisse omnes à principio, maximè ex quo beatificati sunt visione Verbi, quam Dæ-

mones nunquam habuerunt: hæc ſunt ejus verba; undè repetit, quod dictum loquens de Beatis, ſivè ſaltem, de bonis. Sequitur enim: unde Dæmones multò minus Chriſto exiſtente in mundo: & profert D. Auguſt. *lib.9. de Levit. Dei, cap.21. tom.5.* non enim innotuit eis (verba ſunt Auguſtini) ſicut Angelis Sanctis: qui Verbi participata æternitate perfruuntur: ſed ſicut eis terrendis innoteſcendum fuit per quædam temporalia effecta, &c. ſaltem ergo non loquitur de Dæmonibus, dum ait: Omnes à principio cognoviſſe, maximè ex quo beatificati ſunt; ſed dico, Dæmones (ut ipſe ſequitur) non fuerunt beatificati, ergo illud, omnes, pro ipſis non diſtribuit, cum illi omnes beatificati ſint: & ſupra Magiſtrum, potius conſtat, de bonis Angelis ſolùm locutum fuiſſe, cum de malis nec Verbum quidem.

Ad rationem reſpondetur, negando conſecutionem; aderat enim major ratio revelandi tale myſterium Adamo, quam Angelo: eo quia de Adamo carnem ſumere decreverat, & ad generis humani redemptionem peragendam erat tantum myſterium.

Aliud adeſt argumentum. Mali Angeli in Incarnationem peccavere, ut patet ex pluribus Doctoribus, ergo eis revelata fuit. At reſp. negando antec. ex communi antiquorum Scholaſticorum, & Sanctorum ſenſu, uti videbimus, Deo dante, ſuo loco, ubi de Angelorum peccato.

Contra ſecunda concluſionem profertur locus Iſa 62. quo Angeli boni in Domini Aſcenſioni ad invicem interrogantes dicebant: quis eſt iſte, qui venit de Edom. ubi Hieron. Angelicæ Poteſtates non intellexerunt ad plenum myſterium Incarnationis. Reſpondetur ex Seraph. ubi ſupra *in 3. diſt.1. dub.4.* Angeli non quærebant Incarnationem: ſed profunda Divini Conſilii, quod meliùs cognoverunt poſt Filii exaltationem, & veritatis prædicationem. Hæc ſatis pro hujus dubii reſolutione, & Angelorum cognitione.

DISPVTATIO VI.

173 AD cognitionem intellectivam conſequitur perfecta locutio: nam licèt detur etiam in animalibus irrationalibus, tamen ſolùm rationalibus perfecta competit: cum enim locutio ſit expreſſio conceptus interni, vel ad ſe, vel ad alterum, ideò ſignificatio ipſius locutionis eſt tantùm rationalium, ut notat Seraph Doct. *l.1. d.9. dub.7. & l.2. diſt.21. dub.1. & d.10. art.3. q.1.* Hinc de locutione Angelorum meritò hîc agendum.

QUÆSTIO I.

Quomodo Angeli colloquantur?

ANgelos loqui ad invicem, & ad nos, certum eſt de fide, ut habetur pluribus textibus ſacræ Scripturæ: Ex prima Cor. c.10. Zach.2. & 3. & docet Seraph. Doct. *op. de Eccleſ. Hier. 1.p. cap.1.* ratio eſt, ait Seraph. Doct. *lib 2. diſt.3. p.1. art.2. fund.4.* quia omnes ſunt concives ejuſdem convictus, ac ſocietatis, ad quæ requiritur communicatio rationalis, quæ profectò collocutionibus fit. Difficultas verò, & quidem maxima, eſt circa modum.

1. Opinio eſt aliquorum aſſerentium, Angelos colloqui ſignis quibuſdam, quibus conceptus proprios mutuò adaperiant, quæ ſigna ſunt ſenſibilia, vel nutus quidam: quæ opinio communiter ejicitur: nam, ut dicit Seraph. Doct. *d.10. art.3. q.1.* Angeli non indigent ſigno ſenſibili, nec medio deferente ſpecies, ut evenit in nobis.

2. Sent. eſt Scoti, & ſequac. Angelum loqui imprimendo alteri ſuam intellectionem, & hoc fit (dicunt Scotiſtæ) vel cauſando ſpeciem impreſſam objecti, vel actum ipſum intelligendi, vel utrumque ſimul: & hac ratione fit, ut producatur ſemper aliquis effectus à loquente in audientem. Sic Alenſ. Richard. & Aureol. Aliqui Scotiſtæ negant, aliqui producı in audiente.

3. Sent. communis eſt, unum Angelum alteri colloqui, nullo effectu producto in audiente. Citantur pro hac opinione plurimi à P. Gaud. *d.ſt.2. quæſt.15.* Citatur Seraph. Doct. ab iſtis, qui verè ſtat cum hac ſententia, ſed diverſo, & ſingulari modo ab ipſis, id explicat. Pro ſolutione quæſt.

Not. 1. ex eodem Seraph. Doct. *lib.1. d.9. dub 7.* 174
& diſt.17. p.2. q.1. & lib.2. diſt.21. dub 1. locutionem eſſe manifeſtationem interni conceptus naturalem, non artificioſam, ideò exigit virtutem motivam, & directivam, & per conſequens cognitionem in loquente, & audiente; directionemque per ſignum aliquod, maximè in hominibus: & quia loqui eſt dupliciter ex *lib.2. d.10. a.3. q.1. & 2.* nempè vel ad ſe, vel ad alterum. Primum eſt idem ac cogitare, ſeu verbum gignere: Secundum eſt tale verbum exprimere alteri per aliquod ſignum, vel aliquid aliud æquivalens: utrumque competit Deo, Angelis, & hominibus; ſed ſecundum addit ſignum, vel effectum aliquem: in Deo ad nos, addit revelationem: in homine, addit & revelationem, illuſtrationemque & ſignum ſenſibile: In Angelo verò quæritur, quid ſit id, quod ſuperadditur, & in hoc ſtat varietas opinionum, de quibus ſupradictum eſt.

Not. 2. quod Theologi conveniunt in hoc, quod
locutio Angelorum fiat per ſigna ſpiritualia; diſ- 175
crepant tamen inter ſe, quale ſit hoc ſignum Seraph. D. *d.10 cit.* docet eo modo, quo Angelus ſibi loquitur, etiam aliis loquitur, addita protenſione ad alterum per ſuam virtutem: Et quia ſibi loquitur, vel cognoſcit res per ſpeciem intentionalem, ſeu univerſalem compoſitam cum aliis, & per directionem talis ſpeciei ad alterum, ſic poteſt dici, Angelum alteri loqui per ſigna compoſita, velutì per characteres, per quos oſtendit ſuum conceptum, ipſum

ipſum dirigendo ad alium, ſimulque excitando ipſum ad auditionem, tuncque audiens per mutuam converſionem percipit: Affert autem Seraph.D. *l.1. d.9. dub.7.* exemplum de duobus ſpeculis ſibi objectis,& mutuò oppoſitis,ſi voluntate poſſent abſcondere aliis,vel patefacere, quæ in ipſis relucent: ex qua poſitione Seraphica tolluntur omnes difficultates, quæ in cæteris opinionibus occurrunt: nam iſto pacto ſalvatur occultatio, & expreſſio voluntaria: ſalvatur & differentia cognitivæ,& interpretativæ potentiæ: ſalvatur & locutio per ſigna, & nutus. & diverſitas converſionis ad ſe, & ad alterum: ſalvatur & illuminatio inferiorum facta à ſuperioribus. His poſitis, ſit.

176 Concl. 1. Angelorum locutio non fit per ſigna ſenſibilia,ut dixit Durand. Ratio eſt, quia natura Angelica ſecundùm ſuum ſtatum naturalem, cui competit locutio, eſt independens à rebus ſenſibilibus,ergo,&c.Sic Seraph D.*d.*10. Addimus quod ſi in corporibus aſſumptis fiat per talia ſigna, id eſt per accidens, alioquin Angeli non poſſent loqui, niſi in his ſublunaribus rebus.

Concl. 2. Non ſatis ſe explicant Thomiſtæ, dicentes,locutionem fieri,ordinando conceptum alteri per voluntatis imperium. Ratio eſt, quia requiritur etiam excitatio phiſica in audiente,cum ſit vitalis motus iſta excitatio, ob idque nec poteſt eſſe ab aliquo merè extrinſeco, ſed ſuperaddi debet aliquid in potentia excitata. Reſp aliqui, Deum talem excitationem cauſare: ſed hoc eſt gratis dictum, ſine ratione. Reſp. Joan. à S.Thoma, talem ordinationem ſubeſſe imperio audientis, & ipſo, quo facta eſt.Contra,quia talis ordinatio nihil reale ponit in audiente, ſed ſolùm extrinſecam denominationem ortam ex actu voluntatis ordinantis.

177 Concl. 3. Locutio per impreſſionem factam ab Angelo loquente in intellectu audientis non poteſt fieri. Eſt contra Scotum, & ſequaces. Pr. quia talis impreſſio, vel fit per intimam præſentialitatem: & hac non, quia illapſus eſt ſoli Deo proprius,qui fit per intimitatem cum imperio ſuper illum, cui fit talis intimitas: vel fit per diſtantiam; & hoc non, quia tale accidens deberet tranſire de ſubjecto in ſubjectum: tum quia actus intellectionis naturaliter,& neceſſariò repræſentat; ideóque non poteſt ſubeſſe imperio voluntatis. ergo ex actu voluntatis non poteſt adquirere vim expreſſionis ex oculto, ſicuti erat priùs, ergo talis impreſſio non eſt neceſſaria, ſed tantùm manifeſtatio.

178 Concl 4. Opinio Seraph. Doct.eſt cæteris intelligibilior, aſſerens, locutionem Angelicam fieri per protenſionem,& oſtenſionem ſui conceptus, excitativam mentis audientium, ob idque per productionem alicujus effectus,vel nutus, vel ſigni ſpiritualis in ipſo audiente. Eſt Seraph. Doct.*d.*10.*a.*3. *q.*3. qui totus eſt in probando, locutionem addere aliquid ad cogitationem,tum in loquente, tum in audiente, ex eo, quod neceſſariò debet fieri mutatio intrinſeca in utriſque: tum quia(ut notat idem Seraph. Doct. *q.*1.*fund.* 2.) differt in Angelo virtus cogitativa,quæ connectitur ad ſe,& virtus interpretativa, qua convertitur ad alterum loquendo,quæ ſubeſt imperio voluntatis, ergo ad cogitationem requiritur aliquis effectus ſuperadditus.

Sit ergo concluſio,quod Angelus liberè ſpeciem compoſitam protendendo ad alterum, ipſum excitat ad audiendum, convertendo ſe ad eam. & ſuper ſe reflectendo,ideóque non fit per purum nutum voluntatis, ſed per aliquid ſuperadditum.

179 Objic. 1. D. Anſelm. *in 1. p. ad Cor. c.*13. ſi linguis Angelorum loquar,dicit,id fieri per nutus interiores, ergo non per protenſionem ſpeciei. Reſp. Per nutus intelligi ſpeciem protenſam excitantem audientem.

Objic. 2. Talis protenſio ſpeciei debet fieri per medium, ſed ſpecies ſpiritualis non poteſt tranſire per medium, quod eſt corporeum improportionatum,ergo non protenditur. Reſp Seraph. Doct. *in corp. & a.*2. *q.*2. *ad* 3. ſpeciem ſpiritualem non indigere medio corporeo.

Objic. 3. Iſti nutus, vel effectus: vel ſunt ſigna ad placitum,vel naturaliter expreſſiva conceptuum; ſed neutrum, ergo, &c. Prob. min. Non primum, quia ſic oporteret,Angelos inter ſe priùs conveniſſe circa tale ſignificatum,idque non conſtat,ergo,&c. Nec ſecundum, quia Angelus non poſſet alteri loqui, cæteris audientibus, quod eſt inconveniens: non enim poſſet dari locutio ſecreta inter Angelos, &c. tum quia talis ſignificatio deberet fundari in entitate conceptuum, quod eſt impoſſibile, cum tales conceptus non ſint vel ſpecies,vel effectus,vel cauſæ ipſorum accidentium, ergo nullo modo admitti debent tales nutus.

Hæc objectio maximam excitat difficultatem: 180 an expreſſio conceptuum ſit naturalis: an ad placitum:ideò varii varia reſpondent,ut videre eſt apud Meldul. *d.*2. *n* 164. ſed ex doctrina Seraph. Doct. facillimè reſpondetur, eſſe ſigna & naturalia, & ſimul ad placitum: naturalia ſunt, quia ſunt ſpecies Angelorum: Ad placitum ſunt, quatenus ſunt pro libito ſpecies compoſitæ ad aliquid ſpirituale ſignificandum,& protenſæ,& oſtenſæ audienti: ſicque ceſſant omnes inſtantiæ Meldulæ.

Contra inſurgunt adverſarii. Iſta protenſio ſpecierum ab Angelo loquente ad audientem, eſt inintelligibilis: & prob. quia ſi protenditur ſpecies ab uno ad alterum, ſequitur, quod loquens ipſam deperdat,ſicque non erit indelebilis,uti admittitur ab omnibus,cum ſint innatæ: Et ſi ſpecies non recedunt ab ipſo loquente, ſequitur, quod talis protenſio erit per multiplicationem aliarum ſpecierum: In quo caſu,quæritur:an iſtæ ſpecies ſint eædem cum ſpeciebus loquentis; an quid diverſum; & qualiter diffundantur per medium, & ad quantam diſtantiam.

Huic graviſſimæ difficultati reſp. ex Seraph. D. *d.*10.*a.*3 *q.*1.*ad* 5.6. & 7. & *a* 2.*q.*2. *ad* 3. quòd ſicut in immutatione viſus duplex lux concurrit, nempè lux oculo incorporata, & lux è corpore luminoſo adveniens irradians objectum: ſic in ſpirituali cognitione,ſcilicet lux æternæ veritatis, ideſt innata cum Angelo, & lux, ſeu virtus ipſius intellectus: Unde cum Angelus ſibi manifeſtat rem aliquam ſingularem,componit ſpeciem,eamque dirigit ſuper rem,ſic format verbum interius:dum verò tales ſpecies compoſitas oſtendit alteri, ſimul per ſuam virtutem dirigit ad intellectum alterius, ipſum excitando ad auditionem: & hoc pro libito, quia talis protenſio eſt voluntaria: Unde eſt eadem ſpecies in loquente & audiente,ſed actus conſiderandi eſt alius, & alius, in loquente eſt prius cogitatio, & ut compoſita, & oſtenſa eſt locutio, & ut percepta ab altero,eſt auditio, & ideò ex parte audientis non ponitur impreſſio,ſed tantùm excitatio. Sicque ſoluta remanet dubitatio propoſita: & ad illud de diſtantia. Reſp. requiri diſtantiam proportionatam, ut infrà dicetur.

Inſtabis. Audire,& videre in Angelo ſunt unum & idem,quia utrumque nihil aliud eſt, niſi intelligere, ergo loqui nihil aliud, quàm intellectio, ergo nihil ſuperaddi debet. Reſp Seraph.D. conc. antec. neg. conſequentiam, quia ad locutionem requiritur

protensio, seu nutus, & ad auditionem excitatio, ut dictum est: sicque Angelus loquens protendit speciem, ostenditque audienti eam, & audiens haurit applicationem specierum, quæ in speciebus ejus deperit, ut docet S.D. hic, & *d.3.p.2.a.1.q.1.*

QUÆSTIO II.

An Angelus valeat loqui cum alio in quantacumque distantia.

182 QUæstionem hanc excitat Seraph. D. *d.*10. *a.3. q.1. ad arg.* quæ quæstio insurgit ex protensione specierum supra posita: in qua. Prima opinio est D. Thom. & sequac. nullam distantiam obesse, & nullam vicinitatem prodesse angelicæ locutioni: Citatur etiam Scotus pro hac sententia, sed malè. 2. sent. est negativa, asserens, non posse Angelum alteri loqui in quantacumque distantia. Sic Seraph. D. supra cit. quem sequuntur Gregor. Gabr. Scotus, & Scotistæ, plurimique alii: Pro quo notandum, quod tatio, quare adversarii admittunt locutionem angelicam in quantacumque distantia, est tum quia Angelus non dependet à loco: tum & magis, quia tales actus spirituales abstrahunt ab omni loco, & non indigent medio; sed tamen quia ea is excitatio, protensio, aliusque affectus est ex virtute motiva, seu directiva, hinc secundùm proportionem virtutis tantùm potest se extendere: ideò sit.

Conclusio. Angelus non potest alterum alloqui immoderatè à se distantem. Est Seraph D. cit. Ratio est, quia Angeli habent determinatam sphæram suæ localitatis, & activitatis, ergo & locutionis.

Objic. medium corporeum nihil officit isti protensioni, ergo quantumcumque sit distans poterit fieri locutio. Resp. transeat antec. neg. conseq. ob rationem adductam: Angelus enim necessariò est in loco determinato, & habet virtutem determinatam, & finitam.

QVÆSTIO III.

An Angelus aliis præsentibus possit secretò unum alloqui.

REsp. Scotus cum Scotistis apud Meld. *n.*296. negativè, cum omnes naturaliter percipiant conceptus: Addit verò Meldula, omnes Angelos quidem videre illos conceptus, non verò audire, nisi illos, ad quos directa est expressio, cum fit voluntaria: sed tamen oppositum est probabilius, & certius, quod tenent Seraph D. hic *q.1. a.3.* D. Th. cum suis sequacib. Ratio est, quia hæc perfectio data est homini, ergo multò magis Angelis: tum quia sic decet politiam, ut possit tractari secretò, quando oportet: tum ex ratione secreti: tum quia illa protensio, & ostensio conceptus est voluntaria, quia omnimodè subest imperio voluntatis, ergo nec illa distinctio Meldulæ potest subsistere: est enim frivola, imò inintelligibilis.

Dices. Illi conceptus naturaliter significant, ergo naturaliter omnibus. Resp. naturaliter significant, sed sub dominio voluntatis, tum physico, tum morali, &c.

QVÆSTIO IV.

An eadem locutio possit esse à Deo, & ab Angelo.

REsp. Seraph. Doct. *d.*10. *quæst. vult.* a.p. quod 183 sicut videri potest Deus tripliciter, nempè visione intellectuali in seipso lucens. 2. visione imaginaria: & 3. in visione corporali in subjecta creatura: sic & audire tripliciter potest, scilicet vel per aliquod signum in interiori sensu, vel interiori in imagine formatum: vel per aliquod inspirationis verbum nostris mentibus instillatum: Ita etiam contingit tripliciter fieri nobis locutio secundùm triplicem auditus excitationem: nam Deus aliquando loquitur per signum sensibile vel exterius, vel interius, scilicet voce corporali, vel imaginaria, vel spirituali in corde. Primis duobus modis ferè semper Deus nobis loquitur per Angelum, qui vel loquitur in Persona Dei, vel ut nuncius Dei: sed tertio modo est immediatè à Deo, neque convenit cum Angelicis locutionibus. Vide Seraph. Doct. *ibid.* ubi multa disserit de hac materia.

QVÆSTIO V.

An, & quomodo Angeli illuminentur ab aliis.

QUæstio hæc involuit plura dubia: & primò, 184 an locutio, & illuminatio sint idem. 2. an omnes actus hierarchici, qui sunt purgare, illuminare, & perficere, spectent ad locutionem; & item, an isti actus sint proprii omnium Angelorum, an aliquorum tantùm. 3. quale sit objectum talis illuminationis. 4. in quo sita sit ratio formalis talis illuminationis. Ut omnia ista breviter solvantur ex Seraph D. *l.*1. *d.*9. *in expos. text. & q.*6. *& op. Comp. Theol. l.*2. *c.*15. *& alibi.*

Not. 1. quod illuminatio species est locutionis: hæc enim in plus se habet, quàm illuminatio, quia ut dictum est, loqui est manifestare proprium conceptum alteri, ipsum excitando ad audiendum; sed illuminare se restringit tantùm ad ea, quæ conducunt ad Deum: & hoc fit tripliciter, scilicet purgando, illuminando, & perficiendo: purgare respicit nescientiam, illuminare est manifestare, & perficere est tradere ea, quæ perfectè conducunt ad Deum: vel clariùs, ut dicit Seraph. Doct. *d.*10. *a.*2. *quæst.*2. *ad ultim.* purgatio est in initio: illuminatio in progressu: perfectio in termino: sic enim purgare respicit remotionem impedimentorum: illuminare, cognitionem verorum: perficere, dilectionem beatorum: idque fit per modum excitantis, sicut sermo benè prædicantis: quod munus etiam aliqualiter adaptari potest bono Prædicatori: unde licèt proprium sit cujuscumque Angeli loqui alteri, etiam superiori, non tamen propriè illuminare, & perficere: isti enim actus competunt solùm Angelis superioribus respectu inferiorum, habentque pro objecto omne verum, sive naturale, sive supernaturale conducens ad Deum. His ita constitutis, quæritur, an per talem illuminationem efficiatur aliquid in Angelo illuminato.

Durandus negat tales illuminationes: Scotus ait, fieri per impressionem specierum. D. Thom. ait

ait fieri per corroborationem intellectus, ex immissione novi luminis.

185 Seraph. verò Doct. conclusio est, fieri per protensionem speciei compositæ, conceptusque interioris Angeli illuminantis, per quàm excitatur audiens ad audiendum, & intuendum verbum illud expressum ex revelatione. Hæc conclusio, inquam, est Seraph. Doct. procedentis consequenter ad sua principia, & ad doctrinam D. Dionys. ex *l.2.supra cit. & a. 2 q. 2. & Opusc. de Eccles. Hier. & Comp. Theol.* Et probatur primò ex variis textibus Sacræ Scripturæ in quibus indicatur, Angelum illuminantem ita se habere ad inferiorem, sicut Magister ad discipulum, ut docet S. Dionys. pluribus locis, præcipuè ex Zach. *c.1. & 2.* & Ezech 9. & Dan. 8. & 9. aliisque locis, & Seraph. Doct. *de Eccles. Hier. p. 3.* ex quibus habetur, Angelos superiores illuminare inferiores causaliter, purgando, illuminando, &c.

Prob. etiam ratione ex Seraph. Doct. Non potest aliquis intrinsecè mutari, sine nova, intrinseca actione, vel passione: at Angelus illuminans mutatur intrinsecè ex non revelante in revelans, & illuminatus item ex non illuminato, ergo per intrinsecam actionem & passionem: sed hoc non fit per productionem intellectionis in alio, ut de se patet, nec per corroborationem intellectus illuminati, cum ad id non pertingat vis angelica, sed solius Dei, ergo per solam ostensionem conceptus revelati, & excitationem, ut dictum est, ergo, &c.

Dices. Si Angelus superior alium illuminat, solùm excitando audientem, sequitur, quod non amplius possit, quàm unus homo erga alterum: sed clarum est, quod amplius potest, cum sit lumen supernum, ergo aliquid amplius efficit, ergo vel imprimit conceptum, vel corroborat mentem, uti dicebat D. Thom. & Scotus. Resp. Seraph. Doct. *d. 10. a. 2. q. 2. ad 5. & 6.* negando major. licèt enim conveniant Angelus, & homo in expressione conceptus, in hoc, quod neuter imprimat aliquid in audiente, disconveniunt tamen in efficacitate, quia per eandem viam contingit, & benè, & meliùs docere. Hinc infert Seraph. Doct. *ibid. ad ult.* quod licèt tria munera hierarchica purgandi, illuminandi, & perficiendi propriè competant Angelis superioribus, possunt etiam proportionatè competere in Ecclesia bonis Prædicatoribus, & Doctoribus, per quod patet eminentia dignitatis Prædicatorum.

186 Concl. 2. Licèt de lege ordinaria isti tres actus hierarchici competant Angelis superioribus respectu inferiorum, & hoc propriissimè, tamen non implicat, Angelos superiores posse instrui aliquando ab inferioribus, imò & ab hominibus etiam, licèt impropriè, & illuminatione propria, & rigorosa. Sic Seraph. Doct. tum *in Opusc. de Eccles. Hier. plurib. locis sparsim*, tum *l. s. d. 3. p. 2. a. 2. q. 1. ad 1. & d. 13. a. 2. q. 1. in corp. & d. 10. a. 3. q. 1.* Explicatur, & simul prob. Conclusio. Angeli superiores propriè dicuntur illuminare inferiores, quatenus ipsos docent, sed in ordine ad ministeria illis imposita ordinata ad salutem hominum, ideoque per hoc importatur aliqua præsidentia, quæ post diem judicii, quoad actum cessabit. Angeli inferiores dicuntur illuminare superiores impropriè, quatenus aliquando Deus vult, ut ab ipsis instruantur de aliquo mysterio, prius eis occulto, sed non in ordine ad ministerium nostrum: sicut Episcopus, vel Princeps instruit unum officialem de rebus gerendis, dicitur eum illuminare; non verò alium, ad quem non pertinet executio, tametsi dicatur eum instruere. Sic Pater Gaud. *n. 412.* Morand. &c. Quod verò Angeli ab hominibus instruantur aliquando, patet ex Ephes. *cap. 3.* aliisque locis Sacr. Script. & SS. PP.

187 Quæres; *An, & quomodo Angeli illuminent homines?* Resp. Seraph. Doct. *l. 2. d. 10. a. 2 q. 2. & Comp. Theol. l. 2 c. 18. & seq.* cum communi D. Thom. & ferè omnium, Angelos posse illuminare homines, non quidem irradiando, vel imprimendo veritatem immediatè in superiori parte rationis: hoc enim spectat ad solum Deum, qui est lux vera, & oppositum dicere, est erroneum; sed tantùm inferiorem partem, & hoc vel ipsam irradiando sua luce, vel per modum speculi deferentis: vel, & est probabiliùs, per veterum phantasmatum commotionem, simulque per remotionem impedimentorum: non enim possunt immittere novas species in nobis, sed existentes commovere, & aptare ad cognitionem mysteriorum occultorum.

Igitur ex D. Dionys. & Seraph. Doct. *Comp. Theol. l. 2. c. 18.* Angeli exercent in homine tres actus, purgandi, illuminandi, & perficiendi tali pacto: primò purgant, removendo phantasmata impedientia nostram illuminationem, removendo, inquam, ignorantiam, & nubila phantasiarum, ac falsas opiniones Philosophicarum rationum revelatione veritatis. 2. illuminant animam tripliciter, scilicet ad sensum, ut quando aliquid manifestatur in assumpto corpore: Item ad imaginationem nempe cum fumositates elevatas per spiritum animalem ad cerebrum transmittunt in diversa phantasmata, & hane potestatem etiam habet Diabolus; 3. item ad intellectum, & talis illuminatio solùm perfecta est: & hoc faciunt, non efficiendo in anima novam cogitationem, nec novam speciem, seu habitum imprimendo, nec actum in ea efficiendo, sed tantùm excitando, & disponendo, & lumen divinum in nos transferendo. Vid. ibid. alia plura hanc veritatem egregiè explicantia, &c.

QUÆSTIO VI.

Plura spectantia ad complementum hujus tractationis de intellectione, & locutione Angelorum breviter per varia quæsita enodantur.

188 Quæres 1. *An Angeli possint decipi, vel decipere?* Resp. primò ex Seraph. Doct. *l. 2. d. 7. p. 2. q. 1.* quod, cum Angeli in esse naturali considerati, sint insigniti circa naturalia speculativo judicio non possunt decipi: ratio est, quia licèt veritas, & falsitas triplex versetur etiam circa apprehensionem simplicem, ex Seraph. Doct. *l. 1. d. 3. q. 1. ad 4.* & Scoto: tamen quia Angelus præditus fuit lumine præclaro, & speciebus præstantissimis, in quibus omnia naturalia videret; ideo non potest decipi: defectus enim talis evenit ex defectu specierum: tum quia id competit perfectioni naturali ipsorum, ut sint lumina, ut *loc. cit. d. 7. ad 3. & fund 3.*

Resp. 2. Per accidens etiam Angelos posse decipere, & mentiri, quia potest Angelus pro libito componere species repræsentantes rem diverso mo-

do ac est; nec ulla adest implicantia; quod & aliquando faciunt dæmones, maximè cum suis intimis sequacibus.

189 Quæres 2. *Quomodo possit loqui Angelus per linguam hominis, vel in assumpto corpore?* Resp. Seraph. Doct. *d.* 8. *p.* 1. *a.* 3. *quæst.* 2. & clariùs *d.* 27. *dub.* 1. Tria ad locutionem esse necessaria: primum est instrumentorum aptitudo. 2. Virtus motiva: 3. virtus discretiva. Primum est in organo, & in potentia sensitiva, 3. est in intellectiva. Primum est quid externum: Secundum, & tertium est quid internum, propriéque competit animæ prout est forma corporis: hinc est quòd in assumpto corpore, Angelus movet tantùm instrumenta ad locutionem, & percussionem aëris: & hæc propriè non est locutio: aliquando in Energumenis movet instrumenta viva ad articulationem vocis, & tunc potest esse vera locutio; quando scilicet concurrit etiam vis animæ directiva ipsius loquentis: aliquando est locutio tantùm materialis absque vi directiva, & cognitiva, ut in arreptitiis; deficit enim tunc significatio interna ab anima, ut evenit in locutione serpentis cum Æva. &c.

190 Q. 3. *Quomodo Angelus loquatur homini?* Resp. Seraph. Doct. *Comp. Theol. l.* 2. *c.* 19. hoc fieri dupliciter: primo modo verbo vocali in assumpto corpore: tuncque sicut non profert sonum in organis materialibus secundùm naturam, ita nec circulariter immutat medium, & venit in voce naturali; ideo non auditur, nisi ab illo, ad quem ordinatur: Idemque evenit in apparitionibus Angelorum, quos quidam vident, & alii æquè propinqui non vident, ut patet in Elisæo, & puero ejus 4 Reg. *cap.* 6. potest etiam evenire talis visio, vel locutio per positionem speciei in oculo, vel in aure audientis, & videntis, & tunc transit talis species ad sensum communem, indeque ad intellectum, talique pacto dicitur Angelus apparere, vel loqui homini. Vid. *l.* 2. *p.* 1. *a.* 2. *per tot.* secundo modo loquitur Angelus homini per impressionem rerum sensibilium, moto instrumento imaginationis, & sic loquitur vigilantibus, & dormientibus. Vid. *ibid. & Op. comp. cit.*

Q. 4. *Quomodo homo loquitur Angelo?* Respond. 191
quod anima separata potest loqui eo modo, quo dictum est de Angelis: quoad hominem. Respond. Seraph. Doct. *Comp. Theol. cit.* quod homo potest loqui Angelo per voces veras corporis, quas benè percipit, sicut & alia consimilia: non enim indiget alia virtute spirituali, sicut quando est exuta à corpore: Potest, & loqui Angelo, & Diabolo exhibitione, & motione similitudinum, & specierum impressarum, in sensibus, quas Angelus legit, & intelligit.

DISPUTATIO VII.

De voluntate Angelorum.

QUÆSTIO I.

An sit voluntas in Angelis?

192 PRimò suppon. ex traditis à nobis in Philosophia de anima *tract.* 1. Voluntatem esse potentiam seipsam moventem: vel esse appetitum cum ratione liberum. Sic enim diffinitur à Seraph. Doct. *Centil p.* 3. *s.* 21. à Scoto, & aliis: Voluntatemque dividi in irascibilem, & concupiscibilem, & rationalem. Irascibilis autem, & concupiscibilis est etiam in brutis, licèt minus propriè: propriè autem est in rationalibus, quia eadem voluntas rationalis, quatenus tendit in delectabilia, & refugit tristabilia, dicitur concupiscibilis, & quatenus in eadem tendit, addens in objecto arduitatem, dicitur irascibilis: Unde licèt utraque versetur circa idem objectum, differunt tamen quoad officia, & modus. Sic Seraph. Doct. *l.* 2. *d.* 25. *q.* 2. dicitur verò propriissimè rationalis, quia per eam nati sumus operari rationabiliter, & præcipuè in Deum tendere, & acquirere virtutes. His prænotaria, sit.

Concl. 1. In Angelis est voluntas vera, & potentia distincta ab intellectu. Est communis omnium Theologorum. Ratio est, quia appetitus sequitur ad formam, ergo si forma est rationalis, erit appetitus rationalis, qui est voluntas: tum quia ubi est inclinatio ad bonum universale, ibi est voluntas, & potentia superior sensibili, quæ ad bonum sensibile tantùm inclinatur, sed in Angelis est talis inclinatio ad bonum universale, quod est honestum, per quod boni beatificati sunt: tum quia, si Angelus est intellectivus, ergo habet potentiam tendendi in bonum cognitum: appetitus enim boni, est à dictamine intellectus. Hæc omnia cum communi supponit Seraph. Doct. *tum l.* 2. *d.* 3. *p.* 2. *tum d.* 3. *tum d.* 25. *p* 1. *q* 1.

Quod verò voluntas sit distincta ab intellectu, jam supponitur id probatum in Philos. de anima, ubi demonstratum est ex Seraph. Doct. *l.* 1. *d.* 3. *p.* 2. *a.* 1. *q.* 3. *& aliis plurib. locis cit. in tract.* 1. *q.* 1. *de anima* distingui formaliter ex natura rei.

Concl. 2. In Angelo est vis concupiscibilis, & 193
irascibilis, non tanquam duæ potentiæ distinctæ à voluntate, sed tanquam duæ vires ejusdem potentiæ. Est Seraph. Doct. *l.* 2. *d.* 7. *p.* 1. *q.* 2. *arg.* 4. *ad opposit. addita responsione p.* 1. *a* 2. *q.* 1. 2. *&* 3. Est contra D. Thom. & Thomist. quorum plures interpretantur, D. Thom. negare solùm istas potentias differre inter se. Prob. autem ex D. Dionys. dicente in dæmonibus esse concupiscentiam amentem, furorem insanum, & phantasiam protervam: Nota, quod hîc phantasia sumitur metaphoricè, quia in Angelis sunt veri actus concupiscibilis, desiderium, concupiscentia dilectio moderata in bonis, & immoderata in malis: Item actus irascibilis, nempè spes, desperatio, audacia, timor, & ira, ut habetur Apoc. *cap.* 12. *Descendit ad vos Diabolus habens iram magnam.*

Advertit tamen Seraph. Doct. *d.* 7. *cit.* istos actus non præoccupare ita mentem Angelorum bonorum, vel malorum, quod non videant quid operentur,

operentur, ut sæpe evenit in nobis ob concursum appetitus sensitivi; sed habent mentem liberam, licet in Dæmonibus adsit cum obscuritate, &c.

QVÆSTIO II.

An in Angelis sit liberum arbitrium.

194 Suppon. 1. Quod triplex libertas datur. 1. Est essentialis in omni agente libero, & intellectuali, communisque bonis & malis; Alia libertas exercitii, vel contradictionis, 3. est contrarietatis, seu specificationis. Thomistæ admittunt solùm duo membra ultima, non verò primum membrum, ut notavimus *tract. 2. de anima q. 2* quorum sensum confutavimus. 1. Est entitativa, absoluta, & essentialis, & consistit, ait Seraph. Doct. *l.2.d.25. p.2 q.1. & 2. alisque loc. cit. ibid.* in dominio absoluto, quod intrinsecè habet voluntas, & dicitur indeterminatio dominii: Voluntas enim sola sibi ipsi, & propriis actibus dominatur, ut se sola, non ab aliis movere possit, & ideo ipsa vult, quia vult se velle, & movere, nec potest ab alio moveri; quæ indeterminatio stat simul cum contigentia, & necessitate, non quidem antecedente, & prædeterminante voluntatem, sed consequente, & per hoc distinguitur ab agente naturali. De qua materia vid. *loc. cit. de anima*, ubi fusè, &c. 2. Libertas contradictionis immediatè oritur à proprio dominio potentiæ, per quod potest velle & nolle, 3. contradictionis est respectu actuum contrariorum amoris, vel odii.

195 Not. 2. *ex traditis in tract. de anima q. 4.* quod aliud est dicere, Angelus habet liberum arbitrium; aliud est dicere, habet libertatem; liberum enim arbitrium duo dicit, scilicet rationem, intellectum, & voluntatem: libertas verò dicit solam voluntatem. Ratio est, ait Seraph. Doct. *l. 2 d 26. p. 1 dub. 1. & q. 1. & 6. ad 5.* quia liberum arbitrium duo vocabula continet; aliud substantivum spectans ad intellectum; aliud adjectivum, spectans ad voluntatem: obidque respicit duarum potentiarum facultatem, ita ut ratio se habeat, ut materiale; libertas, ut formale, non dicitur autem judicium liberum, sed arbitrium, quia judicium imponat actum rationis regulatum secundum regulas rationis: arbitrium verò regulatum secundum imperium voluntatis: libertas verò est intrinseca perfectio solius voluntatis. His positis, fit.

196 Concl. 1. In Angelis est liberum arbitrium. Est de fide, & habetur ex Sacra Scriptura, ex eo quod sæpe asseruntur Angeli, ut rationales boni, & mali in medium: & patet, quia ubicumque est ratio, ibi est necessariò liberum arbitrium, quia ratio voluntati dictat, & voluntas imperat rationi. De qua vid. S.D. *l. 2.d.25.q.2 in fund.*

Dices. Si hæc ratio valeret quam & afferunt tanquam evidentem SS Patres apud Suar. *l. 3.c.1.*) sequeretur, Deum non posse facere creaturam intellectualem, quæ libera non sit, quod tamen videtur non repugnare, & si potest, nemo scire potest, an natura Angelica talis sit. Resp. conc. sequelam; scilicet Deum non posse facere; implicat enim contradictionem, creaturam habere rationem, & non existere liberam, quia ad rationem est connexus appetitus boni universalis cogniti.

Concl. 2 In Angelis est libertas contradictionis & contrarietatis. Ratio est, quia usus libertatis primus, & essentialis est posse velle hunc actum, & ipsum omittere, ad quod sequitur etiam specificatio quoad actum, & objectum, idque nec potest negari aliquibus actibus Angelorum, licèt non in omnibus, ut notat Suar. *loc. cit.*

Quæres. *An voluntas Angeli semper sit in actu suo?* Respond. ex Seraph. Doct. *l. 2. d. 3. a. 2. quæst. 1.* Voluntatem Angeli, sicut & intellectum semper esse in actu aliquo; sed non semper in eodem, sed se posse libero vertere modo ad unum, modo ad aliud objectum.

QUÆSTIO III.

An Angelus naturali dilectione, & necessariò Deum dilexerit propter se, & omnia?

Quæstio hæc, sicut & antecedens, & quæ consequuntur inserviunt ad exhibendam nobilitatis Angelorum secundùm statum suum purè naturalem, & sicut ipsorum prærogativæ enodatæ sunt in ordine ad perfectionem intellectus; sic nunc examinantur, quæ tangunt voluntatem. Quæritur ergo quali dilectione Angeli secundùm suum statum naturalem affecti fuerint erga Deum, ut finem naturalem, objectumque amoris, & dilectionis: scilicèt; an amore naturali; an necessario; an libero, & deliberativo. Pro solut. quæst. 197

Suppon. 1. ex Seraph. Doct. *l. 2. d. 1. p. 2. a. 3. q. 1. & 2.* quod amor potest esse necessarius, vel liber: & hoc quo ad specificationem, & etiam quoad exercitium; idque dicitur de amore amicitiæ, & concupiscentiæ. Amor amicitiæ respicit personam, cui bonum desideratur: Amor concupiscentiæ respicit bonum ipsum inhærens. Uterque autem, vel est propter se, vel propter aliud: Amor amicitiæ propter se, est quando diligitur aliquid, v. g. Deus, super omnia, ita ut nullo commodo vel incommodo velit diligens illud perdere: propter aliud, est alterius gratia, scilicet ob commodum proprium, vel incommodum vitandum: Amore concupiscentiæ diligitur aliquid propter se, quando nulla habita ratione commodi, vel incommodi, quis non vult illud objectum perdere: sic ebriosus diligit vinum propter se: propter aliud verò, quando quis, ob suum commodum aliquod objectum diligit, ut ebrius diligit vinum, vel medicinam propter sanitatem.

Not. 2. Quod, ly, naturale, in titulo quæstionis positum de dilectione naturali, potest sumi multipliciter. 1. Prout contra distinguitur à supernaturali: & sic quæritur: An Angelus naturali amore dilexerit Deum, vel amore amicitiæ, vel concupiscentiæ: Secundo prout naturale contra distinguitur à libero; sicque importat amorem consentaneum inclinationi naturali; an iste necessarius fuerit in Angelo; an liber: & quia quoad amorem concupiscentiæ, certum est esse naturalem, & necessarium quoad specificationem; difficultas est de amore amicitiæ, & benevolentiæ, quo Deus super omnia diligitur. Aliqui cum Gabriele negant, talem amorem esse naturalem, sed volunt non posse distingui ab amore charitatis, & supernaturali: quod tamen

tamen communiter à D. Thom. & Seraph. Doct. aliisque rejicitur. 3. sumitur, naturale, ut opponitur libero, quoad exercitium; nempè an detur talis amor, an non, &c.

Concl. 1. Angeli dilexerunt Deum amore concupiscentiæ viribus naturæ. Est communis cum S. Bon. *cit. in corp. & ad* 3. cum Suar. *l.3. cap.5. n.2.* Ratio patens est, quia Deus est naturale bonum Angeli, ut Author, & Conservator naturæ illorum, & finis naturalis ultimus ipsorum, ergo sub tali ratione Deum dilexerunt.

198 Concl. 2. Angeli dilexerunt Deum amore amicitiæ viribus naturalibus. Sic Seraph. Doct. *cit. fund.2. & corp.* Richard. Ægid. Tost. *in cap.19. Matt. quæst.177.* contra Vasq. aliosque, qui negant, posse distingui à charitate supernaturali, ob idque indigere auxilio gratiæ.

Prob. autem à Seraph. Doct. *fund.3.* Voluntas Angeli amabat bonum naturali dilectione: aut ergo quia bonum, aut quia bonum sibi: si quia bonum, cum Deus sit summum bonum, ergo magis Deum amabat, quàm aliud bonum; si quia bonum sibi, Deus erat magis Angelo bonum, quàm quodcunque aliud, quia Deus est optimus super omnia affectui quærenti illum, ergo quocumque modo sequitur, quòd amabat Deum propter se, & super omnia.

Prob. 2. à Seraph. Doct. quia Angelus constitutus erat rectus quoad intellectum, & voluntatem, ergo aptus erat amare Deum amore recto; sed iste amat Deum super omnia, & propter se: amare enim aliud supra Deum est contra rectitudinem naturalem. Et confirmatur ex paritate hominis in statu innocentiæ constituti, qui ex Concil. Arausic. *can.13.* ex peccato incidit in impossibilitatem talis amoris, ergo poterat ex tali dilectione ferri in Deum, ergo magis Angelus. Et confirmatur iterum ex Seraph. Doct. quia, si dilexisset Deum, non super omnia, sed propter aliud, cum id sit maxima perversitas, scilicet uti fruendis, & frui utendis, ex eodem Seraph. Doct. *l.1. d.1. q.3. & a.3. q.1. & 2.* sequeretur, Angelum in illo statu esse perversissimum.

Prob. 3. quia in statu naturali cognoscebat Angelus Deum summum bonum, in quo statu voluntas non repugnabat intellectui, nec erat bellum inter potentias ante peccatum, ergo & amabat Deum, ut summum bonum, alioquin amor fuisset pravus. Confirmatur *ex fund.4.* quia mandatum de diligendo Deum super omnia scriptum erat in corde Angelorum, ergo conscientia dictabat eis, ad id se teneri, & si repugnassent, peccassent: cum autem non esset tunc peccatum, sequitur, ipsos Deum amasse super omnia, atque adeò amore amicitiæ.

Vasq. resp. conc. totum, quantùm est ex parte naturæ: sed subdit, ad hoc, ut intellectus, & voluntas ferantur in tale objectum, requiri applicationem extrinsecam per immissionem sanctæ cogitationis, eo quod intellectus de se sit indifferens ad exeündum, vel non, in talem actum. Quæ responsio est gratis dicta, & contra naturam intellectus recti de se, qui necessariò fertur in suum proprium objectum: & cum in tali statu voluntas non repugnaret intellectui, hinc fit.

199 Concl. 3. Angeli dilexerunt Deum naturali amore, & consentaneo inclinationi naturali concupiscentiæ, necessario, quoad specificationem; & hoc magis, quàm seipsos. Est Seraph. Doct. cit. Ratio primæ partis est, quia Angeli cognoscebant Deum summum bonum, à quo proprium bonum pendebat, ergo, &c. Ratio secundæ partis est, quia in Deo cognoscebant bonum optimum, non in se ipsis, ergo, &c.

Concl. 4. Angeli ita dilexerunt Deum necessariò quoad specificationem, ut nequiuent odisse. Est Seraph. Doct. cit. & communis contra Suar. *cit. num.4.* Vasq. Morand. &c. Ratio est supra allata, quia, cum cognoverint Deum summum bonum, causamque proprii esse, & bonitatis, non poterant in tali statu recto deficere ab ipso amore. Sic Seraph. Doct. *q.1. cit.*

Dices. In tali statu Angelus erat liber, ergo poterat Deum odisse; poterat enim facere contra legem naturalem. Resp. ex Seraph. Doct. *quæst. cit. ad 1. & d.7. a.1. q.2. arg.4.* addito responso, quod nos loquimur de amore purè naturali, non deliberativo; & de statu naturæ integræ ante peccatum: talis enim amor est in statu tali necessarius, & rectus: & hinc addit Seraph. Doct. *dist.7. cit.* quod Diabolus necessariò diligit Deum tanquam sui conservatorem; sed quia habet appetitum perversum, ita etiam pervertit ipsum actum ad propriam utilitatem, ideo talis actus perversus non est purè naturalis; sed deliberativus. *Vide Seraph. Doct. cit. ibid.*

Hinc etiam sequitur, probabile esse, Angelos naturaliter diligere Deum, quoad exercitium (quidquid dicat Suar. *num.4.*) ratio est jam assignata, quia cum Angelus sit rectus, etiam ejus voluntas.

Objic. 1. cum Suar. licèt Inclinatio naturalis sit necessaria, tamen usus ejus est liber, ergo, &c. 200
Prob. antec. quia actus non solùm dependet ab inclinatione, sed etiam à propinquitate, & cognitione objecti, & aliis conditionibus, ergo poterit esse oppositus actus. Resp. neg. anteced. Ad probat. Resp. Imò quia dependet usus à cognitione, quia cognitio erat integra absque contrarietate, ut ait Seraph. Doct. hinc, & actus: naturales quidem, quatenus pendebant ex inclinatione naturæ integræ: liberi, quatenus ex voluntate perfecta.

Objic. 2. cum Vasq. magis inclinatur natura ad sui amorem, quàm ad Deum, ergo poterat incurvari in tali dilectione. Resp. Seraph. Doct. conc. totum in statu naturæ lapsæ; neg. in statu naturæ institutæ, quæ dictat, & cognitionem, & amorem ordinatum, quia amando Deum, amabant seipsos.

Objic. 3. Si datur talis necessitas Deum diligendi amore concupiscentiæ, hoc est, quia est bonum universale, sed hoc non impedit, quin sit etiam particulare objectum in ordine ad particularem amorem, qui ideò non potest absorbere finem particularem se amantis in particulari, ergo iste amor est separabilis ab amore in Deum, ergo amor privatus potest fundari in bonitate, & commoditate objecti, & inclinatione naturali ad proprium commodum.

Resp. Totum discursum esse verum in natura incurvata per peccatum, in qua est inordinatio, ut ait Seraph. Doct. sed falsum in natura recta, & perfecta, quoad intellectum, & voluntatem, ut suprà dictum est.

Objic. 4. cum Vasq. Iste amor Dei super omnia exigit elevationem animæ supra se, sed ad id est necessarium auxilium supernaturale, ergo, &c. Resp. quod elevatio est, vel supra esse, vel supra posse: hoc secundum est gratis: primum est naturæ se elevantis ad suam causam cognoscendam, & amandam: sic neg. min.

Contra,

Contra. Ista elevatio dilectionis est actus nobilissimus in ordine ad Deum excedens vires naturæ; est enim maxima perfectio animæ, ergo, &c. Resp. conc. esse actum nobilissimum in sphera naturalis virtutis; non verò absolutè supremum: erat, inquam, nobilissimus, quia exibat ex natura recta, imbuta luce innata, & rectitudine naturali indita.

Dices. Si Angelus necessariò diligebat Deum, ergo non poterat peccare contra legem naturalem; consequens est falsum, etiam ad aures Seraph. D. qui negat omninodam inflexibilitatem in primo actu, ergo & anteced.

Hæc objectio advocat illam celebrem quæstionem: An Angelus natura sua sit inflexibilis; & an potuerit peccare in primo instanti, quod negat Seraph. Doct. contra Thomistas, aliosque quæ quæstio infrà examinabitur: pro nunc Resp. 1. conc. major. si sumatur status secundùm naturam institutam. Resp. 2. Data tali libertate in Angelo, negatur, quod potuerit non diligere Deum, quod Seraph. Doct. admittit etiam in Dæmonibus post peccatum modo supra expresso; multò magis id admittendum in statu naturæ rectæ, & institutæ. Quare concl. hujus quæstionis ad hoc tendit, ut innotescat qualitas voluntatis Angelicæ, in ordine ad dilectionem boni, nempè ejus necessitatem diligendi bonum in communi, libertatemque in ordine ad bonum speciale, quod in sequentibus patebit.

QVÆSTIO IV.

Expenditur qualitas dilectionis angelicæ in ordine ad alios Angelos, & creaturas, nempè, an dilectio sit naturalis, an deliberativa, & electiva. S. Bon. l. 2. d. 3. p. 2. quæst. ult.

101 NOt. 1. quod Seraph Doct. proponit quæstionem in terminis de dilectione Angelica in ordine ad alios Angelos, vel superiores, vel pares, vel inferiores: & licèt non specificet de dilectione hominum, tamen ob consimilem proportionem, etiam subintelligitur talis inquisitio; nempè quatenus homo convenit cum ipsis in gradu intellectuali, & ejusdem finis, est particeps: non fit autem sermo de cæteris creaturis usu rationis carentibus, quia supponitur, Angelos ipsas diligere amore electivo, & totaliter libero.

Not. 2. quòd dum hìc quæritur de naturali dilectione, non sumitur hìc, naturale, prout opponitur liberæ dilectioni simpliciter, sed tantùm prout, naturale, provenit ex inclinatione naturali fundata in similitudine, & unitate naturali in tali gradu: sic enim naturale, & liberum, seu electivum possunt stare simul.

Not. 3. ex Seraph. Doct. cit. quod magis diligere aliquem, hoc potest esse tripliciter. 1. ratione boni optati, quando scilicet majus bonum alteri desideratur. 2. ratione affectus intensi, nempè quando affectio ejus magis trahit alterum, & magis consolatur de ejus societate. 3. ratione effectus impensi nimirum quando alicui quis plura beneficia impendit, ut mater dicitur magis diligere tenellum filium His, &c.

Concl. 1. Angelus magis diligit Angelum superiorem, quàm alios ratione boni optati, dilectione, inquam, procedente ex judicio rectæ rationis. Prob. ex Seraph. Doct. quia vult, ipsum excellere supra se, & plus boni habere, sicut Deus voluit sic ordinare: erant enim, & sunt omnes Angeli inferiores conformes secundùm rectam rationem divinæ voluntati. Prob. 2. quia Angelus superior respicitur ut magis beneficus; immittit enim ad inferiores illuminationes, ergo sub hac ratione etiam magis amatur.

Dices. Naturaliter quis inclinatur magis ad sui amorem, quàm alterius, ergo non magis diligebat Angelus superiorem quàm se. Hæc objectio excitat quæstionem illam: An Angelus intensius operetur ad unum objectum, quàm ad aliud. Suarez, cum com. *hic lib. 3. cap. 6.* existimat, omnes Angelos inclinari ad operandum toto suo conatu, ob idque cum æquali intensione circa omnes actus: Intensio enim major, vel minor non sumitur ex objecto, & consequenter nec ex dignitate, vel alia conditione ejus, sed ex conatu potentiæ, quæ potest cum æquali circa majus, vel minus objectum operari, & Angelus toto conatu semper operatur, quantum est ex se, nisi aliundè impediatur: Et per hoc solvitur objectio, & tollitur omnis difficultas: falsum enim est magis inclinari ad sui amorem, quàm alterius, quia talis inclinatio, vel affectio erat ordinata ad Dei ordinationem: cum etiam quia cum tali ordine adest respectus propriæ utilitatis, ut dictum est.

Concl. 2. Data inæquali intensione in actibus, 102 Angelus intensiùs diligebat cæteros ejusdem ordinis. Est Seraph. Doct. cit. Ratio est, quia inter ipsos est major unitas, convenientia, & similitudo, & familiaritas absque livore invidiæ.

Objicit Suar. contra hanc conclusionem *loc. cit.* Recta ratio dictabat, magis esse amandum superiorem, quàm parem, ergo falsa conclusio. Resp. Seraph. Doct. conced. antecod. secundùm diversas rationes, nempè ratione boni optati, neg ratione affectus intensi, & inclinationis naturalis, quæ magis ad similitudinem, & convenientiam respicit.

Concl. 3. Ratione effectus impensi, & beneficii, Angeli superiores magis diligebant inferiores. Ratio est (ait Seraph. Doct.) quia major diffusio beneficiorum respicit majorem indigentiam; ergo, cum ipsorum amor esset ordinatus, magis ex pietate innocata afficiuntur ad inferiores; & per consequens ad homines auxilio, & custodia maximè indigentes. Addit autem Seraph. Doct. rationes supradictas non esse ita convincentes, ut eis non possit objici; posseque salvari per diversos modos assignatos.

QVÆSTIO V.

An voluntas Angeli in sua pura natura spectati sit libera, quoad specificationem, ad eligendum bonum honestum, & malum contrarium; & ad peccandum contra rectitudinem naturalem?

PRoponitur hæc quæstio à Theologis, ut magis dignoscatur status Angelorum in sua pura 103 natura. Cum autem supra probatum sit, in Angelo dari necessitatem aliquam, quoad specificationem

simpliciter, nempè circa bonum in communi; imò etiam circa quædam in particulari de se valdè connaturalia, & convenientia naturæ. Hîc ergo quæritur; an voluntas Angeli sit ita determinata ad bonum honestum in communi, quoad significationem, ut non possit velle aliquid turpe, relicto honesto. Quæstio hæc ab aliis proponitur tali pacto: An voluntas Angelorum natura sua deficere possit in moribus, prout pura ratione naturali regulantur, nec an peccare possit, sed an sit impeccabilis.

Not. autem, quod hæc quæstio est differens ab alia, quæ infra de peccato Angelorum agitabitur: ibi enim agitur de statu Angelorum in ordine supernaturali collocatorum; hic verò de Angelo in sola, ac pura natura spectato, & per naturalem cognitionem, ac rationem operante: In qua, &c.

1. Opinio est Durandi, Capreoli, Ferrar. aliquorumque aliorum, Angelum in tali statu ita determinatum esse ad bonum in communi, quoad specificationem, ut non potuerit eligere turpe, & malum.

2. Opinio omninò opposita est, non solùm potuisse peccare, sed de facto non posse non peccare, relicto Angelo in tali statu naturali, & in ordine ad suum finem naturalem, si sine auxilio gratiæ relinqueretur. Ita Vasq. Gregor. apud Suar. *cap.7.num.5.*

3. Opinio docet, voluntatem Angeli in statu naturali esse liberam ad bonum, & malum, quoad specificationem. Sic Scotus *lib.2. dist.13.* Palud. Molin. Ocham. Gabr. & est sent. clara Seraph. D. infra cit. Pro solutione, &c.

Not. 1. quod quæstionis hujus solutio habet aliquam connexionem cum alia infra agitanda de malitia Angelorum: An Deus possit facere creaturam liberam, simulque impeccabilem natura. In qua communior cum Seraph. D. *l.2.d.23.art.2.q.1.* asserit, non posse dari: quia de essentia liberi arbitrii creati est, posse ad utramque partem converti, quod nunc supponimus tanquam certum.

204 Concl. 1. Angelus ita factus est liber in sua pura natura constitutus, ut potuerit peccare. Prob. 1. ex doctrina Seraph. Doct. *l.2. d.23. q.1.* quia Angelus factus est ex nihilo, ergo potuit deficere. sic etiam arguunt Sancti Patres. 2. ex Suar. *c.7. n.7.* quia Dæmones multa moliuntur contra rationem naturæ. 3 ex Seraph. Doct. *l.2. d.7. p.2. q.1. & dist 8. a.1. per totum.* Quia quod factum est ex nihilo, potest deficere in suo ordine; unde, si est liberum, potest deficere etiam moraliter, ergo & Angelus. Antec. est commune SS. PP. & ratio est, quia, quod factum est ex nihilo, non est regula suæ actionis, & rectitudinis, quia habet superiorem Deum, ad quem, non ad seipsum, respicere debet: tum quia regula benè operandi est divina voluntas, à qua Angelus posset ex innata libertate deficere in actu secundo.

Objic. 1. Non potest voluntas deficere peccando, nisi præcedat in intellectu aliquis defectus erroris, vel inconsiderationis; sed in intellectu Angeli nullus talis defectus potuit irrepere; nam intellectus Angeli habuit semper præsens lumen rectum rationis, per quod rectum aspiciebat actualiter, ergo, &c. Scotus cum suis negat majorem, quæ responsio infra expendetur in quæstione: An Angelus potuerit peccare in primo instanti, quod Seraph. Doct. negat, eo quod debet præcedere ad peccatum consideratio plurium, & determinatio voluntatis postea consequi.

Resp. 1. ex doctrina Seraph. Doct. *l.2. d.3. p.2. art.2. q.1. & d.7. p.2. a.1. q.1. & Diet. c.2.* conc. major. & neg. min. nam Angelus non semper actu, quæ potest, considerat, nec omnes circumstantias, quia pro libito vertitur modò ad unum, modò ad aliud, & ideò judicium practicum aliquando subvertitur à libertate, ut evenit in Dæmonibus.

Objic. 2. Angelus naturaliter Deum amat super omnia, & necessariò etiam quoad exercitium, ergo non potest peccare in materia naturali, quia omne peccatum est contrarium divino amori. Resp. ex Seraph. Doct. transeat antec. sed neg. conseq. nam licèt naturaliter, & necessariò Deum amet, tamen non per hoc tollitur libertas, quæ potest pervertere judicium ex inconsiderantia.

Concl. 2. Probabile est valdè, Angelum in sua pura natura sumptum, cum solo concursu generali Dei posse facile præcavere malum: non enim in tali statu ducitur passione, nec habet internam pugnam passionum, nec errore decipitur, facilè potest omnia considerare, quæ ad rectè agendum sufficiant: quæ materia tamen agitatur in tractatu de gratia.

QUÆSTIO VI.

An Angelus in pura natura constitutus potuerit peccare venialiter?

QUæstio hæc inservire debet pro complemento antecedentis quæstionis: Si enim Angelus habet libertatem ad peccandum, per consequens etiam quæritur qualitas peccati: & hac occasione etiam patebit ex opposito, an habeat indifferentiam ad eligendum majus, vel minus bonum: de quo puncto non videtur ulla difficultas: Si enim habet libertatem plenam, ergo & ad electionem pro libito boni majoris, vel minoris: quæstio igitur reducitur ad malum leve: In qua. 205

1. Opinio est, Angelum in puris naturalibus potuisse peccare venialiter perfecta deliberatione. v.g. dicendo verbum otiosum, non tamen ex subreptione. Sic Suar. *l.3. c.8* aliique apud ipsum.

2. Opinio est penitùs negativa: Sic Seraph. D. Cajet. & alii cum Alense, Valcutia, in qua est etiam D. Thom. Pro solutione.

Not. 1. ex Seraph. Doct. *l.2. d.21. a.3. part.1. & d.24. a. q.1.* quod peccatum veniale est duplex: aliud est ex subreptione, scilicet appetitus sensitivi, vel etiam quod ex imperfecta deliberatione per motum aliquem, illam prævenientem, committitur, quomodo etiam in materia gravi contingit peccare venialiter: Alterum, quod cum perfecta deliberatione fit: & dicitur peccatum veniale ex genere, nempè ex natura sua: de peccato veniali ex subreptione, conveniunt omnes, Angelum non potuisse peccare in eo statu, quia talis subreptio opponitur tali statui, & perfectioni Angelorum; sed dubium est de cæteris ex imperfecta deliberatione; sed maximè de perfecta: quæ quæstio etiam agitatur de primo homine in statu innocentiæ.

Not. 2. & suppon. Angelos fuisse perfectè liberos in illo statu naturali, ut supra dictum est; ob idque ex hac parte Angelis non repugnabat peccatum veniale, ut advertit Seraph. Doct. Igitur repugnantia peccati venialis, non ex privatione libertatis, sed aliundè desumenda est: Ut autem id innotescat.

Notandum ulteriùs ex Seraph. Doct. *l. 2. d. 42. cit. & d. 24. p. 2. a. 2. q. 1 & 2.* quod in peccatu mortali est deordinatio à Deo, quæ est cum consensu, & contemptu: inordinatio autem hæc est per aversionem, & contemptum portionis superioris; & ideo talis inordinatio est, ob aversionem à Deo, & conversionem ad creaturam: Aversio autem fit, aut quia fit contra divinum mandatum, aut quis statuit anima sibi creaturam tanquam finem ultimum: & hinc est, quòd peccatum veniale fit mortale, quando assumitur, relicto Deo, pro fine ultimo creatura.

Not. 3. quod ratio, quam adducit cum Sanctis Patrib. Seraph. Doct. ad probandam impossibilitatem peccati venialis, desumitur, non ex sola intrinseca perfectione virtutum, & dignitatis eminentia, nec intrinseca carentia passionis, ut impingunt Seraph. Doct. Suar. *cap. 21.* Perer. & Arrag. sed in toto statu justitiæ originalis, à qua, cum nullum haberent impellens, exire non poterant, nisi contemnendo divinam justitiam, & fœdando suam innocentiam, & suam corrumpendo naturam, & maximè nisi in toto nixu suæ voluntatis ponendo ultimum finem in peccato, ideo venialiter solùm non poterant peccare. Sic Seraph. Doct. *l. 2. d. 21. art. 3. q. 2. & d. 4. p. 2. q. 1. ad 3.* His positis, &c.

206 Concl. 1. Angelus non est capax peccati venialis ex subreptione. Ratio evidens est (ait Seraph. D.) quia intellectus angelicus non poterat rapi ab objecto, vel præveniri, taptimque trahi, ergo neque subreptivè trahi.

Concl. 2. Angelus non potest deliberatè in statu naturæ integræ venialiter labi. Est Seraph. D. cit. Prob ab eodem *dist. 21. cit.* Angelus ex plena deliberatione diligens, intendit aliquem finem actu ex perfectione suæ cogitationis, & resolutionis: ergo si verbum otiosum protulisset, in eo posuisset ultimum finem, quod est mortale, ergo, &c.

Nota, quod hæc est ratio potissima, quam adducit Seraph. Doct. & cum eo D. Thom. nempè, quia Angelus, cum haberet perfectissimam intelligentiam, & voluntatem omnimodè ordinatam in Deum; cum simul cumulatus esset donis propriis illius status, scilicet excellentissimis, non poterat averti à Deo, nisi ponendo, secundùm totam intensionem, ultimum finem in objectum creatum, sicque peccasset mortaliter, ratione perfectionis illius status.

Objic. Angelus poterat peccare mortaliter ergo multò magis venialiter; quid enim potest in majus, multò magis potest in minus. Resp. Seraph. Doct. *d. 21. cit. ad 5. & d. 27. a. 2. q. 1. ad 2.* neg. conseq. Ad probat. Resp. illam propositionem esse veram, quando id ordinatur ad majus consimili ordinatione, vel subordinatione, & quando majus includat minus, quod non evenit in proposito: ratione enim talis status, non erat medium inter ipsum, & peccatum mortale, ut dictum est. *Videtibd. S. Bon. ad 3. & lib. 4. d. 25. art. 1. q. 1. ad 4.*

207 Concl. 3. Ad aures Seraph. Doct. *lib 2. dist. 21.* Probabile est, Angelum potuisse in illo statu naturali peccare venialiter; imò forsan probabilius: licèt enim in corpore quæstionis cit. approbet negativam, solvatque argumenta in contrarium, ipse se declarat, id facere, quia est communior inter Theologos.

Prob. autem primò. Quia in illo statu erat perfectè liber, ergo sicut poterat grave delictum committere; poterat, & leve: si enim poterat in majus, poterat in minus: cum in ordine ad Dei offensam majorem, vel minorem, sint ab invicem subordinata peccata, ratione inordinationis majoris, vel minoris in agendo.

Prob. 2. Si Angelus non potest peccare venialiter, maximè ob circumstantiam moraliter aggravantem: sed hæc non officit, ergo, &c. major est adversæ opinionis: min. prob. hæc circumstantia, vel est conditio personæ, vel modus peccandi, vel finis; sed non personæ conditio, quia hæc sola perfectio naturalis Angeli ad hoc non sufficit, cum neque gratiæ dignitas sufficiat; potest enim in gratia existens peccare venialiter, sine deperditione ipsius gratiæ, ergo multò magis in statu innocentiæ naturalis: neque ratione circumstantiæ personæ, v. g. ex ingrati animi labe, ob gratias à Deo receptas, cum sit major ingratitudo in gratia existentis peccare venialiter: Secundò nec ratione modi peccandi: in hoc enim solùm potest considerari perfecta cognitio, & libertas, ob quam sine ignorantia, vel passione peccatet, sed hoc non aggravat infinitè malitiam actus, ut per se notum est.

Dices. Ex tali cognitione, &c. sequi peccatum ex contemptu, quia esset sine incentivo aliquo. Contra & est confirmatio antecedentis rationis, quia incentivum peccandi potest esse sola bonitas inferior in objecto invento, & carentia talis incentivi, non solùm non aggravat, sed etiam est impertinens: contemptus verò frustra cogitatur, quia nihil est, quod necessitet Angelum ad contemnendum propriè, ac formaliter: Tertiò nec etiam circumstantia finis ultimi, quo Angelus semper operatur, officit: & Prob. istam circumstantiam non esse necessariam simpliciter, & ex natura rei; quia duobus modis potest dici Angelus, vel homo constituere ultimum finem in objecto amato: Uno modo formaliter, judicando, illud esse suum summum bonum, & verum finem ultimum: alio modo dicitur amari aliquid ut ultimus finis implicitè, & virtute, quis amatur contra præceptum Dei, & propter illud amicitia Dei contemnitur, & hoc fit peccando mortaliter: In quo tamen evenit, quod in modo amandi vel volendi illud objectum, amatur ut particularis finis, sine formali relatione ad ultimum finem, & ita peccant Angeli mortaliter; ergo eodem modo poterant peccare venialiter in materia levi. Prob. conseq. quia cogitans de objecto particulari bono sub aliqua ratione per se amabili, non est necesse, ut de ultimo fine suo cogitet, nec de ordine unius ad alterum, & eò maximè, quia talis cogitatio est voluntaria, & imperata à voluntate; ergo potest hoc modo aliquod bonum inferioris ordinis velle, ut propriæ delectationis, vel commodi sine alia relatione ad ultimum finem.

Dices. Si peccatur mortaliter, etiam cogitando de bono particulari cum virtuali intentione ultimi finis, cum talis virtualitas insit in materia levi, sequitur, quod de veniali fiat mortale, ob volitionem virtualem ultimi finis. Resp. negand. conseq. & paritatem: ratio est, quia hæc est differentia inter peccatum mortale, & veniale, quod in mortali in materia gravi, illa particularis dilectio, v. g. libidinis, contra præceptum divinum, est virtualis intentio ultimi finis: In materia verò levi, neque formaliter, nec virtualiter, ille particularis finis, ut ultimus amatur, cum non sit contra, vel supra Deum di-

T t 2 rectè

recte, sed manet intra gradus peccati venialis, etiam in Angelo.

Prob. 1. Potest Angelus in sua pura natura spectatus operari opus honestum misericordiæ, vel justitiæ, non referendo illud in Deum, ut ultimum finem actualiter super omnia dilectum, quia non est necesse, ut hanc dilectionem exerceat, quoties aliquid boni operatur; ergo etiam à contrario ex sua libertate potest aliquid mali facere, non referendo illud actualiter, & formaliter in aliquod amatum, ut ultimum finem, & consequenter illud malum est veniale, si sit in materia levi.

Dices. Omnis actio debet habere aliquem ultimum finem, etiam ex formali relatione operantis: ratio est, quia necesse est, ut intentio ejus in aliquo sistat, & terminetur, & consequenter sit ultimus ejus finis, ergo multò magis hoc est necessarium in Angelo, sive benè, sive malè operetur; & cum operatur malum, non potest sistere in Deo, ut in ultimo fine, vel in hoc peccaret mortaliter; ergo si sistit in creatura, vel in seipso tanquam in ultimo fine, hoc etiam sufficit ad peccandum mortaliter. Resp. hoc argumentum, si concluderet aliquid, tolleret etiam in nobis peccatum veniale. Resp. ergo cum communi doctrina Theologorum, ultimum finem esse duplicem: Unus dicitur ultimus simpliciter, idest personæ operantis, in quem se, & omnia sua refert: Alius dicitur ultimus secundùm quid, scilicet unius actus, qui fertur in objectum propter seipsum, & sui bonitatem, quam in se habet, & ab operante, & ultra non refertur, ideò dicitur ultimus, non respectu personæ, sed talis actus, quia nec diligit illud bonum super omnia, neque se, & omnia sua, in illud refert, sed tantùm illud vult propter se, ut in alium finem illum non referat. Hinc Resp. distinguend. major, negando scilicet illam de priori fine; conc. de secundo: Sic negan. conseq. quoad ultimum finem secundo modo sumptum, & ob id, ne hinc redundet peccatum mortale, quia ille defectus operationis stare potest cum amore Dei simpliciter, & super omnia: tali enim modo homo peccat venialiter: & hinc non apparet, cur ex natura rei omne peccatum Angeli sit necessariò mortale. Nota quod Theologi subjiciunt quæstionem: an Angelus potuerit peccare in primo instanti, quam & nos exagitabimus in disp. de casu Diaboli.

QVÆSTIO VII.

An Angelus in suo primo velle sit ita fixus, ut nequeat illud retractare?

208 QUæstio hæc, licèt tractetur à pluribus in disputatione de statu obstinato Dæmonum, revera tamen spectat ad declarandam viam Angelorum, & terminum ejus, eorumque naturalem conditionem, & libertatem. In qua.

1. Opinio D.Thom. & Thomistarum docet, Angelum esse immutabilem in sua electione plena deliberatione, & cogitatione facta, talemque modum esse connaturalem Angelorum.

2. Opinio est negativa, docens, Angelum non esse inflexibilem, sed mutabilem in sua dilectione. Est Seraph. Doct. *l. 2. d. 7. p. 1. q. 1. & q. 2. ad 6. & d. 14. q. 1.* Scot, & communior Doctorum ex omnibus scholis. Pro solutione, &c.

Not. 1. quòd, cum Angelus sit naturæ liberæ, ideo essentialiter habet libertatem, tum entitativam, tum essentialem, tum specificationis, tum exercitii, ut supra dictum est. Hoc stante, quæritur unde veniat inflexibilitas, & immutabilitas volitionis Angelorum: constat enim de fide, quòd Angeli mali, qui aliquando malum amplexati sunt, numquam ipsum deseruerunt, vel deserent in æternum: & è converso Angeli boni, bonum inflexibiliter amplexati sunt.

D. Thomas cum suis volt, id provenire ex natura Angeli, qui ad eam partem, ad quam aliquando se convertit voluntas, tam immobiliter vertitur, ut amplius non valeat reverti ad contrarium. Quam sententiam aliqui Commentatores D. Thomæ explicant, de immobilitate morali, quæ solùm dicit difficultatem, non omnimodè possibilitatem. D. Bon. *l. 2. d. 4. a. 1. q. 2. d. 7. q. 1. & 2. ad 6. & Comp. Theol. l. 2. cap. 23. & Brevil. part. 2. c. 7. & 8. & Centil. part. 2. sect. 12* docet, inflexibilitatem Angelo non competere, sed tantùm, vel ex gratia, vel ex peccato, vel potiùs ex decreto Dei, ut infra dicetur, cum de obstinatione Dæmonum agemus. His positis, &c.

Concl. Angelus post primam electionem, vel 209
volitionem alicujus rei, non est inflexibilis omnino ad oppositum. Prob. à Doctoribus hujus sententiæ, pluribus authoritatibus SS. Patrum, & præcipuè D. Hieron. & Fulgent. qui clarissimè hanc veritatem docent, ut videre est apud Suar. *l. 3. c. 10.* & Patrem Gaud.

Prob. 2. ex doctrina Seraph. Doctor. *dist. 7. cit.* Angelus ex natura sua est liber, id est de fide; sed post factam electionem, nihil est quod possit necessitare illum, ad hoc ut non possit mutare electionem; ergo etiam post electionem factam, potest illam mutare: major, & consequentia patet. Prob. minor, quia talis necessitas & immutabilitas in electione facta, vel provenit ab ipsomet actu semel facto, vel ab aliquo habitu ab illo relicto, aut à naturali proprietate voluntatis, aut ab intellectu: sed horum nulla est vera causa sufficiens talis inflexibilitatis, ergo nulla reddi potest: consequentia tenet: nam præter illa, quæ numerata sunt, nulla intrinseca causa in Angelo cogitari potest: Extrinseca verò causa nil ad præsentem causam facit: Inquirimus enim hîc naturam Angelorum: quòd verò necessitetur voluntas beata Angeli ad Dei fruitionem; vel Diaboli ad obstinationem, id est ab extrinseco, nec tollit libertatem intrinsecam, & naturalem Angeli, ut alias dictum est, & infra dicetur; sed hîc quærimus de causa intrinseca.

Prob. ergo subsumpta minor propositio per singula membra; & primò de actu, quo electio fit, & determinatio ad tale objectum: non enim iste potest ipsam voluntatem cogere, nec reddere immutabilem, ex eo, quòd à principio libero consequenter etiam ipse liber denominatur, ergo nec potest auferre libertatem ad eligendum post primum actum, ejus oppositum: actus enim ille jam transactus est, & cum ampliùs non sit, nihil facit in voluntate.

Henricus resp. talem actum necessitare voluntatem ad permanentiam ex impetu, & conatu, quo totis viribus Angelus operatur: quæ

responsio

quæ responsio est frivola, & nova: tum quia non semper Angelus operatur toto conatu: tum quia liberè elicitur ab Angelo: tum quia non potest talis conatus auferre libertatem intrinsecam.

Resp. Caiet. Voluntatem Angeli ex illo actu variari substantialiter, quia transit in naturam illius affectionis, & sic quidquid vult, vult ex naturæ institutione. Contra ex Seraph. Doct. *cit. arg.* 3. & 4. Quotiescumque aliquis est talis prius substantialiter, non mutatur substantialiter per actum posteriorem secundùm naturam, quæ est prior: sed Angelus, etiam secundùm Thomistas, ante electionem est substantialiter liber, ergo per actum posteriorem, non perdit libertatem: tum quia actus ille egrediens est accidens posterius, & liber, ergo non potest variare, etiam secundùm operationem, voluntatem substantialiter. Contra 2. nec potest provenire talis necessitas ex aliquo habitu, vel dispositione addita voluntati. Et prob. tum quia talis habitus est merè imaginarius: vel enim antecedit, & sic non tollit libertatem ad productionem actus; vel consequitur, & hoc non, quia actus immanentes non sunt productivi aliarum qualitatum in ipsis potentiis; & si essent, tamen subessent imperio voluntatis. 3. Nec potest talis necessitas à natura voluntatis Angelicæ provenire, quia ex natura sua est libera, & potens in suum actum, & exercitium, & hoc ab intrinseco, ergo, &c. 4. Nec ex parte intellectus, quia quocumque objecto proposito, & quocumque modo, adhuc voluntas Angeli in suo statu naturali posita, manet libera ad eligendum, vel rejiciendum, ergo vera nostra conclusio. Et confirmatur pluribus exemplis: nam Angeli priùs boni mutati sunt in secundo instanti in malum: sic & priùs suadebant Dæmones Judæis mortem contra Christum, postea per uxorem Pilati conati sunt ipsam impedire: sic & quando moti aliqua conjectura, instigant ad malum, postea re meliùs cognita, mutant suam suggestionem. Aliæ rationes possent hic afferri ex Seraph. Doct. cit. sed quia expendendæ sunt infra in quæstione de obduratione Diaboli, & maximè per illas rationes desumptas ex merito, & demerito Angelorum in primis actibus, ob idque necessariò liberis, ideo omittuntur.

210 Objic. 1. cum Thomistis. Plures SS. Patres asserere, diabolum factum esse inflexibilem post primam electionem. Sed tamen istæ auctoritates nihil cogunt, quia ista inflexibilitas non est ex natura Angeli, sed ex decreto divino, ut patebit suo loco: & ideo intelligendè sunt de morali inflexibilitate, quæ importat difficultatem; non impossibilitatem, quæ difficultas oritur ex exacta cognitione omnium, quam habet Angelus à principio, quo fit, ut difficiliùs aliam novam accipiat, tametsi ex alia parte cognoscat perfectiùs suum malum, quo non obstante absolutè vehementiùs novam abhorreat.

Objic. 2. Vis appetitiva proportionatur apprehensivæ, à qua movetur; sed Angelus immobiliter adhæret his, quæ intelligit, & judicat, quia apprehendit conclusiones in principio: ergo voluntas similiter. Confirmatur: quia enim homo per discursum procedit, ideo etiam mutatur per voluntatem, in eligendo: Sed Angelus è contrario, absque discursu procedit, sed apprehendit totum simul, ob idque immutabiliter, ergo & immutabiliter eligit.

Resp. ex Seraph. Doct. & traditis à nobis *in tract. de anima in Philos. q. 2. & 4.* negando majorem, data enim quacumque determinatione intellectus, voluntas semper manet libera in exercitio: neg. etiam min. in sensu adversariorum: tum quia falsum est, Angelum non discurrere, ut supra probatum est: tum quia multa Angelus non cognoscit evidenter, ut patet in futuris contingentibus: tum quia non semper actu omnia consideratur: tum quia potest intellectus imperatus à voluntate se vertere modo ad hoc, modo ad illud objectum, &c. Unde neg. conseq.

Objic. 3. Angelus immobiliter adhæret ultimo fini, ex eo, quod in illo nulla apparet ratio mali, & totaliter explet capacitatem voluntatis, ergo & mediis ad illum. Resp. negand. assumptum cum sua probatione: data enim quacumque propositione objecti, est in libertate voluntas semper in ipsum tendere, sicut vult, &c. Unde, & dæmones Deum summo odio prosequentes, poenitent se Deum amare in statu naturali.

QVÆSTIO VIII.

Vtrum in Angelis sint habitus naturales voluntatis?

IN hac quæstione quæritur, an ex multiplicatione actuum, possint acquiri ab Angelis habitus facilitantes voluntatem ad actus. 211

1. Opinio negat, estque Durandi, Caiet. Vasq. apud Suar. *cap.* 12. eorumque fundamentum est, quia natura Angeli de se est prompta ad omnes suos actus, ideoque non indigere habitibus.

2. Est affirmativa, estque Seraph. Doct. *l.* 2. *d.* 7. *q.* 2. *fund.* 3. *& in corp. & q.* 3. *corp.* Scoti, Suari plurimique, & communior. Pro solutione, &c.

Not. 1. ex Seraph. Doct. quod ex duplici capite potest voluntas censeri incapax habituum: 1. ex parte sua, scilicet ob incapacitatem: 2. ex parte objecti, seu materiæ, circa quam versatur habitus: priori modo non potest inveniri incapacitas, cum certum sit posse magis, & magis intendi voluntatem in actibus suis, ut infra patebit: Secundo modo incapacitas non potest esse voluntatis, sed ad summum tantùm respectu alquotum actuum, qui cum competant Angelis, ut in nobis sunt virtutes morales, quæ in suo exercitio exigunt partem sensitivam, uti est temperantia circa delectationes sensitivas, aliasque similes: sed in iis, quæ istam dependentiam non exigunt, non est ratio, cur talis capacitas removeatur ab Angelis.

Not. 2. ex Seraph. Doct. cit. quod alio modo loquendum est de Angelis bonis; alio de malis: nam boni statim ac conversi sunt ad Deum, & in gratia confirmati ad terminum pervenerunt: mali autem, nequaquam. De quo vid Seraph. D. loc. cit. His positis, &c.

Concl. 1. Angelus secundùm suam naturam spectatus est capax habituum naturalium, tum bonorum, tum malorum in voluntate. Est Seraph. D. cit. Prob. primò. quia in natura Angelorum est indifferentia voluntatis ad bonum, & malum, ergo potest denominari per habitus, & facilitari: tum quia in dæmonibus sunt habitus superbiæ, invidiæ, &c. Sed quoad vim administrativam possunt exerceri faciliùs semper, & semper, ergo,

&c. tum quia Angelus naturaliter est indifferens ad amorem sui, vel Dei: tum & ratione actuum justitiæ, & injustitiæ ex parte objecti.

Concl. 2. In Angelis bonis non sunt habitus naturales, sed tantùm in malis. Sic Seraph. Doct. Probatur prima pars, quia boni totam perfectionem acceperunt in via, & non ratione status beatifici, perfecti facti sunt, ergo, &c. Probatur secunda pars ex opposito, quia mali in malo non pervenerunt ad terminum, sed semper novum incrementum recipere possunt, &c.

Objic. Angeli natura de se prompta est ad suos actus exercendos, nec ullum haber obstaculum, ergo non indiget habitibus. Probatur antecedens quia de se perfecta est, nec est conjuncta appetitui sensitivo, retardativo, &c. ergo, &c. Resp. negand. anteced. in ordine ad actus: nam haber in sa indeterminationem inter varia objecta, ad quæ aliquo modo inclinatur; & hoc satis est, ut possit per habitus quosdam reddi facilior, vel difficilior.

QUÆSTIO IX.

De potentia motiva Angelorum. An sit quid distinctum à voluntate?

213 QUia ad voluntatem imperantem spectat potentia motiva Angelorum, licèt supra actum fuerit de motu Angelorum, tamen juremeritò pro complemento considerationis voluntatis, hic enodatur hæc quæstio: In qua.

1. Opinio, quæ est D. Thom. & Thomist. negat esse quid distinctum à voluntate apud Gaud. *d.11.q.5.*

2. Est Seraph. D. Scoti, Aurel. aliorumque affirmativa, hinc.

Concl. 1. Potentia motiva Angeli est distincta formaliter ex natura rei, ab intellectu, & voluntate, & à substantia. Prob. 1. quia ex Seraph. Doct. *l.1.d.3.p.2. a.1.q.3.* Admitti debet in Deo distinctio aliqua rationis à substantia, & potentia, sicut & inter ejus attributa, ut satis probatum est in primo de Deo uno, ergo à fortiori major distinctio admitti debet in Angelo.

Prob. 2. de intellectu, & voluntate; quia eorum actus sunt immanentes, sed potentia erit ad extra, ergo actibus diversis: Tum quia habent actus, & objecta diversa: Intellectus enim activè agit, & passivè recipit suos actus: voluntas intra se manet, imperans aliis potentiis: potentia verò motiva pro objecto habet terminum, quem producit, & hoc actione transeunte: ergo distinguuntur inter se plusquam ratione: quòd postea potentia distinguatur à substantia, patet ex traditis à nobis in Phis. de Anima; ex eo, quod aliud est principium essendi, aliud operandi in creatis, alioquin essent similes identitati divinæ: In Deo enim solo non differunt esse, virtus, & operatio.

Confirmatur ex *l.2.d.8. p.1. a.1. q.2. & a.3. q.2. & d.1.q.1. ad ult. & 10. a.3.q.2. fund. & d.9. in expos. text.* Quia actus intellectus, & voluntatis, sunt ab Angelo, ut imitatur animam in se exercentem opera vitæ, sive actus immanentes; at movere corpora, imitatur animam, non ut est perfectio, & forma intrinseca, sed ut est motor; sed motrix non est per solum intellectum, & voluntatem, ergo per aliud.

Confirmatur iterum, quia substantia creata, quò est nobilior, eò potentiis, quæ dicunt perfectionem, est multiplicior, sed intellectus voluntas, & potentia motiva dicunt simpliciter perfectionem, ergo, & multiplicitatem, & differentiam. Sic Seraph. D. *cit.*

Objic. Angelus est natura intellectualis, ergo habet tantùm intellectum, & voluntatem, quæ consequuntur ad intellectualitatem; ergo potentia motiva non est quid distinctum. Respond. esse naturam intellectualem, & simul operativam, & motivam; ideo neg. utraque conseq. imò ad hoc, ut sit natura intellectualis perfecta exigit potentiam motivam, & exequentem tanquam subordinatam.

His expositis Seraph. Doct. *l. 2. d. 7. p. 2. a. 2. q. 1.* proponit varia dubia circa hanc potentiam motivam, quorum solutio tamen reservanda est ad tractatum de potentia Angelorum.

DISPUTATIO VIII.

De gratia Angelorum.

HUcusque de Angelis, quoad purè naturalia, egimus: nunc superest, ut de gratia, quæ naturæ superadditur, naturamque supra proprium esse extollit, agamus: & quia contrariorum eodem est scientia, ideo de peccato Angelorum consequenter agemus, & hinc etiam de statu viæ, & termini: in qua tractatione advertendum, quòd solùm de gratia, peccato, præmio, & pœna, quatenus sunt propria Angelorum, solùm agemus: nam quæ respiciunt has materias, prout sunt communes Angelis, & hominibus, partim jam expressa sunt in primo libro sentent. & partim alibi expendentur. Hìc verò primò agemus de statu supernaturali Angelorum in via: Secundò de statu præmii, & gloriæ.

QUÆSTIO I.

An Angeli creati fuerint in gratia, & sanctitate, vel in gloria.

214 Quæstio hæc multa involuit dubia de statu supernaturali Angelorum: & primò: an Angelis fuerit necessaria gratia supernaturalis in tempore viæ: quo supposito. 2 An creati fuerint in gloria. 3. An creati fuerint in gratia. Et quoad gloriam, Seraph. Doct. *l.* 2. *d.* 4. *q.* 1. *a.* 2. citat aliquos asseruisse, Angelos creatos fuisse in gloria, & cum gloria; quam opinionem tamen rejicit, ut erroneam. Quoad gratiam sanctificantem est duplex opinio: 1. est D. Thom. & sequac. creatos fuisse cum gratia sanctificante, quàm Sera, h. D. appellat satis probabilem. 2. Opinio est negativa S.D. Scoti, & plurimorum aliorum.

Antequam ad solutionem quæstionis veniamus, supponimus, Angelos creatos esse, non ante mundum corporeum, quidquid dixerint aliqui Patres antiqui, qui tamen valdè obscurè ista innuunt: Vnde Seraph. D. *l.* 2 *d.* 2. *p.* 1. *a.* 2 *q.* 1. interpretatur, ipsos locutos fuisse de prioritate naturæ, vel secundùm illam sententiam, quòd mundus primò rudiret sit factus, deinde species rerum distinctæ: sed tamen communior SS. PP. sensus est, quòd simul; & eodem principio temporis creata sunt quatuor coæva: Rationes adducit Seraph. Doct. plures hujus veritatis, & consequenter docet, omnes Angelos creatos in Empyreo, idque probat pluribus auctoritatibus Sacræ Scripturæ, & SS. PP. & rationibus. *l.* 2. *d.* 2. *in dub.* & *a.* 1. *q.* 1. & 2. & *a.* 2. *q.* 1. & *d.* 7 *q.* 1. *corp.* quibus suppositis, ut ad solutionem quæstionis veniamus.

215 Not. 1. ex Seraph. Doct. cit. quod triplex beatitudo considerari potest in Angelis: Alia est naturalis, consistens in contemplatione Dei, ejusque amore, in qua Angeli collocati sunt secundùm statum naturalem, nempe cum dotibus proportionatis talis naturæ, quod & supra traditum est à nobis, & de hac non est præsens consideratio, cum solùm importet dotes naturales perfectissimas; & privationem omnis miseriæ. Alia est beatitudo supernaturalis, & hæc duplex est, scilicet viæ, & patriæ: 1. est per fidem, vel cognitionem mediam inter fidem, & visionem claram, licèt essentialiter non transcendat fidem conjunctam cum cognitione peculiari, & dilectione charitatis; & hæc non transcendit statum viatoris, sed ad summum requirit in illo gradu peculiarem aliquam perfectionem, vel in perfecta operatione gratiæ, & charitatis, vel in innocentia, pace, & tranquillitate animi, aut alia simili, & dicitur imperfecta beatitudo. 2. Est perfecta, ultima, & consumata in termino: cum autem propter illam creati fuerint Angeli, & ad illam ordinati, quæritur, an etiam possessionem ejus ab initio creationis acceperint.

Not. 2 ex Seraph. Doct. hic *q.* 2. quòd gratia tripliciter dicitur. 1. Communiter, prout comprehendit quidquid est naturalibus superadditum, nec tamen transcendit statum naturalem, sed superaddit aliquas qualitates perficientes naturam in suo esse, ut est bonum ingenium, docilitas, &c. 2. Propriè, pro omni eo, quod excedit puram naturam, superadditurque libero arbitrio, disponens ad sanctitatem; & hæc dicitur gratia sufficiens, daturque per modum actualis auxilii in ordine ad opera bona. 3. Propriissimè pro qualitate permanente charitatis, quæ formaliter rectificat, & sanctificat animam, elevatque ipsam ad statum supernaturalem, diciturque gratia sanctificans, & de hac tertia procedit quæstio. His notis.

Concl. 1. Ad actus supernaturales, & supernaturalem beatitudinem exercendam in Angelis fuerunt necessaria gratia, & supernaturalia dona, auxiliaque, &c. Est communis omnium Catholicorum: & ratio est, quia pura natura ad tales fines non potest pervenire, cum sit inferioris ordinis, sed quia in tract. de gratia id agendum, hinc alia argumenta omittuntur: solumque hic advertendum ex Suar. *l.* 5. *c.* 1. *n.* 3. & 4 quod homini ex duplici titulo est necessaria gratia, nempè ratione finis supernaturalis, ad quem non potest pertingere pura natura, & ex impedimento naturæ corruptæ: In Angelis verò solùm est necessaria ex primo titulo, & hæc est ratio intrinseca, secunda est extrinseca: nempè non posse creaturam exire in actum supernaturalem sine auxilio speciali supernaturali. Vide Seraph. D. *l* 2. *d.* 19. *a* 1. *q.* 2. 216

Concl. 2. Angeli non fuerunt creati in statu supernaturalis beatitudinis perfectæ. Est Seraph. D. *cit. q.* 2. & communis omnium Theologorum Catholicorum. Ratio clara est, quia beatitudo est status omnium bonorum aggregatione perfectus, ergo est status in veritate: Sed Lucifer cum malis sociis in veritate non stetit; tum quia securitas, & perseverantia est de essentia beatitudinis: tum quia beatitudo datur tantùm ipsam promerenti; cum non sit connaturalis, vel debita naturæ: tum quia, vel omnes conditi sunt boni; & gloriosi; vel aliqui tantùm: non primùm cum multi ceciderint, sed gloria est inamissibilis, ergo, &c. nec secundum, quia isti fuissent cæteris eminentiores sine comparatione, nec Lucifer ausus esset se eis comparare: & esto, quod Lucifer super vues sit ausus; hæc debita erat Lucifero omnium præclarissimo. 217

Objiciuntur contra hanc conclusionem plures textus S. August. in quibus videtur tribuere gloriam Angelis in primo instanti, quorum aliquos citat Seraph. Doct. alios citant alii: Sed Seraph. Doct. demonstrat, se locutum esse de beatitudine naturali; & si aliquando videatur loqui de beatitudine perfecta, intelligendus est, quoad dispositionem, & dona ipsis collata, quibus se disponere potuerunt perfectè ad ipsam.

Concl. 3. Angeli creati sunt in beatitudine naturali. Est Seraph. Doct. & communis, & prob ex 28. *Ezech.* Tu Cherubin in deliciis Paradisi fuisti: Idem dicunt Sancti Patres, quod Seraph. Doct. tùm quia beatitudo naturalis stat, tùm in privatione culpæ, & miseriæ, à quibus immunes fuerunt creati, tùm in conjunctione cum ultimo fine, per contemplationem, & amorem, ergo, &c. vid. Seraph. Doct. *quæst. cit.* & 3. *p.* 2. *a.* 2. *q.* 2. & *a.* 3. *quæst.* 1.

Concl. 4. Probabile est, Angelos creatos fuisse in gratia sanctificante: Sed probabiliùs, non fuisse creatos in gratia. Est Seraph. Doct. *l.* 2. *d.* 4. *a* 1. *q.* 2. Prima pars patet auctoritate plurium Doctorum, &c. Prob. à Seraph. Doct. & ex SS. PP. 1. Ex illo textu: *In principio creavit Deus Cœlum, & Terram*; & ex alio: *Fiat lux*, ex quibus inferunt SS. PP. Moysen in Historia Creationis inclusisse etiam creationem Angelorum; nomine Cœli; & gratiam eis postmodum collatam nomine, & 218

figura

figura lucis: quæ omnia fusè expendit, & doctiss. P. Gaudent. *d.5.q.1.* & possunt inservire etiam ad probandam probabilitatem sententiæ Thomistarum: sed aptiùs secunda opinio elicitur ex ipso textu, & hinc ratione.

Prob. 1. à Seraph. Doct. si Angeli fuissent creati in gratia, meruissent in primo instanti secundùm adversarios Thomistas, qui tenent, ipsos meruisse in eodem instanti; gratia enim nullam habet retardationem, sed hoc est falsum, ergo, &c. Prob. min. quia ad meritum requirebatur conversio ad Deum per charitatis actum plenè deliberatum, & electivum: Et si hoc, sequitur, quod nullus Angelus peccasset, cum ex sententia Thomistarum sint inflexibiles, consequens est falsum, ergo, &c.

Prob. 2. à Seraph. Doct. *fund* 4. sicut se habet culpa ad damnationem, sic gratia ad gloriam, sed mali statim post culpam sunt damnati, ergo statim ut habuerunt gratiam, fuerunt confirmati, ergo si habuissent hanc confirmationem, non fuissent lapsi in secundo instanti, ergo non fuerunt præditi gratia sanctificante in primo instanti. Confirmatur ex Decreto Joan. Papæ *Epist. ad Isaac Syracum, quæ habetur* 16. *q.* 2. *can. ubi ait.* Dolet satis dæmon, & erubescit charitatem, quàm negavit in Cœlo habere homines constantes ex lutea materia, tenere in terra: varias Glossas huic textui adhibent Suar. Vasq. Morand. aliique, sed valdè extortas, ut rectè advertit, & solidè probat P. Gaud. *n.* 11.

229 Objic. 1. D. August. asserere, Angelos creatos esse in gratia, verbaque S. August. afferuntur à Seraph. Doct. qui ideo censet probabilem oppositam. Resp. tamen D. Aug. loqui de gratia gratis data, & præveniente; & si loquitur de sanctificante, loqui de proxima dispositione ad ipsam, in qua creati sunt, & hoc confirmatur ex eodem Aug. *l. de concept. & gratia, c.* 10. Sic: Deum ordinasse gratiam in Angelis, ut in ea priùs ostenderet, quid posset arbitrium, deinde quid posset suæ gratiæ auxilium, ergo loquitur de gratia disponente, & eodem modo resp. S. D. aliis textibus ab adversariis adductis ex D. Hier. & Damasc.

Objic. 2. ex Joan. cap. 8. *Diabolus in veritate non stetit:* Veritas autem est sanctitas, ergo aliquando fuit in ea. Respond. Seraph. Doct. Per veritatem intelligi rectitudinem naturalem adjutam divinis auxiliis: vel cum Cypriano, fidelitatem: vel cum Aug. legem ipsis datam, à qua defecerunt. Idem & dicendum in illud Judæ: *Angeli non servaverunt suum principatum*, idest statum secundùm dona recepta à Deo. Idem & illud Ezech. 28. *Signaculum similitudinis*, per quod intelligitur, ait Seraph. Doct. excellentia naturæ, & gratuitorum, & habilitatum ad gratiam, & gloriam.

Objic. 3. ex Suar. & Vasq. Homo primus conditus, est creatus Sanctus, ergo & Angeli: antec. habetur in Concil. Trident. *sess.* 5. consequentia prob. ex parte finis utrorumque, hoc enim excellentiori modo Angelis competit, quibus & liberaliter dederat naturalia præstantiora ad suum finem. Et confirmatur, quia Dei perfecta sunt opera & perfectum est aliquid (ait Arist.) cum attingit, & pervenit ad proprium finem, & propriam virtutem, ergo si Angelus conditus est perfectus, poterat exire in operationem, propter quam factus est, & hæc est, per quam pervenitur ad gloriam, ob idque, & charitas, & gratia sanctificans adfuit in ipso.

Resp. 1. neg. anteced. secundum probabilem opinionem; ex Seraph. Doct. *l.* 2. *d.* 29. *a.* 2. *q.* 2. *corp.* Resp. 2. transeat anteced. secundùm aliam probabilem opinionem, negatur tamen conseq. & paritas. Ratio est, quia Lucifer proximior erat statui gloriæ, ideo simul recepisset gratiam, & gloriam. Homo verò sic conditus fuit, ut longè ante gloriam, haberet gratiam, ideoque positus est in terra, quasi longè à Cœlo distans; ac per hoc in transgrediendo, nec adeo cecidit de alto, ut Lucifer, nec adeò fuit ingratus, nec adeo per peccatum depravatus. Vid. *l.* 2. *d.* 21. *a* 1. *q.* 2. *ad ult.*

Objic. 4 Concil. Brachar. primum *can* 7. damnare dicentes, Luciferum nunquam fuisse Sanctum. Resp. falsum id esse. Concilium enim solùm damnat dicentes, Diabolum non fuisse priùs Angelum bonum à Deo factum, quòd & docet Seraph. Doct. *l.* 1. *d.* 3. *q.* 2. Ex quibus infertur in sententia Seraph. Doct. Luciferum nunquam fuisse gratia sanctificante imbutum, & consequenter, cum non potuerit, se disponere in primo instanti, sed tantùm in secundo instanti, quia non se disposuit, sed peccavit, ideo damnatus.

QVÆSTIO II.

Qualis gratia ductrix, & dispositiva ad conversionem in Deum, & gratiam sanctificantem, & gloriam fuerit Angelis necessaria?

QUæstio hæc involvit plura, & difficillima, 230
simulque scitu maximè necessaria: agitur enim de omnibus, quæ spectant ad statum viæ Angelorum, tum de facto, tum de possibili: Sed tamen præcipuè difficultates solvendæ hîc, sunt sequentes. 1. An in primò instanti Angelus habuerit, vel de facto, vel de possibili actum supernaturalem, de qua re etiam aliqua supra dicta sunt. 2. An Angelus se disposuerit ad gratiam, & gloriam virtute naturæ, vel gratiæ gratis datæ. 3. An habuerit fidem in via. 4. An meruerit gloriam in primò, vel in sequentibus instantibus: deinde quota fuerit mora viæ Angelorum.

Not. autem est in primis, quod, cum Seraph. Doct. *l.* 2. *d.* 5. *a.* 3. *q.* 1. asserat Angelos conversos fuisse ad Deum absque gratia præveniente, inchoationemque habuisse talem conversionem ad Deum à voluntate, & consumationem à gratia; videtur incidisse in errorem Pelagii, quòd tamen in hoc Seraph. Doct. nefas est dicere: quòd tamen aliqui nimis proclives in censurandis sententiis Doctorum Catholicorum, & præcipuè hujus Seraphini, ausi sunt, talem errorem ipsi impingere: Vasq. *p.* 1. *d.* 99. c. 5. affert opinionem Catharini, Cordubæ, aliquotumque aliorum, asserentium, hanc inchoationem à voluntate non coincidere cum errore Pelagii, quia iste probat inchoationem à natura priùs tempore: Isti autem, sicut & Seraph. Doct. ponunt inchoationem tantùm priùs natura, simulque tempore cum gratia vocationis. Alii excusant Seraph. Doct. quia tunc opinio Pelagii non erat adhuc declarata tanquam dogma contra fidem. Addimus, assertionem hanc de Angelorum conversione, & bonis operibus Angelorum in via ex pura natura, esse unam ex propositionibus Michaelis Baji, & Jansenistarum con-

demnatam

demnatam à Summis Pontificibus, ut advertit Pater Benedictus à Sancto Jacobo in tractatu de Angelis, Controvers. 7. sed de mente Germana Seraph. D. infra erit sermo.

Prima opinio est Catharini, &c. & aliorum, quam proximè innuimus, &c.

Secunda opinio est aliquorum Thomistarum existimantium Angelos creatos fuisse in gratia, ob idque sanctificatos fuisse sine aliqua ipsorum dispositione, ex hoc, quod actus primi producti non potuerunt esse dispositiones ad habitus, sed è converso: Ita Sotus, Molin. aliique apud Suar. *l.5. cap.8.*

Tertia opinio admittit aliquam dispositionem supernaturalem ad gloriam, quia per actus liberos consenserunt in eodem instanti. Sic Suarez, *cit. cap. 7. num. 3. & cap. 8. num. 4. & cap. 9. num. 6.* estque communiter inter Thomistas, & à Faventino citatur pro hac sententia Seraph. D. sed immeritò.

Quarta sententia est Seraph. Doct. qui cum sustineat, Angelos creatos esse absque gratia gratum faciente, sed cum sola gratia gratis data, scilicet sufficiente (eratque justitia originalis, & donum supernaturale) docet, seipsos cum adjutorio talis gratiæ disposuisse de congruo ad gratiam gratum facientem, & postea mediante ipsa ad gloriam, & hoc in eodem instanti temporis, licèt per diversa instantia naturæ; quæ sententia Seraphica infra patebit. Pro solutione, &c.

111 Not. 1. ex Seraph. Doct. *l. 2. d. 5. a. 3. quæst. 1* quòd conversio Angelorum hîc sumitur, non pro naturali, de qua supra satis dictum est; sed de supernaturali, & gratuita, seu meritoria; hæcque est mentalis actus, quo Angelus totaliter conversus est sua mente, & voluntate ad peccatum in malis; & ad Deum in bonis: Unde hic sumitur, non pro habitu, seu habitualiter, sed pro actu, seu actualiter: Unde sicut in Angelis consideratur duplex rectitudo, scilicet naturalis, in qua consistit justitia originalis, & supernaturalis, & gratuita, atque meritoria; sic & duplex conversio etiam in ipsis ad Deum velut Authorem naturæ, vel ut finem supernatural.m; & sicut habuerunt Angeli primam, sic & secundam per gratiam non prævenientem, & operantem, sed cooperantem, & subsequentem, à qua conversio ista fuit completa, & consumata: hæc sunt verba præcisa Seraph. Doct. quæ difficultatem maximam ingerunt, ob rationes supra tactas; Ut autem habeatur mens ejus germana, & catholica, & tollatur omnis scrupulus.

112 Not. 2. ex eodem Seraph. Doct. *l.2. d. 4. a.1. quæst. 1. ad 1.* quòd ad triplex genus reducitur omnis gratia, prout ad rem nostram pertinet. Alia dicit quid superadditum naturalibus, quæ sunt de constitutione essentiali personæ, ut bonum ingenium, docilitas, &c. Ista enim, licèt entitativè sint in ordine naturæ, tamen prout concernunt ad affecutionem gratiæ, & gloriæ, spectant ad gradum supernaturalem tanquam effectus prædestinationis. Alia est gratia gratis data superaddita libero arbitrio ad rectitudinem, & sanctitatem faciens. & disponens, & hæc est gratia propriè gratis data de ordine supernaturali, & importat. tum aliquam qualitatem permanentem, ut est mitiras, innocentia, pietas; tum qualitatem per modum transeuntis, & actualis efficientiæ, dividiturque à Seraph. Doct. *l.2. d. 27.* *dub. 1.* in prævenientem, operantem, cooperantem, & subsequentem: dicitur autem præveniens, quatenus ipsam voluntatem facit bonam. & ideo prævenit, quia non est à libero arbitrio, sed potius infunditur à Deo: dicitur & operans, sive subsequens, inquantum adjuvat liberum arbitrium respectu boni operis eliciendi, talemque gratiam semper supponit in Angelis, ut patet *in cit. loco d. 4.* Tertia verò gratia absolutè dicitur talis, & strictè, & est gratia gratum faciens: & hæc dividitur in prævenientem, & subsequentem, secundùm duplicem effectum gratiæ, qui potest distingui tripliciter: (Nota sequentia, quæ affert Seraph. Doct. *d.27. in fine dub.1.* in quibus consistit solutio totius difficultatis) vel ita ut unus effectus sit contra malum, & alter ad bonum: vel ita quod uterque sit ad bonum, sed unus competat gratiæ secundùm quod informat, alter secundùm quod movet; vel ita quod uterque attribuatur gratiæ moventi, sed unus in congressu, & alter in profectu: Itaque gratia gratum faciens sanat animam; unde hanc appellat gratiam munificantem, & purgantem, Concil. *p 3. sess. 35.* & dicitur, & subsequitur, prout adjuvat, vegetat, sanctificat, & promovet ad meritum. Addit *l. 2. d. 5. a. 3. quæst 1. ad 1. & dub. 1.* quod in Angelo non fuit ista gratia præveniens, scilicet faciens de non justo, justum, & de impio Sanctum, quia culpa, vel malum aliquod non præcesserat in Angelo, sed tantùm gratis subsequens, & adjuvans in bona operatione, licèt enim isti duo effectus à gratia sanctificante proveniant, tamen sunt separabiles: sic enim non dicitur præveniens ratione gratiæ subsequentis, sed ratione voluntatis à malo purgatæ, unde istæ duæ differentiæ locum solùm propriè habent in libero arbitrio lapso. Sic *d. 5. dub. 2.* Et ecce sensus germanus Seraph. D. dum dicit, quòd conversionem illam inchoavit voluntas, idest non nuda, sed ditata gratia sufficiente, & gratis data, ut supra *d. 4. cit.* supposuerat, subdit, non præveniens, idest gratia gratum faciens, & liberans à peccato, quo jam carebat Angelus, sed tantùm cooperans, & sanctificans Angelum, ipsumque movens, & disponens meritoriè ad gloriam.

Not. 3. Quod est controversia inter Theologos, an Angeli in via imbuti fuerint fide supernaturali. In qua prima opinio Scoti, aliorumque, in Angelis non fuisse necessariam fidem, cum haberent cognitionem nobiliorem, scilicet intuitivam mysteriorum divinorum. 113

2. Sent. est D. Thomæ, & sequac. affirmativa Seraph. Doct. docet, in Angelis fuisse cognitionem supernaturalem Dei, sicut & in primo homine, non quidem cum tanta obscuritate, ut in nobis, nec tam claram, ut in beatis, sed mediam inter cognitionem nostram viæ, & beatam. Sic *l. 2. d. 3. p. 2. a. 2. quæst. 2. per totam, præcipuè ad 5. & d. 4. a. 1. quæst. 1. & d. 23. a. 2. quæst. 3. & l 3. d. 24. a. 2. q. 3. & d. 31. a. 2. quæst. 3.* His præmissis, &c.

Concl. 1. Datus est Angelis in via habitus intellectivus supernaturalis, ut mentionè operantur. Est Seraph. Doct. cit & communior. Probatur, quia ut Angeli elicerent actum charitatis necessarium ad salutem, qui est supernaturalis, necesse fuit eis, habere actum supernaturalem intellectus, captivando se in obsequium supernaturale summi boni supernaturaliter cogniti, 114

Vu sed

sed ad talem actum necessarius fuit habitus supernaturalis proportionatus, quo supernaturaliter tenderent in objectum supernaturale non visum: hunc autem actum, ait Suar. cum Thomistis fuisse fidem: Sed Seraph. Doct. ait fuisse æquivalentem, absque tanta obscuritate, & enigmate, & medium, ut dictum est, ergo, &c.

Dices. Si Angeli habuerunt talem cognitionem supernaturalem in via, ergo & Dæmones, cum fuerint in his donis æquales in via: & si hoc, ergo ipsam perdiderunt Dæmones: sed hoc est falsum, cum memoriam habeant eorum, quæ cognoverunt in via de Deo. Respond. certum esse, talem cognitionem perdidisse secundum illam claritatem, quam habuerunt, nec remansisse in fidem propriam supernaturalem, nec etiam transisse in enigmaticam, sed tantùm remansisse aliquid illius solùm materiale, sed cum obscuritate, ut evenit etiam in iis, qui transeunt ad hæresim.

Quæres, *An habuerint spem?* Respond. Seraph. Doct. *l.* 2. *d.* 4. *a.* 2. *q.* 1. affirmativè: non enim est major ratio de cognitione, ac de spe.

225 Concl. 2. Angelis fuit necessaria in via gratia gratis data, ad se disponendum ad finem supernaturalem. Sic Seraph. Doct *l.* 2. *d.* 5. *a.* 3. *quæst.* 1. Probatur ab ipsa auctoritate Magistri: Conversio facit justos, & Sanctos, sed justitia, & sanctitas est à gratia, ergo, &c. Prob. 2. ex D. August. qui id patenter asserit, ergo conversio non fuit ex donis puris naturalibus. Prob. 3. media debent proportionari fini, sed finis fuit supernaturalis, ergo & media. Prob. 4. Si Angeli solis viribus naturæ fuissent in Deum conversi, Lucifer etiam, qui alios præcellebat, magis in Deum conversus esset, cum Deus necessariò diligatur naturaliter: sed non conversus est, ergo id fuit per liberum arbitrium depravabile liberè, & ideo egens divino auxilio.

226 Objic. ex Magistro. Non indigebat Angelus gratia, per quam justificaretur, ergo justus erat propter gratiam, sed qui justus est, rectè, & ordinatè in fontem justitiæ convertitur, ergo, id poterant Angeli auxilio solius naturæ. Respond. Seraph. Doct. quòd justificatio, alia est privativè, estque ex impio in justum: alia est negativè; ex non justo, non habente justitiam, sed carente impietate; ad primam justificationem, superflua erat gratia in Angelis, non ad secundam, à qua fuerunt opera meritoria.

Objic. 2. ex Philosopho. Intellectus semper est rectus, ergo connaturaliter: Sed quod est rectum sursum convertitur ad divina, ergo, &c. Respond. Seraph. Doct. anteced. esse verum de rectitudine naturali, sed non de morali, ad quam est necessaria deliberatio voluntatis imperantis: & hac distinctione satisfit aliis consimilibus objectionibus.

Objic. 3. Si conversio est à gratia, ergo Angeli, qui nunquam habuerunt gratiam, excusantur à peccato. Respond. conversionem inchoatam fuisse auxilio gratiæ gratis datæ, in qua fuerunt omnes pares; dispares verò in consumatione, quia boni conversi sunt in Deum plenè; mali liberè aversi sunt à Deo. Ex quibus eruit Seraph. Doct. *d.* 5. *dub.* 2. Angelos non eguisse nova semper gratia excitante, si ut in nobis adest necessitas, qui bellum habemus continuum à concupiscentia, sed tantùm gratia adjuvante, sicut & ad perseverandum, sufficiebat illa gratia adjuvans, quod & D. Aug. *lib. de corrept.* c. 11. docuit.

Concl. 3. Angeli in primo instanti, de facto non meruerunt gloriam, imò nec de possibili possibilitate ordinaria, non absoluta. Est Seraph. Doct. aliorumque plurium. Prima pars ex traditis patet; non enim habuerunt in primo instanti gratiam gratum facientem, sed hæc est necessaria ad verum meritum, ergo, &c. 2. pars habet multos sectatores, sed omnes procedentes diversis viis: Nam Alens. probat de possibili, quia operari sequitur esse, ergo etiam, si creati essent in gratia, præsupponi debet tale esse: quæ ratio tamen non urget, quia, ut notat Seraph. Doct. *l.* 3. *d.* 18. *quæst.* 1. sufficit primitas naturæ, non temporis. Capreolus, cum aliis dicit, talem impossibilitatem oriri, ex eo, quod in primo instanti habuerunt dilectionem naturalem, ergo non potuerunt simul, & semel habere supernaturalem: quæ ratio, si quid probat, id est de facto, non de possibili. 227

Seraph. Doct. adducit hanc rationem, quia ad meritum, & demeritum requiritur deliberatio, ob idque præcedens consilium, & consultatio de objecto, & indifferentia, & deliberatio in voluntate: & quia Angelus non potest plura, & plura simul intelligere, hinc indiget successione: & quia hæc ratio plura involuit, & supra tradita, & infra tradenda, & quæ habent varios oppugnantes, hinc ordinatim totum probatur.

Primò. Ad meritum requiritur consultatio in intellectu, & libertas specificationis in voluntate, ergo id non potuit fieri in primo, & unico instanti: Anteced. probat. quia actus meritorius specificatur ab objecto, ergo, ut sit specificatus, requiritur, ut in objectum tendat, sed non per actum naturalem, ergo per deliberativum, & electivum, ob idque exigit in potentia antecedenter indifferentiam ad opposita; Conversio enim (ait Seraph. Doct. *l.* 2. *d.* 5. *a.* 3. *quæst.* 1. *ad* 4.) quæ est per appetitum concupiscentiæ, est à natura; & quæ est per affectum amicitiæ, est deliberativa, & electiva per obsequium obedientiæ gratiæ: Idem & asserit l. 2. *d.* 26. *dub.* 4. *&* l. 2. *d.* 39 *dub.* 2. *& d.* 14. *p.* 1. *a.* 2. *quæst.* 3. *& l.* 1. *d* 40. *a.* 1. *quæst.* 1. *comp. & quæst.* 2. *ad* 3. *& l.* 3. *d.* 17. *dub.* 2. *& Itin. ment. cap.* 3. sed ista exigunt pluralitatem actuum, tum intellectus, tum voluntatis, ergo in unico instanti non possunt fieri.

Respond. Adversarii communiter apud Suar. *l.* 5. *cap.* 7. *num.* 7. *& l.* 2. *cap.* 37. negand. min. & consequentiam, in Angelis, ex eo, quod Angelus potest ex sua excellenti perfectione plura simul intelligere, ad quæ sufficit prioritas naturæ, nec requiritur temporis, ad consultandum inter objecta, & voluntas etiam de se est indifferens in actu primo, ob idque non est necesse, ut hæc potestas antecedat duratione temporis actum liberum.

Contra. Ad intellectionem requiritur concursus speciei impressæ, & item species expressa, sed quælibet istarum, & quilibet actus, est determinatus ad suum objectum adæquatum, à quo sumit suam unitatem, & specificationem: actus enim unitas est posterior unitate objecti, ergo ab hac essentialiter dependet, ergo si necessarii sunt plures actus completi, & diversi speciei, non potest mens simul ad plura objecta se ferre; nec valet, istam rationem non verificari in intellectu Angelico, non valet inquam, quia intellectus

ctus Angelicus eſt ſimplex, & ideo ſi vertitur ad unum objectum, totus ad illud vertitur, & velut ab eo abſorbetur, & limitatur; ſed in primo inſtanti occupatus erat ad cognitionem Dei naturalem, & voluntas ad dilectionem, ergo incompoſſibilis erat cognitio, & dilectio ſupernaturalis.

Confirmatur à Seraph. Doct. *l.* 1. *d.* 40. *a.* 3. *quæſt.* 1. *&* *quæſt.* 2. *ad* 3. ubi loquens de electione divina, ait, ſolius Dei eſt eligere uno actu ſimpliciſſimo cum diſcretione præciſe abſque conſilio, inquiſitione, & deliberatione, ergo Angelus in eligendò, in actu meritorio indiget conſultatione; ratio antecedentis eſt, quia id proprium eſt tantum intellectus infiniti, habentis objectum infinitum.

Confirmatur iterum, quia ſi potuerunt Angeli in primo inſtanti mereri, ergo & potuerunt peccare, quod non admittunt adverſarii: non enim eſt major ratio de uno, quam de altero, & ſi potuerunt exercere libertatem ſpecificationis, ergo ad utramque partem, & multò magis libertatem contradictionis, omittendo talem actum dilectionis, ob idque tranſgrediendo præceptum iſtud. Suarez autem, *cap.* 7. *l.* 5. *num.* 8. *&* 9. varias rationes huic convincenti argumento adhibet, ſed verè non ſolvit, nec infringit vim argumenti, quod eſt fundatum in voluntate plenè libera, & deliberatione, quæ eſſentialiter eſt præſens ad libertatem contradictionis, & exercitii. Unde firmum ſtat fundamentum Seraph. Doct. quia Angelus tendens in rem creatam ſuo intellectu, etiam illi ſe tantum applicat, ob idque impoſſibile eſt, ſimul ad plura diſparata ſe convertere; quare ad merendum exigit conſultationem in intellectu, & voluntate in indifferentiam antecedentem ad electionem, & deliberationem conſequentem.

Reſpondent ad hæc omnia, ſufficere prioritatem, & poſterioritatem naturæ, & ſimultatem temporis.

Contra. Prioritas naturæ non dicit exiſtentiam priorem rei, ideoque explicatur per præintelligentiam; & ſi dicit cauſalitatem, tunc plura inſtantia temporis important; ſed tales actus verè extiterunt conſequenter unus ad alterum, ergo non ſimul ſemper.

Objicies primò. In Chriſto ad merendum in primo inſtanti ſatis fuit prioritas naturæ, ergo & in Angelis, cum creati fuerint cum intellectu, & voluntate perfectiſſima, & cum gratia.

Reſpond. primò. Negando paritatem de Chriſto, & Angelis: Nam anima Chriſti creata fuit in gratia, & gloria, & cum unione hypoſtatica, ob idque primi actus fuerunt viſio, & charitas, beatifica, quæ non potuerunt eſſe diſpoſitiones ad gratiam; & ideo ob deiformitatem viſionis, & fruitionis, poterat ſimul plura cognoſcere, & velle deliberatè: At Angeli non fuerunt ſic creati, ſed tantùm cum informatione habitus fidei, vel notitiæ æquivalentis, & mediæ, qua Deum, ſolùm in creatura, poterant videre, &c. Et ad id de gratia. Reſpond. primò negand. eſſe creatos in gratia gratum faciente, ſed tantùm cum gratis data: Et dato etiam hoc, negatur, potuiſſe in primo inſtanti mereri, quia ad hoc erat neceſſaria præcedens cognitio ſupernaturalis, & ſubſequens deliberatio. Vide Seraph. D. *l.* 3 *d.* 18. *q.* 1. *ad* 3. 4. *&* 5.

128 Concl. 4. Angeli boni poſt primum inſtans de congruo ſe diſpoſuerunt ad gratiam gratum facientem per proprium actum liberum converſionis ſupernaturalem adjutorio gratiæ gratis datæ; & per habitualem, ad confirmationem in gratia, & ad gloriam. Eſt Seraph. Doct. *l.* 2. *d.* 4. *quæſt.* 2. *ad* 5. *&* 6. *&* *d.* 5. *a.* 3. *quæſt.* 1. *&* *d.* 9. *quæſt.* 3. Eſt D. Thom. & ſequac. apud Suar. *l* 5. *cap.* 7. 8. *&* 9. qui tamen ex diverſis principiis, à Seraph. Doct. procedunt, docentes, hanc diſpoſitionem ſolùm priùs natura fuiſſe, ſimulque tempore cum ipſa gratia habituali, ideoque tales actus diſpoſitivi fuerunt ex ſpeciali auxilio, ſed ſimul cum infuſione gratiæ habitualis. Sic Suar. *cap* 9.

Concluſio hæc eſt contra Soto, Molinam, alioſque, ſuſtinentes, tales actus elicitos fuiſſe effectus gratiæ infuſæ; ſicque tenent eſſe effectus gratiæ habitualis, ſimulque & diſponentes ad ipſam, ſuſtinent enim, etiam contritionem peccatoris eſſe diſpoſitivam ad gratiam habitualem, & ſimul elicitam ab ipſo habitu charitatis, ad quem diſponit: quam opinionem implicatoria, & contradictoria continentem appellat meritò Suar. *cit.* *n.* 2. & de qua erit ſermo *in* 4.

Probatur primò, quia talis ordo ab imperfecto, ad perfectum eſt magis proportionatus, & gratiæ, & recipienti, ut arguit Suar. Nam perfectiùs eſt conſequi gratiam habitualem cum aliqua cooperatione, quàm omninò ab extrinſeco illam recipere, quia ex ſuo genere, ac cæteris paribus, ſemper eſt perfectius habere aliquid à ſe, quàm ab alio tantùm, & eſſe aliquo modo ſibi cauſam ſuæ perfectionis, quàm non eſſe; ergo, & qui diſponit ſe ad gratiam: Tum quia, qui ſe diſponit ad gratiam, illam impetrat à Deo, imò meretur illam de congruo, & ita aliquo modo ad ipſam cooperatur, & trahit Deum, ut illam infundat, ergo hoc majoris perfectionis eſt: Tum etiam, quia per habitualem gratiam contrahitur particulare vinculum amicitiæ inter Deum, & creaturam, & quaſi celebratur ſpirituale matrimonium inter ipſos: Sed de ratione amicitiæ, & matrimonii eſt, ut per conſenſum voluntatis, vinculum tale contrahatur: ergo eſt valde conſentaneum ipſi gratiæ, & effectui ejus, ut ex parte Angeli præcedat motus voluntatis, quo ſe diſponat ad gratiam: hac ratione videtur, eſſe ordinaria Lex Dei, ut qui libertate, & ratione utitur, poſtea gratiam habitualem non recipiat, niſi ad illam ſe præparaverit, juxta illud Hierem. cap. ult. *Convertimini ad me, & ego convertar ad vos*: Quæ lex in nobis certa, & univerſalis eſt juxta doctrin. Concil. Trid. *ſeſſ.* 6.

Dices. Id exigi in nobis, qui tranſimus à ſtatu inimicitiæ, ad amicitiam, non in Angelis. Contra, quia iſta lex non eſt fundata primariò in termino à quo, ſcilicet noſtræ juſtificationis à ſtatu inimicitiæ: Sed primario in ipſo termino, ad quem, qui eſt conſtitui amicum Dei, ob idque præexigit conſenſum præcedentem: Tum etiam, quia, natura Angelica comparatur ad gratiam, ſicut materia ad formam, & ut quid imperfectum inferioris ordinis, ad perfectum ſuperioris ordinis: ergo convenientiùs exigitur præcedens præparatio: Tum quia omnes Angeli poterant mereri: ergo ex qualitate diſpoſitionis, varia fuit illata gratia. De quo vid. *l.* 2. *d.* 9. *quæſt.* 2. *&* 3. Tum quia poſt primum actum naturalem, conveniens fuit, ſe exercuiſſe in variis actibus ſu-

pernaturalibus circa varia misteria fidei revelata, verbi gratia, alio modo circa Christum Creatorem; alio circa Beatam Virginem, &c. De quo vide Seraph. Doct. *l.* 3. *d.* 2. *dub.* 4. *in fine*, & Suarez, *l.* 5. *num.* 15. *seq.* Tum tandem, quia, si suis meritis Angeli non essent suam beatitudinem consecuti, nulla esset ratio, cur à principio essent in statu beatitudinis creati, ergo id factum est, ut suis meritis ad ipsam pervenissent.

Secunda pars probatur, quod per exerci-
229 tium gratiæ habitualis meruerint de condigno confirmationem in gratia, & gloria, est communis apud Thologos: & patet, quia in illis tunc concurrunt omnia necessaria ad tale meritum; illi enim tunc erant Sancti, & per fidem vivam, seu notitiam supernaturalem liberè operabantur, se convertendo in Deum ea gratiæ auxilio: sed Deus sic operantibus, vitam æternam promisit juxta illud Jac. 1. *Accipiet coronam justitiæ, quorum repromisit Deus, &c.* Idem etiam *cap.* 2. & 2. Timoth. 4. *In reliquo reposita, &c.* Et quia dogmata tradita ex Sacra Scriptura de gratia, & charitate Dei, & de gloriæ concessione, extendi debent, non solùm ad homines, sed & ad Angelos, sic exigit natura gratiæ, & gloriæ.

Probat autem Seraph. Doct. *d.* 5. *quæst. ult.* hanc secundam partem pluribus convenientibus rationibus, tum ea D. August. asserente, Angelos bonos recepisse gloriam, & mercedem operum: Tum quia meritum est via ad præmium: ergo & status viatoris cum merito prior est, quam comprehensionis: Tum ea natura gratiæ, quæ dispositio est ad gloriam: Tum quia gloriam Deus dedit, non indignis, sed dignis, sed dignitas est ea meritis: Tum quia si præmium præcedit meritum, ut dixerunt aliqui, ad quid tendit istud meritum? Non ad gloriam, quæ jam supponitur, non ad actum contemplationis; sic enim omnes Angeli beatificati essent; nec ad ministerium, quia, si tunc non esset homo, Angelus non posset mereri, ob idque nec beatificari.

Objic. Magistrum asserere meritum consequi
230 præmium. Respond. Seraph. Doct. Magistrum in hac sententia, sicut & in pluribus aliis rejici communiter.

Objic. 2. Angeli, dum nobis ministrant, merentur aliquid: ergo merentur, vel præmium habitum, vel habendum, non meritum habendum, quia non essent beati, ergo habitum, & si merentur aliud, quàm essentiale præmium, sequitur, quod sunt in expectatione, ob idque nec in perfecta gloria. Respond. mereri præmium accidentale, nec ob id stant cum expectatione, vel afflictione; eis enim sufficit essentiale.

Objic. 3. Deus plus exigit, quando plus dat: ergo majora obsequia debuit exigere ab Angelis, quàm ab hominibus, sed homo non glorificatur, nisi post multos labores: ergo nec Angelus sine laboris operibus: sed opera in Angelis non præcesserunt, sed solus motus affectionis, ergo meritum consecutum est præmium.

Hæc objectio tangit plura dubia, & præcipuè tempus, in quo Angeli receperunt præmium: Sustinet enim Seraph. Doct quod in eodem instanti, quo meruerunt prius natura, in eodem receperunt præmium, posterius tamen natura. Hinc ad argum. Respond. Seraph. Doct. negand. paritatem de Angelis, & hominibus; nam homo indutus carne habet tempus diuturnius ad meritum; sed Angelus non ita, cum nullum habeat retardativum, & cito moveatur ad suos actus, hinc & brevissimum tempus ei datum est. De quo vide *l.* 2. *d.* 7. *part.* 1. *art.* 2. *quæst.* 1.

QUÆSTIO III.

Quanta fuit mora viæ Angelorum?

Plures sententiæ Theologorum à Doctoribus a 231
in medium proponuntur. Prima docet, totum negotium viæ, & præmii peractum fuisse in unico, & primo instanti: Sic Lud Viv. in D. August. de Civit. Dei, *l.* 11. *cap.* 9. quæ opinio ab omnibus rejicitur, ut falsa, cum impossibile sit, plures actus in unico indivisibili instanti esse productos.

Secunda opinio est Caiet. Ferrar. & aliorum, totum peractum fuisse per duo instantia; in primo creationem in gratia: in secundo conversionem bonorum, & aversionem, & damnationem malorum.

Tertia opinio tres morulas assignat, scilicet in prima creationem in gratia, in secunda permanentiam in bono, & malo, in tertia glorificationem, & damnationem. Sic communiter D. Thom. & Thomistæ, & Scotistæ, qui tamen variant in explicatione talium morularum.

Quarta opinio quatuor morulas assignat: primam in pura natura: secundam in gratia: tertiam in perseverantia: quartam in præmio, & termino.

Quinta opinio est Scribonii in sua Cosmol. *d.* 8. *quæst.* 4 aliorumque admittentium quinque, vel sex morulas: Et licèt Seraph. Doct. citetur communiter pro opinione admittentium tantùm duos, vel ad summum tres morulas, ut P. Gaudent. *d.* 6. *quæst.* 2. & Baudun: tamen conformior est principiis ejusdem Seraph. Doct. ista ultima opinio, ut mox patebit: Hinc.

Not. 1. quod in hac difficultate, licèt potius procedatur divinando, quàm scientificè discurrendo, tamen tale tempus Angelorum demetiendum est juxta naturam, & esse ipsorum: unde sicut tempus aliud competit Angelis aliud rebus corruptibilibus; sic etiam suis operationibus, & affectionibus, ut docet Seraph. Doct. *l.* 2. *d.* 1. *dub.* 4. *& d.* 2. *p.* 1. *a.* 1. *quæst.* 1. *corp.* *& d.* 2. *& a.* 2. *quæst.* 1. Ideoque rectè advertit Pater Baudun. *quæst.* 56. *a.* 3. quod instans Angelorum non est instans temporis nostri, sed est permanens, & alterius generis ab instanti nostri temporis, quia propriè non est duratio: quod enim momentaneum est, non dicitur propriè durare: Sed instans temporis Angelici est propriè duratio operationis Angelicæ liberæ, quæ operationes aliquando sunt permanentes, & verè durant per aliquod spatium temporis, aliquando sunt transeuntes, & instantaneæ: hinc est, quod istæ morulæ demetiendæ sunt, non intrinsecè, sed extrinsecè, cum temporis nostri mensura, ita ut singulæ durent aliquod spatium temporis brevissimum, ut docet Seraph.

Doct.

Doct. *lib. 1. d. 37. quæst. ult.* Quantum autem fuerit hoc spatium, nemo scit: Unde aliqui, Angelis tribuunt diem integrum, alii horam, alii quadrantem horæ apud Arag. sed hoc est divinare velle, ut dictum est. Et quia Angeli non potuerunt plures actus completos simul producere, & quia habuerunt statum viæ, & termini: hinc eruitur.

232 Conclusio, probabilissimum est, Angelis concessas fuisse quatuor, vel quinque morulas, quorum prima fuit creatio ipsorum in pura natura, & gratiis gratis datis: secunda fuit usus gratiarum gratis datarum, vel abusus: tertia fuit meritum, vel demeritum: quarta fuit perseverantia, cum variis actibus bonis, vel malis; & simul collatio gratiæ gratum facientis in bonis, & negatio in malis: quinta fuit terminus utrorumque.

Probatur autem ista conclusio ex Seraph. Doct. *hic. d. 5. quæst. 3. & d. 4. q. 2. ad arg. & a. 3. q. 2.* quia prius est subjectum, quàm id, quod in subjecto recipitur, ergo prius natura fuit Angelus quàm gratia, & cooperatio: secundò, quia non potest Angelus in sua natura, & gratia gratis data simul plures actus producere, ergo post receptionem gratiæ solùm potuit producere conversionis, vel aversionis actus: tertiò, quia plures actus spectantes ad conversionem, vel aversionem produxerunt, ergo indiguerunt tempore necessario: quartò, quia Deus non est ultor, nisi præcedat peccatum: quintò, quia prius fuerunt Angeli æquales, postea inæquales: sextò, quia mali plura peccata commiserunt, ut docet Seraph. Doct. *dist. 5. cit.* septimò, quia solis perseverantibus datur corona, & præmium: octavò, quia valdè probabile est, ut ait Suar. *lib. 5. cap. 3. num. 6.* Deum Angelis indidisse novum præceptum, ex quo postea natum est bellum in Cælo: sed ista omnia exigunt quatuor, vel quinque morulas, ergo probabilior ista conclusio.

233 Dices, ex Seraph. Doct. simul fuisse tempore meritum, & premium Angelorum. Resp. fuisse simul tempore nostro, concedo; Angelico, nego, vel, ut ait Seraph. Doct. simul tempore, scilicet cum perseverantia viæ ad præmium.

Quæres 1. *An Deus expectaverit ad pœnitentiam malos per aliquam moram temporis?* Communis Theologorum opinio est negativa, quod infra probabitur, cum agemus de obstinatione Dæmonum. Licèt inter Catholicos non defuerint asserentes hanc sententiam.

QUÆSTIO IV.

An Angelis collata fuerit gratia major secundùm præcellentiam donorum naturalium?

234 QUæstionem hanc agitat Seraph. Doct. *l. 2. d. 9. quæst. 2. & 3.* sub duplici titulo: primo, an Angelorum distinctio sit à natura, vel à gratia? Secundo, an secundùm majorem capacitatem naturalium, dentur à Deo majora dona gratuitorum; & meritò solvenda proponitur hæc difficultas: licèt enim certum sit ex traditis, conversionem in Deum fuisse ab Angelis virtute gratuitorum, quæ eis à Deo collata sunt, tamen quærendum est, an inæqualitatem donorum dederit, juxta inæqualitatem naturalium bonorum? quæ quæstio (sit Vasq. *d. 1. 8.*) à nemine proposita fuit, quem ipse viderit: tamen Seraph. Doct. ipsam doctè, & fusè solvit, & quod plus est, ipse Vasq. postea de more usurpat pro se doctrinam, & argumenta Seraph. Doct. Pro solutione, &c.

Not. primò, certum esse Angelos à natura ordinatè alii aliis præstantiores: licèt enim Seraph. D. sustineat tanquam probabilius, omnes Angelos constituere unam speciem specialissimam naturam, hic tamen intra spheram ejusdem speciei, sustinet dari inæqualitatem donorum naturalium.

Not. 2. aliud esse dicere, data fuisse dona gratiarum Angelis varia, secundùm diversitatem naturalium; aliud esse, dicere, data fuisse intuitu naturæ, vel ut debita naturæ: hoc secundum non potest sustineri; sed primum tantùm. His, &c.

Concl. 1. Ordinum Angelorum distinctio principalis est à gratia, non à natura, nisi præsuppositivè. Est Seraph. D. *d. 9. q. 1.* & communis Theologorum. Ratio est, quia hæc distinctio est ex ratione officii, actionis, & nominationis, sed ista sunt effectus gratiæ, & dona gratuita, ergo, &c. Prob. major, & min. ex nominatione Seraphici ordinis, qui est supremus: sic isti Angeli nominantur ab ardore dilectionis, sed hæc est à gratia, ergo, &c.

Concl. 2. Deus Angelis natura præstantioribus 235
contulit gratias præstantiores. Est Seraph. D. *cit. q. 3.* & communis. Et probatur, quia Deus, ubi non invenit obicem, confert gratiam suam secundùm capacitatem naturalium, sed in Angelis nullum adfuit impedimentum, ergo, &c.

Concl. 3. Deus dedit sua dona gratuita, non intuitu naturæ veluti ipsi debita. Probatur, quia distributio sapientiæ, & gratiæ non pensatur ex parte suscipientis, sed ex parte Dei conferentis: tum quia sæpè evenit, eum, qui habet plura dona, minus habet gratiæ, & è contra, ergo, &c.

Objic. primò contra secundam conclusionem. Non potest inferiùs esse mensura superioris, ergo nec natura gratiæ. Resp. Seraph. D. conc. antec. quoad comparationem meriti de condigno: neg. de motivo de congruo: sic enim interpretandus est ille textus Matt. 25. *Unicuique dedit secundùm virtutem propriam*, ut, ly. secundùm, non dicat causalitatem; sed tantùm congruitatem: Unde mensura gratiarum, non est natura, sed gratiosa Dei voluntas dividens singulis prout vult, ut dicitur 1. *Cor. c. 12.* quod tamen non impedit, quin possit aliquod motivum reperiri in natura, quod non est meritum propriè, quod fundatur in actibus liberis.

Objic. 2. Si ad proportionem donorum naturalium datæ sunt gratiæ Angelis, ergo Lucifer debuit esse cæteris gratior. Prob. consequentia, tum ex ratione donorum naturalium, tum supernaturalium, tum ratione dilectionis interioris in Deum, & tamen fuit magis Deo exosus. Resp. ex Seraph. Doct. *dist. 6. quæst. 1. ad ult.* quod verum est, Deum ipsi donasse excellentissima dona, non adspiciens ad futura peccata, sed ad idoneitatem præsentem, nec intuitu, vel ob merita naturalia, sed ex sua liberalitate.

QVÆSTIO V.

An Angeli gratiam receperint ex meritis Christi prævisis?

236 Quæstio hæc proprium locum obtinet in tertio sententiarum, ubi agitur de gratia capitis: attamen pro complemento eorum, quæ spectant ad viam Angelorum, hîc etiam breviter solvenda est: Ipsamque pertractat Seraph. Doct. *l. 3. dist. 13. a. 2. q. 3. & l. 2. d. 4. art. 1. q. 2. ad arg.* ubi resolvit, Angelos per merita Christi non accepisse gratiam, & gloriam, sed tantùm quandam illuminationem circa mysterium Incarnationis dominicæ, ex hoc, quod Christus non venit propter Angelos, quos reliquit in Cælo figuratos in nonaginta novem ovibus, sed venit quærere hominem perditum. Idem & docent D.Thom. & plurimi Sancti Patres.

His stantibus, dicimus, oppositam sententiam esse probabilissimam, & forsan probabiliorem: summoperè enim collaudat excellentiam Christi, prout est Caput omnium prædestinatorum, ad quod etiam reducuntur merita Beatæ Virginis, ut secundariò concurrentia ad Angelorum gratiam,& gloriam. Hanc sententiam tenent Scotus, sequacesque, & Albert. magn. Carthus. Richard. Viguer. apud Suar. de Incarnat. *dist. 41. sect. 1* & alii, quos ipse citat. De qua materia fusè agit Vega in Theologia mariana Palestra 23. *certam. 3. an. 1513.* & nos fusiori calamo discutiemus ad gloriam Christi, & Beatæ Virginis in tertio: pro nunc ista sufficiant.

237 Et quia Seraph. Doct. dicit, Christum influisse in Angelos illuminationem mysteriorum Incarnationis: hinc superaddenda est alia quæstio proxima: An Angelis revelata fuerit permansio in gratia, & gloria futura, vel damnatio, quam proponit Seraph Doct. *lib. 2. dist. 4. art. 2. q. 1. & 2.* Pro qua sit.

Concl. 1. Angelis bonis non fuit revelata ipsorum permansio in gratia, & gloriæ consecutione. Ratio est, quia talis revelatio, ipsius effectus, & securitas potiùs spectat ad statum patriæ, quàm viæ; tum quia in via uniformiter à Deo boni, & mali tractati sunt, alioquin potuissent quodammodo Lucifer, aliique mali habere excusationem in suo peccato, eo quod ipsis non fuerit revelatus suus casus, & ideo quodammodo ante peccatum puniti essent: tum quia plus est ista revelatio, quàm collatio gratiæ, sed gratiam eis non dedit, ergo nec revelationem.

Objic. primò. Deus dedit Angelis scientiam naturalem omnium rerum, ut essent omnimodè perfecti, ergo magis conveniens fuit dari scientiam propriæ salutis. Prob. consequentia, quia si illa perficit in ordine naturali, ista perficit, & animam erigit in supernaturali, ergo, &c. Resp. neg. paritatem, & consequentiam: nam cognitio naturalium spectat ad naturalem cognitionem, in qua fuerunt omnes æquales: ista autem revelatio magis spectat ad statum gloriæ, ideo conveniens fuit, ipsam dari solùm in tali statu, à quo non possent cadere.

Objic. 2. Si non eis fuit revelata gloria, ergo poterant timere de sua salute, sed hoc pœnam secum affert, ergo pœnam ante culpam habuerunt. Resp. Seraph. Doct. Angelos habuisse in via certitudinem, non phisicam, & infallibiliter, sed moralem, & probabilitatis, ex hoc, quod sciebant, se esse immunes à culpa, & videbant se sublimatos ad tot bona naturalia, quæ eos liberabant à dubitatione,& pœnalitate: Unde quidem talis certitudo erat eis loco spei.

Concl. 2. Angeli mali certam præscientiam sui casus non habuerunt in via. Ratio est, quia talis revelatio, ultra prædictionem, importat quamdam illuminationem, atque notificationem ignotam modo supernaturali, sed talis præcognitio habet annexam culpam,& miseriam,sicque fuissent ante peccatum miseri, &c.

Objic. Petro revelavit suum casum, ergo magis id debebatur Angelis. Resp. non fuisse revelationem,sed prædictionem; unde Petrus non intellexit simpliciter,sed subordinatè, vel nec benè advertit, nisi in actu peccati: vel negatur paritas: lapsus enim Petri erat reparabilis, non sic casus Diaboli.

DISPVTATIO IX.

De malitia, & peccato Angelorum.

QUÆSTIO I.

An Deus malum condiderit Angelum Seraph. Doct. l. 2. d. 3. p. 2. a. 1. q. 1. & 2.

238 Quæstionis hujus titulus involuit plura dubia: & primò, an Deus creavit Angelum in sua malitia? Secundò, an potuerit esse malus Angelus in primo instanti? Tertiò, an possit dari creatura, quæ ex natura sit impeccabilis?

Quoad primam difficultatem, nulla est controversia cum Catholicis, sed tantùm cum Manichæis, aliisque hæreticis, qui voluerunt, Diabolum ex natura sua esse malum; & hoc, vel quia à Deo sic creatus fuerit, vel seipso ex natura sua talis sit: Unde.

Conclusio catholica est: Deum condidisse Angelos omnes bonos bonitate naturali, immunesque malitia morali, & peccato. Ratio est, quam affert Seraph. Doct. *cit. quæst. 1.* Opus Dei, eo ipso, quod opus Dei est, necesse est, ipsum esse laudabile, ordinabile, acceptabile, perfectum, vel perfectibile: nihil enim Deus facit, quod non deceat suam majestatem: Si enim magnus est Deus, & laudabilis nimis, non solùm debet in se esse laudabilis, sed & in opere suo, ergo ipsum dedecet opus vituperabile; id enim redundaret in vituperium ipsius: & si Deus est summè sapiens,

ergo

ergo omnia à se facta ordinabilia sunt ad se, & non in malum, & pœnam: & si summè justus est, ergo omne, quod vult, debet esse justum, & acceptabile; & cum sit perfectissimus, ergo omnia sunt perfecta, vel perfectibilia.

Dices, ex Eccles. *cap.* 33. Contra malum est bonum, & contra mortem vita, & contra virum justum peccator, & sic intuere in omnia opera Altissimi, cujus proprium est malum ordinare ad decorem universi: ergo, si fecit Angelos bonos, fecit & malos. Resp. Seraph. Doct. quod est mali productio, & producti ordinatio: Primum fœdat, & turpat: Secundum decorat: Primum non potest facere Deus; sed secundum tantùm; & hoc non est malum, sed bonum: imo etiam, quia in natura mala duo sunt, nempè ipsa natura, & ipsa malitia: prima est à Deo, secunda à nobis.

QUÆSTIO II.

An Angelus potuerit esse malus; vel peccare in primo instanti?

239 PRima opinio admittit de potentia absoluta, negat de ordinaria. Ita Suar. *lib.* 2. *cap.* 20. 2. est Scoti, affirmans id de potentia absoluta, & ordinaria, negat tamen de facto. 3. Opinio est absolutè negativa: Estque Seraph. Doct. & D. Thomæ; qui tamen procedunt per diversa principia in astruenda sua sententia. Pro solutione, &c.

Not. primò ex Seraph. Doct. *lib.* 2. *dist.* 41. *q.* 1. *&* 2. quod bonum est duplex: Aliud naturale, aliud morale: Primum præexigit cognitionem naturalem, sufficitque etiam simplex apprehensio: Secundum præexigit consultationem, & deliberationem in intellectu: Unde bonum morale, & meritorium, & malum demeritorium exigit rationem dictantem & directam à præcedenti consultatione, & consequenter collationem, & successionem. *Sic lib.* 2. *dist.* 3. *p.* 2. *art.* 1. *q.* 2. *in fund.*

Not. 2. quod est maxima difficultas, an Deus potuerit creare Angelum, vel hominem in actuali operatione: quam quæstionem pertractat Seraph. Doct. *lib.* 2. *dist.* 18. *art.* 1. *quæst.* 1. *de Christo, & ibid. ad* 4. solvit de Angelo: Admittit enim id de Christo, scilicet quod ejus anima creata fuit cum actuali plenitudine gratiæ, & gloriæ, & hoc in ordine ad meritum: Negat autem de Angelis, qui non fuerunt creati in gloria, vel gratia sanctificante, & multò magis id negat, quoad autem peccaminosum ob rationes adductas in præcedenti fundamento: Unde dato, quod de potentia absoluta potuerit Angelus mereri, non tamen demereri.

Not. 3. quod in hac quæstione, & nostra sententia, potissima difficultas est in assignanda ratione demonstrativa, in qua varii variant, quæ examinabitur infra. Hinc, &c.

240 Conclusio unica. Dato, quod Angeli possent mereri in primo instanti de potentia Dei absoluta, in quo non apparet ulla evidens repugnantia, impossibile tamen fuit, ipsos potuisse peccare. Prob. primò à Seraph. Doct. *lib.* 3. *cit. quæst.* 2. *fund.* 4. Si Angelus potuisset peccare in primo instanti, debuisset necessariò creari cum operatione actuali, sed non potuit à Deo creari, nisi cum operatione conveniente, & bona, nullo autem modo mala ergo, &c. Hanc rationem, quæ est etiam D. Thomæ, applicat Joan. à S. Thom. *quæst.* 59. *dist.* 25. *art.* 2. *num.* 13. quia prima operatio in eodem instanti creationis, debet esse necessariò à Deo, scilicet esse angelicum cum actuali operatione, ergo necessariò est bona: Antecedens fundatur in duobus principiis: Primum est, quod dictamen intellectus debet formari à Deo: Secundum, quod ab aliquo extrinseco debet ad illud moveri: Utrumque patet, quia necessariò illa operatio, quæ incipit simul cum esse rei, est ei ab agente, à quo habet esse, ex Arist. 8. *Phys.* qui generanti tribuit moveri ignis sursum: Ratio est, quia prima operatio semper supponit potentiam, à qua egreditur, non se moventem, quia illam supponit in potentia, non in actu: Unde cum in prima operatione, quæ simul est cum ipso esse rei, non supponatur potentia operans in actualitate ad movendum seipsam per alium priorem actum suum, oportet transire ad actualitatem exterioris agentis, ut possit per ipsum reduci de potentia ad actum, quod est moveri ab alio; & sic prima operatio motivè, & applicativè debet esse ab alio, licèt elicitivè possit esse ab aliqua potentia, quia elicientia solùm est emanatio actionis, quæ utique ab ipsa potentia efficiente est; ut applicata tamen, & mota ad operandum: quæ duo sunt diversa, scilicet elicere actum, & applicari ad actum: applicatur autem ad actum per alium actum primi moventis, elicit actum ipsa potentia à seipsa. Cum igitur primum dictamen, quod format intellectus in primo instanti suæ creationis, non possit illud formare à se, sed debet illud habere ab alio exteriori principio movente, & applicante intellectum, & excitante, ut tale dictamen habeat, sequitur, quod necessariò debet esse à Deo dante esse, & primam applicationem, & consequenter cum non possit esse malum à Deo, hinc patet implicantia, quod Angelus possit in primo instanti peccare: & hoc est, quod ait Seraph. Doct. *cit. fund.* 4. quod si creatus fuisset cum operatione actuali, & mala, in Deum refundi deberet.

Prob. 2. à Seraph. Doct. *fund.* 3. Ad mortale peccatum patrandum necessaria est libertas ex plena cognitione plurium, & plurium succedentium, sed hoc non potest haberi in primo instanti creationis, ergo, &c. Major est evidens, & ab omnibus recepta: nam (ut dictum est *in lib. de An.*) per hoc differt appetitus sensitivus à naturali, quod sensitivus unitur immediatè suo fini per lumen naturale, & per simplicem apprehensionem: Rationis verò appetitus unitur mediatè tantùm, id est mediante cognitione finis, ejusque convenientiæ, & mediorum; ob idque mediante judicio, & collatione convenientiæ, vel disconvenientiæ finis, & mediorum. Prob. minor, in qua stat tota vis argumenti, nempè, ista non posse haberi in unico instanti: Electionem perfectè liberam præcedere debet plena cognitio rei eligendæ, finis cujus gratia, finis cui, & rationis motivæ; quæ omnia sunt plura objecta, ut plura, & disparata, ergo exigunt majorem durationem, quàm unius instantis.

Huic argumento respondet Scotus, retorquendo argumentum, quia nec potuisset mereri in primo

mo instanti, quod non implicat, etiam ad antes Seraph. Doct. ut patet de Christo.

Resp. nos admittere totum de meritò Christi, quia fuit creatus in plenitudine gratiæ, & gloriæ: & de Angelo negamus, cum non fuerit creatus in gratia: & dato, quod fuerit creatus in gratia, negamus paritatem de merito, & peccato: potuit enim creari à Deo cum actuali operatione bona, tuncque bonitas motionis refunderetur in Deum producentem, licet elicitio esset à voluntate, ut dictum est supra in primo argumento: At in peccato non sic, necesse enim fuit, ut præcederet cognitio Dei, ut summi boni, & super omnia amandi, & hinc consequi actus oppositus dictans amandum bonum proprium supra Deum inordinatè; & indè comparatio boni propositi cum Deo, ut deliberatè illud eligeret, & hoc rejecto, ut sibi finem ultimum in alio, vel creatura constitueret: debere etiam considerari media, & multa priùs cognosci, quæ sunt ratio cognoscendi reliqua: & ista in ordine ad peccatum exigunt successionem, & maximè cum in primo instanti non esset aliquod motivum oppositum Dei dilectioni super omnia, quam habuit Angelus in eodem primo instanti: quæ doctrina etiam traditur à S. Bon. *lib. 3. d. 18. q. 1. ad ult.*

Addit Seraph Doct. ad penult. istam incompossibilitatem actuum non oriri ob oppugnantiam actuum, vel simplicitatem, quia absolutè sunt simul compossibiles, nempè præcognitio, deliberatio, electio, & elicitio actus boni, ut patet in anima Christi, & Beatorum, sed propter simplicitatem intellectus angelici, dum erat viator, quia una conversione totus capitur intellectus ab uno objecto, ita quod incompossibilis est in illo instanti conversio ad aliud objectum totale.

241 Prob. 3. à Seraph. Doct. *fund. 3.* Ad peccatum requiritur libertas, sed in illo primo instanti non fuerunt Angeli liberi, ergo, &c. Prob. minor: si in primo instanti fuisset liber, ergo in eodem instanti fuisset indifferens ad utrumque, sed ex suppositione, quod peccassent, non fuissent indifferentes; sicque patet contradictio: res enim dum est, necesse est esse, ex Aristot.

Resp. Scotus, & sequaces, Angelum fuisse liberum antecedenter prioritate naturæ, licèt simul tempore fuerit peccatum. Contra. Quia simul tempore impossibile est, ut sint duo contradictoria, quæ ex suppositione facta, adessent, scilicet peccatum, & libertas ad non peccandum.

Prob. 4. à Seraph. Doct. *fund. 6.* omnis mutatio est per transitum à privatione ad habitum, & vel è contra, & nihil in eodem instanti potest esse simul sub utroque. v. g. esse album, & non esse, vivum, & mortuum, ergo nihil in instanti potest mutari, ut infert Scotus, sed tamen hæc non est legitima consequentia, sed benè illa, quam infert Seraph. Doct. ergo nihil, quod movetur potest esse sub privatione, & habitu, sed peccans transit ab habitu gratiæ, vel rectitudinis naturalis ad privationem, ergo non poterit in eodem instanti simul habere utrumque.

Resp. Scotus. Peccare in primo instanti, non esse propriè mutationem, quia non est transitus à gratia, ad ipsius privationem, quia Angelus ante non habuit gratiæ habitum: unde si peccasset, solum transiisset ad privationem illius habitus, quem non peccando habuisset.

Contra. De fide est, Angelum, ut exiit à Deo fuisse bonum, & rectum, rectitudine quidem naturali, & etiam gratuita per gratias gratis datas: cum autem peccatum sit privatio gratiæ, secundùm Thomistas; rectitudinis naturalis, secundùm Scotum, sequitur, quod peccando, Angelus necessariò mutetur à rectitudine ad privationem, sicque in eodem instanti temporis verificarentur duo contradictoria: ratio est, quia in subita mutatione simul est fieri, & factum esse; corrumpi, & corruptum esse, & ita non esse, ergo bonum in primo instanti non est, sed non corrumperetur, nisi fuisset actu, ergo in eodem instanti fuit, & non fuit, ergo contradictio, &c.

Nec valet responsio adversariorum, dicentium non esse contradictionem, quia in illo primo instanti Angeli essent recti, & amici, quoad habitum, & inimici quoad actum. Non valet, inquam, quia hæc contradictio est circa idem subjectum cum positione habitus, ejusque privatione; vel ad summum esset contrarietas inter habitum, & actum oppositum; tum etiam, quia esset amicus Dei secundum habitum, esset etiam secundum actum, quia actus oppositus est ei incompossibilis.

Objic. primò. Diabolus (*ex 1. Ioan. cap. 3.*) ab 242
initio peccavit, sed nihil est ante initium durationis, ergo non solùm potuit peccare, sed & verè peccavit in primo instanti. Resp. Seraph. Doct. ly, initium, non sumitur pro primo instanti, sed ex S. Aug. vult dicere, statim post initium. Vide ibid. ad secundam respons. sensum S. Aug.

Objic. 2. Datur creatura corporalis, quæ statim ac est, etiam in actu est, & operatur, sicut est lux ex D. August. ergo multò magis Angelus, sed actus ejus est velle, ergo sufficit prioritas naturæ, & sicut potest velle bonum, sic & malum. Resp. Seraph. Doct. ad mentem aliorum, negando anteced in omni creatura: sed transeat, (ait Seraph. Doct.) non solùm in luce, sed & in Angelo, sed negatur hoc de omni creatura, scilicet de electiva, & de meritoria, ut supra dictum est.

Objic. 3. Anima rationalis in primo instanti naturaliter est rectificata, & simul est mala, ergo potuit esse etiam Angelus. Resp. negando paritatem: Anima enim inficitur labe originaria per unionem ad carnem, unde est bona naturaliter, mala extrinsecè; non verò potest fieri mala per peccatum actuale, & actualem deliberationem, ideóque solùm post primum instans in termino unionis ad carnem dicitur maculata.

Objic. 4. Cum Scoto, Angelus in primo instanti habuit voluntatem perfectam operativam, & non determinatam, ergo potuit peccare: nullum enim impedimentum potest assignari, nec ea parte intellectus, nec voluntatis, cum esset perfecta in actu primo. Resp. Seraph. Doct. *fund. 5. ad 3.* negand. anteced non enim haberet omnia requisita ad peccandum actu: tum ea parte sui, quia non poterat simul esse recta, & iniqua: tum ex parte intellectus, cum deberent multæ operationes præire.

Contra. In primo instanti fuit liber Angelus, ergo potuit peccare. Prob. consequentia, quia potuit mereri, ergo & demereri. Resp. primò disting. anteced. fuit liber quoad exercitium, non quoad specificationem in ordine ad actus pravos. Resp. secundò neg. potuisse mereri in primo instanti, quia non habebat gratiam: & data hac gratia, quam

admittunt

admittunt Thomiſtæ, negatur paritas de merito, & demerito: ad meritum habebat omnia requiſita: ad demeritum, & actus pravos, nequaquam: nam in primo inſtanti erat creatus rectus, & gratus: ideo ad convertendum ſe ad actum pravum indigebat conſultatione, & deliberatione, & electione, qui actus menſurari debent per inſtantia temporis, non ſolùs naturæ.

Inſtat Maſtrius. Poterat tunc peccare omiſſione actus præcepti. Reſpond. omiſſionem exercere libertatem ſpecificationis, quam non habuit Angelus completè in primo inſtanti: tum etiam, quia (& notat Seraph. Doct. *l.2.d.5.q.1.ad 1.*) omiſſio præexigit actum poſitivum deliberativum, v.g. volo omittere, & ſic neg. conſequentia, & eò maximè in Angelis, qui vident naturaliter in principiis concluſiones, & in fine media; iſta talis omiſſio erit volita, ob aliquem finem ſibi præfixum, v.g. ſeipſum nimis amando.

Obiic. 5. Chriſtus in primo inſtanti meruit, ergo, & id potuerunt Angeli. Reſpond. S. Bonav. negand. paritatem: potuit Chriſtus mereri in primo inſtanti, tum ob plenitudinem gratiæ, & gloriæ, & actualitatem actionis, cum qua fuit creata ejus anima: tum ex privilegio ſpeciali Perſonæ: non ſic Angeli: tum etiam quia magna diſparitas eſt in ordine ad meritum, & demeritum, ut dictum eſt.

QUÆSTIO III.

An Deus potuerit facere Angelum ita bonum, ut eſſet inflexibilis ad malum, & impeccabilis?

143 PRimo ſupponendum tanquam de fide, nullam creaturam rationalem de facto dari, quæ natura ſua ſit impeccabilis: hocque habetur pluribus locis ſacræ ſcripturæ, & præcipuè Ioan. *cap.4 & 13.* & ab omnibus ſanctis Patribus ſupponitur apud Ioan. à S. Thoma *d.23.a.1.* Quæſtio non procedit, an creatura poſſit per gratiam, vel gloriam reddi impeccabilis: ſed, an ex natura ſua tale privilegium poſſit eſſe ei debitum: quæſtio igitur eſt de poſſibili.

1. Opinio eſt Dur. Capreol. Cajet. Ferrar. Deum potuiſſe facere creaturam rationalem inflexibilem in ordine ad finem naturalem, ſicut de facto fecit Angelos; non verò in ordine ad finem ſupernaturalem.

2. Opinio eſt Gabri. *2.d.23.a.1.* & 2. Ocham. majoris, aſſerentium poſſe dari creaturam rationalem impeccabilem circa objectum, à quo neceſſario moveatur, ita ut ei poſſit auferri libertas.

3. Opinio eſt, Deum non poſſe facere creaturam impeccabilem in ordine ad quemcumque finem. Sic Seraph. Doct. *l.2.d.14. queſt.1. & d.14. art. queſt.1. ad 5.* & cum eo Scotus *d.23.* Doct. Thom. alique communiter cum Suar. *l.3.c.7. de de Angelis, &c.*

144 Not. primò ex Seraph. Doct. *l.2.d.24.p.1.a.2. queſt.3.* quod voluntas eadem in homine, & Angelo dividitur in naturalem, & deliberativam, non quod ſint duæ potentiæ diverſæ, ſed quatenus eadem potentia duobus modis poteſt ferri in objectum, nempe quatenus ut natura eſt inclinatur, & inſtigat ad bonum honeſtum, & murmurat contra malum, & hæc dicitur voluntas naturalis, alio modo per deliberationem antecedentem, & cum libertate, & iſta dicitur appetitus, vel voluntas deliberativa, qua poſt deliberationem aliquando adhæremus bono, aliquando malo: primo modo immutabiliter ſe habet: ſecondo modo liberè, quia ſecundùm judicium, & dictamen rationis poteſt verti ad id, quod dictatur, & ad appoſitum: quæ duo munera, vel modi ſunt inſeparabiles à voluntate creata. Hinc infertur, quod ſi poſſent ſeparari, ita ut daretur voluntas intellectualis, habens tantùm affectionem commodi, iſta eſſet impeccabilis per naturam, quia ibi nulla eſſet libertas, vel regula regulans in ordine ad juſtitiam; ſed quia omnis potentia libera habet etiam affectionem juſtitiæ, eſtque regulabilis à regula divinæ voluntatis, poteſt ex ſua innata libertate in oppoſitum, ideo implicat, dari creaturam liberam impeccabilem.

Not. 2. ex Seraph. Doct. *l.1.d.45.q.1.* quod impeccabilitas in Deo oritur, ex eo, quod ejus voluntas eſt conjuncta omnimodè, & idem cum ſua eſſentia, virtute, actu, & fine: non verò in nobis, ideoque voluntas divina eſt invariabilis ſecundùm alterationem affectivam, nec ſubjacet fugæ, appetitui, triſtitiæ, & malitiæ, obidque nec poteſt à fine obliquari, qui defectus cadunt omnes in voluntate creata. His poſitis, ſit.

Unica concluſio. Non poteſt dari creatura ex ſua natura impeccabilis. Eſt Seraph. Doct. *l.2.d. 24. cit.* & communior inter Theologos. Probatur primò ex traditis in ſecundo notando. Immutabilitas voluntatis eſt propria ſolius Dei, ergo eſt incommunicabilis cuicumque creaturæ. Anteced. Probatur, quia ſola voluntas divina ſicut & intellectus, eſt ſuo fini conjunctiſſima, & immunis ab omni vertibilitate, ergo, &c. 145

Probatur ſecundò omnis creatura rationalis eſt eſſentialiter libera ad utrumlibet, ergo peccabilis; ſic arguunt omnes Sancti Patres. Probatur tertiò à Seraph. Doct. Omnis creatura, quæ eſt ex nihilo, eſt vertibilis, & variabilis, ſed Angelus, & anima eſt creatura, ergo eſt variabilis, ſed non ſecundùm ſubſtantiam, quia ſolùm ſecundùm ſubſtantiam annihilabilis, ergo ſecundùm accidens, ergo ſecundùm operationem. Notandum hic, quod D. Thomas, cùm Seraph. Doct. cit. ſupra etiam adducit hanc peccabilitatem ex ratione creationis, & creaturæ, quæ eſt ex nihilo, obidque defectuoſa, quoad eſſe, ex qua defectibilitate, ſequitur etiam defectibilitas & in operatione, non ſolùm ſecundùm eſſe, ſed & in ordine ad ſuum objectum: Unde meritò Sancti Patres, recognoſcentes hanc vertibilitatem ad bonum, & malum imperfectionem innatam in creatura rationali, ipſam auſpicantur à creatione ex nihilo, obidque à vanitate initiali ipſius.

Probatur tertiò. Inflexibilitas ad malum, ſolum ex duobus capitibus poteſt oriri: primo ex arctatione, & conjunctione ſumma ad bonum, ſed hæc ſolùm à gratia, & gloria poteſt provenire, vel ex identitate voluntatis cum

suo fine, ut est in Deo, sed ista charitas non potest esse in creatura, ergo &c. secundo ex determinatione ad bonum, sed hæc habent solùm ex gratia, & gloria, & perfectissimè in Deo, qua sibi ipsi est regula essentialiter, sed nulla creatura potest esse sibi ipsi regula, ergo est defectibilis ex natura sua.

Prob. 4. Non est magis arctata voluntas, quàm intellectus: sed iste est aptus intelligere omne ens, & verum, ergo & voluntas in omne bonum, & simul ad malum.

Prob. 5. liberum arbitrium creatum, hoc ipso, quod est liberum dominatur actui suo, ex hoc ipso, quod est creatum, debet honorem suo creatori; ergo, si dominatur actui suo, potest non reddere talem honorem Deo, sed hoc est peccatum, ergo ex natura sua peccabile.

Prob. 6. à Seraph. D. si liberum arbitrium naturaliter esset impeccabile, sequeretur, quod stare in bono, & facere bonum, ac proinde omnia opera bona, & sancta essent ei connaturalia, & nullum in genere moris; sicque nullum opus esset laudabile, vel meritorium, vel ordinabile ad præmium supernaturale, vel vituperabile, consequens est contra naturam liberi arbitrii, & voluntatis rationalis, ergo, &c. &

Confirmatur, quia gratia datur ad supplendos defectus naturæ, & ad collocandam eam supra esse naturale; sicque gratia esset superflua, & absque gratia posset mereri, & benè operari, quod est implicatorium.

Notat autem hîc acutè Pater Gaud *d.7.q.1.* Vasquez, Suar. Valent. aliosque uti, vel potius abuti istis rationibus validissimis, quæ sunt Seraph. Doct. & postea pro gratiarum actione dicunt, Bonaventuram supponere non probare suam conclusionem, quod sæpe eidem Seraph. Doct. evenit apud modernos parùm fideles, & minùs gratos celebrioribus, & classicis Doctoribus.

246 Obiic. Primò. In corporalibus datur lux suprema sine obnubilatione, ut in sole, & Empyreo, ergo multò magis in spiritualibus, & in anima dari potest lux incapax obscuritatis ignorantiæ, & culpæ. Respond. Seraph. Doct. Primò, negando paritatem, quia actus lucis est naturalis, actus creaturæ rationalis est in genere moris, & voluntatis deliberativæ, & valentis ad utrumque: secundò, quia si non datur talis lux spiritualis in creatis, datur tamen in Deo, qui est fons omnis luminis.

Obiic. Secundò; datur aliqua creatura corporalis intransmutabilis per naturam, ut Empyreum, & substantia spiritualis. Respond. eadem doctrina, negand. paritatem: nam illa intransmutabilitas corporalis est in genere naturæ, quæ non decet in genere moris, & cum tali determinatione. Respond. Secundò, nullam creaturam esse instransmutabilem, sive formaliter, sive subjectivè.

Obiic. Tertiò: gratia perficit, & stabilit naturam, ergo natura naturaliter est capax talis perfectionis, & stabilitatis. Respond. naturam esse capacem, quoad inclinationem naturalem; quoad executionem verò, & attingibilitatem exigit adjutorium supra naturam. Contra Vertibilitas ad malum, vel est essentialis naturæ rationali, vel non: si primum, ergo non potest tolli, quod solum falsum est: si secundum, ergo est quid accidentale, ergo potest tolli sine ulla gratia. Confirmatur, quia tam gratia, quàm creaturæ rationalis est quid creatum: sed gratia, licèt sit quid creatum, potest dare invertibilitatem ad malum, ergo & ipsi creaturæ rationali sine gratia. Respond. Seraph. Doct. quod gratia, & adjuvat naturam, & defectum ejus excludit: cum autem sit talis defectus in omni natura creata, hinc indiget adjutorio gratiæ in genere moris. Ad confirmat. Respond. negand. paritatem de creatura rationali, & gratia; hæc enim est in ordine supernaturali, & moris; illa in ordine naturali tantum, in quo ordine non est capax talis proprietatis gratiæ, quare vertibilitas non potest tolli à libero arbitrio considerato in esse naturæ, cum non possit sibi esse regula infallibilis.

QUÆSTIO IV.

Quale fuerit objectum appetitus Diaboli? seu an appeterit æqualitatem Dei?

Gravis est hæc quæstio, & valde controversa propter varietatem sententiarum DD. 255
Cum enim stabilitum fuerit, peccatum Luciferi fuisse superbiam, hîc meritò disquiritur, quodnam fuerit & objectum, & motivum talis superbiæ: An scilicet appetitus æqualitatis divinæ? An pura præsidentia super alios, excludendo subjectionem Deo? An unio hypostatica? An beatitudo supernaturalis, vel naturalis? Et quæstio procedit, non solùm de facto, sed & de possibili: nempe, cum ferè omnes negent appetiisse omnimodam similitudinem Dei, An saltem potuisset ipsam appetere?

D. Thomas cum pluribus negat *, id fuisse possibile: Scotus negat de facto, affirmat de possibili, non quidem affectu efficaci, & absoluto, sed solùm simplici complacentia, & voluntate etiam efficaci, sed conditionata: Alii volunt appetiisse suis meritis beatitudinem, sive naturalem, sive supernaturalem: quorum variæ sententiæ, & DD. referuntur à Patre Gaud. *quæst.5.* & Ioan. à S Thoma, aliisque: Ut sententiam Seraph. Doct. germanè, & clarè aperiamus *, notanda sunt sequentia.

Nota primò, quod solutio hujus quæstionis maximè dependet ab us, quæ jam à nobis sunt tradita in tertia parte Philosophiæ tract. de voluntate, ubi dictum est, voluntatem posse ferri in malum, ut præcisè malum est, & ut tale cognitum, sed semper sub aliqua ratione boni, quia objectum adæquatum voluntatis est solùm bonum, vel verum, vel apparens. Hinc disquirunt Theologi, an voluntas possit ferri, & velle impossibile cognitum ut tale: v.g. An quis possit velle esse Deum, quod secundùm rectam rationem est impossibile, & ut impossibile cognitum à quocumque intellectu rationali. D. Thomas negat: Scotus dicit, voluntatem posse id velle voluntate inefficaci, vel sub conditione, si esset possibile, in quo casu talis finis esset non verus, sed solùm sibi à voluntate præfixus,

præfixus, & effectus. Seraph. Doct. discrepat ab utraque sententia: Notat autem acutissime *l.2.d.5. a.1.q.2. in comp. ad 3 & 4.* quod voluntas ex sua innata libertate potest sibi præfigere aliquod objectum malum, vel impossibile, tunc autem in ipso non potest quiescere, cum præcognoscatur ut malum, & disconveniens, sed tantùm potest amare suam fictionem, & imaginationem, & in ea sibi complacere, sicque sibi satisfacere. Ratio autem hujus verissimæ doctrinæ est, quia, ut notat *l.2.d.1.a.1.q.2. in comp. & ad 3.* In actu malo voluntatis, quo voluntas circa malitiam versatur, sunt duo; scilicet id quod voluntas sibi præfigit, & ratio ipsa volendi, & appetendi: id, quod vult, certe est malum, vel impossibile: ratio appetendi, vel ipsa ordinatio est aliquod bonum saltem apparens à nobis apprehensum: Unde in bonis volitis, ratio ordinationis stat ex parte ordinantis, & ex parte rei ordinatæ, & volitæ: in malis stat tantùm ex parte ordinantis, v. g. quis appetit esse Deum, vel sicut Deus, tunc si quis quiescit, & sibi complacet de hac divinitate apprehensa, tunc complacet in sua fictione, ipsamque amat: qua doctrina verè aurea possunt conciliari sententiæ oppositæ Thomistarum, & Scotistarum, & satis-
154 fieri pluribus difficultatibus.

Notandum. 2. ex Seraph. D. *l.2. d.5 art.1. q.2.* quod duplex est similitudo Dei: alia æquiparantiæ, seu æqualitatis: alia imitationis, & utraque potest appeti, sed diversimodè: similitudo imitationis potest appeti ordinatè, & inordinatè: in his, quæ sunt nostræ aptitudinis, & divinæ acceptionis, ut sunt perfectiones, & decores virtutum: Inordinatè in his, quæ non decent, & Deo non placent, ut appetere præesse aliis, & de inimicis se vindicare: similitudo æqualitatis, nunquam potest appeti ordinatè, idque aliquo modo est appetibilis, aliquo modo non: nam omnimoda similitudo non est appetibilis, quia non potest cadere in cognitionem, sive in intellectum, & ideo nec in appetitu: & si quis fingat talem appetitum, non appetit similitudinem Dei, sed suam fictionem, & ideo non appetit similis esse Deo, sed suæ fictioni: Alio modo est similitudo æqualitatis, non omnimoda, sed in aliqua conditione particulari, ut in dominii, prudentia, vel scientia, & hoc potest appeti. Notat autem Seraph. Doct. *d.7. p.1. a.1. q.2. ad ult.* quod cum judicium practicum Diaboli sit obnubilatum, & perversum, non implicat, ipsum appetere, quantum est de se, etiam id, quod impossibile dictatur à judicio speculativo; quæ volitio tamen vel est velleitas puta, vel etiam absoluta; & hoc ob dictam obnubilationem, & obscuritatem; unde in hoc potest dici, sæpe Diabolum procedere valde stultè ex
155 malitia sua obnubilata.

Not. 3. Ut certè, & fundkus intelligatur sensus sublimis Seraph. Doct. dum dicit, quod ratio ordinationis in volendo impossibile aliquod, stat solùm ex parte ordinantis, & volentis, non ex parte objecti voliti; sciendum ex eodem S. Doct. *l.3.d.17. dub.2. & alibi passim*, quod actus voluntatis, alius est efficax directus in finem, & ordinans media ad consecutionem finis; & in hoc fuit impossibile, Luciferum appetuisse similitudinem Dei, quia id cognoscebat impossibile, & ob id media ad hunc finem inutilia: Alius est inefficax, & conditionatus, & dicitur simplex complacentia, seu, ut dicit Seraph. Doct. *l. 2. dist.5. quæst.2., arg.6.* appetitus desiderativus, non electivus, quo voluntas complacet sibi in aliquo, quod tamen consequi non sperat, nec ad consecutionem adspirat; unde prima volitio est ad possibilia inefficax etiam ad impossibilia, ut patet in Dæmone, qui vellet, Deum non esse, ob odium, quod habet in eum: Scit tamen, id esse impossibile: & hanc doctrinam afferunt D. Thomas, & Scotus communiter, præcipuè in hac quæstione, ut patet apud Mastrium *d.5. quæst. 3.* & Joan. à S.Thoma *d.23.a.3. n.19. seq. & 21.* Seraph. verò Doctor hic advertit, & *d.7. q.2. ad ult.* quod apud intellectum rectè intelligentem, & plenum sapientia impossibilis est volitio efficax talis impossibilis & sic inefficaciter appetitur, cum semper talis impossibilitas menti sit patens, tunc sic volens, & complacens complacet potius de sua fictione, & idolo, ut supra dictum est, quàm de objecto volito; ratio est, ut notat S.Doct. *l. .d 1. cit.* quia in similibus malis volitis ratio ordinationis stat tantùm ex parte volentis, nullo modo ex parte voliti objecti, cum in eo semper reluceat malum, & impossibilitas: ideo judicium practicum obnubilatum potest dictare aliquod impossibile appetendum, & verè appetit, licèt judicium speculativum dictet oppositum. Sic *d.7. q.1. ad ult.* hinc patet quod Seraph. Doct. plus cæteris penetravit ad medullam veritatis adæquantis intellectum nostrum. 156

Not. 4. ut hæc doctrina clariùs, & sine ambiguitate intelligatur circa volitionem rei impossibilis, quod duplex est impossibile: Aliud ex suppositione: Aliud absolutum: primum potest appeti conditionatè, ita quod conditio stet ex parte objecti, & in ipso adsit complacentia: ut infirmus desperatus appetit sanitatem impossibilem, & in ipsa sibi complacet: & pænitens nollet unquam peccasse; & in illo statu innocentiæ sibi complacet: & peccator manens in cogitatione immunda rei impossibilis, delectatur morosè: 2. impossibile absolutum potest appeti, ita quod voluntas non feratur in objectum secundùm esse reale, vel apparens, sed fertur in fictionem suam factam ab intellectu, in qua delectatur voluntas: & hoc est illud impossibile, quod appetuit Lucifer, ut notat Seraph. Doct. loc. cit. His positis, &c. 157

Conclusio. 1. Angelus non appetiit, imò nec potuit appetere omnimodam æqualitatem Dei. Est Seraph. Doct. cit. & D. Thomæ, & etiam Scoti, idem negantis de volitione efficaci, in quo eodem sensu loquuntur cæteri Doctores. Prob. prima pars, quia, ut notat Arist. 3. Ethic. Electio non est impossibilium; tum quia, ut arguit Seraph. Doct. si appetiisset omnimodam divinitatem, appetiisset ex consequenti suam destructionem; impossibile est enim creaturam esse Deum, ergo cum terminus, à quo, esse Dei, sit non esse Angeli; sunt enim duo implicantia, volendo esse Deum, appetiisset suam destructionem, quod est impossibile. Nec valet responsio, quod potuisset appetere esse proprii destructionem, ut acquireret esse Dei, ut dicunt aliqui, quia non potest voluntas appetere aliquid, ut bonum sibi, nisi prius certa sit de convenientia illius in ordine ad proprium suppositum, & cum appetitus sui esse formalis sit à natura istius, & Lucifer primò peccaverit immoderato amore sui, ergo non potuit appetere sibi non esse: & si appetebat hoc bonum deitatis, cuinam? Non sibi, quia sic destruendus erat; non Deo, quia ab eo avertebatur: & si omne peccatum est per aversionem à Deo, & conversionem ad bonum cõmutabile, & Angelus appe-

tende esse Dei, non avertebatur ab eo, ergo non peccabat: sed peccavit, ut infert Seraph. D. *arg. ult.* ergo non appetiit tale esse divinum. Secunda pars, quod talis appetitio efficax, & electiva sit impossibilis, patet, quia talis impossibilitas claré erat Angelo cognita, ergo & intentata.

258 Concl. 2. Angelus peccavit inordinatè, appetendo aliquam similitudinem cum Deo. Prob. primò à Seraph. D. ex illis verbis Isai. *cap.* 14. *Ascendam in cælum, & similis ero altissimo*, sed non dixit de cælo Empyreo, quia ibi erat, ergo locutus est de cælo Trinitatis, sed in illo non est æqualitas, & erat impossibilis, & ut talis cognita, ut probatum est, ergo secundùm aliquam conditionem tantùm, & hoc inordinatè, nempe ex propriis meritis, vel independenter à Deo, vel cum malo fine, ut super alios impie præsideret.

Obii. Non est minus impossibile appetere similitudinem æqualitatis Dei secundùm aliquam conditionem, quàm secundùm totalem rationem, ergo si hæc est impossibilis, & illa erit: Prob. Antec. à Mastrio *n.* 66. quia utriusque aquisino est impossibilis, & ut talis, cognita erat ab Angelo, nempe similitudo æqualitatis omnimodæ, & independentia vel dominii, vel beatitudinis à Deo, ergo si istud est appetibile; & aliud, vel utrumque impossibile.

Resp. neg. paritatem: omnimoda similitudo est incommunicabilis: præsidentia verò super alios veluti debita naturæ perfectissimæ Angeli est communicabilis, & aliæ similes qualitates: sic negatur conseq. adde, quod in tali appetentia potuit occurrere aliqua inconsiderantia, vel ignorantia modo suprallata in fundamentis ex Seraph. D. ex eo, quod initium peccati Luciferi fuerit immoderatus amor sui, facilè aliqua obscuritas ex tali elatione orta est, vel inconsiderantia, per quam veluti gradatim ascendit, vel potiùs præcipitavit in talem appetitum immoderatum præsidendi.

Quod verò appetierit Lucifer similitudinem Dei in præsidendo cæteris, ex cit. text. Isai. 14. patet, idemque sentiunt D. Gregor. *l.* 34 *mor.* D. Ansel. D. Aug. D. Bern. & communiter SS. PP. & ratio est, ait Seraph. D. quia Diabolus id appetiit, quod invidit: Invidia enim oritur ex aliqua dignitate sibi concupita, sed Diabolus invidit hoc bonum Deo, ut sibi subderentur omnia, & nullo modo Deo, ergo, &c Prob. minor. Ideo enim dicitur, hominem tentasse, cui præcepit vobis Deus, idque significatur Sap. *cap.* 2 Invidia Diaboli mors intravit in mundum: sed contendunt Dæmones sibi imperium supra homines exercere, ut constat ex his quæ operantur in Paganorum Idolis, magis, lamiis, & strigarum operibus, ideo & conqueruntur de Deo in Energumenis se alligatos impotentes redditos: Idque maximum est signum, quod hoc fuit ejus maximum peccatum, à quo nunquam evasit: ex quibus infertur assertio Seraph. D. quod initium peccati Diaboli fuit propria luxuria, & complacentia sui. complementum propriè superbia, & firmatio, seu confirmatio, invidia, & odium.

259 Concl. 3. Diabolus potuit appetere, & probabiliter appetiit omnimodam æqualitatem Dei, appetitu non electivo, sed desiderativo, vel inefficaci. Et Seraph Doct. *l.* 2. *d.* 5 *a.* 1. *q.* 2. *in arg.* 6. *& in comp. & ad* 3. *&* 4 Scoti, D. Thomæ apud Ioan. à D. Thom. Ratio est, quia sic prædicant sacræ Scripturæ, & sancti Patres, nempe appetiisse similitudinem Dei, sed hanc non potuit appetere affectu efficaci, ergo inefficaci, nec in hoc ulla est contradictio, cum talis appetitio habeat pro objecto non ipsum Deum, sed propriam fictionem, & Idolum, in quo potuit sibi complacere: hocque experientia continuo nobis patet, qui sæpe delectamur otiosè in his chimericis cogitationibus, fictionibus, & historiis, licèt illa ficta cognoscamus, & multa sic chimerica à Diabolo nobis proponuntur, ut in illis otiemur, sicut multa poetica vana, ut in illis delectemur, ergo & ipsi Dæmones, quia repleti sunt ventosis ambitiosisque vanitatibus, in similibus chimæris possunt commorari, ut si possent electos cælestes deiicere in Infernum, Christum, & Beatam Virginem occidere, & inter hæc etiam cogitare se esse sicut Deus in æqualitate & quid in talè casu facerent, & quia talis vanitas se tenet ex parte actus potius, quàm ex parte objecti, hinc ait Seraph. D. hoc esse complacere de sua fictione, & hoc affectu simplici, non efficaci: & in hoc nulla apparet repugnantia.

Dices In voluntate conditionata, & simplicis complacentiæ non est meritum, vel demeritum, sed Dæmones per suam volitionem demeruerunt, ergo eorum voluntas fuit efficax. Resp. distinguendo major. Voluntas conditionata potest sumi impropriè pro velleitate pura, ut cum quis operatur ex metu, tunc habet velleitatem de opposito ejus, v.g. quis proiicit merces in mari ex metu, tunc in tali velleitate de opposito non est meritum: quando verò est vera voluntas conditionata, tunc verè potest esse meritum, vel demeritum, sicut fuit in Dæmonibus, qui in tales actus exierunt ex odio in Deum: & è contra in pœnitente, qui nollet se peccasse adest meritum maximum.

Concl. 4. Angelorum malorum appetitus se 260
extendit etiam ad consecutionem beatitudinis, non naturalis, sed supernaturalis, & summe, & hoc inordinatè. Et Seraph. D. cit. D. Thomæ, plurimique. Prob. ex Seraph. D. *q.* 1. *fund.* 4. Primum peccatum Angeli fuit appetitus alicujus boni non honesti, quia aliàs non peccasset, ergo fuit circa bonum commodum, scilicet utile, & laudabile, sed cum esset Lucifer sapientissimus, appetiit maximum commodum, & utile, hoc est non beatitudo naturalis, sed supernaturalis, ergo hanc expetivit. Confirmatur ex Seraph. Doct. *q.* 1. *a.* 1. Primum peccatum fuit aliquod velle, non aliquod nolle; amor enim est primogenitus voluntatis, ergo fuit amor summi delectabilis, sed totum appetiit inordinatè, & sine meritis, & veluti debitum suæ excellentiæ, ergo in hoc peccavit.

Dices. Angeli sciebant se destinatos ad gloriam aquirendam tantùm ex meritis, quomodo ergo induci potuerunt ad ipsam desiderandam sine meritis, quod erat impossibile? Resp. Seraph. Doct. *d.* 5. *q.* 1. *fund. ult.* quod cum Lucifer primò occupatus esset nimio amore sui, & præsumptione, etiam orta est, & incepit aliqua excæcatio in suo intellectu, & cum non repressserit suam vanam cogitationem, uti tenebatur, postea in superbiam cecidit, & ab hac postea in varia peccata, vel circumstantias, seu potius suæ superbiæ plura objecta materialia præfixit.

Ex quibus omnibus traditis concludimus quæstionem hanc valde difficilem verbis aureis Seraph. D. *in Brevil. p.* 2. *c.* 7. in quibus summariè continentur omnia supra tradita, & processus casus Diaboli, sic dicentis: fuit igitur Angelus à Deo conditus, bonus quidem, sed non in summo, vel summus, perficiendus tamen, si affectu tenderet in summum: & quoniam per liberum arbitrium voluntatis poterat tendere in bonum summum, vel

converti

converti ad bonum privatum: Lucifer suæ pulchritudinis, & altitudinis consideratione excitatus s. se dilig. d... suumque privatum bonum, ...sumpsit de altitudine babita, & ambivit excellentiam propriam, non tamen obtentam, & per hoc præsumendo, constituit se sibi principium summum, in seipso gloriando, & ambiendo se sibi summum bonum, in seipso quiescendo: cum autem ipse non esset summum principium, nec summum bonum, necesse fuit, ut inordinato ascensu appetito, descensu reali rueret pari ratione, & omnes in hoc consentientes, nempe ut ait *l.2.d.5. q.2.ad ult.* quia se convertit ad bonum incommutabile, ut ipsum sibi faceret proprium, & per hoc inordinatè, quia ad Deum convertit superbiendo, est à Deo à verti, & converti ad se, sicque ascendendo superbè, descendit in præceps: Ut hinc & nos discamus vitare talem assensum ruinosum, & amplecti descensum humilitatis, ut inde ascendamus securè ad Deum, & ad æternam beatitudinem.

QUESTIO V.

An Lucifer appetierit unionem hypostaticam.

161 Hanc quæstionem non pertractat Seraph. D. in terminis, sed quia solutio ipsius est valdè conducens ad mores, & messem amplam parat concionatoribus pro explicandis variis mysteriis nostræ fidei, hanc eandem proponere, & solvere ad utilitatem ipsorum duximus.

Prima opinio est negativa, estque plurimorum Theologorum: 2. est affirmativa Suar. *l.7, cap.13. n.1 2.& 3.p.s.1. d.42. sect.1.* Molin. *q.63.a.3.* Vigner. Iacob. de Valent. in Psal. 83. & 102 Cashar. Asconii in Glossa magna, Alensis *3.p. quæst.2. membr.13.* S. Bernardi pluribus locis, S.Bern. Sen. de nomine, pluriumque aliorum, tum Theologorum SS. Patrum apud Gaud. *quæst.3.mem.35.* & apud Ioan. à S.Thoma *d.13.a.3. n.27.* qui hanc probabilem, & rationabilem existimat. Pro solutione, &c.

Not. primò, quod est maxima quæstio inter Theologos, an Angelis revelatum fuerit mysterium Incarnationis, dum erant in via? D.Thomas ex D.Aug. *in 2.2. q.2.a.7. ad primum* affirmat, & plurimi Theologi consentiunt Seraph. D. *l.3.d.2. dub.4.d.25.a.1.q.2.ad 4. comp. Theol l 2 c.15.* docet ipsis revelatum fuisse antecedenter, sed non exprimit quo tempore.

3. Optimè admittit revelationem quo ad substantiam; negat quoad circumstantias particulares.

4. Negat absolutè, estque aliorum: sed tamen probabilius est dicere, hoc mysterium Angelis in via revelatum fuisse, & ratio est, quia Christus est caput, & principium meritorum totius gratiæ omnium prædestinatorum hominum, & Angelorum: cum autem gratiam per Christum recipere deberent, conveniens fuit ipsis revelare hoc mysterium, ut agnoscerent suum ipsorum caput, & fontem totius gratiæ: de qua materia fusè à nobis agetur *in 3. sent.* quam doctrinam doctissimè tradit Suar. cit. D. Bern. Sen. plurib. loc. suorum operum. Et hinc dicunt Dæmones damnatos, eo quia recusarunt adorare Christum incarnandum eis idealiter ostensum tanquam ipsorum caput. Sic Suar. 3.1 *tract.1.d.5.sect.4.* S.Bern.pluresq. alii.

Not. 2. quod in superbia, licèt formalis ratio, 162 & motivum sit propria excellentia ad alios, & super alios ordinata, tamen materia, in qua exercetur, multiplex est, & varia, sicut quidam excellentiam quærunt super alios in nobilitate, alii in scientia, alii in opibus, & aliis consimilibus: & non repugnat, quod in his omnibus, vel pluribus aliquis excellentiam quærat, & superbiat: sic ergo verisimile est in Angelo contigisse. qui quærens in propria excellentia superbire, etiam cum primò peccaverit, potuit ex parte materiæ, non solùm proprium decorem inordinatè amare, sed etiam unionem hypostaticam sub ratione cujusdam excellentiæ, qua nullum alium, nisi se existimavit dignum & humanæ naturæ sibi longè inferiori in talem celsitudinem communicare indignissimè tulit: & licèt in seipso, & in decore proprio superbierit tanquam in persona amata, & in fine cui, tamen ex parte rerum, quæ sibi ut fini, & ut personæ maximè dilecto voluit, unum potuit esse summum, illa excellentia unionis hypostaticæ, æstimans (sicut dicitur de Aman) nullum alium, nisi se debere sic honorari à Deo, & in hoc nulla apparet repugnantia (ait Iob à S. Thoma) sed omnino conforme fuisse hoc objectum immanissimæ illi superbiæ; potuitque hoc objectum in primo ipso peccato Angeli inveniri, non per modum finis, cui, hoc enim fuit ipsemet Angelus, sed per modum rei sibi concupitæ, non adæquatè, sed inadæquatè inter plura objecta materialia, quæ sibi potuit appetere, & materiam propriæ excellentiæ facere, His, &c.

Conclusio. 1. Deus revelavit mysterium Incarnationis futuræ Angelis, ut agnoscerent Christum 163 Caput omnium prædestinatorum, & fontem omnium gratiarum, Angelorum, & hominum. Est omnium Theologorum, quos supra citavimus, & Seraph. D. *l.3. d.13.a.2. q.3.* admittit influentiam gratiarum spectantium ad benè esse, & perfectionem Angelorum; & licèt admittat discrimen influentiæ in homines, & Angelos, eo quia influit redemptionem, ob idque gratiam, & gloriam debitam redemptioni in homines; non verò in Angelos, istos tamen non excludit à gratia competente ipsorum esse, & perfectioni: Et probatur ex eo, quod Christus caput omnium prædestinatorum missus, & destinatus est, ergo & omnium Angelorum: tum quia, ut arguit S.Bon. cit. instauravit cælestia, & terrestria Eph. c.1. explicat Glossa, homines, & Angelos: tum quia, ut ait Apostolus Eph. 3. Pater ipsum Christum dedit caput super omnem Ecclesiam, sed hæc comprehendit Angelos, & homines, ergo in illos, ut caput in membra, influit.

Obii. primò: Christus ordinatus fuit ad remedium peccati hominis; ergo post prævisionem lapsus hominis, ergo non ad salutem Angelorum, quorum meritum, & demeritum; gratia, & gloria, & damnatio antecessit peccatum hominis: cum igitur adventus Christi non esset ad Angelos primariò, nec etiam eis revelata est. Resp. hanc objectionem petere quæstionem, an si Adam non peccasset, Christus incarnatus esset, in qua Scotus sustinet affirmativam: tunc enim advenisset, non ut Redemptor, sed ut caput omnis gratiæ, & gloriæ: quam probabilem existimat Seraph. D. de qua in *l.3.* agemus: sed tamen in quacumque sententia, Resp. Christi adventum primariò ordinatum fuisse ad gloriam Dei: secundariò, ad hoc ut esset caput, fons totius gratiæ electorum omnium: & tertiò occasione peccati, ad redemptionem hominum:

minum : meruit igitur Christus Angelis omnia dona gratiæ, electionem, prædestinationem, vocationem, auxilia omnia excitantia, adjuvantia, sufficientia, efficacia, ac denique omne augmentum gratiæ, & gloriæ : ergo & ipsis revelandus erat iste adventus à Deo, de qua materia fusius agemus suo loco : pro nunc vid. Suar. loc. cit.

364 Concl. 2. Probabilissimum est dicere, quod intra objecta materialia superbiæ Angelorum malorum principium fuerit appetitus incarnationis Verbi in sua natura, & ob id causa damnationis ipsorum, fuit recusatio adorationis Christi. Sequitur ex dictis; & probatur, quia cum initium peccati Luciferi fuerit præsumptio, quæ completa fuit in appetitu super excellentiæ super omnes, consequens est dicere, quod cum revelatus fuerit ipsi adventus Christi in carnem tanquam caput omnis Ecclesiæ & omnium Angelorum, & hominum, sibi ex meritis suis, hunc concupivit gradum tanquam debitum naturæ. Confirmatur ex Isai. c. 14. ubi introducitur Lucifer, dicens, *sedebo in monte testamenti, ascendam super altitudinem montium:* Ubi per montem testamenti sancti Patres intelligunt vel Christum, vel Ecclesiam, & Seraph. D. *serm. 6 in cant.* dicit, quod affectavit sedem Christi. 2. pars ex dictis patet, quia si peccatum superbiæ qualificatum fuit invidia, & odio, ergo in invidiam, & odium præcipitatus est, ergo cum recusasset, ipsum recognoscere caput suum, hinc firmatum est ejus peccatum, & consecuta est damnatio.

Objic. primò. Peccatum primum Luciferi incæpit à fine ultimo non bono, sed deordinato; at ille finis ultimus non est unio hypostatica, sed beatitudo supernaturalis, ergo, &c. Resp. concedendo, peccatum incepisse à fine ultimo non bono, sed deordinato, in quo duo includitur finis, cui, idest ipsemet Angelus, & finis, qui, idest res volita sibi tanquam materia propriæ excellentiæ : & in hac materia unum ex rebus volitis, fuit unio hypostatica, non ut unio ad Deum, sed in quantum excellentia quædam, qua nullum, præter se dignum æstimabat : sicq. licèt unio non sit finis ultimus, est tamen materia illius, scilicet excellentiæ propriæ desiderata immoderatè.

Objic. 2. ex Ezech. c. 28. ubi dicitur : *Elevatum est cor tuum in decore tuo*, sed unio hypostatica non pertinuit ad decorem Angeli, in quo elevaretur, ergo, &c. Resp. eodem modo elevatum fuisse cor Angeli in decore suo tanquam in fine, cui, amando se tanquam personam super omnes diligendam, & sic ex parte materiæ, & rei volitæ pro excellentia potuit sibi ita pulchro, & decoro in æstimatione, velle unionem hypostaticam, ut materiam magnæ excellentiæ, &c.

Objic. 3. Primum peccatum Angeli non potuit esse invidia, & odium in Christum, ergo, &c. Prob. antec. quia primum peccatum Angeli fuit velle, & prosecutionis, non fugæ, & nolitionis, ideo non potuit primò velle non subjici Christo, ergo debuit incipere à prosecutione alicujus finis. Resp. conc. primum peccatum fuisse volitionis, & superbiæ, sed postea consecutam esse invidiam, & odium in Christum.

Addimus tamen, hoc desiderium fuisse tantùm Luciferi in sua persona, cæteros vero appetiisse, ut fieret in Angelica natura, & in supremo talem unionem.

265 His suppositis : quia sicut Glossam Seraphicam ad commodum præcipuè concionatorum concinnavimus, sic & potissimum istum cursum Theologicum in gratiam ipsorum destinavimus : hinc aliqua corrolaria ex prædicta doctrina consequentia pro concionibus subjicimus.

Primum corrolarium : cum Lucifer appetierit unionem hypostaticam, & ut ipsam obtineret, cæteros subornasset Angelos ad concurrendum in hac sua inordinata exaltatione : Unde dicitur Ezech cit. *In multitudine negotiationis tuæ repleta sunt viscera tua iniquitate*, hinc patet quàm pestifera sit subornatio mala superborum in electionibus ecclesiasticis : Item susurratio quale peccatum, cum ex hac orta sit perditio tot Angelorum, & deinde humani generis.

2. Corrolarium : cum revelata fuerit incarnatio futura Angelis, ut omnes debitam præstarent adorationem Christo ut omnium capiti meritissimo : quod non potuit fieri, nisi assensione ideali Christi, & consequenter B. atæ Virginis Matris Mediatricis, sequitur primò, quod adoratio imaginum Christi, & Mariæ in principio mundi præcepta, & ordinata fuit à Deo, & iterum quod meritò adorationis præstitæ à bonis, confirmati fuerint in gratia, & gloria & è contra, quia mali recusaverunt, ideo damnati fuerunt : & hoc potest confirmari ex iis, quæ tradit S. Ioan. in Apoc. c. 12. ubi describit signum magnum apparuisse in cælo, nempe Christum, & Mariam, & hinc ortum est prælium magnum in cælo, &c. de qua materia egimus in Glossa ad hoc caput. 266

3. Corrolarium. Cum in hac adoratione ortum sit prælium inter bonos, & malos Angelos, boni vicerunt, & triumpharunt de superbis, ubi loc. cit. subdit S. Ioan. quod boni vicerunt propter Sanguinem Agni, & Verbum testimonii : Sanctus Bernardin. explicat per virtutem Sanguinis Christi, & per invocationem Nominis Iesus, quem humiliter adoraverunt, resonantes ex ore, vivat Jesus, vivat Jesus, sicque ad sonitum hujus Sanctissimi Nominis Jesus percussi, præcipitaverunt in Infernum. Sic S. Bernardin. pluribus loc. suorum sermonum ad glorificationem hujus sanctissimi Nominis Iesus, qui plures textus sacræ scripturæ ad hanc rem coacervat : quæ omnia citavimus in Glossa super testamentum novum, &c. 267

Quæres. *An Lucifer fuerit supremus inter omnes Angelos?* Resp. Seraph D. *l. 2. d. 6. q. 1.* fuisse præcipuum, & Principem omnium Angelorum quoad dona naturæ, & hic est sensus omnium Theologorum, & SS. PP. tum quia ex Job c. 40. Ipse fuit principium, idest Princeps omnium virorum, & creaturarum Dei : tum quia deliberatè inordinatè appetiit excellentiam super omnes, ergo credidit se posse ad ipsam pertingere : tum quia fuit peccatum inter omnia maximum, ergo fuit in nobiliori natura tale. 268

Objic. In Ezech. c. 28 appellari Cherub, ergo non fuit de ordine supremo. Resp. S. Bon. Appellari non Seraphim, sed Cherubim, licèt esset de ordine Seraphim, quia Seraphim importat incendium charitatis, qua ipse caruit, & Cherub. dicitur, ob plenitudinem scientiæ, quam habuit, & quæ appropriatur Cherubinis.

Instabis. Si fuit supremus, ergo magis à Deo dilectus, & cum facillimum fuerit Deo ipsum conservare, non videtur probabile, quod stante tanta dilectione, Deus ipsum permisisset cadere. Resp. S. Bonav. quod in hoc apparet mira Dei justitia, ut pateat quale odium habeat Deus in peccatum, & peccatorem : ut hinc ediscamus, quod

quod si Deus non pepercit creaturæ nobili ab ipso deficienti, nec nobis vilissimis parcet, si ingrati fuerimus in ipsum, & maximè si in superbiam, quam super omnia peccata odit incideremus.

QUÆSTIO VI.

Expenditur lapsus minorum Angelorum.

169 Hic titulus involuit plura dubia hîc soluenda, & præcipuè quo peccato lapsi fuerint cæteri Angeli, & de quo ordine, & an ipsorum peccatum relationem habuerit ad peccatum Luciferi? Circa hanc quæstionem vel nulla, vel modica est inter Theologos controversia. Nam communis opinio tenet, Angelos inferiores peccasse peccato superbiæ, fuisseque de omnibus ordinibus aliquos, eosque inductos ad superbiam, vel pravo exemplo, vel etiam suasione Luciferi. Hinc,

Conclusio, 1. de quolibet ordine aliqui Angeli ceciderunt est communis cum S. Bonav. *l. 2. d. 6. a. 1. q. 2.* Prob. primò ex Ugone de S. Vict. sic dicente. De quolibet ordine aliqui ceciderunt, & unum ordinem contrarium fecerunt, ubi non est ordo, sed sempiternus horror inhabitat. Idem & dicit D Gregor. in Hom. Pentec. Ad omnes Angelorum ordines aliqui homines assumuntur, sed hoc non fiet, nisi ad restaurandam ruinam Angelorum, ergo de quolibet ordine aliqui consenserunt. Prob. 2. Lucifer è supremo ordine decidit, ergo multò fusiùs id dicendum de aliis. Prob. 3. quia omnes Angeli sunt administratorii spiritus ad salutem hominum, ergo ad singulos spectat ordines istorum salus.

170 Concl. 2. Peccatum inferiorum Angelorum fuit superbiæ propriè dictæ, sed differenti modo à Lucifero. Est S. Bonav. *l. 2. d. 5. a. 1. q. 1.* & in hoc conveniunt omnes ferè Theologi. Sed notandum, quod cum Lucifer appetierit ductus à propria excellentia supersedere super omnes ex propriis meritis, hoc non appetierunt inferiores, sed tantùm ambiendo quiescere in beatitudine absque actuali ministerio, & subjectione Dei sub umbra Luciferi.

Prob. primò auctoritate plurium SS. PP. hoc asserentium quos vide apud Suar. & Gaud. secundò, quia peccaverunt appetitu inordinato alicujus boni sibi ipsis, & commodi, & in hoc consenserunt Lucifero, sed non potuerunt appetere supereexcellentiam super omnes, quia id esset contra mentem Luciferi, ergo fuit excellentiæ ipsis propriæ, ergo sub Lucifero absque meritis voluerunt quiescere, & sine limite facere propriam voluntatem.

Objic. si Angeli mali voluerunt subesse Lucifero, ergo non peccaverunt peccato superbiæ. Resp. S.Bonav. quod appetierunt non præesse omnibus, sed subesse inordinatè, scilicet non Deo, faciendo ejus voluntatem, sed sub Lucifero, ut ipsis laxaret frænum concupiscentiæ: Sic etiam mali homines potius subesse volunt Diabolo, quàm Christo: superbus enim magis reputat gloriæ sum à se habere regnum, & libertatem, quàm ab alio.

Concl. 3. Peccatum inferiorum Angelorum habuit ordinem ad peccatum Luciferi. Est S. Bonav *d. 5. a. 2. q. 2.* Notat autem Seraph. Doct. quod iste ordo fuit primò quantùm ad gradum, quia peccatum Luciferi fuit majus: 2. quantùm ad causalitatem, & occasionem, quia aliis præbuit exemplum 3. quantùm ad durationem, quia peccatum Luciferi fuit prius tempore. Prob. 1. pars, quia Lucifer absolutè appetiit omnibus sua auctoritate præesse, & primò peccavit, ergo fuit cæteris gravius. Prob. 2. pars, quia dicitur in Apoc. *cap. 12. Draco traxit secum tertiam partem stellarum*, idest Angelorum, ergo si traxit, etiam aliquo modo procuravit casum eorum: cum quia Lucifer dicitur pater omnis mendacii, idest peccati, ergo aliquam causalitatem habuit ad omne peccatum. Hinc dicunt Theologi cum Seraph.Doct. Luciferum alios traxisse & malo exemplo, & sua suasione: 3. pars prob. de duratione, quia si alios traxit, & malo exemplo, & suggerendo, eis aperiendo suum conceptum pravum, ergo priùs ipse peccavit, postea aliis extendit suum conceptum, & desiderium. Et confirmatur, quia in unico instanti non potuerunt effici tot actus completi, ergo, &c. 171

Objic. primò contra ordinem supradictum causalitatis, & occasionis: quia statim ac Lucifer peccavit, deformatus est, sed Angeli ante peccatum suum habebant limpidum visum, ergo statim viderunt Luciferi deformitatem, ergo potius debuerunt averti à simili peccato, quàm impelli. Confirmatur ab Egidio, & Ariaglia, quia statim ac peccavit Lucifer fuit damnatus, ergo non potuit alios inducere. Resp. Suar. Vasquez & alii, & potuisse Luciferum inchoare peccatum, & ante consumationem alios sollicitare, ideo primum, & secundum instans potuit coexistere aliquali durationi nostri temporis, quæ responsio innititur doctrinæ: Seraph. Doct. qui directè respondit primò, quod illa deformitas non fuit naturæ, sed voluntatis, ob idque interna, & non apparens, ideo respexerunt ad aliquod bonum apparens, non ad justitiam: tum quia non statim dejectus est Diabolus, sed post consumationem, & confirmationem ejus in odio, & in invidia.

Instat Vasq. Non repugnat, aliquem intellectum in eodem instanti percipere, & ostendere voluntati objectum, simulque ipsam ei adhærere, & suum conceptum aperire, aliosque trahere, ergo simul tempore omnia potuerunt effici in Angelis. Respond. S.Bonav. negand. assumptum ex jam traditis, quia ista plura plures exigunt actus mensurabiles per diversa instantia.

Objic. 2. contra ordinem temporis, quia, ait Demasc. omnes simul ceciderunt cum Lucifero. Respond. S. Bonav. omnes simul cecidisse, idest non in eodem instanti, sed brevissimo tempore, & ferè imperceptibili. Præterea, ait S. Bonav. quod non statim cecidit Lucifer ac appetiit, sed solùm post consumationem, & confirmationem: tunc enim solùm facta est divisio bonorum, & malorum. Nec valet si dicas, non posse esse peccati dedecus sine decore justitiæ, quia peccatum semper sibi pœnam adjunctam habet: tum quia pœna statim subsecuta est culpam.

Objic. 3. conversio bonorum simul facta est, ergo & aversio malorum, & casus. Resp. conc. totum, sed post peccatum Luciferi.

Objic.

Obiic. 4. Si peccatum Angelorum habuit occasionem ex suasione Luciferi, ergo fuit remediabile sicut peccatum Adæ. Respond negando paritatem. Suasio enim peccati Adæ facta est differenti modo, nec ista est adæquata ratio remediabilitatis.

DISPUTATIO X.

De pœna Dæmonum.

273 Quia, ut ait Seraph.D. non est dedecus culpæ sine decore justitiæ, & stipendium peccati est pæna, quæ inseparabiliter consequitur ad culpam; hinc consequenter tractandum est de pæna Diaboli. Et quia casus malorum fuit duplex, scilicet localis, & spiritualis: primus fuit per dejectionem è cælo in Infernum; secundus de naturæ puritate ad peccatum, & sequelas peccati. Hinc primò videndum est in qualem pænam inciderunt in ordine ad intellectum. 2. in ordine ad voluntatem. 3. in ordine ad substantiam Angeli, nempe de dolore pænali. 4. de loco pænalitatum ipsorum.

QUÆSTIO I.

Quanam sit pœna in ordine ad intellectum, in quam inciderunt Angeli?

PRimò supponendum, quod duplex est cognitio: alia naturalis: alia supernaturalis, & utraque est speculativa, & practica: prima est cognoscendorum, estque veri sub ratione veri: secunda est agendorum, estque boni sub ratione boni: prima spectat ad intellectum speculativum; secunda ad liberum arbitrium. Hinc.

Concl. 1. Angeli non fuerunt privati cognitione sua naturali, scilicet speculativa, licèt aliqua ex parte fuerint obnubilati, & privati fuere omni notitia supernaturali. Est Seraph. Doct. *l.1.d.7.p.2.qu.st.1. & 2.* & communis. Probatur prima pars, quia dona Dei naturalia sunt sine pænitentia, ideo integra in eis remanserunt: tum quia peccatum non est contra actum, sed contra ordinem actus, ergo non est contra cognitionem simpliciter, sed contra ordinem cognitionis in finem, sed cognitio speculativa, quantum est de se non dicit cognitionem in finem ordinatam, ergo, &c. Probatur 2. pars, quia dæmones frequenter errant in judicando de multis, & in multis decipiuntur, maximè cum judicant de contingentibus. *Sic q.1. corp. ad ultim. & ad 4. & 5.*

274 Concl. 2. Quoad cognitionem practicam, in dæmonibus remansit hæc cognitio naturalis, in qua sunt Sapientissimi artifices, scientes applicare activa passivis. De quib. *Vid. ibid. quæst.2.* & infra agetur: & id patet experientia: licèt enim non possint producere effectus naturales per generationem, possunt tamen multa producere per artem. Addit S. Bonav. quod etiam hæc scientia est in eis valdè obnubilata, non ratione propriæ cognitionis, sed ratione temeritatis ipsorum, quia temerariè audent se extendere ultra propriam sphæram, ideo sæpe & decipiuntur, & decipiunt.

Concl. 3. Judicium practicum, habens pro 275 objecto bonum, & honestum, & prout est conjunctum affectioni bonæ, & honestæ, est in eis omnino subversum. Ratio est, quia voluntatem habent perpetuò perversam, ut infra ostendetur, ergo, &c. Et in hoc sensu dicitur à D. Dyon. esse in dæmonibus phantasiam protervam, furorem insensatissimum, amentem concupiscentiam: nempe, ut explicat Seraph. Doct. *q.1. ad 1.* non quod sit in eis phantasia sensibilis, ut in homine, sed intelligentia conversa ad inducendum nos in errores perversos; item concupiscentia amens, scilicet appetens peccare, & inducere ad peccandum; & furor insensatissimus, quo irascuntur contra bonum, & bonos.

Obiic. 1. In homine inflicta est ignorantia ob peccatum, sed graviùs peccavit Angelus, ergo ei debuit infligi major ignorantia. Respond. Seraph. Doct. *ad 3.* quod non fuit inflicta talis ignorantia, speculativa, quia naturalia remanserunt tam in Angelis, quàm in primo homine integra, ob rationes supra adductas, sed tantùm in posteris, non quidem subtrahendo, sed non apponendo, ob molem carnis corruptæ, aggravantem intellectus judicium, ideo talis ignorantia est pæna non inflicta, sed contracta.

Obiic. 1. Si depressa est affectio ad bonum in Angelis malis, ergo & judicium; intellectus enim, & affectus se habent proportionaliter; omnem enim pravam electionem præcedit pravum judicium. Respond. negand. paritatem de intellectu, & affectu: peccatum enim magis respicit voluntatem, & magis opponitur bonitati affectionis, quàm veritati cognitionis.

Concl. 3. In dæmonibus quoad memoriam, 276 quæ dicit habitum, non cadit oblivio; sed tantùm secundùm quod dicit actum memorandi in ordine ad bonum. Est S. Bonav. *cit. q.2.* Ratio primæ partis est, quia in intellectu Angelico sunt inditæ connaturaliter species omnium rerum per modum habitus: cum autem memoria angelica sit incorruptibilis, non dependens à rebus corruptibilibus, nec quantum ad substantiam, nec quantum ad operationem, nec per se, nec per accidens: & cum talis habitus sit merè naturalis,

nec

sit merè naturalis, nec subsit voluntati, nec penes illum ster meritum, vel demeritum, sequitur quoad hanc partem, non cadere in eis oblivionem. Ratio 2. partis est, quia actus memorandi potest ordinari ad bonum, vel malum, cum in Dæmonibus sit oppositio ad salutem propriam, & ad gratitudinem, recordationemque beneficiorum Dei, hinc quoad hoc, cadit oblivio.

Concl. 5. Dæmones non possunt naturaliter præcognoscere futura contingentia: quia, cum ista non habeant esse certum vel in se, vel in causa, hinc, &c. sic S.Bonav. *cit.q.3.* de qua materia satis supra actum est de cognitione Angelorum, &c.

177 Concl. 6. Dæmones spoliati fuerunt cognitione supernaturali, & habitu fidei supernaturalis. Est communis omnium Theologor. cum Seraph.D. *q.1.ad 1.& 7.* Not. tamen hic, quod cognitio rerum supernaturalium, alia est speculativa, alia practica & affectiva, prima stat tantùm ex parte objecti ostensi, vel revelati. 2. stat etiam ex parte modi, quatenus scilicet supponit in potentia habitum supernaturalem fidei, vel alterius luminis supernaturalis. Primam habent Dæmones multorum mysteriorum supernaturalium, quia multa ipsis ab Angelis bonis, vel ab Ecclesia revelata sunt ad ipsorum majorem confusionem, & desperationem; nec enim ad id sequitur habitus supernaturalis in intellectu: secundam verò non habent, eo quod (ait S.Bonav. cit.) ista dona eis ablata fuere.

Dices. Dæmones credunt, ut ait D. Jac. 2. ergo habent fidem. Resp. esse fidem non supernaturalem, sed aquisitam, ut est in hæreticis, non verò habent habitum supernaturalem fidei, cum non sint apti ad suscipiendos habitus infusos: tum quia voluntas eorum magis prona est ad impugnandam veritatem, & pietatem, quàm ad assentiendum. *Vid. S.Bon.l.3.d.23.a.5.q.3.*

QUÆSTIO II.

De pœna Dæmonum quo ad voluntatem, & præcipuè de obstinatione, qualis in eis sit, & unde proveniat?

178 Voluntati Dæmonum à Theologis, & sanctis Patribus communiter adscribitur obstinatio in malo, quæ in hoc consistit, quod nec velint, nec proximè velle possint retractare peccatum, quod commisetunt, sed semper in ipso perseverent, tum habitualiter, tum etiam actualiter, quod evidenter colligitur ex Epist. canonica Judæ, & determinatum est de fide in cap. firmiter de summa Trinit. & consentiunt sancti Patres & Theologi apud S.Bonavent. *l.2.d.7.p.1.q.1.* malitia igitur tum habitualis, tum actualis in ipsis perseverat: illa contracta ex præcedenti peccato cum impotentia pænitendi de peccato, quatenus est offensa Dei: Ista propter continuationem, & repetitionem odii in Deum, & plurium peccatorum, ad quæ committendo reducunt homines: qua veritate catholica supposita.

Quæritur primò, *an sint ita obstinati, ut nullum actum bonum moraliter possint elicere? secundò ex qua radice, & causa proveniat ista obstinatio?* Quoad primum dubium, vel modica, vel nulla est controversia inter Doctores: nam in hoc conveniunt; quod considerati Dæmones secundùm esse physicum, & liberum arbitrium purum, possunt aliquem actum moraliter bonum elicere, tamen quatenus sunt destituti omni auxilio gratiæ, & præditi voluntate perpetuò perversa, nullum actum bonum possunt producere. Quoad secundum dubium de causa, & radice talis obstinationis adferuntur plures sententiæ.

Prima est Nomin. cum Aureolo, provenire ex eo, quod Deus infudit, & conservat in Angelis habitum positivum odii: quæ opinio tamen communiter reiicitur tanquam minus benè sentiens de bonitate Dei, & immunitate à peccato, causaque peccati, quod notat Seraph. Doct. *q.1. infra cit.* 2. opinio est D. Thomæ, & Thomistar. sententiam, id provenire ex ipsa natura Angelorum, immobiliter se habentium ad primum actum; quam & Seraph. D. reiicit. 3. est S.Doct. *d.7.q.1.* & communissima, tum Scotistarum, tum etiam plurimorum Thomistarum, & recentiorum provenire ex statu ipsorum extra viam, obidque ex negatione auxiliorum necessariorum. Pro solutione, &c.

Not. 1. ex Seraph. Doct. *l.2.d.43.q.ult.* quod aliud est obstinatio in malo, aliud impotentia ad resurgendum à peccato: nam obstinatio propriè est habitus, vel actus voluntatis volentis ex malitia, & complacentis sibi voluntariè permanere in peccato, diciturque impænitentia positiva, non privativa, & talis complacentia est peccatum in spiritum sanctum: sic enim complacet sibi in culpa perpetrata, priorem non detestans, sed volens perpetuò. Impotentia verò est pæna contracta per culpam, & respicit culpam futuram, ad quam evitandam non habet ea quæ sunt necessaria: utrumque est in Dæmonibus & damnatis commune ait S. Bonav. estque certum ex sacra scriptura, tum ex continuatione culpæ, tum ex perpetuitate pænæ, quæ non posset esse perpetua, si a culpa posset damnatos resipiscere: continuatio culpæ constat, tum ex Psal. 3. *Superbia eorum, qui te oderunt ascendit semper*, ergo si semper ascendit, nunquam cessat, & *ex Psal. 6* & Ezech. 9. & Ioan. c.9. Perpetuitas pænæ etiam habetur in sacra scriptura, maximè Matt. c.25. *Ite in ignem, &c.* 179

Not. 2. quod tam duræ obstinationis, & tenebrosæ obcæcationis causa solùm potest dupliciter assignari ex communi cum Seraph Doct. *l.2.d.7.cit.* nempe extrinseca, & intrinseca: cum enim ille miserabilis status creaturæ damnatæ comparetur nocti. Io. c.9. *Venit nox, quando nemo potest operari*, sicut nox materialis habet causam extrinsecam, nempe solis absentiam; & intrinsecam, idest interpositionem terræ inter nos, & solem, impedientem illuminationem: sic illa perpetua nox, & horrenda, nempe pro causa extrinseca subtractionem divinæ gratiæ tam actualis, quàm habitualis; & pro intrinseca, vel potius immediata, adhæsionem voluntatis immutabilem ad peccatum, ut docet S.Doct. *q.1.corp.* deogata enim omni gratia ad bonum voluntas manet libere affecta ad malum, & adhæsio ista obstinatio est. Adverte tamen quod in hoc non convenimus cum Thom. sustinentibus, Angeli voluntatem esse ex natura sua inflexibilem, & ab intrinseco: nos è contra hanc inflexibilitatē admittimus ab extrinseco, sive ad bonum, sive ad malum ex privatione 180

auxiliorum Dei, & ex positione extra statum merendi: hanc autem inflexibilitatem ad malum appellamus causam intrinsecam, cum sit ex actu intrinseco voluntatis Angeli: Cur autem à Deo Dæmonibus, & damnatis omnis gratia denegetur, est in quæstione, pluresque sensus varios Doct. affert Seraph. Doct. *in comp.* Alii enim reducunt hanc subtractionem omnis gratiæ ad gravitatem culpæ ipsorum: alii ad naturam inflexibilem ipsorum: alii ad modum diversum, quo peccaverunt Angeli ab homine: quæ omnia rejicit Seraph. Doct. solumque ipsa dicta, vel rationes admittit tanquam aliquas congruentias: Tandem concludit, id provenire ratione status illius summæ miseriæ, qui est ultimi termini, & retributionis secundùm rigorem divinæ justitiæ: status, inquam, est summæ miseriæ, carens omni ordine, omni ratione, omni scientia, petensque carere omni auxilio ordinato ad bonum, & ad rationem: status termini ultimi, per quem aliquis ponitur extra viam: in via autem tenditur ad patriam, & ad beatitudinem, ergo qui ita deviat, quod amplius non potest poni in via, sed est in termino ultimo, & totaliter extra viam, manifestum est, quod ex vi talis termini carere debet omni auxilio ordinante, & dirigente ad patriam: omne autem auxilium ad bonum opus est directivum ad ultimum finem: Denique ille status est retributionis secundùm rigorem justitiæ, ideo exigit, ut denegetur omnis gratia, quia per peccatum homo incurrit debitum illa carendi. *Vid. Suar. de Ang. l. 8. c. 11.*

281 Not. 3. cum ex supra tradita certissima doctrina insurgat duplex dubitatio: Prima est, an Dæmones, & damnati, sint privati quocumque auxilio gratiæ, & supernaturali, & dato, quod sic, sicut docet communissima sententia omnium Theologorum catholicorum, dubitatur secundò quomodo sit in eis libertas ad bonum, & malum, cum ista sit essentialis creaturæ rationali, idque nunc enucleandum est. Et quoad primum dubium suppon. ex communi Doctor. quod auxilium sufficiens constat ex multis concurrentibus, ut potentia ponatur proximè potens, & expedita ad agendum, quorum aliqua pertinent ad cognitionem, & intellectum: & ista sunt vel remota, vel proxima: remota, est cognitio speculativa pura, qua cognoscitur ipsum bonum etiam supernaturale, & judicatur de ejus excellentia quasi in abstracto, hæcque, ut sic, est arida non inclinans affectum, sed sufficiens ad formandum dictamen indifferens; potest autem formari ex objectis, non solùm quibus assentimus, sed etiam quibus dissentimus, ita quod unum extremum repræsentatur contrariè ad alterum, unum ut abominandum, aliud ut amandum: & tali pacto habent Dæmones cognitionem de Deo, de beatitudine, sed abominando, & odiendo: alia verò pertinet ad cognitionem affectivam, & inchoativam ad bonum, sicut & habitus fidei, spei, præ affectiones, aliique habitus infusi: his secundis carent Dæmones, & damnati; non primis: sed quia propriè non adnumerantur inter auxilia sufficientia, nisi lato, remoto, & naturali modo, ideo concluditur, ipsos carere propriis auxiliis sufficientibus proximè inclinantibus ad bonum. Quoad secundum dubium de libertate, Seraph. Doct. solvit subtilissimè hanc difficultatem *d. 7. a. 2. q. p. 2. & 3.* probans manere liberum arbitrium in Dæmonibus, quia sunt domini suorum actuum; & liberè à coactione quacumque, quia ita sunt affixi malo, quod nullo modo volunt oppositum. His positis.

Concl. 1. Dæmones post peccatum non possunt 282
pœnitere, nec eorum voluntas rectificari. Est Seraph. Doct. *d. 7. q. 1.* & communis. Notat tamen, quod, ly, potest, si dicit ordinem ad absolutam potentiam Dei, eorum rectificatio est possibilis, estque de fide: si dicit ordinem ad potentiam Diaboli, sic nulla ordinationem ad ipsam habet. Probatur autem quia ad rectificationem requiritur ex parte voluntatis creaturæ pœnitentia, ex parte Dei gratia sanans, sed utrumque deest Diabolo, ergo, &c. tum quia quod hominibus est mors, Angelis est casus, (ait Damasc.) sed homo post mortem non potest recuperare bonam voluntatem, & rectam, quam amisit, ergo nec Diabolus: tum quia cum tali pacto Deus creavit Angelos, ut qui vellent perpetuò essent beati, & qui nollent, nunquam eos divina misericordia repararet: sic D. Aug. tum quia similis est ratio confirmationis in bono, & obstinationis in malo, sed boni statim facti sunt immutabiles, ergo & mali.

Concl. 2. obstinatio Dæmonum, & irremedia- 283
bilitas culpæ immediatè venit à voluntate ipsorum, mediatè à statu in termino, & ex carentia auxiliorum divinorum. Est Seraph. Doct. cit. Prima pars de voluntate Dæmonum probata est, quia ipsi nolunt pœnitere: quia enim noluerunt assentiri gratiæ eis à Deo exhibitæ, sed voluerunt liberè peccare, hinc est, quod voluntariè se collocaverunt in statu præcognito impœnitentiæ. Prob. secunda pars à Seraph. Doct. quia passio, si inest aliquibus subjectis, inest eis secundùm aliquid commune, Diabolus autem, & Judas damnatus non possunt rectificare voluntatem, sed hoc non potest esse ratione naturæ, nec ratione modi peccandi, quia in his non conveniunt homo, & Angelus: cum autem nihil aliud possit excogitari, nisi ratio status, ergo, &c. Et confirmatur, quia peccatum Judæ non abstulit possibilitatem ad pœnitentiam, & tamen sine additione, & innovatione solo termino merendi transeunte, factus est impossibilis ad pœnitentiam, & ad bonam voluntatem, ergo, &c. Tum quia Deus decrevit offerre gratiam, quandiu tempus est merendi, quo transeunte, cum non faciat contra dispositionem, non offert gratiam, quæ præveniat voluntatem, & formet, reparetque potentiam, & ita remanet voluntas in impœnitentia sempiterna, & ita culpa.

Nota autem, quod Seraph. Doct. affert alias plures rationes in corp. quæ tamen (ait ipse) sunt solùm congruentiæ allatæ à sanctis Patribus desumptæ: tum à gravitate peccati Dæmonum: tum ab ipsa natura Angeli, quæ est inflexibilis, ut volunt Thomistæ: quam opinionem supra rejecimus: tum quia Angelus semper est in actu primo peccandi: quam rationem tamen refellit Seraph. Doct. quia, licet Angelus nunquam recesserit à sua prava voluntate, tamen poterat gratia præveniri, cum & homines etiam in actu peccandi nonnunquam vocentur, ut Saulus: tum quia nullo suggerente peccavit Angelus: quam rationem refellit S. Bonav. cum inferiores suasu Luciferi peccaverint, &c. quæ omnia videri possunt in textu.

Objic.

Objic. 1. ad pænitentiam duo requiruntur, ſcilicet divina miſericordia ex parte Dei, & dolor ex parte peccantis: Ex parte Dei, eſt miſericordia in infinitum excedens peccatum finitum Luciferi: tum quia ſic in ſummo peccato maximè manifeſtaretur: Ex parte Diaboli eſt dolor, quia dolet ſe amiſiſſe ſummam ſuam nobilitatem, & in pænam invidiſſe: primam maximè diligit; ſecundam maximè deteſtatur, ergo, &c. Reſp. S. Doct. ad illud de divina miſericordia, quod loquendo de potentia abſoluta, verè Deus poteſt Diabolo exhibere ſuam miſericordiam, non de potentia ordinaria, quæ operatur ſecundum ordinem Sapientiæ, quem inviolabiter ſervat, nec unquam mutat: ſicque & æquè manifeſtat miſericordiam, & juſtitiam tum in benefaciendo, tum in juſtè puniendo: & in hoc peſſimè erravit Origenes, qui dans totum miſericordiæ, abſtulit locum juſtitiæ, dicens, aliquando Dæmones beatificandos. Ad id de dolore Diaboli. Reſp. iſtum dolorem habere pro objecto ſolùm pænam, non Dei offenſam, diſponendo ſe auxilio gratiæ gratis datæ ad pænitentiam, ideo hæc eſt pænitentia impiorum, & damnatorum.

Objic. 2. obſtinatio Diaboli, vel eſt ex parte Dei, vel ex parte Angeli, vel ex parte peccati, ſed nullo ex his modis, ergo, &c. Prob. minor. Non eſt ex parte Dei, quia Deus non eſt cauſa deficiens, ſicut obſtinatio eſt defectus: tum quia Deus vult omnes ſalvos fieri; omnes enim creavit ad beatitudinem, ſed vult voluntate antecedenti, ergo non eſt ex parte Dei: tum etiam, quia (ait Ambroſ.) ſi Diabolus veniam peteret, Deus non repelleret: ſic enim eſt actus juſtitiæ, non repellere ad ſe confugientes, ergo non eſt ex parte Dei. Secundò non eſt ex parte Angeli, tum quia ex D. Aug. natura angelica ſicut humana potuiſſet pænitere, nec perdidit uſum liberi arbitrii: tum quia ſi ex natura Angeli id provenit, cum Deus ipſam condiderit, ſequitur, quod Deo imputaretur. Tertiò nec ex parte peccati, quia non aufert libertatem à voluntare, ergo, &c. Reſp. breviter S. Doct. conc. totum diſcurſum, ſed addit, id provenire ex ratione ſtatus, ut dictum eſt: unde omnes rationes adductæ nihil concludunt contra noſtram concluſionem: D. Ambroſ. autem, & Aug. loquuntur de Angelo in ſtatu viæ, non de ipſo prout de facto eſt: & cum talis impoſſibilitas non ſit ratione naturæ Angelicæ præciſè conſideratæ, corruunt hinc tamquam ſuperfluæ rationes omnes Scotiſtarum, & reſponſiones, quas coacervat contra ipſos P. Gaud. *q.4.*

QUÆSTIO III.

An in Dæmonibus ſit mala voluntatis continuatio? Seu an ſint adeò obſtinati, ut ſemper malum operentur, ac nequeant facere aliquod bonum morale? Et an intendantur in malo? Seraph. Doct. d.7.q.2.

185 PRimò ſupponendum tanquam certum de fide, neminem poſſe facere opus bonum morale, vel meritorium, vel ordinatum ad ultimum finem ſine munere gratiæ divinæ. Quæſtio eſt, an quis deſtitutus omni gratia, etiam gratis data, poſſit exire in aliquod opus bonum de ſe ordinabile in finem, vel ex circunſtantia rectificabile, licèt non ordinatum actu, ut paſcere eſurientem. In qua Seraph. Doct. *l.2. d.28. q. ult.* Reſp. quod licèt difficulter poſſit fieri, tamen non eſt omnino impoſſibile, quod probat pluribus rationibus ut videre eſt ibid. Quo ſupoſito, quæritur: An Diabolus deſtitutus omni gratia, aliquando faciat aliquod opus bonum? Reſp. Scotus, quod loquendo de potentia phiſica poteſt facere, quod & Seraph. Doct. ex traditis in *cit. q. d.28.* ſuſtinere tenetur: attamen de facto Scotus negat, unquam id facere ob perverſitatem voluntatis, & odii in Deum. Hinc communis opinio omnium Theologorum cum Seraph. Doct. *d.7.q.2.* negat, Dæmones poſſe facere aliquod opus bonum non conſpurcatum fine, vel circunſtantia peſſima. Pro ſolutione, &c.

Not. 1. ex eodem Seraph. Doct. *loc. cit. in corp.* quod eſt loqui de mala voluntate triplicitet: primò quantum ad deformitatem: 2. quantum ad pronitatem. 3. quantum ad actualitatem. Quantum ad deformitatem, Diabolus continuè eſt in mala voluntate, ita quod nulla intervenit interpolatio, vel variatio per deformitatis defitionem, ſive minorationem, quia ita adhæret voluntati Diaboli macula peccati, ut nullo modo poſſit ab illa ſeparari. 2. quantum ad pronitatem eſt etiam continuatio, quantum ad modum inclinandi: priùs enim appetiit cum propoſito obtinendi, nunc eandem pronitatem habens, appetit, quantum in ſe eſt, licèt enim non ſperet ſe obtinere principatum, non recedit tamen ambitio ſiſtens in tali appetitu, ut qui ambit Epiſcopatum, licèt non obtineat, fovet tamen illam ambitionem. 3. quantum ad actualitatem eſt continuatio in actu peccandi, ſed cum variatione quantum ad genus peccati: modò enim peccat ſuperbia, modò invidia, &c. nec voluntas ejus unquam requieſcit, & quia nunquam laſſatur, cum ſit incorruptibilis, & cum in eo regnet peverſitas, ſemper omnem actum, quem elicit, deformat, & depravat, & ita continuè peccat, ſicque multi actus, licèt phiſicè poſſint eſſe boni, tamen moraliter ſunt mali. His, &c.

Concl. 1 Dæmones non poſſunt aliquod bonum 186
opus moraliter facere. Eſt communis, ut dictum eſt. Prob. primò ex 1. Iuan. *c.3.* Ab initio Diabolus peccat. Nota, ly, ab initio, quod dicit præteritum, & , ly , peccat, quod dicit præſens, indicans (ait Gloſſa) quod ab initio ſuæ creationis incæpit peccare, & continuè ſemper peccat actu. Sic Doct. Hieron. & Aug. & communiter ſancti Patres, &c.

Prob. 2. ex obſtinatione. Obſtinatio eſt confirmatio malitioſa in priori malo, ergo ſemper confirmata eſt ejus voluntas. Et confirmatur, quia Angeli confirmati in bono, continuè habent voluntatem bonam habitu, & actu, & eandem, quam habuerunt in ſui glorificatione, ergo ab oppoſitis, &c.

Prob. 3. quia dimittere actum peccati eſt ſe præparare ad gratiam, ergo Diabolus poſſet ſe ad ipſam gratiam præparare, quod non admittitur.

Obiic. primò. Naturalia integra remanſerunt in Angelo, ſed inclinatio ad bonum eſt naturalis, ergo poterit ſecundùm talem inclinationem benè operari. Et confirmatur, quia Dæmones (ait Iac.) credunt, & contremiſcunt, & ſæpe Deo obediunt, ſed iſti ſunt actus de ſe boni, ergo aliquando Diabolus

in bonum exit, & cum operetur secundùm inclinationem naturalem sæpe, per consequens facit aliquod bonum.

Resp. Seraph. D. ad hæc, & consimilia, quod sicut datur opus bonum, vel quod de se est tale, vel ratione circumstantiæ adjunctæ, ut evenit in actibus indifferentibus, qui ea circunstantia fiunt boni: sic & actus malus, alius est talis ea natura sua, alius est ex circonstantia mala, v. g. ea intentione mala aliquis vadit ad Ecclesiam, facit eleemosynam ob vanam gloriam. Diabolus autem, cum habeat voluntatem malam, & perversam, & perpetuò affixam eum perversitate, & odio in Deum, etiamsi faciat actum aliquem, qui de se esset bonus, quia ipsum intentione perversa conspurcat, ideo semper facit malum: sic credit, & obedit, sed cum murmuratione, & odio, & perversitate, ideo timendo, & obediendo peccat. Et ad id de inclinatione naturali ad bonum: Respond. S. Doct. vel naturam ita esse consopitam, & voluntatem malitiâ ita superatam, quod non potest exire in actum; vel si exit in actum, tamen conspurcatus redditur à perversa voluntate: sic enim diligit Deum, ut conservatorem, sed tamen voluntas mala illam dilectionem refert ad propriam utilitatem, ideo peccat, unde nnoquam exit in actum merè naturalem.

Objic. 2. Diabolus tentans hominem potest ab illo actu exteriori desistere ea sua innata libertate, ergo inul ò fortiùs ab interiori, quia liberum arbitrium magis dominatur actui interiori, ergo potest ea sua libertate desistere à peccato: non enim habet impedimentum ea sua inflexibilitate, ut supra probatum est, nec ea defectu divini auxilii. Et confirmatur, quia si homo peccator id potest, multo fortius Angelus. Respond. S. Bonav. posse Diabolum desistere ab actu exteriori, sed nunquam ab interiori malo, vel hoc, vel illo, quia nunquam obdormit, ob pervicaciam, in qua perpetuò vivit: & ad id de homine existente in peccato, conc. quia ei non deficit gratia gratis data, sed negatur paritas de Angelo.

Objic. 3. Diabolus in principio appetiit similitudinem Dei, quam non potuit obtinere, idque cognoscit, ergo à tali superbia cessavit, cessante enim causa, cessat effectus. Respond. Seraph. Doct. quod ad elicitionem actus superbiæ alia est causa inducens, alia est efficiens, & conservans: prima inducens fuit ejus pulchritudo; efficiens, & conservans est ejus voluntas perversa, & obliqua, illa quidem cessavit, sed non ista: ideoque perpetuò est in eo superbia, & licèt non sit ordinata ad obtinendam præsidentiam super alios, ut in principio, est tamen ordinata ad id, quod potest, & amplius quàm potest, scilicet ad dominium hominum, & sanctorum, unde si appetit aliquod possibile, tunc appetit deliberatè; si aliquod impossibile appetit actu velleitatis, nempe quantum est de se: vel appetit absolutè etiam impossibile, ob suum judicium practicum obnubilatum, & perversum, quo judicat ad aliud pervenire etiam si speculativum dictet contrarium.

287 Concl. 2. Dæmonis mala voluntas semper intenditur quoad demeritum secundùm vim administrativam; non verò secundùm vim contemplativam, qua est simpliciter à Deo aversus. Est S. Bonav. *d. 7. art. 1. quæst. 3.* Prob. Quia quoad vim contemplativam, statim ac peccavit simpliciter fuit in summo aversus, & exiit extra terminum viæ, & merendi; sicut & bonis idem accidit in præmium, & bonum, ergo, &c. Quoad vim administrativam verò in ordine ad homines, patet, quia præfixum est Angelis malis tempus ipsam exercendi erga homines usque ad diem judicii, ergo secundùm hanc partem intenditur, & crescit quoad demeritum accidentale: & hinc Diabolus semper pejor magis, & magis fit, quàm esset in principio.

Quæres. 1. *An omnes actus mali distincti dæmonis imputentur in peccatum, ita ut toties peccet, quoties actus malos facit.* Respond. quod possunt dici tot peccata, quot sunt actus mali ob malitiam anneaam, sed tamen non eis imputantur ad peccatum, cum non habeant gratiam, & vires ipsa vitandi, sed tamen imputantur ad suplicium, nec ideo peccant non agendo pænitentiam, cum privati sint medüs ad ipsam necessariis. Sic Seraph. Doct. *loc. cit.* 288

Q. 2. *Cum Deus praevideret lapsum Diaboli, quare præfixit ei tam modicum tempus merendi, ut non haberet spatium redeundi, quod non fecit cum homine?* Respond. Seraph. Doct. *d. 7. quæst. 1. corp.* quod in conditione rerum non attenditur ratio misericordiæ, & justitiæ principaliter, sed Sapientiæ: decrevit enim divina Sapientia in universo facere duplicem creaturam rationalem, ad hoc ut esset universum completum, unam corpori unitam, scilicet animam rationalem: aliam absolutam, & spiritualem, nempe Angelum: & quia substantia omnino spiritualis omnino est incorruptibilis, & ingenerabilis, non potuit unus Angelus ex alio produci, ideo simul producti sunt, & sicut sunt simul producti, ita etiam simul glorificandi, sive dispositi simul glorificari: & quia ut omnino spirituales, nullo modo habent retardativum, hinc est, quod in loco gloriæ sunt conditi, scilicet in Empyreo, & ita de proximo ad gloriam dispositi, & ratione naturæ, & ratione loci, ideoque tempus merendi breve ita eis fuit præfixum sicut potuit, & decuit, & ideo usque ad primam aversionem, & conversionem deliberativam. Homini verò, quia conditus est in corpore animali ad procreandam prolem ad cultum Dei, & ita in dispositione remotiori à gloria, datus est locus distans ad merendum à sui conditione, nempe Paradisus terrestris, & præfixus est ei terminus diuturnus propter officium procreandi prolem; hinc pater ratio talis discriminis. 289

QUÆSTIO IV.

An confirmatio in bono, vel in malo lædat libertatis dominium? S. Bonav. d. 7. q. 1. a. 2. per totum.

PRo solutione quæstionis, primò notandum est ex Seraph. Doct. cit. quod mutatio alicujus fit dupliciter: uno modo quantùm ad substantiam, sive essentiam, & quantum ad primum esse: Alio modo quantum ad statum, & ad benè esse. Not. 2. ex eodem S. Doct. cit. q. 2. quod usus alicujus potentiæ dicitur dupliciter: Uno modo dicitur actus elicitus à potentia: Alio modo actus est elicitus à potentia ad eum finem, 290

finem, ad quem est, sic ossis liberi arbitrii est vel libere primo modo; secundo modo verò est cum rectitudine, & recta directione ad ultimum finem.

Not. 3. ex eodem Seraph. Doct. q.3. quod quando agitur de diminutione dominii libertatis, quoddam est dominium, quod opponitur coactioni, & hoc est essentiale libero arbitrio, & æqualiter est in omnibus, tam bonis, quàm malis, tam in creatore, quàm in creaturis, ideo nec minui nec augeri potest: & consistit in hoc, quod cum persona, potentiaque libera, sit domina sui actus, non potest cogi ab extrinseco, nec ab ulla potentia extrinseca, alioquin non esset libera, & consistit in hoc, quod omne, quod vult, appetit ad sui imperium, quia sic vult aliquid, ut vellit se velle illud. Aliud est dominium, quod opponitur servituti subjectionis, sique recipit magis, & minus, nec inest æqualiter in omnibus; nam in miseris subjacet miseriæ, in beatis est liberum, in malis subjacet culpæ; in bonis est liberum, & tantò liberius, quantò magis distat à malo; in creaturis subjacet mandatis: In Deo verò est supra omne mandatum: hinc est quod hoc dominium per confirmationem in gratia augetur, quia per eam magis elongatur a subjectione culpæ, & miseriæ, & per obstinationem minuitur, quæ cervicem submittit utrique. His positis.

291 Concl. 1. Liberum arbitrium quoad substantiam non mutatur, sed quoad statum, & actum alteratur. Prob. prima pars; quia, ut dicit D. Ansel. liberum arbitrium est potestas servandi rectitudinem, sed hæc manet in gloria, & fortificatur, ergo, &c. Tum quia gratia non destruit, sed perficit, & confirmat naturam, ergo non mutat secundùm substantiam: Tum quia gratia confirmationis liberat à miseria, ergo perficit. 2. pars prob. quia si perficit, ergo mutatur liberum arbitrium, quoad benè esse.

Objic. 1. confirmatio aufert vertibilitatem liberi arbitrio, sed hæc est essentialis eidem, ergo mutat secundùm substantiam. Confirmatur quia ante confirmationem est mutabile, per ipsam fit immutabile, sed mutabile, & immutabile sunt duæ differentiæ oppositæ entis, sicut mortale, & immortale, ergo essentialiter faciunt differre. Resp. S Bonav. quod naturale dicitur duobus modis: Uno modo prout dicit naturæ complementum: alio modo naturæ defectum. Primo modo est in igne tendere sursum: secundo est posse extingui: & quia naturale est libero arbitrio posse in bonum primo modo; posse verò in malum est ob defectum naturæ, quia posse peccare, est non posse: malum enim non est objectum per se liberi arbitrii, nisi ut est deficiens, non verò, ut liberum; hinc conc. major de vertibilitate ad bonum; neg. ad malum, secundùm quam distinctionem, neg minor. Ad confir. Resp. quod mutabile, & immutabile secundùm idem sunt differentiæ oppositæ; secundùm diversa, neg. sed liberum arbitrium fit immutabile per gratiam quoad benè esse, licèt sit mutabile per naturam quoad primum esse.

292 Concl. 2. obstinatio non tollit usum liberi arbitrii quoad elicitionem sui actus, sed tantùm quoad ordinationem in finem ultimum. Est Seraph. Doct. cit. quæst. 1. Prob. prima pars, quia in Dæmonibus est usus rationis; conferunt enim & disponont, sed id spectat ad liberum arbitrium, ergo, &c. Tum quia Dæmonibus imputantur mala, quæ faciunt, & puniuntur, & puniuntur, ergo, &c. Prob. 2. pars, quia impossibilis est rectitudo ad finem in Dæmonibus ex supra traditis, ergo, &c.

Objic. 1. si Dæmones habent usum libertatis, ergo non possunt peccare: ait enim D. Ansel. quod potestas peccandi non est libertas, nec pars libertatis, ergo malè faciendo non utuntur libertate Resp. neg. sequelam majoris: Verum quidem est, quod peccare non est formaliter libertas, nec pars libertatis: sed tamen id non est sine libertatis usu, quia qui liberè peccat, liberè vult, &c.

Objic. 2. liberè velle, & necessariò velle sunt opposita, sed Dæmones habent necessariò malam voluntatem, ergo non liberè volunt. Resp. S Bon. quod necessitas coactionis opponitur libertati, & dicitur etiam inevitabilitatis: non verò necessitas immutabilitatis, quæ venit à dispositione intrinseca, sic neg. consequentia.

Concl. 3. obstinatio, & confirmatio in malo non minuit libertatis dominium essentiale, sed tantùm prout opponitur subjectionis servituti. Est S. Bonav. cit q.3. Prima pars patet ex traditis, quia dominium essentiale liberi arbitrii est super suos actus 2. pars etiam patet, quia peccator magis subjacet culpæ, & miseriæ, ergo, &c.

QUÆSTIO. V.

De pæna sensus, & damni Dæmonum: Ubi de tormento ignis, & de loco pænali.

DÆmones torqueri pæna damni certum est, & de fide, cum æternaliter sint damnati, & exclusi à beatitudine; & de hoc nulla est difficultas apud Theologos: sed tota reducitur ad pænam, quam appellant sensus: & hæc reducitur ad tristitiam, & dolorem: an verè dolorem, & tristitiam sentiant: & an iste dolor ab igne causetur, & quomodo: an verò à privatione visionis Dei. 293

Secunda controversia est circa locum pænarum, nempe, an Dæmones crucientur in igne Inferni; an verò reservata sit ad diem Judicii ipsorum inclusio in Inferno. Circa quas controversias variæ sententiæ Doctor. afferuntur. Nam aliqui tenent, tristitiam pertinere ad pænam damni; alii ad pænam sensus: alii dicunt torqueri pæna morali, tantùm, idest virtute apprehensionis intellectus, Dæmonum, & damnatorum, quam habent de igne tanquam re valdè disconvenienti, & eos captivos tenente: alii verè, & phisicè torqueri ab igne tanquam instrumento phisico Dei. Hinc

Conclusio. 1. Tristitia, quam Dæmones habent ex carentia visionis Dei pertinet ad pænam sensus, seu potius cognitionis. Est communis cum Seraph. Doct. l. 2. d. 33. q. ult. ad 2. Ratio est, quia dupliciter aliquid alicui est malum: primò re ipsa independenter à cognitione, & hæc est carentia visionis Dei maximum inter omnia mala: aliud est malum ex sola ratione disconveniens, quatenus cognoscitur, & cognitum tristitiam affert, & hoc quoties infligitur propter peccata, dicitur pæna sensus, 294

vel corporei, vel intellectualis, ergo omne objectum, quod affert dolorem, & tristitiam spectat ad pœnam sensus, sed talis est carentia visionis Dei cognita, ergo tristitia est quid positivum afferens dolorem. Hinc infert Seraph. Doct. *loc.cit.* quod parvuli decedentes sine Baptismo, nec gaudent de visione beata, nec tristantur de illius carentia, quia medii sunt positi in cognitione, & affectione, ita ut nec tristitia deiciat, nec lætitia reficiat; tristitia autem eos non deiicit, quia compensatur à Deo per carentiam omnis afflictionis, & pœnæ. *Vid. ibid. pulcherrima.*

295 Concl. 2. Dæmones habent tristitiam, non in summo, sed aliquando permixtam aliquo gaudio, licet impuro. Est S. Bonav. *l. 2. d. 6. a. 2. q. 1. fund 3. & d. 11. q. ult. ad 6.* Alens. D. Thom. & plurimorum aliorum apud Patrem Gaud. *d 8. qu st. 9.* Contra hanc sententiam citantur plures Thomist. admittentes in Dæmonibus solùm aliquale gaudium phantasticom, & fictum: sed discrimen est potius de nomine, etiam ad antes Seraph. Doct. dum appellat ipsorum gaudium impurum. Ratio potissima est, quia dum quis assequitur, quod maximo desiderio appetit, tunc gaudet, sed Diabolus maximè appetit peccata, & damnationem hominum, ergo ipso obtento, ibi delectatur: quod verò tristitia eorum non sit in summo, patet (ait S. Bonav.) quia non datur malum pœnæ, quod non sit permixtum aliquo bono. Quod etiam contraria opinio nobiscum conveniat, prob. quia cum hoc gaudium sit impurum, ut ait Seraph. Doct. etiam nullum bonum, nisi apparens & phantasticum potest continere: & hinc dicunt Gabr. & Ocham, Deum meritò suspendere suum concursum, ne obtento bono, vel malo desiderato, delectentur: Tum etiam, quia probabile est, quod evenit malis hominibus, nempe cum obtinent, quod desiderant, magis rabie tabescunt, sic Dei justitia exigente, & ipsorum damnatione.

296 Concl. 3. datur unus locus communis ad torquendos Dæmones, & homines damnatos. Est consensus Ecclesiæ, & catholicorum, & habetur pluribus locis sacræ scripturæ, & sanctorum Patrum, quos citatos habebis apud Patrem Gaud. *q. 10.* Ratio verò convincens est apud S. Bonav. *l. 4. d. 44. p. 2. per tot.* quia de duobus extremis, quando invenitur unum, necesse est ponere aliud extremum, & maximè loquendo de ordine recto universi à Deo præfixo, sed datur locus patriæ in cælo pro bonis, & medius in terra, ergo & extremum sub terra pro reis: Hic locus autem est Infernus in centro, vel circa centrum terræ, ob rationem supra adductam, nempe quia locus eminentissimus paratus est bonis, ergo & malis locus infimus. *Vid. S. Bonav. cit.* ubi plura valde moralia habebis, &c.

297 Concl. 4. iste locus pœnalis plenus est igne materiali verè, & realiter torquente spiritus. Prima pars de igne materiali est communis omnium Catholicorum, & sanctæ Ecclesiæ, fundaturque in pluribus locis sacræ scripturæ non admittentibus extorsionem interpretationum extranearum, quas temerariè assignant hæretici. De quo Vid. Seraph. Doct. *cit.* 2. pars est etiam Seraph. Doct. quam ostendit hoc discursu: Dolor est dissensus ab his, quæ nobis nolentibus accidunt ex D. August. Ad dolorem animæ inferendum, duo in anima interveniunt, scilicet apprehensio in cognitione, & detestatio in voluntate: & duo similiter ex parte agentis: alterum, ut immutet mentem ad perceptionem objecti noxii doloriferi: Alterum, quod violenter inseparabiliter admoveat, infigatque tale objectum appetitui renitenti: Ignis ergo duas à natura actiones obtinet: alteram merè corpoream, & phisicam calefaciendi, comburendi, vorandique sua maxima activitate, quam exercet in corpora, & si sunt sentientia consequitur altera actio animalis in sensu tactus per immissionem necessariam speciei, in qua stat ratio formalis sensationis, & utraque actio ad tactum exigitur: Et hinc oritur duplex passio: altera phisica corporis, quod crematur ab igne: altera est passio animastica à natura, non quidem ab igne, vel ejus specie, sed ab anima seipsam ex objecto igne movente ad fugam. Et hinc sicut corpus separatum ab anima potest pati passione naturali phisica; sic spiritus separatus potest pati ab igne passione animastica, qua causatur verus dolor: Causatur autem hic dolor in spiritu ab igne actione corporea à divina virtute elevata, formando de sua activissima substantia terreis fæcibus compacta horribilem, fætidum, angustum, & impenetrabilem in profundo illo carcerem, seu formalem caveam pro spiritu illo nobili, ad beatam vitam super Empyreum condito. Vid. plura alia à P. Gaud. *q. 14.* adducta ex Seraph. Doct. valde conducentia ad explicandum maximum dolorem, & pœnas damnatorum ab igne, &c. Nobis satis sit adstruere opinionem probabilissimam Seraph. Doct. admittentis veram actionem ignis in spiritus, ex hoc quod elevatus est tanquam instrumentum divinæ virtutis, & justitiæ: talique pacto satisfit omnibus difficultatibus occurrentibus, verè inextricabilibus aliarum sententiarum. Vid. S. Bonav. loc. cit. & P. Gaud. ista fusiùs, & doctissimè disserentem.

Quæres. 1. *An Dæmones statim ac peccaverunt, detrusi sint in Infernum?* Respond. Seraph. Doct. 298
l. 2. d 6. art. 1. q. 1. Dæmones partim inclusos in Infernum, tum ad patiendum, tum ad torquendum damnatos: alios verò relictos in aere caliginoso, & infimo, & hoc ad tentandos, & probandos homines in terra degentes. Addimus Luciferum condemnatum, & inclusum remanere ligatum in Inferno usque ad tempus Antichristi: alios verò ingredi Infernum, & egredi, &c.

DISPUTATIO

DISPVTATIO XI.

De potentia Angelorum.

IN superioribus diximus, potentiam Angelorum esse distinctam ab intellectu, & voluntate ex Seraph. D. *l.2.d 8 p.1.a.1.q 2.& a.3 q.2.& d 1.a.1. q.2. ad ult. & l.1. d.3 p.2.a 1 q.1.& d 7.dub.3.* Et de ipsa tum in se, tum in ordine ad motum, tum in ordine ad locum, tum ad corpora assumptibilia multa enodata sunt ex Seraph.D. Unde ne eadem repetamus, hic solummodo in unica quæstione per varia dubia plura resolvemus quæsita, quæ supersunt ad perfectam intelligentiam potentiæ Angelicæ.

QUÆSTIO I.

De potentiam Angelorum plura expenduntur.

299 QUæritur 1. *an Angeli possint substantialiter, vel accidentaliter transmutare res secundum naturam, vel artem?* Conveniunt unanimiter omnes Theologi cum Seraph. Doct. *l.2. d 7. p.2.art. 2.per tot. & d.8. p.3. art.2. quæst.* 2. Angelos non posse transmutare substantiam unam in aliam nec per generationem, nec per alterationem, nec alio modo secundùm natur m; sed tantùm artificiali modo. Probat Seraph. Doct. hanc conclusionem ex ordin. agentium à Deo in orbe constituto sua infinita Sapientia. Primum est agens Deus & infinitus: secundum est natura: tertium est intelligentia, seu ars. Ita autem disposita sunt hæc agentia, ut primum supponatur à secundo, & secundum à tertio: Deus enim operatur ex nihilo, ad quod exigitur potentia infinita: Natura verò non facit ex nihilo, sed ex ense in potentia, seu à præjacente materia, formæ enim naturales è materia educuntur: At ars supponit naturam, ejusque operationem, & operatur super ens completum, ideo formæ artificiales non educuntur, sed inducuntur; non ènim facit lapides, sed ex lapidibus aulam, ergo sicut natura nequit antecedere operationem Dei, quæ est de nihilo producere; sic nec ars operationem naturæ. At Angeli operantur tantùm secundùm intelligentiam, & artem, ergo, &c. Prob. minor, quia naturalis productio est simplis ex simili in natura, ergo, &c. Confirmatur, quia ad hoc, ot una substantia naturaliter aliam producat, debet habere similitudinem cum illa, vel specificam, vel saltem genericam, ut est sol respectu formarum corporearum; Angelus eam non habet cum natura corporea secundùm intellectum, & voluntatem, sed istæ potentiæ solùm accidentia valent producere, ergo &c.

Dices. Deus incorporeus producit corporea, ergo ratio superadducta non valet. Resp. hoc non esse ad rem: Deus producit, non per modum naturæ, sed artis, est enim exemplar omnium rerum, s&usque plenus, & perfectus, continens omnia, & virtualiter, & eminenter, ideo omnia potest.

Objic. Magi ex virgis serpentes fecerunt nasci. Exod. *c.7.& 8.* Resp. Seraph. Doct. quod ista fecerunt, & multa faciunt Dæmones, non ut agentia naturalia, sed ut artificialia, applicando activa passivis, & disponendo aliqualiter materiam, ut ex ea postea natura educat serpentes, ranas, &c. De hac materia à nobis actum est fundamentaliter in Phis. *l.1 q.2.*

Quoad formas accidentales dispositivas ad generationem, an possint gigni ab Angelo. Resp. negativè: Idem dicendum omnino ac de formis substantialibus materialibus: Ratio est, quia idem est agens ultimatè disponens, & educens, & inducens formam: sed Angelus non habet vim educendi formas substantiales, ergo nec introducendi accidentales, alioquin possent efficere, ut gignerentur animalia perfecta sine generatione, quod est falsum, quia in generatione naturali agens disponens tribuit aliquid suæ substantiæ genito, & ad hoc requiritur seminis decisio, corruptio, & generatio.

Dices. Angelos posse disponere materiam ad educendam formam substantialem, ut in virgis magicis, de quibus supra actum est. Resp. Seraph. Doct. *d.7.p.2.a.2.q.2. corp.* qood adsunt formæ in seminario materiæ, quæ indigent pauca dispositione, ut sunt, quæ generantur ex putri; aliæ in quibus ratio seminalis est valde remota, ut sunt formæ animalium perfectorum: Ad primas possunt Angeli convertere, applicando activa passivis artificialiter, sed tamen dispositiones proximæ, non ab Angelis, sed à natura producuntur, sicut & eductio illius formæ. Vid. quæ dicta sunt in cit. quæst. Phisicæ

An verò possint gignere formas intentionales, est major difficultas: nam aliqui Thomistæ id ad 300 mittunt, ut Capreol. Cajet. Sonein: Communior cum Seraph. Doct. *l.2 d.8.p.2.a.1.q.3.* negat: Unde licèt Dæmones nostros sensus deludere possint, ostendendo objectum esse præsens, quod tamen non est, vel aliter ostendcodo, quam sit, vel abscondendo, quod præsens est, non tamen possunt producere speciem objecti, eamque imprimere in potentiis nostris: species enim est partos ex objecto productus, & expressus, ut similitudo coloris, vel luminis, estque (ait Seraph. Doct. *serm.11. Hexam.*) species generationis naturalis: modus verò qoo Diabolus ista supra dicta potest facere traditur à S.Bonav. *q.4.cit.*

Ex quibus elicitur solutio illius molestæ quæstionis,

quæstionis, quam agitant Delrius, Guiliel. Paris. Castro, Sixtus sen. aliique plurimi, an deportatio strigium, & magorum, mulierum, & virorum ad conventicula, & choræas nocturno tempore facta à Diabolo sit merè imaginaria; an vera, & realis; & an verè convertantur Striges in Ælures, in Capras, &c. an verò sit quid imaginarium: quam quæstionem doctè solvit P. Gaud. *d.*15.*q.*3. dicens cum Seraph. Doct. aliquando fieri verè tales transportationes: alias esse merè imaginarias per motionem phantasmatum, ut supra dictum est: illas verò conversationes, & transformationes esse ut plurimum effictas.

301 Q. 2. *Quid possint Angeli naturaliter in mundum.?* Resp. D. August. difficile cognitu id esse: attamen certum est apud omnes Theologos cum S.Bonav. primò non posse Angelum ordinem substantialem universi destruere, ob idque nec possunt vacuum introducere, vel penetrationem corporum inducere, nec stellam ad terram detrahere, aliaque similia facere, quæ respiciunt ordinem à Deo dispositum in mundo, super quem non potest ulla vis naturalis creaturæ: possunt tamen montes transferre, animalia occidere, tempestates in aere excitare, aliaque multa similia applicatione causarum secundarum, sed tamen solùm quando à Deo permittuntur. De qua re vide Seraph Doct. *l.*2.*d.*7.*p.*2.*a.*2. In Lucam *c.*4.*v.*30.*&* 35.

DISPUTATIO XII.

De missione, & custodia Angelorum.

POst confirmationem, & glorificationem Angelorum, consequens est ipsorum vis administrativa: & quia ministerium respectum habet ad eum qui ministrat, & ad eum, cui ministratur, hinc de ministerio, & missione Angelorum primò, & postea de custodia, quam de hominibus habent, in hac Disputatione agendum.

QUÆSTIO I.

*An Angeli mittantur, & quinam, & ad quid? Seraph.D. l.*2. *d.*10. *per tot.*

302 SEraph. Doct. proponit quæstionem tantùm de Angelis bonis: sed tamen resolvitur etiam quæstio de Angelis malis. Pro cujus solutione.

Not. primò, quod missio propriè dicit in mittente imperium, & auctoritatem, vel principalem, vel subjectam auctoritati principali: primo modo est à Deo: secundo etiam ab aliis Angelis. Ut autem solvatur de Angelis malis, quæritur, an tam in Angelis bonis, quàm in malis sit Prælatio, & ordinum destinatio? De bonis, certum est, adesse distinctionem Angelorum in novem ordines, secundùm majorem, vel minorem excessum donorum naturalium, & gratuitorum; obidque adesse etiam Prælationem, quæ, quoad excessum istorum donorum remanebit in patria: quoad præsidentiam, influentiam, & imperium adest usque ad diem Judicii in majoribus respectu inferiorum. In malis autem dicendum, adesse etiam distinctionem ordinum, sed imperfectam propter privationem gratiæ, quæ naturam perficit; perversam propter præsentiam culpæ, ipsam naturam fœdantis, & deordinantis. Sic *d.*6.*a.*3.*q.*1 Et quoad Prælationem, quia conantur aliquo modo imitari in malum, & damnum hominis filios lucis, ideo in ipsis prælatio est, & alii imperant, & alii obediunt, quia minus sapientes, & potentes obediunt Sapientioribus; & hoc voluntate propria. Sic S. Bonav. *ibid.q.*2.

Not. 2. quod Angelorum duæ classes assignantur; alii enim sunt assistentes, alii ministrantes: hinc quæritur, an omnes mittantur ad nos, an solùm ministrantes: aliqui enim negant, alii affirmant.

Not. 3. quòd missio alia est externa, & visibilis: alia interna, & invisibilis: Prima est cum fit missio Angelorum ad effectus visibiles, & in assumpto corpore, qualis fuit Gabrielis ad Mariam Virginem: Secunda est ad effectus invisibiles, uti ad venerandam Eucharistiam; vel quando Angelus superior inferiorem illuminat: Prima est cum motu locali semper: secunda aliquando est, aliquando non. His positis.

Concl. 1. Missio propriè non convenit Angelis 303
malis, nec in ordine ad Deum, nec ad Luciferum. Est Seraph. Doct. *l.*2. *d.*10. *dub.*1. *& d.*6. *cit.* Prima pars in ordine ad Deum prob. quia missio propriè dicit imperium, & auctoritatem ex parte mittentis; & ex parte personæ missæ est obedientia, sed Deus non exercet talem potestatem cum Dæmonibus in ordine ad bonum nostrum præcipiendo, sed tantùm permittendo, nec Dæmones ad eundem finem obedire intendunt, ergo, &c.

Dices. Ex multis textibus sacræ scripturæ habetur, à Deo missos Dæmones ad homines, ut in Psal. Immissiones per Angelos malos: & Math. *c* 8. Mitte nos in porcos, ergo si Deus eos mittit, tunc dicuntur Angeli Dei, &c. Resp. Seraph. D. *d.*10.*dub.*2. quod in exercitio, quo nos Diabolus excitat sunt duo, scilicet potestas, & usus: potestas à Deo est ei collata: usus verò, & exercitium potestatis, non est à Deo præcipiente, sed potius permittente. Cum ergo in hac permissione deficiat imperium, & auctoritas, ideo propriè non est missio; & hinc nec

dicuntur

dicuntur Angeli Dei, sed diaboli, à quo diriguntur, & obediunt: & in hoc sensu intelliguntur auctoritates sacræ Scripturæ.

Concl. 2. Angeli boni ad nos à Deo mittuntur.
304 Est de fide, & communis omnium Theologorum cum S. Bon. *l.2 d.10. q.1.* & patet ex Luc. *cap.* . missus est à Deo Gabriel, &c. & Psal. 103. qui facit Angelos suos spiritus, idest nuntios missos: & ad Hebr. 1. omnes sunt administratores spiritus, &c.

Probatur autem ex lege charitatis divinæ, angelicæ, & humanæ: talis enim missio concordat, & competit charitati divinæ circa nostram salutem, dum nobilissimos spiritus ipsi intima charitate junctos dirigit, & transmittit ad procurandam salutem nostram: Item charitati angelicæ, cum enim Angeli videant nostram indigentiam, & impugnationem Dæmonum contra nos, ideo libenter obediunt imperio Dei eos mittentis: Item charitati humanæ, quæ quia parvula est in hac via, ideo indiget foveri, & nutriri, & excitari: hinc Deus ad nos eos mittit, ut eis & nos jungamur amore cum eis per obsequium beneficentiæ: Cum autem Angeli non sint ubique, & sint finiti, ob idque egeant motu locali, hinc localiter ad nos mittuntur, & ipsi Deo perfectè obedientes, velociter conveniunt.

Objic. 1. Deus semper est nobis præsens, melius que per seipsum potest facere, ergo frustratoria est hæc missio: tum etiam, quia Deus Pater sufficienter per missionem Filii, & Spiritus sancti procurat nostram salutem, ergo, &c. Resp. S. Bon. Verum quidem esse, Deum nobis esse præsentissimum; quia tamen ob cæcitatem nostram, ipsum consideramus, ut absentem: hinc est quod convenientissimè Angeli mittuntur ad nos ad indicandam divinam voluntatem; sicut faciunt, qui degunt in camera Regis, indicando ejus voluntatem aliis, qui exterius remanent. Et licèt id posset facere Deus per seipsum, tamen id convenit suæ supernæ gubernationi, qua inferiora per superiora regit admirabili providentia. Et ad id de sufficienti procuratione salutis nostræ per Filium, & Spiritum sanctum, Resp. quod verum est; tamen quia ad ipsam debet concurrere nostrum liberum arbitrium, adjutores enim Dei sumus 1. *Cor. cap.* 13. Et quia hoc pigrum est, & non benè cooperatur gratiæ, ideo indiget excitatore, & ad hoc nemo est tam idoneus, quàm Angelus, ideo mittitur, non ob defectum ex parte Filii, & Spiritus sancti, sed ex parte nostri.

Objic. 2. Per hanc missionem Angelorum, fit ipsis præjudicium: & prob. quia dum mittuntur ad nos, tunc vel non possunt simul converti ad nos, & ad Deum, vel minus remissè id faciunt: tum etiam quia recedentes è cælo, quod est proprius ipsorum locus, eis appetitus oritur ibi esse: sicque in eis dabitur aliqua incompletio. Resp. Seraph. Doct. quod cum habeant intellectum deferentem utramque conversionem perfectam simul habent: Et ad id de loco. Resp. ipsis deberi non necessariò, sed ob quandam congruentiam, nec minus sunt felices extra Empyreum degentes, &c.

305 Concl. 3. Omnes Angeli, seu ex omnibus ordinibus Angeli ad nos mittuntur, vel immediatè, vel mediatè. Est communis omnium Theologorum cum D. Bon. *cit. quæst.* 2. In quo tamen discrepant, An Angeli immediatè Deo assistentes, ut sunt Seraphim, & Cherubim, aliquando exterius ad nos mittantur: nam Scotus & plerique Theologi affirmant, Seraph. Doct. & D. Thomas, aliique admittunt missionem assistentium internam ad inferiores Angelos, negant exteriorem ad nos.

Prob. à Seraph. Doct. ex Joan. *cap.* 7. ubi dicit millia millium ministrabant ei, & decies centena millia assistebant ei, ergo cum discernat inter Angelos assistentes, & ministrantes, signum est, quod solùm superiorum ordinum est assistere, non ministrare: tum quia hic est ordo præfinitus à Deo gubernare inferiora per superiora media, & media per superiora: & in hoc sensu, (ait Seraph. Doct. *dub.* 2.) superiores dicuntur mittere secundariò inferiores, dum eos illuminant, & exprimunt divinum imperium: & in hoc sensu dicuntur omnes administratorii spiritus, &c.

Nota tamen, quod maximam probabilitatem habet opposita opinio, nempe etiam supremos aliquando mitti exterius, dum scimus & Michaelem, & Gabrielem missos fuisse aliquando.

Concl. 4. Angeli mittuntur ad purgandum, illuminandum, & perficiendum intellectum nostrum. Prob. & explicatur à Seraph. Doct. *cit. a.* 2. *quæst.* 2. quia licèt Angelus non possit illuminare portionem superiorem animæ (hoc enim spectat ad Deum) potest tamen in inferiorem, tum per modum speculi deferentis, tum per modum linguæ veraciter exprimentis: commovent enim phantasmata, simulque excitant nos ad percipiendas veritates, & hoc purgando, scilicet impedimenta removendo; illuminando scilicet ostendendo veritatem, & perficiendo quoad affectionem.

Concl. 5. Angeli etiam mittuntur ad affectum nostrum inflammandum. Est Seraph. Doct. *ibid. q.* 1. idque patet ex supradictis, non quidem per impressionem affectus in animam, sed per modum excitationis, & ostensionis objecti amabilis. Vide S. Bon. cit. ubi multa alia pulcherrima ad hanc rem habebis, &c.

QVÆSTIO II.

De Angelorum custodia multa differuntur. S. Bon. d. 11. *per totam.*

Quæritur 1. *An Angeli Sancti debuerint deputari ad custodiam?* Resp. convenientissimum id fuisse. Est de fide, & habetur ex pluribus locis sacræ Scripturæ, ut Isai. *cap.* 6. Eccli. 7. Matth. 18. aliisque. Prob. autem à Seraph. Doct. hæc convenientia, tum ex altitudine divinæ potentiæ, ex ordine divinæ sapientiæ, ex dulcedine divinæ misericordiæ: Decebat autem altitudinem divinæ potentiæ, tum ut ipse honoraretur, non solùm in se obsequio ipsorum Angelorum, sed etiam in creaturis suis: tum etiam ut triumpharet de Diabolo adversante Deo, & homini per Angelorum exercitus: Decebat & divinæ sapientiæ ordinem, ut infima per media, & media per suprema regantur, & foveantur. Addit Seraph. Doct. *in Centil. part.* 3. §. *&* 18. quod providentissimè Deus utitur ministerio Angelorum ad revelatio- 306 nem nostrarum necessitatum; & quia reducuntur præcipuè ad quatuor capita, scilicet ad pronitatem, quam naturaliter habet homo ad malum; ad difficultatem, quam habet ad bonum; ad revocationem à creaturis ad Deum; & ad debilitationem, quam habet in amore Dei. Hinc meritò, & ex maximo mysterio solùm quatuor nomina habentur in scriptura quatuor Angelo-

 rum,

rum, tanquam Principum Legionum, qui ad nostram relevationem sunt destinati. Primus est Raphael, qui salons mediens dicitur, contra pravitatem ad malum destinatus. 2. Gabriel fortitudo Dei contra difficultatem ad bonum tollendum. 3. est Michael, quis ut Deus, ut omnes ad Dei coltum viriliter revocet. 4. est Vriel ex 4. Esdræ *cap.*4. accendens omnium corda ad Dei amorem: Unde ad hæc quatuor munera convenientissimum fuit destinare Angelos ad nostrum profectum.

307 Q. 2. *An singulis hominibus deputentur singuli Angeli, etiam in statu innocentiæ; & etiam B. Virgini, & Christo?* Calvinus deridet assertum Catholicorum, quod singulis hominibus sint destinati singuli Angeli: Origenes admittebat solis prædestinatis.

Catholica sententia omnium Theologorum, & Ecclesiæ cum Seraph. Doct. *dist.*11. *quæst.*2. *& Centil. cit. & Comp. Theol. lib.*2. *cap.*28. *& ser. de Ang.* recognoscit deputationem unius Angeli ad custodiam cujuscumque hominis ab ortu, & hoc non solùm in statu naturæ lapsæ, sed etiam innocentiæ. Prob. à Seraph. Doct. ex pluribus textibus sacræ Scripturæ, & Sanctorum Patrum, præcipuè ex Matth. *cap* 18. Angeli eorum semper vident faciem Patris mei: Angeli eorum, idest pusillorum quorumcumque, &c. Prob. etiam rationibus, quia homo indiget relevari à malis ipsum circundantibus, & excitari ad bonum, ergo conveniens fuit deputatio Angeli Custodis.

Quod verò etiam in statu innocentiæ fuerit talis deputatio facta, Prob. à Seraph. Doct. quia in illo statu, licèt non fuisset colluctatio adversus carnem, fuisset tamen adversus rectores tenebrarum harum, qui sunt invisibiles, etiam conveniens fuit deputare Angelos invisibiles, ut hominem erudirent contra stratagemata inimici, & exhortarentur ad bonum, ne pelliceretur blanditiis. Sic Seraph. Doct. *quæst.*2. quod fusè edisserit Suar. *lib.*6. *cap.*17. Hinc etiam inferunt Theologi, quod Diabolus destinat à principio Dæmonem, qui ad malum finem assistat à nativitate homini semper. Sic S. Bon. *Centil. & d.*11. *dub.*1. *& q.*1. *fund.*4. *& q.*2. *fund.*2. *alibique sæpè.*

Addit Seraph. Doct. *ibid. quæst.*3. Christo non fuisse deputatum Angelum Custodem: tum quia de ipso nullam indigentiam habebat: tum quia erat supremus Dominus omnium Angelorum. Et licèt in horto fuerit confortatus ab Angelo, tamen ista confortatio non fuit confortatione potestativa (qualem exercent Angeli ad cæteros homines) sed solùm ministeriali, sicut confortat armiger strenuum militem.

An verò deputatus fuerit Angelus Custos Beatæ Virgini Mariæ est in quæstione: Alii affirmant, probabiliùs: alii negant: nam ut dicit Seraph. Doct. ipsa præsidet supra homines, & Angelos, & Michael cum omnibus exercitibus Angelicis paret ejus imperio. *Vide spec. B. Virg. lect.*3. *&* 6. *&* 11. *& op. Psalt. B. Virg Psal.*13. *& in Hymn. Te Dei matrem, & lib.*3. *dist.*32. *quæst.*4. *fund.*3. *& dist.* 2. *dub. & l.*2. *d.*1. *p.*2. *art.*2. *q.*1. *ad* 3. *& Luc. c.*1. *v.*18 *op. medit. c.*3 *in fine, & l.*1. *d.*16. *dub.*3.

Q. 3. *Quandonam Angelus Tutelaris incipiat ho-* 308
mini assistere? Prima opinio existimat, incipere solùm à Baptismo, sed communiter ab omnibus rejicitur. 2. Opinio D. Thomæ, & sequac. incipere à nativitate. 3. Opinio est Seraph. Doct. *l.*1. *d.*11. *dub.*2. Gabr. Suar. aliorumque incipere ab infusione animæ in corpore in utero matris. Prob. quia inconfesso est apud omnes incipere ab ortu, sed in infusione animæ tunc oritur de non esse ad esse ipse homo: tum quia tunc incipit homo esse viator obnoxius Dæmonum insidiis, aliisque periculis: nec obest, quod tunc sit pars matris: dicitur enim pars matris quoad corpus, non quoad animam, ob quam deputatur principaliter Angelus, ne damnetur. Addit Seraph. Doct. *ibidem*, puerum & ante baptismum, & usum rationis multò magis egere Angelo tutelari, tum ut ipsum defendat à malo, tum ut etiam promoveat ad bonum. Et hinc oritur, quod parvuli in periculis veluti miraculosè apparent immunes à morte, & periculis, à quibus certè non essent immunes adulti, nempè ob peculiarem tutelam Angelorum.

Addimus ex Seraph. Doct. *op. de Eccles. Hier. per totum, & Centil. p.*3. *cit. & ser. de S. Matth. & Ang.* & cum communi Theologorum dari etiam Angelos Custodes Provinciarum, & Principum, & Prælatorum, quibus deputantur duo Angeli Custodes, quia præcipua assistentia indigent.

Q. 4. *An Angeli Custodes, aliquando deserant ob-* 309
stinatos, & scelestissimos? Resp. Seraph. Doct. *a.*2. *q.*1. cum communi Catholicorum negativè: sunt enim magis parati ad conservandum in bono, quàm mali ad præcipitandum in malum; & in hoc patesit maxima pietas Dei nostri, & charitas Angelorum. Concedunt tamen Theologi, Angelos remittere exercitium custodiæ ob clientis incapacitatem, & indispositionem: & in hoc sensu intelligendi sunt Sancti Patres, dicentes, Angelos profligari à se, ab iniquis: *Vide S. Bon. l.*1. *d.*11. *art.*2. *q.*1. *corp.* ubi ista optimè conciliat ad mentem SS. Patrum.

Q. 5. *Quales sint effectus custodia angelica?* Se- 310
raph. Doct. *art.*2. *q.*1. *ad calcem*, refert duodecim effectus. 1. est corripere peccatores, & aliquando medicinali castigatione punire, ut resipiscant. 2. ad exeundum à peccato. 3. impedimenta ad bonum tollere. 4. Dæmones arcere. 5. est docere. 6. revelare mysteria. 7. consolari. 8. in via Dei, & perfectionis confortari. 9. in viam deducere. 10. profligare hostes etiam invisibiles. 12. orare pro clientulis, & orationes eorum Deo offerre. S. Bon. affert ad hæc probanda varios textus sacr. Script. Addunt alii Patres curam animarum habere, maximè existentium in Purgatorio, easque defferre in Cælum. *Vide Suar. c.*17.

Q. 6. *An Angelus ex damnatione clientis detrimentum aliquod patiatur?* Et *An ex custodia meritum ei augeatur, & corona?* Resp. primò, nihil tristitiæ, vel detrimenti consurgere ex damnatione, cum jam sint perfectè beati: augerè autem ex custodia meritum, & coronam accidentaliter. *Vid. S. Bon. a.*1. *q.*3. *& d.*5. *a.*3. *q.*2. *ad* 2. *& d.*7. *art.*1. *q.*3. *& d.*9. *q.*6. *ad* 1. *& d.*11. *a.*2. *q.*1. *& l.*3. *d.*18. *q.*2. *ad* 2. *& a.*2. *q.*1. *ad* 10.

DISPVTATIO XIII.

De infestatione Dæmonum, & remediis, &c.

311 Quia Dæmones ab initio semper invidentes hominibus toti sunt, inhiantes ad ruinam, non solùm animæ, sed etiam corporum, & bonorum exteriorum: hinc pro complemento eorum, quæ spectant ad Angelos, post disputationem custodiæ Angelorum deputatorum ad bonum animæ, & corporis hominum, subjicimus disputationem de infestatione Dæmonum, qua occasione plura differemus tangentia obsessionem corporum, & remedia, maximè quæ per exorcisticam artem hominibus obsessis exhibentur. Primò igitur de infestatione Dæmonum in bona animæ: Secundò postea & corporis: Tertiò de remediis agemus.

QUÆSTIO I.

An tentationes homini advenientes sint à Dæmone?

312 Primò supponendum ex supradictis ex Seraph. Doct. *lib.2. dist.6. art.1. quæst.1.* grandem numerum Dæmonum à Deo destinatum ad inhabitandum in hoc aere caliginoso usque ad diem judicii, & hoc propter humanum exercitium.

Suppon. 2. dari varia genera tentationum, quibus homo in hac vita torquetur, vel exercetur: Tentatio enim, (ait Seraph. Doct. *lib.2. dist.21. art.2. q.1.*) est quidam tactus, quo illud, quod tangitur probatur, sicut cæcus dicitur tentare, cum manu palpans, vult aliquam certitudinem habere de re, quam tangit: sic & in spiritualibus dicitur probatio: hoc autem fit quadrupliciter. Primò quando is, qui tentat intendit approbare, vel approbatum ostendere: hoc modo tentat Deus, ut dicitur *Sap. cap.3. Deus tentavit eos, &c.* 2. quando tentatus palpat, & reprobat: sic tentat Diabolus. 3. quando tentatus quærit experimentum solùm de homine aliquo, & sic homo cautus tentat alium. 4. quando licèt tentatus nihil intendat, ad ejus tamen pulsationem sequitur vel approbatio, vel reprobatio; & sic tractatio, cui homo si consentiat, reprobatur; si dissentiat, approbatur.

Suppon. 3. quod Diabolus potestatem habet tentandi hominem, sed non cogendi, nec positivè, ne phisicè immittendo in ipsum concursum, vel motionem, sed excitando tantùm, vel proponendo; idque Deus providentissimè disposuit, quia convenientissimum fuit, ut homo esset vertibilis ad bonum, & malum: tali enim pacto Deus mirabiliter ex parte sui ostendit potentiam gratiæ suæ ad sublevandam nostram infirmitatem ad victoriam contra adversarium fortem; item & sapientiam suam, erudiendo victos ad prælium resumendum, & nobis mira subministrando remedia ad spolia diripienda, in Incarnatione, & in Sacramentis, &c. Item & misericordiam in revocando lapsos, & vocando eos ad se: tum ex parte hominis: gloriosior enim est victoria hominis contra hostem tam fortem, & pretiosior corona, simulque incitamentum ad virtutem, & maximè humilitatis. *Vide d.23. art.1. quæst.1. & 2.*

Supponen. 4. Quod licèt non omnis tentatio proximè descendat à Diabolo; potest enim dari tentatio in carne, proveniens à concupiscentia, absque eo, quod proximè immisceatur à Diabolo: attamen si consideretur primum movens, quod est Diabolus, à quo orta fuit omnis tentatio, & peccatum, sic dicitur etiam provenire ab ipso Diabolo tanquam à primo movente; & hæc sequestratio potest aliquando accidere, raró tamen evenit tentatio in carne absque eo, quod ibi non se ingerat Diabolus: cum enim ipse possideatur à superbia, & invidia inseperabiliter; videns enim hominem in statu, in quo potest cadere sub sua diabolica potestate, & in quo potest ascendere ad supernam fælicitatem, ex qua ipse cecidit, & ex superbia, & ex invidia movetur ad ipsum tentandum; superbia, inquam, tanquam movens primum, & invidia tanquam movens proximum, & immediatum: ex superbia autem ipsum tentat, ut sibi hominem subjiciat; & ex invidia, ut ipsum à gaudiis Paradisi privet. Sic Seraph. Doct. *dist.21. art.1. quæst.1. & art.2. quæst.1. & 2.* Iis positis, &c.

Concl. 1. Proprium est Diaboli infestare homines suis tentationibus: Est de fide. Ratio est, quia ejus mens est immersa, & fixa in superbia, & invidia contra hominem, ergo ad ruinam hominis quidquid potest tentat. De variis tentationibus Diaboli in hominem. *Vide S. Bon. lib.2. dist.21. & 23. Centil. part. 1. sect. 1. Phar. lib.1. c.50 & l.2. c.1. Comp. Theol. l.2. c.66. op. de perfect. Religios. l.1. cap.2. & l.2. c.2. & 6. alibique sæpè.* 313

Concl. 2. Convenientissimè Deus collocavit hominem subjectum tentationibus Diaboli. Est S. Bon. *dist.23. quæst.2. & 1.* Sic enim magis elucet Dei potentia, ejusque gratia, sapientia, & misericordia: Sic enim patet aditus homini, tum ad majorem exercitationem virtutum, tum ad cumulum meritorum, & ad majorem, & sublimiorem coronam in Cælo. Hæc est ratio, (ait S. Bon.) cur etiam in statu innocentiæ homo subjectus fuit tentationibus Diaboli, non quidem in pœnam peccati, sed ad exercitium virtutem. *Vide d.23. art.1. q.1. & 2.*

314 Concl. 3. Diabolus de se inermis est, nec aliquid potest in hominis læsionem, nisi ipse homo seipsum voluntariè in possessionem tradat. Hoc est certum, & de fide: nihil enim potest, & maximè post Christi passionem, nisi à Deo permissum, & ut permissum, nec etiam aliquid potest, nisi homo Diaboli sugestionibus consentiat: Est de fide, etiam & à Seraph. Doct. fusè explicatur *op. de perfect. Religios. l. 1. cap. 2* sic dicens: Benignus Conditor noster non dedit hosti nostro posse nos vi ad peccatum impellere, quia nimis fortis esset contra nos fragiles, & vix possemus sine peccato subsistere, sed tantùm permisit nobis mala suadere: in nostro autem arbitrio est, si velimus ei consentire, &c. (& post pauca:) Cum ergo nobis suadet peccatum, quodammodo exigit à nobis, ut præstemus ei arma nostra, quibus nos occidat, vel ut ipsa arma, si ei præstemus, hebetet, & retundat, ut nobis minus apta, & nulla fiant, & minus aucta, & efficacia ad ipsum per ea impugnandum. Hæc & plura alia dignissima moralissime, & verissimè Seraph. Doct. cit.

QVÆSTIO II.

An Dæmones animabus possint illabi?

315 Quæstio hæc est communis etiam Angelis bonis. Pro cujus solutione suppon. ex Seraph. Doct. *dist. 8 part. 2. quæst. 1* quod illabi dicit intimam pervasionem localem in aliud: sic dicitur aqua fluminis illabi in mare, & gutta aquæ in dolio Vini: & hic est illapsus improprius, & communis. Proprius verò dicit duo. Primum est pervasio localis unius rei in aliam: Secundum operationem in illud immutativam: qui enim alteri illabitur, debet esse superior prædominans supressæ parti illius, & in illam intimè operans: hinc solus Deus animæ illabitur, imò & corpori, vel illapsu generali, nempe sua intima præsentia ad creaturas, dum illas movet ad operationes liberas, aut naturales; vel speciali, qui est concursus ejus ad opera supernaturalia, & meritoria, & ad ultimam dispositionem ad gratiam, &c.

Concl. 1. Solus Deus potest illabi animæ; non verò Angelus, vel Diabolus. Est communis omnium Theologorum & SS. PP. cum Seraph. Doct. *dist. 8. p. 2. q. 2*. Prob. primò ex S. Aug. de fide ad Petrum id expressè asserente. Prob. 2. quia si Dæmon posset illabi animæ, possent omnes Dæmones in eadem anima esse, consequens est falsum, ergo, &c. & si unus Dæmon potest illabi in animam, ergo ipsam implere potest, sed hoc est proprium solius Dei, ergo, &c. Addit verò: Interdum Sathanam animas implere non per seipsum intrando, sed suam malitiam in nos inserendo. Prob. 3. si daretur talis illapsus, Diabolus esset intimus animæ, eique dominaretur, ergo posset pertrahere ad mala quæcumque vellet, sicque cogere liberum arbitrium, vel totam animam deordinaret, & depravaret, sicut Deus per illapsum animam rectificat, & conservat, quod est falsum ex traditis.

Objic. 1. Glossa super illa verba Luc. *c. 4.* Ecce homo habens Dæmonium, ait, intraverat Diabolus, unde exierat Christus, sed Christus exierat de anima, ergo, &c. Resp. Seraph. Doct. hic esse sermonem, non de ingressu, vel egressu secundùm substantiam, sed secundùm effectus, scilicet gratiæ & malitiæ Diabolicæ: nam ubi finit gratia, ibi incipit malitia.

Objic. 2. Impassibile additum impassibili, illud totum intimè pervadit, & penetrat, idque est idem ac illabi, sed Dæmon est impassibilis, sicut anima, ergo si animæ applicatur ipsam pervadit, & illabitur. Resp. S. Bonavent. majorem esse veram de pervasione secundùm situm, ut punctum puncto additum, non faciens extensionem; falsam de pervasione secundùm virtutem, & operationem, ut est in anima, in qua magnitudo virtutis, & intensio, quæ major, vel minor est in dignitate, secundùm accessum ad originem illius virtutis, vel recessum; ad quam solùm Deus potest influere, & pervadere sua virtute: Deus enim per gratiam animæ illabitur, sed Diabolus per culpam solùm suggerendo, per quam nihil ponit, sed privat, &c.

Concl. 2. Licèt Diabolus non possit illabi animæ, potest tamen operari in intellectum, in voluntatem, & in memoriam, & hoc per modum tantùm assistentis, seu obsistentis. Est communis cum Seraph. Doct. *cit. q. 4. & 5.* Nam licèt non possit cogitationes malas imprimere in intellectu; solus enim Deus id potest: Valet tamen varias imagines phantasiæ proponere, & excitare ab exteriori ipsas vanas cogitationes; idemque & eodem modo discurriendum est de voluntate, & memoria de quibus in superioribus satis dictum est, &c.

QVÆSTIO III.

De infestatione Dæmonum quoad corpora.

Suppon. 1. quod spiritum aliquem existere in 316
corpore humano, potest intelligi dupliciter: Primò velut forma, & perfectio corporis: Secundò velut motor assistens, vel insistens in corpore. 1. modo sola anima est in corpore per modum informationis, ideo est simul cum corpore, in corpore, & in essentia corporis ipsum compenetrans, & intimè vivificans. 2. verò modo potest Dæmon esse simul cum corpore, & in corpore, sed non ut forma in essentia corporis, ut essentia est. Et quia anima unitur corpori ut forma intrinseca, & ut motor; ideo quædam sunt operationes, quæ consequuntur ipsam animam, ut forma est, & quædam, ut est motor: nam operationes, quæ consequuntur animam, ut motor est, sic exercet per corpus, quod illas easdem exercet in corpus, & quia non solùm movet alia corpora, sed etiam ipsum corpus: operationes verò quæ consequuntur animam, ut forma est, sic eas exercet in corpore per corpus, quod etiam exercet cum corpore: Unde fit ut anima, clauso oculo videre non possit. Alias verò operationes, quæ sunt ab anima, ut est forma, & simul ut motor, exercet utroque modo, ut ridere, prout dicit cordis exhilarationem, est ab anima ut forma est, prout dicit genarum motionem, est ab anima, ut motor. Hinc est, quod Diabolus intrans in corpus humanum, potest exercere in corpore, & per corpus, quæ proveniunt ab anima, ut est motor; alias verò nequaquam. Sic Seraph. Doct. *l. 2. d. 8. p. 1. q. ult. & p. 2. q. 1. & Tostat. in c. 8. Matth. q. 113.*

Nota etiam, quod aliquando unus, aliquando plures existunt in corpore simul cum anima, istique aliquando totum corpus hominis movent, & occupant, aliquando membrum tantum. v. g.

caput, brachia, &c. in quibus suas sedes ponunt, aliquando in summa, & imperceptibili particula; aliquando transeunt ad torquendam aliam partem, & postea redeunt; aliquando totaliter deserunt, & postea redeunt. Sic Petr. Thyr. & Sanchez. His positis, &c.

317 Concl. 1. Dæmones possunt in humanis corporibus habitare, & in eis sine aliquo obstaculo, & impedimento subsistere. Est de fide, & communis cum Seraph. Doct. cit. Prob. primò ex pluribus textibus sacræ Script. in quibus habetur obsessio corporum facta per Dæmones: tum ex *cap.* 8. Luc. & *cap.* 11. & pluribus aliis, ubi habetur, ejectos fuisse à Christo è corporibus, ergo priùs ibi erant: tum quia spiritus ratione suæ subtilitatis, & virtutis potest penetrare corpus per totum: tum quia dantur multi obsessi à Dæmone, ut patet continua experientia: si obsessi sunt, ergo quia in eis sunt secundùm substantiam, vel secundùm aliquem effectum: non hoc secundum, alioquin omnes existentes in peccato mortali essent obsessi, quod est falsum, ergo secundùm substantiam: & si hoc, ergo verè in corpore sunt, & inhabitant, &c.

Objic. 1. ea Glossa, & Beda negantibus, Dæmones intrinsecùs esse, vel in simulachris, vel in corde hominis, ergo cum non fiot in simulachris, multò minus potest asseri esse in corde hominis. Resp. Seraph. Doct. esse intrinsecùs, stat dupliciter: aut sicut contentum in continente, aut sicut forma influens in intima animæ, vel corpori vitam: Primo modo sunt in corpore; non secundo modo: sicque intelligendi sunt Sancti Patres.

Objic. 2. Corpus humanum continet animam, ut est forma, simulque motor: sed impossibile est, quod contineat plures formas ipsum perficientes, ergo idem dicendum de pluribus motoribus. Resp. S. Bon. conced. majorem, & minorem, & neg. consequentiam, & paritatem de forma, & de motore: nam plures formas informantes non potest corpus admittere; benè autem plures motores, ut est in nostro casu: forma enim dat esse, sed motor dat motum extrinsecum, &c.

318 Concl. 2. sicut Dæmones possunt intrare, & inhabitare corpus humanum, ut motores, sic possunt multos motus exercere in eis, ut tales sunt. Est S Bon. cit. Patet ex traditis: quia si ibi inhabitant, ut formæ assistentes, & ut motores, ergo possunt ea movere, commovere, vexare, & conturbare, ut patet experientia continua.

Dices. Tales motus esse proprios animæ informantis, ergo etiam exercere possunt actus vitales in corpore. Resp. esse quidem proprios animæ informantis, sed tamen ut est motor, non ut forma est; ideo isti motus non sunt ipsius tam proprii, quin possint etiam competere alteri motori, qui licèt non sit corpori unitus substantialiter, est tamen accidentaliter, ut est inter quemlibet motorem, & rem motam: Ad quam unionem accidentalem tria requiruntur. 1. est, ut Angelus substantialiter existat in corpore. 2. ut existat non extrinsecè, ut est Angelus movens cælos, sed intrinsecè. 3. ut utatur corpore tanquam instrumento ad se manifestandum, quæ tria, & maximè tertia conditio faciunt, ut corpus, in quo est Diabolus, dicatur verè assumptum.

Igitur quando Diabolus intrat, & obsidet aliquem hominem in corpore, verè assumit ipsum corpus: tum quia ibi est definitivè: tum quia multis signis visibilibus ibi esse apparet: loquitur enim alieno idiomate, & detegit multa, quæ impossibile est, obsessum scire; & movet illud corpus motibus ita extravagantibus, ut impossibile sit, eos esse ab anima.

QVÆSTIO IV.

An magicis artibus absque peccato uti possimus? S. Bon. l. 2. dist. 7. p. 2. art. 2. q. 3.

Suppono tamquam certum apud omnes Theologos, magiam generaliter sumptam, esse artem quandam mira, & insolita efficientem, non vi supernaturali, & divina, sed creata, quorum ratio sensum, & captum humanum superat: Dividiturque in naturalem, artificiosam, & diabolicam, quorum effectus procedunt, primæ quidem ex insita rebus natura; secundæ ex humana industria; tertiæ ex malitia Diaboli: magis tamen communiter magia, ut sic, sumitur pro diabolica: estque facultas, qua vi pacti cum Dæmonibus initi, mira quædam efficiuntur: & complectitur quatuor species: magiam, specialem divinationem, vanam observantiam, & maleficium. 1. auxilio Dæmonis quærit tantùm effectus extraordinariu cognitionem, & operationem. 2. rerum futurarum, vel præsentium, vel præteritorum, sed arcanarum notitiam. 3. commodum aliquod ex re, quæ nec supernaturaliter eò pertinet, nec naturaliter id præstare potest: maleficium verò dupliciter sumitur. 1. generaliter pro quocumque malo alteri injustè illato. 2. specialiter prout est species magiæ pro damno, & nocumento alterius Dæmone concurrente, & invocante malefico. Et ad haoc speciem reducuntur cuncta Diaboli consilia, studia, conatus, & vires, quas per veneficia, incantationes, præstigia, illusiones, & id generis artes magicas adhibet. 319

Suppon. 2. ex communi cum Seraph. Doct. quòd, cum in his superstitiosis artibus semper intervenia invocatio Diaboli; hæc tamen alia est expressa, alia tacita; sicut & pactum cum Diabolo, aliud est expressum, aliud tacitum; Invocatio expressa fit, vel actionibus, vel verbis, quibus fertur Dæmon intervenire: tacita quando quis effectum soli Deo reservatum, mediis ex se invalidis, & indebitis procurat. Similiter pactum expressum fit cum Diabolo, quando consensus per verba, motus, signa, vel scripta exprimitur, atque illud ut plurimum sequitur professio, qua malefici Deo abrenunciant, & Dæmoni se in servitutem tradunt: & tale fœdus fit in præsentia Diaboli, vel visibiliter sub aliqua forma apparentis, vel tantùm se ostendentis voce, vel signo sensibili: Pactum verò tacitum fit eodem modo, quo invocatio tacita. His, &c.

Concl. 1. Magia naturalis, & artificiosa præcisè sumpta non est illicita, ut de se patet, quia ejus exercitium non excedit vires naturæ: & in hoc conveniunt omnes Theologi. 320

Concl. 2. Magiæ diabolicæ, & superstitiosæ cujuscumque usus est illicitus, maledictus, & peccaminosus. Est communis omnium Theologorum consensus cum Seraph. Doct. *l. 2. d. 7. p. 2. a. 2. q. 3. op. Centil. part. 1. ser. 29. & l. 4. d. 1. dub. 4. aliisque pluribus locis.* Ratio evidens est, quia Diabolus ab initio peccat, estque perpetuus Dei inimicus; & odium inveteratum, & invidiam sibidam habet ad hominem; Paterque est mendacii: ergo petere

 consilium

consilium, auxilium, scientiam, instructionem ab ipso malum est, & pessimum. Ratio consequentiæ est (ait S. Bon.) quia in tali usu, vel intervenit peccatum infidelitatis, credendo diabolo, eique attribuendo aliquid divinum, vel peccatum idololatriæ, ut potè in oblationibus, & sacrificiis, quæ ipsi à magis offeruntur: aut intervenit peccatum inobedientiæ, cum hoc sit prohibitum severissimè ab Ecclesia. Prohibita, inquam, jure divino est talis magia, & commercium cum Diabolo, ut patet Deut. *cap.* 18. Levit. *cap.* 19. & 20. Jure Canonico, & Civili. Ratio autem prohibitionis est (ait Seraph. Doct.) quia talia peccat in seipsum, dum se committit, discrimini gravissimo, ut decipiatur à Diabolo, siculi semper evenit: peccat in Ecclesiam, quia commercium cum eo, qui est omnino ab ea præcisus, & adversarius, hostisque apertus: peccat in Majestatem divinam, dum recurrit ad diabolum, quasi non sit omnipotens, & omnino sufficiens. & benignus Deus Christianorum. Notent ista exorcistæ Scioli, & ignorantes, credentes dictenus diaboli, de quo infra agemus, &c.

311 Objic. 1. Apostolus tradidit incorrigibiles Satanæ in interitum carnis ex prima Cor. *cap.* 5. ergo utebatur ministerio dæmonum ad adimplendam justitiam: ergo pari ratione idem potest homo, quando indiget uti ad alia obsequia. Et confirmatur, quia legitur de aliquibus Sanctis, quod usi fuerint aliquando ministerio dæmonum, ergo de se non est illicitum.

Resp. Seraph. Doct. primò, quòd Apostolus non utebatur ministerio dæmonum ex commercio, quod cum ipsis habuerit, uti habent magi, & malefici, sed divino judicio ex peculiari inspiratione divina, cum Deus ipsi, & aliis Sanctis subjecerit diabolum dederitque potestatem ipsum calcandi ad majorem dæmonum confusionem, & impugnationem. Secundò resp. quod Apostolus commisit incorrigibiles interitui dæmonum sic permittente Deo ad ipsorum salutem.

Objic. 2. Non est illicitum petere eleemosynam, vel servitium necessarium ab impio; ergo nec à diabolo. Resp. S. Bon. primò negando paritatem de impio homine, & diabolo, quia homo, & si sit impius, est tamen unibilis Ecclesiæ, & potest facere eleemosynam ex motivo bono & Sancto: non sic est diabolus tanquam præcisus ab Ecclesia, hostisque perpetuus Dei, omniaque ordinans ad pessimum finem. Cum autem Deus non deputaverit diabolum ad servitium hominis, sed solùm ad tentandum, & exercendum hominem in virtutibus, licèt ipse id exequatur pessimo fine, hinc ipsius servitio non est licitum uti: Nec etiam licèt diabolico ministerio uti in miraculis, & mirabilibus patrandis, ob rationes adductas; nec etiam in necessitatibus, in quibus Deus optimus vel subvenit per se, vel per homines, vel per Angelos, vel tribuit patientiæ meritum. Respond. 2. Seraph. Doct. circa eleemosynam, quòd petens ipsam pauper ab impio, petit, quod suum est eique jure debetur.

Objic. 3. Signa; vel characteres magorum, quibus utuntur ad suos effectus maleficos, vel habent veram virtutem in tali effectu, vel nullam: si nullam, ergo dæmones nihil faciunt, ob idque nullum erit peccatum: si habent aliquam virtutem, hæc erit à Deo, à quo est omnis virtus, ergo nec erit peccatum ullum ipsis uti.

312 Hæc objectio petit solutionem duarum difficultatum satis molestarum: 1. est, an Deus concurrat ad maleficia, cui in sequenti quæstione satisfiet, ubi agetur de causa malefici: pro nunc satis sit, quod sunt à Deo permittente, & concurrente ad rationem materialem peccati. 2. An sit aliqua virtus in characteribus, vel signis maleficiorum, & per consequens, an Exorcista ipsa debeat destruere ante liberationem obsessi: sed hujus dubii gravissimi solutio dabitur in sequenti dubio laterali; est enim per maximè scitu necessaria: pro nunc respond. nullam adesse, & tantùm inservire ad deceptionem diaboli, & esse eorum usum contra prohibitionem Dei, & Ecclesiæ: Idemque dicendum de aliis pactionibus, & consultationibus factis cum diabolo, &c. ut autem fusiùs, & clariùs id fiat.

Quæres iterum. *An signa maleficii posita à diabolo, & à magis habeant aliquam virtutem inentam ab ipsis, & per consequens, an prius destruenda sint ab Exorcista ante liberationem obsessi?* Nota, quod dubium hoc est gravissimum, & valde notabile, maximè ab Exorcistis. Huic dubio respond. communiter Doctores habere aliquam virtutem, non ex sese, sed ex pacto diaboli assistentis applicationi talium signorum, ut effectus sequatur. Hinc communiter Doctores dicunt, maleficium esse temporale, quando signa sunt in potestate malefici, ita ut industria humana possit tolli: E contra verò perpetuum, quando non est in tali potestate, sed solius dæmonis. Its Doctores plurimi, quos citat Pater Brugnolus insignis Magister in hac arte Exorcistica, *Tom.* 2. *jus alexicon, disput.* 3. *num.* 481.

Attamen contraria sententia est vera, & sectior, & est fundata in doctrina Seraph. Doct. 313 *l.* 3. *d.* 7. *p.* 2. *quæst. ult. per totam maximè in corp. ad* 4. 5. & 6. ubi docet, tales characteres, & signa nullius esse virtutis, nec posse cogere, diabolum, ad exequendum id quod maleficus pepigit cum ipso, sed solùm esse instrumenta, & artes, quibus diabolus seducere conatur homines, & Christianos, ut in eorum usu semper multiplicent peccata: Nec sine maximo periculo ista possunt præstari, & observari ab Exorcistis. Ratio est, quia ut notat Seraph. Doct. *ad* 5. diabolus in suis maleficiis quandam divinorum operum continuè affectat imitationem, & quærit se Deum reputari: Unde quemadmodum Deus propria bonitate ductus, quædam in Ecclesia signa sacra, quæ Sacramenta vocamus, vel Sacramentalia ad salutem humani generis instituere dignatus est, quæ sunt instrumenta causæ veræ, & propriæ, vel phisicæ, vel moralis gratiæ, non ex vi naturali, sed ex virtute principalis agentis, scilicet Christi, ut quoties administrantur, toties gratiam, & effectus intentos ab ipso Christo dignè suscipientibus infundat, &c. Ita dæmon simia, & æmulus conjuratus Christi, qui nihil impensiùs appetit, ex sua innata, & inveterata superbia, quam in pretio haberi, & Deo æqualis videri, pro sua multiplici nequitia, vult ad hominum exitium promovendum, quædam sensibilia instituere signa, quibus ita semper assistere promittit, ut quoties à malefico adhibeantur, toties peragat maleficium, vel operetur mirabilia, vel detegat, occulta, de quibus ambo convenerunt: Et quod admirabilius est, ut faciliùs decipiat incautos, immiscet sæpè cum istis signis alia sacra, & apparenter religiosa, vel res, vel verba, vel nutus; vel alia similia. Quæ omnia, ait Seraph. Doct. sunt vana, & perniciosa, & falsa, quia invocatus dæmon non semper adest, & sæpiùs maleficium

ficum irridet, nec vult vocem illius audire, vel quia non potest, vel quia non permittitur (quod sæpè evenit ex Dei auxilio, & Sanctorum Angelorum) vel quia non jubet; id tamen infertur solùm ad multiplicanda gravissima peccata in malefico.

Hinc est (ait Seraph. Doct.) quòd superstitiosa, & deceptoria est ista observatio signorum, nec est necessaria, nec utilis, imò potius periculosa est inquisitio, vel destructio talium signorum, eo quia nec Christus id docuit, aut practicavit, nec ab Ecclesia, vel ab aliquo Canone Pontificio, aut Constitutione Apostolica, vel à Sanctis ordinatum unquam fuit, vel practicatum, ut videre est in vita Sancti Hilarionis apud S. Hieronymum: Ideo severa, pia, & Sancta praxis est à Christo tradita, relictâ istorum signorum observatione, incombere liberationi obsessorum virtute fidei nostræ, & Sanctissimi Nominis Jesu, & uti potestate absoluta à Christo tradita suis ministris: Et ad id de Rituali Romano resp. quòd licèt proponatur talis inquisitio signorum, relinquitur tamen arbitrio prudentissimo ministrorum, quam materiam fusè pertractat cit. Author P. Brugnolus, &c.

Quod verò sit periculosa talis inquisitio, & destructio signorum malefici, ut docet Seraph. Doct. patet ex continua experientia, per quam multi in gravissima peccata labuntur: nam multi verè ignorantes, videntes aliquem vel Patrem, vel Filium, vel alium amicum maleficio affectum, recurrunt ad aliquam sagam, vel maleficum, vel minis, vel precibus, vel muneribus, ut destruant maleficium, vel ut quærant quisquilias, quibus confectum est maleficii signum, quibus collectis comburantur, & tunc dæmon magis ac magis infirmum torquet: & si saga eas non invenerit, tunc ipsam verberibus afficiunt, sicque cogunt ipsam denuò ad dæmonem confugere, eique sacrificium offerre, ut ab ipso ostendantur; sicque multiplicantur peccata, & in obsessis, & in amicis obsessis, & in maleficio, quòd est id, quod diabolus prætendit: & hoc est, quod dicit Seraph. Doct. sicut ad divina miracula plurimum facit fides recta, sicut sonant Evangelia: Sic ad dæmonum miracula, multum facit fides perversa, quoniam diabolus perversus est imitator Dei, &c.

QVÆSTIO V.

Quanam sit causa infestationis Dæmonum per maleficia? Vel quænam sit causa maleficiorum?

314 Suppon. 1. Quòd maleficia possunt considerari, vel antequam committantur, vel dum committuntur, vel postquam commissa sunt: & istorum causa quadruplex potest considerari, efficiens, materialis, formalis, & finalis.

Suppon. 2. tanquam certum de fide, Deum non esse, nec posse esse Authorem peccati: Licèt enim Deus ex sua generali providentia, & ut Author naturæ ad materiale peccati phisicè concurrat, non tamen ad formale, neque ad malitiam, quæ est defectus, non effectus, & quid positivum: Ideo causa efficiens non potest esse, sed tantùm permissiva. Hinc in hac quæstione discendum est, cur permittat Deus tot maleficia fieri, & an omnia, vel aliqua impediat in suis effectibus; & cum talium maleficiorum causa efficiens proxima assignanda sit, declarandum est quomodo sit diabolus, & maleficus: Item quænam sit causa phisica, materialis, formalis, & finalis, item & moralis istorum maleficiorum. Hinc.

Concl. 1. Deus benedictus non est causa propria, 315 sed tantùm permissiva maleficiorum, Est de fide, & communis omnium Catholicorum. Prima pars patet, quia non potest esse Author peccati; sed maleficium, & magia diabolica est gravissimè peccaminosa, ergo &c. & hinc est, quòd ipsam prohibet in Sacr. Script. per Ecclesiam, & jura publica. Secunda pars etiam patet, quia solùm Deus permittit mala in mundo, eaque ordinat in bonum ex sua infinita sapientia, ergo, &c. Sic S. Bon. *l. 1. d. 47. q. 3.*

Et si quæras, quænam sint ista bona, ob quæ Deus maleficia permittit? Resp. ex Seraph. Doct. primò, quia sic exigit ordo rectus rerum in universo: De qua materia alibi est sermo 6. & quam fusè S. Bon. prosequitur, *l. 1. d. 46. per totum & d. 47.* Secundò ex ordine rerum in finem, multa bona ex permissione malorum eliciuntur, nempe ob gloriam Dei, quæ ex hoc redundat, non quoad se, sed quoad manifestationem, quia patefit magis ejus providentia, quæ maleficia moderatur, & ordinat; sapientia, quæ ex illis tot bona elicit; justitia, quæ per illa castigat delicta; misericordia, quæ perversos colligat in multa patientia; clementia, quæ tot injurias patitur; bonitas, quæ hominem liberum liberè agere sinit; sed præcipuè potentia, quæ attingit à fine usque ad finem fortiter, quæ talis est, quod solo nomine Christi invocato, dæmones coercentur, compescuntur, debilitantur, fugantur: qua propter talia permittendo, gloriosior evadit, non solùm coram bonis, sed etiam malis: Item gloriam, & splendorem Ecclesiæ, & ejus ministrorum, quibus dedit potestatem calcandi dæmonem, ejiciendi, comprimendi, tum per Sacramenta, tum per Sacramentalia, tum potestate sibi collata in Ordinis Sacramento: per hoc enim patet discrimen veræ Ecclesiæ Catholicæ ab Hæreticorum Synagoga, & assistentia perpetua Christi, &c. Item talis permissio est ob bonorum profectum, tum in declinando mala, tum in faciendo bona, tum in exercitio virtutum, maximè patientiæ: Item ob malorum pœnam: permittit enim sæpè talia maleficia ob merita peccatorum, ad ipsorum punitionem, &c.

In pueris verò, quibus potissimum veneficia 316 nocent, quia ætas illa imbecillior est ad resistendum, incautior ad cavendum, & incapacior ad accusandum, & revelandum: hoc autem sinit Deus, vel ut parentes puniat, si mali sint, puniat, inquam, eos de peccatis, quæ sæpè in procreatione filiorum in abusu Sacramenti Matrimonii, & in aliis materiis committunt: vel ut eos probet, si boni: Sic dicit Aug. *l. 21. de Civit Dei, cap. 14* vel ut infantem, si baptizatus fit, à peccatis præservet, & ad Cœlum rapiat, antequam malitia mutet intellectum ejus: vel si non est baptisatus, ne majorem ei damnationem imponat ob peccata actualia, quæ commissurus erat, si viveret: vel ob punitionem peccati originalis, propter quod solùm mortem merebatur. Quare conclusio fit hujus partis, quod ablato quocumque respectu, tum meritorum, tum demeritorum permissio est ad gloriam Dei manifestandam, ut patet de illo cæco *Jo. c. 9.*

Concl. 2. Licèt Deus permittat fieri maleficia in mundo, attamen non ob id sinit maleficos,

& dæmones laxatis habenis prorumpere in omne genus, opusve maleficum, sed coercentur à Deo sæpissimè, alia impediendo, alia moderando. Estque communis sensus Theolog. & de fide, ex S. Script. patet pluribus locis. Ratio est, quia si relinqueretur hoc ad arbitrium diaboli, & maleficorum, quis à talibus perversis remaneret illæsus? Sic discurrit S.Bern. & maximè cum diabolus sit veluti canis rabidus quidam, sed ligatus à Christo: quæ omnia fusè, & doctissimè probat cit. P.Brugn. *d. 1 cap. 5.*

327 Concl. 3. Causa proxima efficiens maleficiorum est diabolus cum malefico, tanquam causa minus principali Conclusio est nota, non indiget probatione: est enim fundata in maxima potentia, quam habet dæmon super creaturas corporales, & scientia perfectissima, quam habet omnium rerum creaturum, & prava ipsorum voluntate fundata in invidia, & odio, quod contra Deum, & homines perpetuò gerit, ergo quonescumque permittuntur à Deo, semper malefiria operantur. Adde & tot maleficos homines à Diabolo instructos, cooperatores pessimo fini diaboli, qui ipsi obtemperantes, se ministros promptos in maleficiis exhibent; de quibus vid. cit. Brugn. fusissime ista differentem *tom. 1. disp. 3.*

328 Concl. 4. Causa materialis maleficiorum sunt res, vel naturales, vel morales, quibus utuntur dæmones, & malefici ad ruinam hominum. Explicatur conclusio: nam cum dæmones polleant scientia maxima circa virtutem omnium rerum naturalium, ipsis abutuntur ad causandas infirmitates phisicè, moraliter verò sæpè utuntur aliis rebus non habentibus ex se virturem producendi effectus intentos, applicando eas, ut signa malefi- cii à dæmone facti, de quibus supra diximus, quæ omnia fusè probat cit. P. Brugn *tom. 1. d. 4.*

Nota, quod ordo hujus materiæ exigeret tractatum de curandis maleficiis, sed quia hoc esset extra Chorum, nec ad tractatum de Angelis spectat, hinc remitto Lectorem ad cit. P.Brugnolum, qui fusè, & doctissimè ad hac curatione *tom. 2.* tractat: solùm hic necessarium existimamus superaddere quæstionem theologicam circa prohibitionem ab aliquibusdam Dominis Ordinariis factam Exorcistis suis subditis, ne in certis temporibus æstivis hanc artem exerceant: An licitè, & rectè fiat talis prohibitio.

QUÆSTIO VI.

An liceat Exorcistis suam artem exercere quocumque anni tempore?

PRo coronide tractatus de Angelis, & præcipuè de infestatione dæmodum, hanc quæstionem proponere decrevimus, tanquam summè scitu necessariam ad curationem Energumenorum, & ad profligationem infestantium dæmonum, & eò maximè, quia audio ab aliquibus Dominis ordinariis factum esse statutum quo prohibent Exorcistis, ne istam artem exerceant à Festo Inventionis S. Crucis, usque ad Festum ejusdem Exaltationis: quòd nunquam potui approbare, cùm videatur derisorium sanctæ nostræ Fidei, & miseris obsessis valdè perniciosum, posiris multoties in extrema necessitate: qua occasione multa de arte exorcistica, scitu valdè necessaria afferam.

329 Quæstio igitur proponitur: An licitè, vel prudenter supradictum statutum fieri possit? Et prima facie videtur providentissimum, eo quia tempore æstatis, segetes, arbores, agri subjacent exterminio grandinum, tempestatum, & aliorum malorum aeris, aquæ, & terræ: & cum dæmones ejecti ex corporibus hominum rabie concitentur, ob talem expulsionem, hinc ad ruinam publicam in aere commovere possunt tales tempestates: his tamen non obstantibus, contrarium sentio, & rationem talis statuti vanam existimo. Pro hujus solut. &c.

Not. 1. & suppon. id, quod supra sæpe tradidimos, de potestate maxima dæmonis, quam habet super creaturas corporales, & cum dotatus fuerit à Deo scientia magna, & eminenti, quæ extenditur ad præterita, præsentia, & futura habentia causam naturalem determinatam, ideo mirum non est, ipsum adinvenisse infinita ferè genera maleficiorum, quibus vexare, & lædere possit hominem, tum in se, tum in suis rebus. Et cum tali potentiæ, & scientiæ adhæreat voluntas mala, quid mirum, ipsum semper totum esse occupatum in malè faciendo homini? Hæc omnia à nobis fusè tradita fuere, ex Seraph. D. & communi Theolog. & sensu Ecclesiæ: quæ cum sint verissima, advert. tamen, quòd talis potentia maxima inest diabolo tantùm in actu primo: nam in actu secundo ligata est à Deo talis potentia, ut non operetur, nec perficiat omne, ad quod pessima ejus voluntas impellit. Sic Seraph. D. *l. 2. d. 6. a. 3. q. 1. ad arg. & l. 3. d. 19. q. 3.* 330

Not. 2. quòd licèt à principio mundi aliqualiter ligata fuerit dæmonum potentia, & scientia obnubilata; remanserunt enim eis naturalia integra, quantùm ad habitum, non quoad operationem (ait Seraph. Doct. *l. 2. d. 6. cit.*) & quoad libertatem, maximè tamen per passionem, ac mortem Christi infirmata est, & sublata dæmonum potestas, tum ab ipso Christo per seipsum immediatè, tum per efficaciam passionis, & Crucis ejus: tum per Sacramenta, & Sacramentalia: tum per Angelos suos: sed tamen respectivè, & dependenter à Dei voluntate. Quæ veritas eruitur ex pluribus locis S. Script. & Evang. maximè in illis verbis Joan. *c. 12.* *Nunc princeps hujus mundi, &c.* & Apoc. *c. 5.* *Vicit Leo, &c. & c. 20. & apprehendit draconem, &c.* super quæ SS.PP. & expositores cum Seraph. D. Alensi, *p. 2. q. 100. tom. 2. a. 2.* dicunt mirabilia de hac ligatione: ideo sicut diabolus superando primum hominem, superavit totum genus humanum, sic cum superatus est à Christo, etiam dicitur superatus à toto genere humano, ut specialiter notat Seraph. Doct *l. 3. d. 19. cit.* Et hæc est ratio, ait Tostatus, quòd Christus sæpè ejecit è corporibus dæmones, ut nobis indicaret hanc confractionem potestatis diabolicæ, & hinc sequitur, ait Lrodan. *l. 4. c. 78.* quòd, sicut dedit Apostolis, & Discipulis potestatem caleandi dæmonem, eumque ejiciendi ab hominibus, sic & Ecclesiæ, & suis ministris per institutionem peculiaris Sacramenti, eandem potestatem contulit.

Dices. Quomodo dicitur potestas diaboli in homines confracta, dum videmus tot, & tantos, & penè innumeros vexatos à dæmonibus, ergo videtur, quod non fit confracta? Resp. Seraph. D. *l. 3. d. 19. q. 3. ad 3.* & cum eo Tostatus *in c. 8. Matth. q. 123.* Athanas. *Orat. 1. contra Arianos*, S.Bern. *in Ps. 90.* aliique plurimi, dæmonum potestatem confractam esse in ordine ad damna inferenda animæ, vel corpori, pro his, quos Deus vult protegere, & à dæmonum infestationibus præservare: & isti sunt qui humiliter, & devotè Sacramentis, & Sacramentalibus

mentalibus se subjiciunt, quæ à Passione Christi virtutem habent, per veram fidem, & confidentiam in ejus protectione, & in Sanctissimo Nomine Jesu collocatam; imò se extendit hæc virtus ad Infideles devotè utentes mediis à Christo institutis, ut patet in Judæo, qui per signum Crucis se defendit à dæmonibus, eosque expulit, unde dicebant esse vas vacuum, sed signatum. Hinc subdit Seraph. Doct. *cit.* & *l.4.d.10 p.1.q.5.corp.* & *Luc.c.8.n.32.* Thren. *c.2.* quod facillimè colligi potest cur sæpiùs dæmonis potestas relaxetur, ut quamplures homines, ac mulieres præsertim, diabolicis infestationibus, & vexationibus affligantur, nec non maleficis artibus devinciantur, aut necentur: Hoc enim evenit ut plurimum ob Sacramentorum, & Sacramentalium Christi contemptum, ideoque ob eorum diffidentiam in Deum, traduntur sub potestate diaboli, sic exigentibus ipsorum peccatis gravissimis: de qua re vid. Drexellium, de conform. voluntatis *l.5.c.10.§.7* Maldon. *in illud Isai.c.11. Nunc Princeps, &c.* S. Isid. *l.8*

Quibus sic stantibus, concludunt tamen omnes SS.PP. cum Seraph. Doct. quod etiam in maximis peccatoribus, multò magis in justis potestas eorum est limitata, & à Christo coarctata, cum diabolus sit canis ligatus: ideo nec torquere potest, nisi quando, & prout sibi ipsi permittitur à Christo: unde solùm nocere potest hominibus, eorumque rebus prout permittitur ipsi à Deo, ut docet cum communi SS. PP. S.Bon. *cit.* & *in Luc. c.8.* & 4.

Not. 3. quod cum septem ordines sint à Christo instituti in ordine ad dignam administrationem, & servitium corporis Christi: primi tres sacri quidem in ordine ad Corpus Christi verum, scilicet Sacerdotium, Diaconatus, & Subdiaconatus: Alii quatuor minores, in ordine ad Christi Corpus mysticum præparandum: nam ostiariorum munus est ad locum sacrum admittere; Lectorum documentum præbere; exorcistarum, est auxilium præstare contra dæmones; & Acolitorum exempla monstrare: in quibus omnibus potestas spiritualis traditur ordinato cum impressione characteris in singulis, ut notat S.Bon. *l.4 d.24.* & *Centil. p.2. sect.53.*

Hinc patet, quod exorcistatus ordo est verè Sacramentum à Christo institutum (quidquid dicat Durandus, cum aliquibus paucis) Sacramentum, inquam verum, & à Christo institutum est, ut communiter omnes Theologi cum Seraph. D. D. Thom. & Scoto, aliisque fatentur; ob idque suum producit effectum, non solùm ex opere operantis, sed verè ex opere operato, scilicet ex virtute Passionis Christi, nempe ex se, & infallibiliter ex vi talis ordinis absolutè secundùm legem Dei ordinariam dæmones ab obsessis corporibus expellit, si adsint omnia requisita: Unde virtus hujus ordinis, quæ est expulsio dæmonis ab obsessis corporibus, per se pendet ex institutione Christi divina, & tradita potestate à Christo Apostolis, eorumque successoribus, & Ecclesiæ, & suis Ecclesiasticis Ministris hoc ordine insignitis: quæ potestas tamen completur in Sacerdotio, sicut & alii ordines: unde magis proprium est Sacerdotis exercere hanc potestatem, quàm simplicis Clerici. Hanc potestatem Christus ipse exercuit ad nostram instructionem, & secundùm communiorem Doctorum sententiam tradidit in ultima Cœna, simul cum toto ordine; vel secundùm aliquos in Matth. *cap.10.* Marc. *c.3.* Luc. *c.9.* quando suis dedit potestatem spirituum immundorum, ut ejicerent eos, & curarent omnem infirmitatem, & languorem.

333 Hic autem est diligenter observandum, quòd Christus suis Discipulis, & Ecclesiæ tradidit hanc potestatem sine ulla limitatione; vel temporis, vel loci, vel personarum, sed absolutè illam exerceri voluit secundùm indigentiam hominum obsessorum. Et si hoc Christus fecit: ad quid ab aliquibus Prælatis limitatur exorcistis, quoad tempus æstivum? hoc non docuit Christus, hoc non prædicaverunt Apostoli, & Sancti primitivæ Ecclesiæ, hoc non prohibuit S. Mater Ecclesia in aliquo Concilio, vel Decretali, vel Canone? ergo gratis, sine fundamento stabilitatis prohibitio datur. Ad cujus clariorem explicationem ulteriùs est notandum, quòd ordo exorcistatus considerari potest in actuali ordinatione, & collatione Episcopi, cujus causa principalis est Deus, ministerialis est Episcopus: materia remota est liber exorcismorum; proxima est ejusdem traditio: forma sunt verba ab Episcopo prolata, cum tradat exorcistæ librum, dicens: Accipe, & commenda memoriæ, & habeto potestatem imponendi manus super Energumenos, sive baptizatos, sive Cathecumenos: Intentio verò Episcopi, Ecclesiæ, & Christi est instituere in Ecclesia Dei ministrum idoneum ad dæmones expellendos: Sic in Concil. Carth. 4. *can. 7. in Ecclesiasticis Canonibus c. Exorcista dit. 23.* & probant Valesia *T.2.d.6 q.8.p.vers. Jampridem,* aliique Theologi communiter: Potest secundò considerari Exorcistatus pro actu sacramentali, quo exercetur ab Exorcista ad quod requiruntur necessaria ad Sacramentum: primò causa principalis, scilicet Christus: instrumentalis est Ecclesia, & minister: materia remota est dæmon expellendus; propinqua est passiva expulsio, cooperante obsesso, si est capax usus rationis, & si non, in nomine Ecclesiæ cooperantis: Forma remota sunt verba à Christo instituta. In nomine meo dæmonia ejicient: Proxima sunt verba in nomine Jesu expulsiva: Intentio verò exorcistæ est facere, quod intendit Ecclesia, idest expellere dæmonem, Sic S. Bon. *l.4. d.6. q.1.* & communiter Theologi, & diffinitum est in Concil. Florent.

Not. 4. quod Christus Jesus, non solùm dedit Apostolis, Discipulis, & Sacerdotibus potestatem ligandi, & solvendi homines à vinculis peccatorum, sed etiam in omnes creaturas corporeas, ut patet ad litteram in illis verbis Matth. c.18. *Quæcumque alligaveritis super terram, & quæcumque solveritis, &c.* ubi notandum, quod non dixit, quemcumque hominem, sed quæcumque, scilicet omnia creata hujus mundi sublunaris, quo modo etiam usus est, dum dixit Petro. *Tibi dabo claves, &c. cap.17.* & Luc. *c.17.* ut pateat, quòd cum subsit potestati diaboli in actu primo considerata totus mundus corporeus sublunaris, voluit opponere in actu primo, & secundo aliam majorem collatam Sacerdotibus potestatem super Elementa, Aquas, Ignem, Aerem, terram, & bestias, ut patet in Epist. ad Hebr. *cap.11.* in cujus potestatis virtute possit Sacerdos impedire, ne dæmones in aere efforment tempestates, aliaque mala ad ruinam hominis causent, &c. *Vide quæ dicta sunt in Matth. c.18. in nostra Glossa.* His ita suppositis, &c. 334

335 Concl. 1. Duplex potestas ejiciendi, & coercendi dæmones in Ecclesia reperitur: Alia communis omnibus Christianis Alia peculiaris ordinis: & hæc est duplex, scilicet ordinis, & jurisdictionis spiritualis. Est communis Theolog. & SS PP. apud Brugnol. *tom.1.d.4.a 3. s.* pars patet ex eo, quod dixit Christus omnibus Christianis: *In nomine meo*

 dæmonia

dæmonia ejicient, &c. Marc. *cap. ult.* ergo cum hæc potestas sit generalis, generaliter à Christo tradita omnibus credentibus, & habentibus fidem Theologicam, poterit quilibet à se ipso, & ab alio ejicere dæmonem, illum adjurare, & præcipere, ne sibi, vel alteri noceat: non enim talis potestas est publica, & ministerialis ordinis, sed privata, data à Christo Domino iis, qui crediderunt. Et hinc S Petr. Grisol. *ser.* 83. *in illa verba Marc. cap. ult. Signa autem eos, &c.* dicit, O homo esto tibi per fidem medicus, ne cogaris medicis extraneis tuo dispendio subjacere, & carè quod possidas comparate: Idem & docet Suar. *de adjuratione tom.* 2. *de relig. l.* 4. *c.* 4. *n.* 5. Et hoc est quod multi Sancti semper practicarunt, etiam si non essent ordinibus insigniti, qui solo signo Crucis, vel invocatione nominis Iesu, è corporibus ejiciant dæmones, & ab infirmitatibus ea liberabant: hinc S. Bern. consulit omnes credentes, ut utantur invocatione nominis Jesus super obsessos, & infirmos, & notat, quòd hoc est præcipuum remedium à Christo in Ecclesia revelatum pro medicina pauperum infirmorum, & maximè pro malis incurabilibus, vide *tom.* 1. *ser.* 49. *& t.* 4. *ser.* 41.

Secunda pars etiam patet ex ratione Sacramenti Ordinis, quod respicit Corpus Christi mysticum, ad quod exercendum requiritur, non solùm potestas ordinaria, sed & jurisdictionis nempe, ut exerceatur à ministro, ut persona publica, & ministerialiter. Hinc sequitur, quòd potestas ordinaria residet primariò, & plenariè in Sum. Pontifice, quæ extenditur ad omnes partes terræ: Secundariò in cæteros Ecclesiæ Prælatos ab ipso descendit super oves ipsis peculiariter creditas, & deinde in omnes alios curam animarum habentes, quibus omnibus ex charitate, & justitia incumbit obligatio: eo enim ipso, quod animarum curam susceperunt, etiam ex officio eis incumbit oves suas à dæmonum insultibus, sive visibiliter, sive invisibiliter, sive in anima tentando, sive in corpore affligendo divexentur, tueri, ac protegere. Sic docent Sacri Can. & DD. apud Barbos. *de Episc. munere tit.* 1 *t. Gloss.* 12. *n.* 7. *& de jur. Eccl. univ. l.* 1. *c.* 18. *n.* 16. Unde in istis residet potestas ordinaria jurisdictionis talis exercitii, nec potest ab ullo etiam superiore restringi, vel tolli, etiam quoad tempus.

336 Dices. Ergo saltem in cæteris curam animarum non habentibus potest suspendi, vel restringi. Prob. conseq. à pari de Sacramento Pœnitentiæ. Resp. neg. anteced. & paritatem: Sacramentum enim pœnitentiæ exercetur per modum judicii, ad quod requiritur clavis scientiæ, & applicationis subditorum, in quo exercetur potestate saltem delegata: In collatione verò ordinis exorcistatus, ordinatus simul recipit potestatem ordinis, & jurisdictionis, ad cujus exercitium requiritur aliqua scientia, sed non tanta, quanta in Confessario, ideoque nec ulla in hoc fit suspensio, nulla restrictio, nulla reservatio, nec apparet contrarium in nullo Conc. vel Can vel Bulla Pontificia, sicut habetur de reservatione absolutionis à peccatis.

337 Hinc inferunt DD. apud Brugn. *cit. an* 513. *& deinceps* 1. Episcopo graviter teneri providere suis Diœcesibus ministros aptos ad tale munus, ob extremam necessitatem, qua multi ex subditis laborant,: 2. non posse prohibere tale exercitium Parochis, nisi ob aliquod scandalum secutum ex abusu talis exercitii: 3. nec cæteris exorcistis in exercitio privatim se ingerentibus, sed tantùm publicè, & cum solemnitate: 4. & si id prohibeant, id possunt facere, ut cautiùs exorcistæ procedant, & ne tale munus exerceatur ab incautis, & ignorantibus: De quibus omnibus vid. cit. Doct. fusè hanc materiam, & doctissimè disserentem. 5. Prohibitiones Episcoporum non afficere Regulares talem facultatem jurisdictionalem, illam immediatè recipientes à Sum. Pont. 6 Prælatos regulares vetantes tale exercitium suis subditis conditiones necessarias habentibus, graviter peccare contra charitatem, eo quod impediunt sublevamen maximi ponderis, non solùm quoad corpus, sed etiam quoad animam proximi in extrema necessitate constituti: In qua tamen determinatione circa subditos, standum est judicio, & prudentiæ DD. Episcoporum, & Prælatorum, & in his debent se totaliter subjicere subditi.

Concl. 2. Episcopi invalidè, & minus convenienter prohibent exercitium exorcistatus tempore 338 æstatis. Sequitur ex dictis, & probatur primò: Tum quia, hæc potestas absolutè est tradita à Christo Ecclesiæ, & suis Sacerdotibus sine ulla temporis restrictione, & loci, &c. Tum quia Christus ad instruendam Ecclesiam hoc munus exercuit: Tum quia hoc est auferre occasionem sublevandi proximum sæpè positum in extrema necessitate: Tum quia videtur talis prohibitio cedere in derisionem nostræ Sanctæ Fidei, & potestati absolutæ à Christo Ecclesiæ traditæ, dum Prælati restringunt exercitium fidei, & ordinis ad tempus sine ratione fundata in principiis Theologiæ.

Dices. Meritò fit talis prohibitio, ne dæmones rabie excitati, ob expulsionem à corpore hominis, tempestates excitent in damnum hominum, aliaque mala inferant. R. talem, objectionem esse contra fundamenta Sacræ Theologiæ & veritatis fidei. Et prob. 1. ob rationes supra adductas ex Christi exemplo, 2. quia semper dæmones machinantur omnia mala, ob invidiam, & odium in homines, quod inveteratum, & in summo in eis viget, sed tamen non possunt alicui nocere, nisi prout permittuntur: 3. quia si hæc ratio valeret, deberet suspendi magis exercitium, & usus pœnitentiæ, Communionis, & aliorum Sacramentorum. Ratio est, quia magis est in potestate diaboli existens in peccato mortali, quàm materialiter obsessus ab ipso: Sed expellitur, vel tollitur talis potestas diabolica per usum pœnitentiæ, & aliorum Sacramentorum, ergo magis in rabiem excitabitur, ex usu pœnitentiæ, aliorumque Sacramentorum: sicque majora damna tentabit: Tum etiam quia exorcista prudens, cum sciat se habere potestatem absolutam super dæmonem quoad ejectionem, potest ei præcipere, ne ullum damnum inferat in tali, & ex tali ejectione, ad quod præceptum tenetur dæmon obedire, cum fiat in nomine Christi. Dices ergo D D. Episcopi prohibentes hoc exercitium tempore æstivo peccabunt? Resp. neg. conseq. ratio est, quia licèt talis prohibitio sit minus convenienter facta, tamen potest continere aliquam rationem boni finis, v. g. ne in contemtum hæc exercitatio adveniat apud populos rudes, existimantes (licèt falsò) tempestates orbis ex exorcismis factis à ministris Ecclesiæ, qui error licèt communis, tamen debet tolle à Parochis. Et hæc satis sint de infestatione dæmonum, & ipsius curatione: quæ omnia libenter submitto judicio S. Rom. Ecclesiæ, & peritiorum Theologorum.

DISPVTATIO XIV.

De opere sex dierum.

338 POst considerationem creaturæ Angelicæ, quæ est purè spiritualis, & de cujus creatione apertè, & expressè nulla fit mentio in Gen. si, restat inquirere de alio genere creaturarum, quæ expressè à Moyse Cronista traduntur creata à Deo, quæ sunt purè corporales vel mixtæ, scilicet simul corporales, & spirituales, qualis est homo; in qua consideratione sequemur succinctè ordinem traditum à Sacra Scriptura in Genesi, & quem servat cum Magistro Seraph. Doct. *art. d. 1 a. & deinceps.*

QUÆSTIO I.

Vtrum omnia simul fuerint condita à Deo, an verò ordine sex dierum; & quid de istis rebus in principio, quidque in sequentibus diebus.

NOt. 1 quod cum Sacr. Script. notet in principio creatum esse Cœlum, & terram, solùm ad literam notari creationem creaturæ corporalis, nempè corpora superiora id est Cœlos, & nomine Terræ inferiora, nempe materiam primam, & elementa, ex quibus postea com pacta sunt mixta; Hinc disquirunt Theologi: an primo tota massa materiæ simul creata fuerit cum forma imperfecta, & postea successivè ad perfectionem redacta fuerint mixta; an verò in principio creata fuerint omnia cum tota sua perfectione; & hinc.

Not. 2. quod est quæstio celebris, an omnia fuerint simul creata perfecta, an verò successivè secundùm ordinem sex dierum. In qua aliqui dicunt cum D. Aug. apud S. Bon. *l. 2. d. 1 2. q. 1.* omnia simul fuisse creata, illam autem distinctionem dierum fuisse secundùm cognitionem vespertinam Angelorum, quam habuerunt de creatione rerum, cognitionem enim primo habuerunt de Cœlo, de Lumine, & luce, & hanc volunt appellatam fuisse primam diem, & sic deinceps; hincque dicunt illos dies sea notatos fuisse à Moyse, ut ostenderet solùm, quod si debuissent produci successivè tali ordine convenientiùs producendæ essent creaturæ, quam opinionem valdè laudat Serap. D. licèt ipsam non teneat, sed oppositam, ut magis consonam sensu S. Script. & omnium ferè Theolog.

Concl. 1. In principio primæ diei Deus creavit velut in summa omnia corporalia inferiora empyreo in materia, quæ postea per senarium dierum verum fuerunt distincta in forma. Est S. Bon. *d. 1 a. q. 1. & d. 13. q. 1. & d. 15. a. 2. & 3 ad ult.* & Brevil. *l. 1. c. a. in Centil. p. 3. 1 0. & Comp. Theol. l. a. c. a. seq.* qui notat hanc fuisse opinionem communem Doct. excepto D. Aug. qui tamen *in expos. Gen.* declarat se nihil dicere asserendo, sed protestatur modo inquisitorio se ibi procedere, sic notat S. Bon. *d. 1 2. cit.* multaque affert pro intentione D. Aug. Pr. 1. ab ipso S. Doct. *d. 1 a. dub. 1. ex Gen. c. 1. In principio creavit Deus Cœlum & Terram*, ubi per Cœlum & terram intelligitur vel materia prima informis, ex qua postea facta fuerunt cœlum, & elementa, & omnia corporalia, ut dicunt plures DD vel, ut alii exponunt, per Cœlum intelligitur natura Angelica, per terram omnis creatura corporalis; vel, ut alii docent, per terram elementum terreum; per cœlum alia tria superstantia super terram. Vel, quòd communius, & verius apud Theol. & SS. PP. per cœlum intelligitur empyreum creatum in principio perfectissimum, per terram materia prima cum forma incompleta, ex qua compacta fuerunt alia corpora, tùm cœlestia, tum sublunaria. Distinguiturque empyreum à cæteris, quia illud mensuratur æternitate, ista tempore, quia mutabilia sunt. Notat ulteriùs Ser. D. ibid. quòd ista materia prima appellatur nomine Terræ, quia ipsa materia dat formæ fixionem, & stabilitatem, sicut terra superat alia elementa in stabilitate, item & nomine abyssi tenebrosæ, quia de se obscura, & imperfecta est, & à forma recepit speciositatem; item & nomine aquæ quatenus capax est quacumque forma, quasi sub omni forma habeat fluere; & hinc addit Ser. D. *l. 2. d. 1. dub. a. & Brevil. & Centil. cit.* rectè dicitur in principio creatus totus Mundus, scilicet quantùm ad sua principia.

Prob. a. à S. Bon. *d. 1 a. q. a.* quia non sine ratione Moyses expressit numerum sea dierum, sicut si creatus fuisset Mundus completè in principio id potuisset, & debuisset exprimere; ergo ad litteram debent intelligi isti sea dies, & id confirmatur auctoritate SS. PP. & ejusdem August. apud cit. D. Bon. fund. 1.

Prob. 3. in fund 5. & in corp. rationе ad litteram: Deus non tantum intendit facere, quantum potest, quantùm etiam communicare creaturæ, quantum potest recipere; unde cum possit dare beatitudinem absque meritis, vult tamen, quod mereamur; sicut cum possit statim perficere materiam, maluit tamen ipsam sub quadam informitate, & imperfectione facere, ut ea sua imperfectione quasi materia clamaret ad Deum, ut ipsam perficeret; & hoc idem voluit per senarium dierum differre, ut in perfectione numeri simul ostenderetur perfectio universi: senarius enim est numerus perfectus constans ea omnibus suis partibus aliquotis ita, quod non deficit, nec excrescit; & hinc eruitur ratio alia moralis ad eruditionem hominis, quòd sicut materia per senarium dierum ad perfectionem tetendit ad percipiendam quietem in septima die; hinc ratio allegorica, quia per talem senarium indicabatur decursus ætatum hujus mundi: Hinc & ratio anagogica, ut intelligatur in hac distinctione dierum cognitio Angelorum perfecta, de quibus vide S. Bon. cit. qui fusè ista declarat.

Prob. 4. à Seraph. D. *in Brevilog. l. 1. c. a.* quia in descriptione Creationis Mundi triformis operatio divina exprimitur; prima est creatio, & hæc manifestat omnipotentiam; secunda est distinctio rerum, quæ facta fuit per triduum nempe in prima die distinctio naturæ luminosæ à perspicua, & opa-

ca, in diviſione lucis à tenebris; & in ſecunda die eſt diſtinctio naturæ perſpicuæ à perſpicua, in diviſione aquarum ab aquis; & in 3. die eſt diſtinctio naturæ perſpicuæ ab opaco, & hac diviſione aquarum à terris; & ſic in hoc ordine implicitè datur intelligi diſtinctio cæleſtium, & elementarium: & in hoc manifeſtata eſt ſapientia divina, 3. eſt ornatus correſpondens diſtinctioni, ideo per aliud debuit fieri, nempe ornatus naturæ humanæ, & hic factus eſt: 4. die in formatione Stellarum, & Solis, & Lunæ: & eſt ornatus naturæ perſpicuæ, & hic factus eſt 5. die pro formationem piſcium, & avium ex aquis; & eſt ornatus naturæ opacæ, ſcilicet terræ per formationem beſtiarum, & reptilium, ad quem addita eſt conſummatio per formationem hominum in 6. die, per quod manifeſtata eſt divina bonitas; & inde addita eſt ſeptima dies quietis non habens veſperam, ut hinc invitaretur homo ad aſpirandum ad hanc quietem æternam.

334 Objic. 1. ex Geneſi, ubi dicitur: *Iſta ſunt generationes Cæli, & Terra in die, qua creavit Deus Cælum, & Terram & omne virgultum*, & in Eccl. 18. ubi dicitur, quod omnia ſimul fuerunt creata; idem ex Job. 40. *Ecce Behemot, quem feci tecum, &c.*

Reſp. S. Bon. Quod primus textus Gen. debet intelligi per recapitulationem, unde ille terminus, Die, ibi confunditur, ut teneatur pro diverſis diebus; vel intelligitur Zeugmaticè, ut reddatur aliis ſingulis membris illius recapitulationis; & ſic in die, qua creavit lucem, & in die, qua creavit virgulta. Ad aliud Eccleſiaſtici reſp. quòd verùm eſt, quòd omnia creavit ſimul ideſt compendiata in materia prima cum ſeminario formarum in principio, ſed poſtea facta, & formata perfectè per decurſum ſex dierum; creare enim eſt producere ex nihilo; facere eſt ex aliquo. Ad aliud de Behemot, reſpondet S. Greg. ex Behemot, quem feci tecum, ideſt non per ſimultatem temporis, ſed ſimilem in rationis capacitate.

Objic. 2. Perfectio divinæ potentiæ magis manifeſtatur in productione omnium ſimul, quàm ſucceſſivè; item & ſapientiæ in ordinatione ſubita rerum; item & bonitatis in ſubita perfectione; ergo magis id congruebat. R. quod magis patet divina potentia, ſapientia, & bonitas in ordine ſupra tradito, &c. & magis congruum fuit ad noſtram eruditionem, ut ſupra dictum eſt.

Concl. 2. Materia prima fuit ante omnem diem creata non cum multitudine formarum; ſed cum forma corporea imperfecta diſponente ipſam materiam ad formas completas: eſt S. Bon. *d.* 12. *a.* 1. *q.* 3. *& a.* 2. *q.* 2. Prima pars de materia creata cum aliqua forma imperfecta, ſed non cum aliis formis, vel chaos ut dicebant antiqui; probatur, quia ex Gen. 1. *Terra erat inanis, & vacua*, ergo tunc non aderat illa confuſio plurium formarum; & confirmatur, quia ſi erant plures formæ, vel erant permixtæ, vel diſtinctæ; ergo illa materia non erat deformis, & chaos, ut illam appellabant antiqui; ſi permixtæ; ergo habebant tunc formam mixtionis, ſicque erat magis perfecta, quàm ſi haberent formas elementares; tum quia ſequitur, quod natura priùs fuiſſent elementa, quàm materia illa primò creata, quia miſcibilia præcedunt mixtionem, quòd eſt contra ordinem naturalem rerum conditarum: concludit ergo S. Doct. materiam illam creatam fuiſſe cum quadam forma incompleta non dante materiæ eſſe completum, nec complente totaliter ejus appetitum, ſed quod diſponens erat ad ulteriores formas; & licèt illa forma non haberet in ſe naturas diverſas, tamen materia diſpoſita erat in diverſis ſuis partibus ad diverſa, & ideo permixta dicitur, & confuſa, quod aliqualiter explicatur exemplo embrionis, qui, actu habet unam formam, & figuram quandam maſſæ carnis, quæ eſt diſpoſitio ad diverſa membrorum figuras.

Dices Seraph. D. admittit concreatum fuiſſe ſeminarium omnium formarum corporalium in illa materia; ergo ibi erant impermixtæ, & confuſæ, ſicque incidimus in illo chaos rejectum. Reſp. conced. anteced. & neg. conſeq. nam hoc ſeminarium eſt aggregatio formarum; in potentia tantùm ſecundùm eſſentiam, non ſecundùm exiſtentiam completam, ſicuti volebant antiqui, de quo vide quæ à nobis tradita ſunt in lib. 2. Phiſic. &c.

Prob. 2. pars, quod antecedenter ante omnem diem fuerit creata illa materia imperfecta, quod ex ſcriptura patet fuiſſe creatam ante lucem; ergo ante omnem diem; tùm quia qualitas temporis debet reſpondere qualitati rei productæ: Sed materia prima eſt producta omnino ſub privatione formæ, nec ſub completa diſtinctione; ergo ejus productio nec diei, nec noti competebat, ergo ante omnem diem.

Objic. nox & dies immediatè dividunt tempus; ſed illa materia fuit creata cum tempore; ergo cum nocte, vel die; ſed non cum nocte; ergo cum die. Reſp. D. Bon. conced. major. de tempore, quod nunc res habent, ſcilicet ſecundùm revolutionem corporum cæleſtium, ſed non erat tunc tempus tali pacto, ſed tantùm ſecundùm mutabilitatem, quæ erat in materiæ partibus, quæ mutabilitas erat abſque præſentia corporis luminoſi, & abſque umbra corporis opaci, ob idque nec illud tempus habebat viciſſitudinem diei, & noctis ante formationem lucis.

Et ſi quæras: *Quantum temporis ſtetit illa materia ante lucis formationem, & primam diem.* Reſp. S. Bon. *a.* 2. *q.* 2. & cum eo D. Thomas *q.* 74. *a.* 3. Suar. *l.* 1. *de opere ſex dierum*, *c.* 28. 21. intervenisſe aliquam moram temporis; probabile autem etiam eſt intervenisſe ſolùm inſtans temporis, poſt quam dixit Deus: Fiat lux: Aliqui aſſignant ſex horas, alii plures, ex eo quod talis obtenebratio inſerviat pro nocte primæ diei, in quo tamen omnes procedunt divinando.

Concl. 3. In prima die facta eſt lux, formaque 346 ſublunaris educta è materia illa prima faciens, & conſtituens corpus lucidum faciens imperfectam diem: Et Seraph. D. *d.* 13. *per totam*, eſtque contra aliquos dicentes illam lucem fuiſſe collocatam in elementis, poſtea reſolutam in præjacentem materiam ad formationem Solis; D. Thom. parum diſcrepat à Seraph. D. dicens factam fuiſſe in corpore ſolari; quod & aſſerit S. Bon. addit tamen illud corpus tunc fuiſſe imperfectum, nec dum redactum ad ultimam perfectionem, niſi in 4. die, diſcrepant etiam inter ſe iſti duo SS. PP. quod D. Thom. vult lucem æqualitatem accidentalem, S. Bon. formam ſubſtantialem.

Probatur autem prima pars de luce forma ſubſtantiali; non quia prior eſt generatio ſubſtantialis, quàm accidentalis; tùm quia in illa die opus fuit perfectiſſimum factum à Deo; ergo ejus terminus fuit forma ſubſtantialis; tùm ex effectibus probatur, quia accidentia de ſe nullam habent efficaciam producendi ſubſtantiam; ſed illa lux eſt principium educendi formas corporeas è materia; ergo, &c. tùm quia illa lux movebatur faciens diem, & noctem; ergo erat corpus ſubſtantiale; tùm quia hæc fuit terminus actionis

ſignificatæ

ſignificatæ per, ly, dixit, ſcilicet per dictionem, ergo, &c. 2. pars, quod iſta lux, ſeu corpus lucidum fecerit diem, & noctem patet ex contextu ſcripturæ; *Factus eſt veſpere, & mane dies unus.*

Et ſi quæras; *cur in hac die ſervetur iſte ordo à veſpere ad mane?* Reſpondet S. Bon. hanc lucem fuiſſe creatam non mane, ſeu oriente, quia non præceſſerat nox, ſed in meridie; ſicque fuiſſe primò veſperam, & gyrans fecit noctem uſque ad mane; & ita integer dies naturalis 24. horarum, ſicque in hoc ordine clauditur dies naturalis, qui eſt ab ortu ſolis ad ortum ejuſdem; & artificialis, qui eſt à manè ad ſerò, parque eſt unius diei naturalis denominatus à termino ad quem; dicit enim: factum eſt veſpere, & eſt prior pars diei naturalis, qui artificialem includit ad veſperam terminatum; & mane eſt altera pars per noctem ad mane, idem, & de ſequentibus dicendum eſt; *Vide S. Bon. d. 14. in dub. liter. & per totam.* Nota autem, quod plurima ad hanc materiam tradita ſunt à nobis in Philoſ. tractatu de Cælo, &c. & ibidem omnia fusè expoſita.

341 Concl 4. in 2. die factum eſt firmamentum, ſcilicet Cælum ſtellatum cum cæteris orbibus cæleſtibus, non quidem ex aqua naturali, ſed ex quinta ſubſtantia conſtante ex materia, & forma incorruptibili: Eſt D. Bon. infrà cit. & communior. Nota hanc concluſionem petere illam celebrem quæſtionem: ex qua materia fuerit formatum firmamentum cum cæteris orbibus cæleſtibus. 1. Opinio fuit Heracliti, & Pytagoræ cum aliquibus modernis Doctoribus, Cælum eſſe compoſitum ex igne 2. Opinio eſt aliorum Cælos fuiſſe formatos ex aqua vera. 3 Sententia eſſe conflatos ex terra pura, eoſque non cadere ob rapiditatem motus: ſic tales, & Anaximanes. 4. verior aſſerit eſſe formatos ex quinta ſubſtantia diverſa ab elementari. Prob. ex Seraph. Doct. hæc. 4. Opinio primò contra primam, quia corruptibile, & incorruptibile non habent eamdem formam completivam: firmamentum eſt incorruptibile, ignis corruptibilis; 1. minor patet ex experientia.

Reſpondent factas fuiſſe novas generationes ſtellarum annis 1511 & 1600. & 1604. teſtibus Ticone Clavio, aliiſque peritiſſimis Aſtronomis, eaſque diſtructas; ſed facilè rejicitur hæc opinio; nam non conſtat eas fuiſſe ſtellas, vel, an Deus eas de novo creaverit; & cur in illis annis denuò procreatæ fuerint, nec unquam ampliùs; ideò ſignum eſt non fuiſſe creatas ſtellas. Prob. 2. quia elementa, & Cæli habent diverſos motus; g. ſunt diverſæ naturæ; natura enim eſt principium motus intrinſecum; elementis enim adeſt qualitas gravis, & levis, ob idque motus ſurſum, & deorſum, non Cæli ſic, &c. Confirmatur, quia. ſi datur motus ſimplex ſcilicet circularis; g. & corpus ſimplex. Prob. 3. quia, ſi Cælum eſſet igneum formaliter, totus mundus fuiſſet nunc combuſtus; g. concludendum eſt dari corpus quintum ſcilicet compoſitum ex materia, & forma lucis: *Vide P. Gaud. d. 2 q. 7. fusè iſta diſſerentem, &c.* quorum plurima à nobis elucidata ſunt in Philoſophia de Cælo: *Vide S. Bon. lib. 2. diſt. 14 art. 1. quæſt. 2. parte prima.*

Dices, Cælos compactos fuiſſe ex aqua, dicit enim ſacer Textus, firmamentum diviſiſſe aquas ab aquis. Reſpondet S Bon. dici illa corpora aquea, non quod ſint elementaria; ſed propter ſimilitudinem tranſparentiæ, & frigiditatem virtualem; dici & ignea propter calidizatem virtualem, & lucidi-tatem. *Sic S. Bon. d. 14. per totam part. 1.* De opere autem 3. 4 & 5. diei videatur S. Bon. *diſt. 14. part. 2. & diſt. 15. quæ tradita ſunt a nobis in Philoſophia.*

QUÆSTIO II.

De formatione Hominis primi quoad Corpus.

DEus Creator ſummus in ſexta die poſt for- 341
mationem Animalium terræ, (de quibus neceſſaria tradita ſunt in Philoſophia, tum in Libris de Generatione, tùm & maximè in lib. de Anima) ſtatim tranſiit ad formationem primi hominis, de quo nunc noſtra debet eſſe conſideratio; & quia primo loco ſe offert corporis formatio, hinc ultrà quæ à nobis tradita fuere de Anima, proponitur ſequens quæſitus.

Quæritur *quinam fuerit Author immediatus corporis Adæ, & ex qua materia compactum fuerit, & in quo loco?* Reſp primò Seraph. Doct. *l. 2. diſt. 17. per tot.* fuiſſe formatum à Deo immediatè quoad completionem, licèt ſit probabile illum fuiſſe etiam Miniſterio Angelorum, v. g. in formatione limi, & completione figuræ, ut notat cum D. Thoma Suar. *lib. 2. cap. 1.* & Seraph. Doct. *op comp. lib. 2. cap. 62.* Prima pars patet ex contextu litteræ, ubi adſcribitur Deo formatio corporis Adæ, ob idque & organizatio ſub ea ratione, qua humanum eſt; ratio eſt quia compactio talis corporis ſoli Deo ſpectat, cum id non potuerint Angeli, niſi applicando activa paſſivis; talis autem formatio ſpectat ad generationem hominis. g. Et hinc Angelis tantùm poteſt attribui aliqua operatio materialis, ſicut etiam concurrent tali modo ad reſurrectionem Corporum.

Reſp. 2. Corpus compactum fuiſſe de natura purè elementari; ſic cum communi S. Bon. quadruplicem rationem affert Seraph. Doct hujus Concluſionis; prima ſumitur penès ordinem, & reſpectum ad ipſum Adam, quia debebat multa cognoſcere cognitione non ſolùm intellectiva, ſed & ſenſitiva; ideò exigebat multiformitatem organorum, & quia ejus libertas exigebat, ut corpus ejus eſſet capax vel mortis, ſi verteretur ad malum, vel vitæ, ſi ad bonum; ſed hoc non potuiſſet habere ex materia purè cæleſti; g de elementari. 2. ſumitur per ordinem ad inferiores creaturas, quibus præeſſe debebat, ut omnes ad beatitudinem poſſent tendere in tali corpore, *de quo vide op. Brevil. p. 2. c. 4.* ubi pulcherrima de hac hominis perfectione. 3. per ordinem ad Angelos, ut daretur creatura, quæ eſſet ſpiritualis cum Angelis, & corporalis collocata in infimo loco, ſicut purè ſpiritualis moratur in ſupremo 4 per ordinem ad Deum, ut occaſionem continuam in ſe haberet ſe ſubjiciendo Deo per humilitatem; *Vide ibidem Seraph. Doct.*

Reſp. 3. Adam fuiſſe formatum extra Paradiſum de limo Terræ, & ſtatim tranſlatum in Paradiſum terreſtrem; ſic S. Bon. *d. 17 dub. 1.* Ratio eſt, quia extrà Paradiſum debuit produci, ut meliùs cognoſceret beneficium Dei, & ut diſceret ſe ibi perpetuò non eſſe manſurum, ſed ſe haberet veluti peregrinus, dum eſſet in via, & quia prævidit Deus ipſum eſſe lapſurum, & ideò ejiciendum è tali felicitatis loco, ut indè noſceret quanta bona perdidit propter culpam: *Vide ibid. Seraph. Doct. op. Comp. Theol. lib. 2. c. 64.* R. 4. in compoſitione Adæ

ad in ultimo inſtanti organizationis infuſam, & creatam fuiſſe animam, & corpus vivificatum, ſic communiter DD. cum Seraph. Doct. *d.* 17. *a.* 1. *q.* 3. ubi affert plures rationes ad hoc probandum. R. 5. creatum fuiſſe Adam cum omnibus perfectionibus proportionatis tali ſtatui medio inter gloriam, & miſeriam, nempè ſuper omnia alia individua in pulchritudine, temperamento, proceritate, vigore ſenſuum, & ætate ſcilicet plenitudinis Chriſti; Corpus autem erat immortale ex gratia, ſed quoad aptitudinem naturalem mortale; ſi enim permanſiſſet in innocentia, non fuiſſet ſubjectus morti, ſed poſt tempus à Deo determinatum tranſlatus fuiſſet in Cælum: *Vide S. Bon. d.* 17. *q. ult. & d.* 19. *Comp. Theol. l.* 2. *c.* 16. *& Brevil. p.* 3.

QVÆSTIO III.

De informatione Corporis Evæ.

343 CUm ſapientia Dei admirabilis reddatur in omnibus ſuis operibus, maximè tamen elucet in formatione Creaturæ rationalis, & conſequenter ſpeciali modo mulieris; ſingularis autem inter animantia fuit hominis formatio, quòd priùs voluit Deus producere virum ſine fœmina, & poſteà voluit ex ipſo formare fœminam; item in reliquis animalibus creando ſpecies eorum ſimul utrumque produxerit ſexum, ut multiplicarentur, & creſcerent; & quia hoc abſque dubio fuit factum ex ſingulari myſterio, ut notat S. Bon. *d.* 18. *dub.* 1.

Quæritur 1. *Cur non ſimul cum viro produxerit Evam, ſed ex viro voluit ipſam procreare, & cur ex coſta Adæ, & quando?* Cajet. *in cap.* 2. Gen. auſus eſt dicere, quòd formatio Evæ ex coſta Adæ ſenſum habet metaphoricum, non hiſtoricum, quòd & priùs dixerunt Origeniſtæ, quod dictum ab omnibus rejicitur tamquam temerarium: Hinc Reſp. 1. quod convenientiſſimè mulier ab ipſo Deo immediatè non per Angelos formata fuit; & ratio congruentiæ fuit, tùm quia talis modus erat ſuprà naturam, & miraculoſus, g. ad Deum immediatè ſpectabat; tùm quia per hoc Deus intendit, ut homo in utroque ſexu Deum ſolum Authorem ſuum recognoſceret, & in ipſum toto corde tenderet per amorem.

Reſp. 2. convenientiſſimè voluit Deus, ut mulier, & totum genus hominum ex uno homine & capite procederet, quòd non fecit cum cæteris animantibus, ratio hujus ſumi poteſt, tum ex ordine, tum ex connexione viri, & mulieris, tum ex ſignificatione; ex ordine dupliciter, ſcilicet primò corporis ad Animam, ut ſicut omnes animæ rationales ab uno principio procedunt, ſic & omnia corpora procedunt ab uno principio. 2. ex ordine totius conjuncti ad alias creaturas, nam homo cum teneat medium inter omnes creaturas, & quia Angeli immediatè à Deo procedunt aliæ corporeæ ab utroque ſexu, & homo quaſi medius, voluit, ut ab uno principio creato prodirent. Ex connexione verò duplex ratio ſumitur primo reſpectu totius ſpeciei univerſalis, ut omnis homo diligat hominem tamquam fratrem, *De qua re vide in Lucam, cap.* 10. *v.* 27. tum reſpectu uxoris ſpecialiter propter quod relinquet homo patrem, & matrem, &c. Ex ſignificatione etiam duplex ratio. 1. ex ſignificatione allegorica, qua intelligimus per virum, & mulierem Chriſtum, & Eccleſiam. 2. ex anagogica, qua intelligimus per virum Deum, qui eſt principium omnium rerum, & ideò Apoſtolus dixit: *Sacramentum hoc magnum eſt, &c. vide, quæ tradit S. Bon. d.* 18. *q.* 1. *per totam, ubi pulcherrima valde moralia habebis.*

Q. 2. *Cur ex coſta viri dormientis voluerit produ-* 344
cere Deus mulierem, & quomodo ex coſta factum fuit tam grande corpus? Reſp. primò Seraph. Doct. *lib.* 2. *d.* 18. *q.* 1. *ad argum.* quòd Deus voluit extrahere coſtam ex viro potiùs dormiente, ſeu potiùs in extaſim rapto, quàm vigilante, non propter hoc, quod non poſſet extrahere coſtam ſine dolore tàm de vigilante, quàm de dormiente, ſed propter ſignificationem, & propter mentis ſublevationem; fuit enim fundationis figura Eccleſiæ ex Chriſto moriente, & quia Adam in illo ſopore multa prævidit, indè, cum ſtatim evigilavit, propheticè locutus eſt.

Reſp. 2. ex S. Bon. *ibidem*, quòd Deus providit Adæ uxorem ex latere, non ex capite, nec ex pedibus, ut ſignificaret, quòd licet vir eſſet caput uxoris tamen creata fuit in conſortium dilectionis, & cum hoc voluit Deus ſignificare, quod licèt vir dominari debebat uxori, non tamen pedibus conculcari; *Sic op. Comp. Theol. lib.* 2. *cap.* 63. *& d.* 18. *q.* 1. *ad* 4. Talis autem coſta non fuit nuda, ſed extracta cum carne; ſic enim confeſſus eſt Adam dicens: *Hoc nunc os, & caro de carne mea*; cur autem denominetur ex oſſe, non de carne; *Vide d.* 18. *q.* 1. *ad ultimum*, ubi plura ad litteram, & miſticè traduntur.

Sed quomodò ex illa coſta poſſit produci grande Corpus Evæ? Reſpondet D. Bon. *q.* 2. quòd talis formatio corporis ex coſta, & carne non fuit facta ſecundùm ſeminales rationes, & ſecundùm curſum naturalem, ſicut ex ſemine generatur Corpus, ſed ſecundùm rationes cauſales, & potentiam ſupernaturalem, & obedientialem creaturæ, Deus enim ex illa coſta multiplicavit & carnem, & oſſa, & omnia alia neceſſaria ad perfectionem corporis; *Vide ibidem q.* 2. *&* 3. ſed nota quòd in hoc diſcrepat Seraph. Doct. à cæteris Theologis, iſti enim volunt factam fuiſſe additionem materiæ & formæ, & quantitatis per novam creationem. S. Bon. verò id negat, nam licèt intervenerit miraculum in tali formatione, non tamen nova creatio, ſed miraculum fuit extrahere ex illa materia coſtæ, & carnis formam, & materiam corporis, quæ latebat ut in ſeminario in ea ſecundùm vim naturæ. Dat S. Doctor exemplum de pane, in quo adeſt ratio ſeminalis generandi corpus, ſed mediatè ſecundùm ordinem præſtitutum à natura, ut ſi comedatur, digeratur, convertatur in humorem, & poſtmodùm in lumbis in ſemen; ſi verò ſine tali ordine extrahatur materia, & forma, ut in multiplicatione miraculoſa panum, tunc intervenit miraculum ex parte modi producendi: *Vide quæſt.* 2. *cit. ad finem corp.*

Q. 3. *An illa coſta eſſet ſuperflua, an neceſſaria* 345
Adæ? Utroque modo autem videtur inconveniens, quia ſi erat ſuperflua; g. erat in Adam monſtruoſitas; ſi erat neceſſaria; g. ipſa ablata, factus eſt monſtruoſus; & tunc quæritur, an illa coſta reſurget in Adam, an in muliere? Reſp. S. Bon. *q.* 1. *ad ult.* quòd illa coſta erat ſuperflua Adæ, ut perſona privata; erat neceſſaria prout conſtitutus eſt principium generationis humanæ, ideò reſurget in muliere, non in viro; ideò nulla ſequitur monſtruoſitas; tùm quia erat occulta; tùm quia ipſa exigebatur Adæ ut capiti omnium, unde illa coſta erat ſuper naturam coſtarum aliorum hominum,

&

& hinc eſt, quòd Deus replevit locum illius coſtæ carne; & hinc Seraph Doct. *quæſt.1. ad ultim.* elicit digniſſimum myſterium; Adam enim dat uxori coſtam cum carne, ſubſtantiam, & robur ad prudentem convictum, ſed ipſe accepit carnem pro ea, quia vir ex convictu cum uxore emollitur, unde & illa dicitur mulier à molliendo, ô quàm perniciosa fuit mundo talis emollitio! dedit enim fortitudinem mulieri, qua ipſa abuſa eſt, & ipſe ſuſcepit infirmitatem ad ſui, & totius mundi perniciem.

346 Q. 4. *De loco, & tempore formationis Evæ.* Reſp. quoad locum, certum eſſe, Evam fuiſſe formatam in Paradiſo terreſtri, ſcilicet poſtquam Adam tranſlatus fuerat in Paradiſum, in quo Deus miſit ſoporem. Sic S. Bon. *in Comp. Theol. lib. 2. c.63.* Sed difficultas eſt circa tempus, nam aliqui docent fuiſſe formatam poſt ſextam diem; & ad id, quod dicitur in ſeptima die, Deum ceſſaſſe ab omni opere: dicunt nihil factum eſſe poſt ſeptimum, quin aliqualiter in operibus ſex dierum præceſſerit; quædam enim præceſſerunt materialiter, ſeu in principiis, uti fuit coſta Adæ. Attamen probabiliùs, & veriùs dicendum, Evam formatam fuiſſe in ſexta die; & licèt narretur talis formatio poſt ſeptimam diem, ibi maſculum, & fæminam creavit eos, id dicitur per recapitulationem, recapitulatque ſcriptura, ut addat alia, ſic S.Bon. *q.2. ad 1.* ratio autem hujus Concluſionis eſt, quia ſcriptura non ponit, factum eſt veſpere, &c. niſi poſt formationem mulieris. Hic ſupereſt aliqua ponderare de Paradiſi terreſtris ſitu, & amenitate, ſed videatur Seraph. Doct. *lib.2. diſt.17. in dubiis litteralibus ex Comp. Theol. lib.2. cit.* Item & de anima infuſa creata in corpore Adæ, & Evæ, ſed ſat ſint à nobis tradita in Philoſophia, tractatu de anima, unde ſolùm ſupereſt, ut addantur aliqua de Privilegiis primorum Parentum, eorum caſu, & ejectione de Paradiſo.

QVÆSTIO IV.

De Privilegiis primorum Parentus quoad naturalia, & gratuita: aliqua dubia ſolvuntur.

347 QUæritur 1. *An homo creatus fuerit ad imaginem Dei, & quid id ſit?* Reſp. cùm Seraph. Doct. *lib.2. d.16. per totam.* 1. hominem creatum fuiſſe ad imaginem Dei, & in ipſius animam fuiſſe impreſſam, id enim clarè docet ſcriptura; tùm quia homo originem habet à Deo, & ex vi productionis repreſentat Deum ut Unum, & Trinum; g. eſt imago SS. Trinitatis: conſequentia patet, quia illa eſt ratio imaginis; antecedens probatur, quia anima eſt una, & tres habet potentias, memoriam, intellectum, & voluntatem: memoria per retentionem ſpeciei diſponit ad intelligendum, & intelligentia ad amandum; g. per iſtas repræſentatur imago SS. Trinitatis: Verbum enim manat à memoria fæcunda Patris, & hinc amor à Patre, & Filio; cætera vide apud S. Bon. *lib.1. d.3. per totam, & l.2. diſt.18. per totam*, qui præcipuè notat ex hac ratione imaginis maxima Privilegia in homine, & primo quòd ductione imaginis eſt, quod Creatura rationalis, Angelus ſcilicet, & homo de ſui natura ordinati ſunt ad Deum, natique ipſi immediatè conjungi per intellectum, & voluntatem. 2. quoad perfectionem, & bene eſſe imaginis eſt, quod Creatura rationalis aliis creaturis præponatur, eo quod ipſæ ad hominem ut in finem ordinentur; ſic enim Angeli deputantur rectores hominum, & homines omnibus beſtiis præſint; hinc & in illo ſtatu omnes ſubjectæ erant homini; & item quia omnes creaturæ corporales in hominem ordinentur tamquam in finem, propter quem omnia facta ſunt. *Vide d.16. q.1. art.2.*

Q. 2. *An primi Parentes prediti fuerint ſcientia naturali, & ſupernaturali perfecta.* Reſp. affirmativè ex Seraph. Doct. *l.2. diſt.23. per totam*, & patet quoad ſcientiam naturalem ex Eccl. *cap.17.* tùm ex Gen. 2. ubi dicitur, quod Adam impoſuit nomina omnibus creaturis; g. de ipſis notitiam quidditativam habuit. Quoad ſcientiam ſupernaturalium: id docent omnes SS. Patres cum Seraph. Doct. *d.23. dub.4. & art.2. quæſt.3. & diſt.18. q.2.* nempè ipſum cognoſciſſe myſterium SS. Trinit. item & myſterium Incarnationis, licèt non cum omnibus conditionibus. *Vide S.Bon. loc. cit. &c.*

Q. 3. *Quid ſit juſtitia originalis, in qua conditus eſt homo, & qualiter à gratia ſanctificante differat?* 348 Pro ſolutione, ſuppon. ex Seraph. Doct. *lib.2. d.5. art.3. q.1. comp. & d.19. & 20. & 29.* quòd rectitudo juſtitiæ originalis, eſt naturalis; gratiæ verò eſt meritoria; hinc reſpond. juſtitiam originalem non fuiſſe gratiam ſanctificantem, nec eam incluſiſſe; ratio eſt, quia Adam conditus eſt cum juſtitia originali, & non cum gratia ſanctificante. g. tùm quia nobis datur gratia ſanctificans, & non juſtitia originalis; g. Hinc.

Reſp. 1. Adam creatum fuiſſe cum juſtitia originali, quæ reſpicit dona naturalia perfectiſſima, nempè perfectiſſimam ſcientiam Dei, ut Authoris naturæ, & omnium rerum creatarum, perfectiſſimam dilectionem naturalem, obedientiam potentiarum rationi immortalitatem, immunitatem ab omni miſeria, & perpetuam fælicitatem, & hoc eſt in confeſſo apud omnes Theologos, quia tali ſtatui naturæ inſtitutæ iſta competebant; ideò omnia iſta Privilegia, ſi in eodem ſtatu permanſiſſet, tranſiiſſent ad Poſteroſ. *l.2. d.24. q.ult. ad 3. & d.29. q.1. Comp. & ad 3. & Comp. Theol. l.2. c.62.*

Reſp. 2. Adam non fuiſſe creatum in gratia ſanctificante, ſed ſtatim ei poſt ipſam creationem infuſa fuit perfectiſſima; eſt Seraph. Doct. *l.2. d.29. q.2.* cum plurimis graviſſimis Theologis. Alenſ. Scot. hîc Ægid. cum Magiſtro contra D. Thomam, & ſequaces, quæ concluſio fundatur in auctoritate SS. Patrum, tùm in rationibus, & præcipuè quia homo adultus non juſtificatur niſi ex propriis actibus, cum juſtificatio ſit deſponſatio animæ cum Deo, ad quam requiritur conſenſus, ſed ad talem conſenſum requiritur cognitio per diſcurſum, poſtea actus voluntatis, quæ non potuerunt ineſſe in anima Adæ in primo inſtanti, ſicut nec potuit peccare. g. Vide S. Bon. *ibidem*, ubi affert varias rationes hanc concluſionem probantes.

Reſp. 3. fuiſſe creatum cum juſtitia originali, quæ dicitur naturalis, qualiter perficiebat naturam, & ſupernaturalis, quatenùs ſuperaddebat auxilium gratiæ gratis datæ, quæ à principiis naturæ non potuit oriri. *Sic S. Bon. l.2. d.19. art.3. q.1.* & hinc magis propriè debet appellari talis juſtitia originalis donum ſupernaturale quàm naturale, licèt ad utrumque ſpectaret; poterat enim cum tali juſtitia ſe ipſum conſervare immortalem, & in ſtatu fælicitatis, in quo creatus fuerat, & de congruo ſe diſponere ad gratiam gratum facientem; unde poteſt dici, quòd juſtitia originalis formaliter con-

ſiſtebat

sistebat in illo dono superaddito naturæ puræ, & quia dispositivum erat ad gratiam sanctificantem, etiam completivè, vel integraliter ista spectat ad dictam justitiam originalem, saltem consecutivè, ut infra dicetur. *Vide ibidem Seraph. Doctorem, & dist. 24. part. 1. quæst. 2.*

QUÆSTIO V.

De ligno vitæ, & de illo scientiæ boni, & mali. Aliqua differuntur.

349 QUæritur primo. *An hoc lignum vitæ verè fuerit Arbor, sicut, & lignum scientiæ vetitum?* Resp. S. Bon. cum communi Theologorum, & SS. Patrum, affirmativè, & est de fide contra Origenem, qui istas arbores sumebat tantùm metaphoricè; ratio est, quia Scriptura sacra id apertè testatur, notat autem S. Bon. *lib. 2. d. 17. dub. 4. & 5.* quòd universitas lignorum Paradisi sub tribus differentiis comprehendebatur, secundùm quod ad triplicem utilitatem hominis poterat ordinari, aut ex parte corporis, aut ex parte animæ, aut ex parte conjuncti; si ex parte corporis, sic in Paradiso erant ligna fructifera cujuscumque generis præbentia alimenta ad corporis sustentationem; si ex parte animæ, sic fuit lignum scientiæ boni, & mali, quod ordinabatur ad obedientiæ hominis probationem; si ex parte conjuncti, sic erat lignum vitæ, quod faciebat ad vitæ humanæ perpetuationem: De his autem lignis duo tantùm sunt nominata propter speciales effectus; ideóque illa duo ligna collocavit in medio Paradisi, & unum posuit juxta alterum, ut ex uno conciperet homo affectum amoris, & ex alio affectum timoris, ut quasi opposita juxta se posita magis elucescerent, & abstinendo se homo ab uno mereretur refectionem sufficientem ab altero; specialiter autem nominantur illa duo ligna; lignum quidem vitæ ab effectu, non quem fecit, sed ad quem ordinabatur, unde continebat virtutem talis effectus in habitu, licèt non in actu; & lignum scientiæ ab eventu; ideóque dicitur lignum scientiæ, non quia antea Adam nesciret bonum, & malum, erat enim sapientissimus, sed sic appellatur ex eo, quòd serpens indicavit deceptoriè ipsum habere talem virtutem.

Q. 2. *An lignum vitæ haberet virtutem perpetuandi vitam ex natura sua, an ex virtute Dei addita?* Resp. S. Bon. *lib. 2. d. 17. dub. 4. & d. 19. art. 3. q. 1. ad 6.* Lignum vitæ habuisse virtutem inditam supernaturalem ad nutriendum, & ad perpetuandam vitam: est contra Suarez aliosque sustinentes fuisse virtutem naturalem, sed tamen istorum assertum est contra Divum Augustinum, qui sustinet *lib. 13. de Civit. cap. 20.* talem virtutem fuisse ex gratia, scilicet ait S. Bon. ex continua, & speciali assistentia Dei: Addit autem Seraph. Doct. *lib. 2. d. 19. dub. 4.* quòd licèt ex propria virtute non posset dare perfectam immortalitatem, & incorruptibilitatem in corpore, cum esset virtuosissimum, poterat aliqualiter ad ipsam disponere, & accedente divina virtute ad effectum perfectum adducere; & dat exemplum Seraph. Doct. de aliquibus aromatibus, quæ corpus hominis à putrefactione conservant per longum tempus, affert exemplum de Sacramentis, quæ dicuntur gratiam conferre ex divina virtute assistente.

Et si quæras: *Qualiter fieret ista perpetuatio.* Resp. S. Bon. *lib. 2. dist. 19. art. 2. q. 2. & art. 3. quæst. 1.* quòd cum isti fructus haberent virtutem innatam valentem conservare per longum tempus vitam, superaddita postea virtute supernaturali poterant perfectè reparare humidum radicale, quod ex actione caloris naturalis solet deperdi, sicque conservare hominem in florido juventutis statu; & id est quod sustinent S. Augustinus, Beda, Grisost. aliique SS Patres apud Patrem Gaud. *q. 16.* Unde cum naturaliter iste fructus non habeat tantam virtutem, ut possit perpetuare vitam, dicendum est, ablata virtute supernaturali, quod homo tandem mortem incurreret: Et multò fortiùs post lapsum, etiam si homo commedisset, non esset præservatus à morte; nec valet id, quod dicitur Gen. 3. de Adam post peccatum, & ejectum de Paradiso, *ne forte sumat de ligno vitæ, & vivat in æternum;* nam, ly, æternum, ut vult S. Bon. *dist. 19. art. 2. quæst. 2. ad 1.* stat pro vitæ diuturnitate, ut sæpè consuevit uti tali modo loquendi sacra Scriptura, non pro vitæ interminabilitate. Ex quibus sequitur immortalitatem inesse homini in statu innocentiæ, non ex natura, sed ex gratia, vel ex justitia originali continente, & conservante constitutionem temperamenti ad justitiam respectu corporis, & virtutem animæ regitivam perfectissimè omnia munia corporis in vivendo, & extrinsecam assistentiam Dei, impedientis ea omnia, quæ possunt ab extrinseco inferre mortem, & virtutem naturalem, & supernaturalem ligni vitæ reparantis humidum radicale, undè immortalitas Adæ excludebat actum, non potentiam, quia poterat non mori. *Vide S. Bon. lib. 2. dist. 19. q. 1. & 2.*

QVÆSTIO VI.

De lapsu primorum Parentum.

SOlvuntur aliqua, & præcipua dubia ex S. Bon. *dist. 21. &c.* A sublimitate excellentissimi status primus homo per peccatum cecidit in ruinam, quo peccato non solùm se ipsum corrupit, sed in intima naturæ penetravit corrumpendo totam massam generis humani. Hinc in discutiendo hunc horribilem Adæ casum, primò de occasione talis casus; & de præcepto ipsi dato à Deo. 2. de ejus tentatione. 3. de transgressione. 4. de primorum Parentum pænitentia agemus. 350

Quæritur ergo primo: *Quale præceptum datum fuit Adæ à Deo in Paradiso?* Resp. ex sacro textu Gen. 2. præceptum fuisse negativum de non comedendo de ligno vetito, quod supradiximus appellatum scientiam boni, & mali, & hoc sub mortali, idque totum est de fide: præcepit autem hoc Deus, ut Adam obedientiam Deo præstaret, tùm ad exercitium temperantiæ, humilitatis, & religionis; potuisset quidem Deus aliundè experiri obedientiam Adæ, sed tamen, quia in aliis ratio mali præter Dei præceptum reperitur, ne scilicet de transgressione, vel omissione præcepti positivi haberet excusationem; ideò facta est prohibitio, quæ ea sola transgressione voluntatis Divinæ esset mala, ut indè ostenderetur inobedientiæ malitia, aliter enim Pomum erat bonum: cujus autem speciei esset, scriptura non exprimit; ideò discussio hujus rei est vana, ut ait S. Bon. *lib. 2. d. 20. dub. 4.*

Resp. 1. tale præceptum datum fuisse Adæ ut capiti, scilicet cum pacto, ut ipsum observans innocentiam

nocentiam servaret pro omnibus Posteris, & illud transgrediens etiam perderet omnibus filiis; idque est de fide ex pluribus locis sacræ Scripturæ præcipuè ad Romanos *cap.* 5. ex S. Bon. *d.* 22. *q.* 1. *in argum.* Notat autem Seraph. Doct. *l.* 2. *d* 20. *dub.* 7. tri, lex præceptum datum fuisse à Deo ipsi Adæ. 1. fuit ordinans ipsum Adam ad se ipsum, & in ordine ad corpus, & fuit: *De omni ligno Paradisi comede.* 2. fuit ordinans Adam ad proximum, & respiciens totum conjunctum de consimili multiplicando & fuit ibi: *Crescite, & multiplicamini.* 3. fuit in ordine ad Deum, & respiciens animam, & fuit ibi: *De ligno scientiæ, &c. ne comedas*; prima duo sunt præcepta naturæ 3. est disciplinæ, quia licèt in Adam peccatum fuerit actuale respectu personæ; quia etiam datum fuit ei ex origine, hinc oritur peccatum originale in posteris.

Q. 2. De tentatione primorum Parentum; *An convenienter Deus permiserit hominem tentari circa præceptum, & contra qualem virtutem esset ista tentatio?* Resp. decentissimum fuisse Deum permittere tentationem istam; sic S. Bon. *lib.* 2. *dist.* 23. *q.* 1. *seq.* probatur, tùm quia non esset laudabile benè vivere, nisi esset, qui male vivere suadebat; tùm quia non coronabitur, nisi qui legitimè certaverit; tùm quia decens est, ut Deus res omnes sinat suos actus proprios, & motus agere, & maximè liberum arbitrium, quod ideò fecit liberum, ut pro libitò ageret; tùm quia faciliùs erat homini vincere Diabolum, quàm oppositum; ergo quia pugna de se erat magis ordinata ad victoriam hominis, quàm Diaboli; tùm quia ex tali tentationis permissione, & casu maximè manifestanda erat divina Charitas per remedium Redemptionis. *Vide S. Bon. l.* 2. *d.* 23. *art.* 1. *q.* 1. *&* 2. *ubi pulcherrima ad mores traduntur.*

351 Q. 2. *Qualis fuerit tentatio Evæ.* Resp. S. Bon. *lib.* 2. *dist.* 21. *quæst.* 1. Tentationem Evæ fuisse à serpente loquente, deceptamque fuisse credendo aliquem spiritum in serpente loqui, ut bonum Consiliarium, tentationemque fuisse superbiæ inchoativè, progressum habuisse in avaritia, & consummationem in gula; *Sic dist.* 22. *quæst.* 1. Sic D. Augustinus, & prob quia non poterant deordinari potentia inferiora ad bonum inferiùs, nisi priùs deordinaretur superior ad bonum superiùs, sed talis deordinatio est ex superbia, ergo. Notat hic P. Gand. *quæst.* 6. errorem irrepsisse in principiis, quia debet legi: non potest potentia superior deordinari, nisi priùs potentia inferior deordinetur, sed tamen etiam sine nota talis erroris benè currit argumentum, quia verum est, quòd potentia superior, nempè mens conversa ad Deum, priùs deordinata fuit, per conversionem in Eva per sui nimiam complacentiam, ob idque per superbiam, postea conversa est ad transgressionem. 2. quia si appetiit pomum, non fuit ob famem, sed ob appetitum scientiæ divinæ, & hinc consummavit suum peccatum in gula. *Vide S. Bon. ibidem.*

352 Q. 3. *Quale fuerit peccatum Adæ?* D. Thomas cum suis respond. primum peccatum Adæ fuisse superbiam. Seraph. Doct. *dist.* 22. *quæst.* 2. docet fuisse nimium amorem in Evam, sic enim discurrit: licèt Adam, & Eva fuerint consormes in transgressione præcepti divini, non tamen in motivo principali, non enim vir comedit pomum propter appetitum excellentiæ in sui assimilatione ad Deum, nec ob appetitum sufficientiæ in multorum cognitione, nec propter appetitum suavitatis in cibi degustatione, ut mulier: fuit tamen in viro quædam superbia, quædam avaritia, & quædam lascivia, per quas perductus est ad inobedientiam, quodammodo enim superbivit, dum se nimis magni pretii esse apud Deum æstimavit, & tanti, ut propter commestionem illius cibi non incurreret gravitatem alicujus suplicii, sed de facili consequeretur veniam; fuit etiam quædam avaritia, dum curiosè scire voluit quid sibi eveniret ex comestione cibi vetiti; fuit & quædam lascivia non carnalis delectationis, sed cujusdam amicabilis affectionis, nempè ne contristaret delicias cordis sui, scilicet mulierem, voluit potiùs Deum offendere, sic & Divus Augustinus docet citatus à S. Bonav.

Dices multos SS. PP. asserere Adam, & Evam voluisse rapere divinitatem; ideò perdidisse fœlicitatem. Resp. 1. S. Bon. quia divinum contempsit imperium, & se sibi suam voluntatem subjecit tamquam Deo. 2. quia, quòd dicitur de parte scilicet de muliere per Sinecdochen etiam attribuitur toti. 3. quia cum esset præpositus mulieris ipsam non compescuit; ideò sibi etiam imputatur culpa: audiant hoc Prælati negligentes.

Et si quæras: *Quis istorum graviùs peccaverit?* Resp. S. Bon. *ibidem q.* 3. quòd vir per ingratitudinem graviùs peccavit; quoad libidinem, scilicet appetitum improbum gravius mulier, quoad occasionem scandali etiam mulier graviùs peccavit.

Q. 4. *An potuerit peccatum primorum Parentum esse veniale?* Prima opinio Scoti admittit potuisse esse veniale, de facto verò fuisse mortale. Seraph. Doct. negat *dist.* 21. *art.* 3. *quæst.* 1. ratio est, quia peccatum veniale est duplex, vel ex genere actus, ut verbum otiosum, mendacium, vel ex subreptione, & pronitate naturæ corruptæ, sed nullo ex his modis potuit peccare primus homo, ergo. Minor probatur, hæc impossibilitas desumitur non præcisè ex sola intrinseca perfectione virtutis, nec ex eminentia dignitatis, nec ex carentia passionis, sed ex toto statu, & conditione justitiæ originalis, in qua non erat, nec esse poterat ignorantia, nec motus passionis cum tot internis auxiliis actualibus, quæ omnia retrahebant à quocumque malo deliberato, & ab omni noxia, delectatione, & commodo vetito, ob idque moraliter non poterat veniale deliberatè eligere, quin in contemptu Dei, vel Legis, vel status maximè illius niteretur, à quo occasiones proximæ ad ruinam removebantur. *Vide ibidem Seraph. Doct. ubi pulcherrima ad mores adducit.*

Q. 5. *An si vir non peccasset, muliere tamen peccante, genus humanum remansisset infectum?* Resp. 353
S. Bon. *dist.* 22. *dub.* 1. negativè; ratio est, quia principium propagationis principale residet penès virum, simulque debitum servandi justitiam, quod Deus viro, mulieri verò nisi ex consequenti servandum commiserat, hinc si vir non peccasset, posteri justitia originali non carerent.

Dices infectio originalis contrahitur ex massa carnis descendente ab utroque conjuge, & magis à muliere, ergo falsa responsio. Respondet S. Bon. 1. quòd homo potuisset contrahere corruptionem pœnalitatis, non culpæ, quæ habet ortum à viro. 2. quòd in tali casu vir non esset commixtus mulieri, sed Deus aliam formasset, &c.

Q. 6. *Qualiter puniti fuerunt primi Parentes, & quomodo?* Resp. primò quod punitio primorum Parentum fuit spiritualis, & temporalis, spiritualis, quia in actu comestionis fuerunt privati omnibus virtutibus infusis tùm actu, tùm habitu. 2. temporalis, quia expulsi sunt è Paradiso, sicut Lucifer à Cælo ob peccatum, & in hoc exercuit Deus

veritatem, & misericordiam suam, veritas ibi fuit, quia Adam in Paradiso peccavit, ideò meritò ab eodem loco ejectus est: Misericordia item, ut homo in loco majoris calamitatis existens, & sciens se extra Paradisum terrestrem esse, quasi exulem seipsum in mundo reputaret, & præsentem vitam miserrimam contemnens, ad bona invisibilia aspiraret, ut illa desideraret, &c. Et quia homo merito primi peccati excæcatus est tam in cognitione naturalium, quàm & magis spiritualium, hinc Deus ex sua misericordia providit hominibus sacram Scripturam, ut hinc ad cognitionem viæ salutis possent facilè devenire, &c. *Vide S.Bon. l.2. dist.23. dub.1. & d.29. dub.1. & 3.* quanto autem tempore manserint in Paradiso est incertum, aliqui enim dicunt eadem die, qua peccaverunt etiam fuisse ejectos, alii extendunt usque ad septimum diem, sed hoc est potiùs divinare: *Vide Pererium in Gen. & Suarez. l.4. cap.8.*

Q. 7. *An primi Parentes veniam peccatorum finaliter obtinuerint?* Resp. affirmativè, idque est de fide, & habetur in sapien. *cap.10* ubi Seraph. Doct. observat, quòd ex hoc loco solo manifestè apparet pænitentia Adæ, & idem de uxore etiam tenet communiter Ecclesia.

QVÆSTIO VII.

Quid facturi essent posteri Adæ ipso existente in statu innocentiæ?

354 QUid fecerint, qualesque fuerint primi Parentes hucusque actum est, nunc autem quid facturi essent illorum Posteri, si permansissent in illo statu fælici, per varia quæsita exquirendum est, ut hinc nos miseri adspicientes ad bona amissa, illam gratiam, quam in Christo recuperavimus, majori gratitudine studeamus recolere, & conservare.

Quæres primò: *Quomodo multiplicarentur homines in statu innocentiæ, & an Virginitas in illo statu ab aliquibus servaretur?* Resp. S. Bon. *lib.2. dist.20. dub.3. art.1. per totum*, quòd in illo statu multiplicatio hominum facta esset per sexus commixtionem, & feminis decisionem, ut veram generationem, idque patet ex præcepto illis dato à Deo: *Crescite, & multiplicamini, &c.* & ibi: *Faciamus adjutorium:* scilicet mulierem, sed hoc tantùm est ad generationem Prolis, &c.

Notat tamen Seraph. Doct. quòd aliqui SS.PP. videntur asserere, quòd in illo statu non esset generatio, qui tamen intelligendi sunt, quòd non fuisset, sicuti in natura lapsa, scilicet cum tantis fœditatibus, sed solùm ex præcepto, & revelatione divina, secundùm tempus ab ipso determinatum: Et quia tunc nulla esset pronitas ad Coitum, nec esset major virtus continere, quàm nubere, ideò Virginitas non fuisset in prætio, sed omnes nupsissent ad generandum Sanctos. In statu autem naturæ lapsæ virginitas est in tanto prætio ob difficultatem, & arduitatem. *Vide S.Bon loco citato, &c.*

Addit Seraph. Doct. *quæst.5. & 6.* quòd in tali statu in quacumque conjunctione prolem suscepissent, æqualisque facta esset multiplicatio Marium, & fæminarum, ratio est, quia talis usus fuisset secundùm ordinem præstitutum à Deo, & secundùm perfectam virtutem generativam, & quia adhoc exigitur uterque sexus, ideò æqualis utriusque fuisset multiplicatio, eo quòd sapientia præd.ti fuissent, & cognitione modorum ad utrumque sexum generandum necessariorum.

Q. 2. *An in statu innocentiæ generarentur homines perfecti secundùm corpora, & an primo Pueri, &c.* Respondet S.Bon. *ibidem dub.5. & 6.* quòd homines nascerentur primò parvuli, postea crescerent ad perfectam magnitudinem, sicut modò, licèt non cum istis imperfectionibus, ratio est, quia homines generarentur, propagarentur, & crescerent modo naturali, sed modus naturalis in nostro casu est, ut primò fiat infans, postea puer, &c. sic lacte nutriendi essent primò, postea fructibus Paradisi.

Q. 3. *Cum quali Politica gubernatione vixissent?* Resp. ex Seraph. Doct. *lib.2 dist.34. art 2. quæst.2.* Ex communi Doctorum, quòd in illo statu, esset excellentia potestatis in imperando, scilicet ut in viro respectu uxoris, in Patre respectu Filiorum, in provectioribus respectu juniorum, hoc tamen sine servitute, & coercitione in subditos; ratio est, quia talis subordinatio non esset indecens tali statui, sicut etiam exercetur inter Angelos, ergo, servitutis autem dominium non fuisset, quia hæc repugnat naturæ, & spectat ad statum pænalitatis; & hinc Deus dedit in illo statu potestatem homini super bestias, non super homines; hæc enim adjuncta fuit propter peccatum.

An verò in illo statu fuisset rerum divisio; communiter negatur à DD. dicunt enim introductam fuisse post peccatum de jure gentium. Hinc concludit Seraph. Doct. cum communi, quòd in illo statu fuisset aliqua subordinatio hominum, v.g. familiarum, sub uno capite, & varia loca distincta inter se occupasse, v.g. pagos, communicates cum suis capitibus.

Q. 4. *An iidem in statu innocentiæ essent generandi, qui nunc.* Aliqui Doctores, ut Ariagha, & Suarez censent etiam in statu innocentiæ aliquos nascituros damnandos, quòd tamen ab omnibus rejicitur, communis enim Theologorum SS. Patrum tunc solùm esse electos nascituros docet, id enim exigebat talis status perfectus: Quo supposito. R. communiter easdem animas nunc salvandas, tunc etiam infundendas, in diversis tamen corporibus, ex eò quòd ista corpora de facto exigunt diversos patres, &c. idque eruitur ex Seraph. Doct. *lib.2. dist.30. quæst.1. art.2.* talisque dispositio est magis proportionata divinæ Providentiæ distribuentis, & destinantis suas gratias non in confuso, sed ordinatè. 355

Q. 5. *An sanctificatio status innocentiæ sit excellentior, quàm in hoc statu naturæ lapsæ.* Resp. Seraph. Doct. *lib.2. dist.29. q.1.* quòd potest fieri sermo de collatione gratiarum, & de efficacia ad merendum; primo modo, loquendo de gratiis gratis datis, se habent tamquam in excedentia, & excessu; nam in statu innocentiæ aliqua dona contulisset Deus, ut immortalitatem, & impassibilitatem, quæ non concedit posteris; aliqua autem concedit posteris, quæ non contulit in illo statu, sicuti gratia sanitatum, genera linguarum, & alia similia, eo quòd utraque sunt expedientia proprio statui. Quantum verò ad gratiam gratum facientem, illa dona, quæ connexionem habent ad ipsam quantum ad habitus, & ad actos, qui perfectionem dicunt, sic æqualia sunt in utroque statu, non verò alia, quæ imperfectionem innatam habent, ut pænitentia, temperantia, &c. sunt enim propria status naturæ lapsæ. Resp. 2. quantùm ad abundantiam gratiæ sanctificantis, & auxiliorum, multi in hoc statu copiosam gratiam receperunt, & recipient, ut Beata Virgo Maria, & plurimi sancti, 356

sancti, sic Seraph. Doct. Resp. 3. idem de infantibus baptizatis, nempè istos se habere cum illis secundùm excedens, & excessum, nam in illo statu fuissent dotati justitia originali, qua nunc infantes privantur, sed tamen quoad gratiam sanctificantem credendum est nunc meliè copiosiorem ex meritis passionis Christi. Resp. 4. comparando statum ad statum absolutè, probabiliùs est asserere merita majora esse in statu naturæ lapsæ, quàm fuissent in natura instituta, est Seraph. Doct. cum pluribus aliis contra Divum Thomam: primò quia meritum augetur ex majori difficultate, & arduitate operis, tùm ex majori pugna, tùm ex concursu meritorum Passionis Christi, dato enim quòd Christus incarnatus esset, etiam Adam non peccante, tamen non esset mortuus, sicuti est mortuus propter peccatum, ergò ex morte, & Passione facta est superadditio istorum meritorum, & auxiliorum, quæ nobis meruit, & præparavit, & eò magis hoc verum est, si vera est opinio asserens Christum nullo modo venturum, si Adam non peccasset.

Objic. in Adam, & in posteris fuisset major dilectio, quam post lapsum, ergo majus meritum: probatur ant. quia major cognitio erat tunc, quàm nunc, quia illa erat superior aliquo modo fide nostra, scilicet media inter beatam, & nostram, ut probat Seraph. Doct. *lib. 2. dist. 23. q. ult.* sed dilectio sequitur cognitionem, ergo, ubi major cognitio, ibi major dilectio, & ob id majus meritum. Resp. 5. Doct. *dist. 19. cit. ad 1.* verum esse de dilectione se tenente ex parte potentiæ concupiscibilis, quia tunc non aderant tot impedimenta, sed loquendo de dilectione se tenente ex parte gratiæ elevantis, falsum est anteced. nempè secundùm quantitatem cognitionis consequi tantam dilectionem, & meritum; nam plurimi sancti ex media illuminatione insurrexerunt in majorem incendium amoris, gratia enim habet hanc virtutem elevandi animam ad amorem, & cum in pluribus major gratia in statu naturæ lapsæ ex meritis Christi collata fuerit, hinc & ad majus meritum ascenderunt, quàm nemo acquisiisset in statu innocentiæ, ut patet in tot Sanctis Martyribus, &c. Faxit Deus, ut è statu hujus miseriæ vitæ, & culpæ misericorditer adjuti divina gratia, ascendamus ad imitationem tot Sanctorum Evangelicæ Legis, & tandem ad consecutionem Coronæ post gloriosam pugnam. Et hîc explicit prima pars Theologiæ secundùm ordinem summæ Divi Thomæ: nos autem consequentes ordinem Seraphici Doct. & hujus secundi Libri sententiarum, transeundo, ad tractatum de actibus humanis scitu summè necessarium ad rectè vivendum eidem innitamur Seraphico nostro D. & Doctori.

DISPVTATIO XV.

De Actibus Humanis.

357 TRactatus iste de actibus humanis continet materiam omnium utilissimam, & necessariam: Subministrat enim universalia principia totius vitæ moraliter traducendæ, quibus & nostras, & aliorum conscientias possumus dirigere, ideóque indiget exactiori consideratione Angelicus Doct. in summa in 2. part: ipsam pertractans, incipit à fine ultimo hominis, & hinc postea tractat de beatitudine, postea descendit ad voluntarium, & involuntarium, cæteraque hinc consequentia: Nos verò brevitati studentes ea, quæ ad finem spectant cursim infra tangemus, omittentes considerationem de beatitudine, cum sufficienter in lib. 1. sent. in disputat. de gloria ipsam expenderimus. Hinc primò immediatè agemus de quidditate actus moralis, & inde de voluntario, & involuntario, postea reliqua de actibus humanis, & de peccatis prosequemur.

QUÆSTIO I.

Quid sit actus humanus, & in quo consistat ejus moralitas.

NOt. 1. quod aliud est dicere, actus humanus, aliud actus hominis: Actus hominis sunt omnes actiones prodeuntes ab homine sive naturales, sive liberæ: Actus humani sunt actiones omnes procedentes ab homine, ut homo est, scilicet, prout est animal rationale, & libero arbitrio præditum: & dicuntur morales, quia vel sunt boni, vel mali; hinc est, quod duo requiruntur ad actum humanum moralem: Primùm, quod procedat ab intellectu deliberante: Secundùm, à voluntate ex delectu, & liberè operante. Hinc quæritur, quid importet formaliter actus humanus moralis; an solam libertatem; an solam directionem intellectus, an utrumque.

Prima opinio est Durandi, Salas, Suar. tract. de bonitate, & Mal. sect. 2. & aliorum, moralitatem consistere præcisè in libertate. Secunda est Valentiæ, aliorumque consistere in regularitate, & directione actus à recta ratione præscindendo à libertate. Tertia communissima D. Thomæ, Seraph. D. Scoti, moralitatem actus humani formaliter importare directionem actus liberi à ratione consulente, præcipiente, prohibente, & permittente: Connotare verò, seu continere veluti in obliquo libertatem, tamquam fundamentum totius generis moris, vel tamquam rationem vel conditionem fundandi. Sic S. Bon. *l. 2. d. 41. art. 1. q. 2.* aliisque locis infra cit.

Not. 2. quod libertas alia est purè Physica, & 358 naturalis,

naturalis, alia est moralis: Prima est quæ præsupponit solùm cognitionem commodi, vel incommodi naturalis: Secunda est, quæ præsupponit cognitionem boni, vel mali moralis, dignique laude, vel vituperio, scilicet virtutis, honestatis, & turpitudinis: quæ duæ libertates sunt separabiles; nam prima est in pueris, & amentibus; secunda exigit talem cognitionem, quod secundùm accessum, vel recessum ad regulam honesti, & moris, sit imputabilis ad laudem, vel vituperium, ad meritum, vel demeritum. Hinc est, quod ad moralitatem actus duo requiruntur, ut dictum est, scilicet præcognitio rationis deliberantis, & ostendentis finem, & media proportionata, & libertas voluntatis: Unde Seraph. Doct. *lib. 2. d. 25. part. 1. dub. 2. & q. ult.* notat, quod liberum arbitrium est facultas rationis, & voluntatis, & ad hoc non est semper necessaria libertas specificationis, sed sufficit libertas exercitii, quia sola libertas contradictionis sufficit, ut actus cadat sub regulis morum, ut plenè dicatur sub dominio agentis: cum igitur actus moralis in præsenti usurpetur pro actu libero, ortoque ex cognitione boni, & mali moraliter, scilicet juxta dictamen rationis, sequitur ex primo capite, omnes actus Beatorum, amorem Dei erga se, amorem Beatorum erga Deum in patria, & motus primò primos in homine à ratione actus moralis excludi, & ex secundo capite cæteros excludi, qui fiunt nullo modo attenta bonitate, & malitia morali, etiamsi sint liberi ob considerationem bonitatis, & malitiæ delectabilis, aut noxiæ, phisicè loquendo, ut pueris, & amentibus. *Vide S. Bon. lib. 2. dist. 25. p. 1. dub. 3. & q. 1. ad 3. & q. seq. & d. 47. cit.*

359 Not. 2. quod liberum arbitrium prout est principium operum moralium potest considerari in ordine ad opera purè moralia, sicque eorum consideratio spectat ad Philosophum: Secundò in ordine ad dictamen regulæ superioris, & prout sunt gratuita, & ista spectant ad Theologum, quibus propriè competit meritum, vel demeritum: Primis verò laus, & vituperium lato modo; & hinc sequitur, libertatem præsuponi cum donis gratuitis ad meritum, tamquam quid prævium, & ut fundamentum totius moralitatis propriæ, quod sæpè notavit Seraph. Doct. præcipuè *lib. 2. dist. 38. quæst. 2. ad argum. & dist. 32. art. 3. quæst. 1. ad arg. Et aliis plurimis locis*; item & Scotus aliique, sed quia talia opera debent esse secundum dictamen rationis, hinc moralitas propriè sumpta importat ordinem, & cum tali ordine etiam respicit objectum, & materiam super quam cadit, & à qua specificatur, ut advertit Seraph. Doct. *lib. 2. d. 36. dub. 5.*

360 Not. 3. Cùm actio moralis debeat esse secundùm dictamen rationis, ideo ut sit recta, debet ratio ad aliquam certam regulam aspicere, hinc duplex assignatur à Theologis regula; alia proxima, & intrinseca; alia extrinseca, & remota: Prima etiam est duplex; primaria, & secundaria, primaria dicitur synderesis, secundaria dicitur conscientia, remota verò, & extrinseca est lex divina, vel humana. Seraph. Doct. *lib. 2. dist. 39. art. 1. quæst. 2. & art. 1. q. 1.* explicat excellentissimè regulam intrinsecam dicens; quod Synderesis importat in intellectu lumen innatum, & in voluntate pondus, & inclinationem innatam: per illud cognoscit in generali id quod est consentaneum legi divinæ, & humanæ: per istam inclinationem movetur voluntas ad amplexandum id, quod honestum est; & hinc conscientia exercet suum munus, ad bonum in particulari. v. g. per illud lumen judicatorium cognoscit summum bonum esse diligendum, & voluntatem ad id inclinat, & hæc est primaria regula nostrarum actionum, opusque Synderesis: quando verò subinfertur, Deus est summum bonum, ergo diligendus: hæc est secunda regula intrinseca à primaria dependens, & stimulans ad operationem actualius, & particularius, diciturque judicium practicum: Cumque hujusmodi regula applicet nobis omnem legem, & innotescere faciat quid sit consentaneum, vel dissentaneum legi extrinsecæ, dictans summum bonum esse diligendum, quia id præcipitur, vel consulitur, & oppositum prohibetur, hinc offertur regula remota, & extrinseca: scilicet lex divina, vel humana ad quam ratio adspicit.

Not. 4. ex Seraph. D. *l. 3. d. 18. a. 1. q. 3. ad ult.* quod, cum omne meritum ortum habeat à virtute, & virtus à ratione, ob idque consistit circa rationem: id potest esse, vel per modum elicientis, & hoc est voluntatis deliberatæ; vel per modum imperantis, & hoc est circa alias potentias imperatas à voluntate secundùm dictamen rationis, vel per modum acceptantis id quod ab extrinseco infertur, ut fuit passio Christi illata à Judæis.

Concl. 1. Moralitas actuum non consistit præcisè 361
in directione, vel dirigibilitate rationis ad regulas moris, seu legis: nec præcisè in libertate: sed in utraque, nempè in libertate, ut fundamento, & in directione, ut ratione formali. Est communis Theologorum ferè omnium, qui licèt aliqualiter discrepent in modo explicationis; differentia tamen est ferè de nomine, non de re, ut notant Arriaga, & alii. Estque præcipuè Seraph. D. *l. 2. d. 36. a. 1. q. 2. ad arg. & d. 32. a. 3. q. 1. ad arg. & d. 41. q. 2. aliisque plurimis locis.* Prob. prima pars: scilicet, quod præcisè non consistit moralitas in sola dirigibilitate; nam amor quo Deus amat seipsum regulatur à cognitione, sicut & amor Beatorum, & tamen non est imputabilis ad laudem, & vituperium, ad meritum, vel demeritum, estque necessarius. Prob. 2. pars de libertate: quia potest dari actus liber voluntatis, qui à nulla lege dictetur esse faciendus, tuncque non erit moralis: tum quia potest dari actus liber, qui ex non morali fiat moralis invariata libertate, ut comestio carnis ante mediam noctem feriæ quintæ, & post illam: tum quia genus moris est aliquid superadditum generi naturæ, illudque præsupponens: libertas enim spectat ad ordinem naturæ, præcedit, deliberatque antequam adveniat genus moris, scilicet lex, ergo est aliquid distinctum à moralitate. Prob. 3. pars: quod formaliter consistit in directione rationis ad legem, & in libertate tanquam in fundamento: quia actus moralis non est dignus merito, vel imputabilis ad meritum, vel demeritum, nisi sit liber, & in nostra potestate, ergo hoc est fundamentum moralitatis, neque formaliter est moralis, nisi à ratione dirigatur secundùm regulas legis: ergo moralitas formaliter consistit in hac directione, vel dirigibilitate: & hæc est doctrina Seraph. D. *l. 2. d. 35. & 36. cit. & l. 3. d. 12. q. 2. ad arg. in fine, & dist. 18. q. 3. ad arg.* in quibus, & aliis locis cit. semper supponit libertatem determinantem indifferentiam propositam à ratione.

Objic. primò ex Seraph. Doct. sentiente, quod 362
ideò actus est moralis, scilicet imputabilis ad laudem, & vituperium, ad meritum, & demeritum, quia est liber, & à libertate, &c. Sic in locis cit. & *d. 38. q. 2. ad 3. & 4.* & confirmatur ex hoc quod dicit *l. 2. d. 26. p. 1. q. 1. 2. & seq.* ubi notat, quod liberum arbitrium inchoat in ratione, & formaliter

completur

completur in voluntate, & libertate: ergo libertas est tanq formalis moralitatis. Idem & dicit Scotus l. 2. d. 46. & quol. 18. Resp. nihil aliud velle dicere istos Theologos, nisi quod Moralitas fundatur tanquam in radice, & fundamento in libertate: quia ratio formalis talis actus liberi moralis est ordinatio rationis ad legem: & ad confirmationem, resp. aliud esse liberum arbitrium, aliud moralitatem actus; liberum enim arbitrium dicit in recto arbitrium pro materiali, & in aliquo pro formali voluntatem: sed moralitas est quid distinctum, ut infra dicetur: Et per hoc resp. aliis instantiis factis ab Adversariis probare intendentibus actum esse moralem, prout formaliter est liber, & prout contra distinguitur à necessario, nam falsum est assumptum, quia datur actus liber phisicè, & tamen non est moralis, ut in Pueris, & Amentibus, ut supra dictum est.

Objic. 2. Non esse necessariam libertatem ad moralitatem, quia operationes Christi erant morales, & meritoriæ, & tamen plures erant necessariæ. Resp. ex Seraph. Doct. l. 2. d. 18. q. 1. 2. & 3. Christum habuisse libertatem specificationis, & in multis etiam exercitii, quæ tamen ex speciali privilegio erant actus meritorii: de potentia ordinaria requiritur libertas saltem exercitii: sed de hoc in tertio, &c.

363 Concl. 2. Habitudo, & relatio rationis ad regulam moris, non potest fundare moralitatem actus nisi transeat super objectum, & materiam debitam. Hæc conclusio est Seraph. Doct. l. 2. d. 36. dub. 5. & d. 42. a. 1. per totum, & d. 37. a. 2. q. 3. in princ. corp. & præcipuè d. 36. cit. ubi habet, quod actus prout comparatur ad suum principium efficiens, & ad materiam debitam, & ut sic, se habet ut genus, prout comparatur ad suum objectum, & se habet redactum ad completum esse morale: & per hoc conciliantur Thomistæ, & Scotistæ. Thomistæ enim sumunt moralitatem per ordinem ad objectum: Scotistæ verò per ordinem ad habitudinem ad rectam rationem, & ad legem. Patet autem concl. ex ipsis terminis, nam moralitas est talis, quatenus dicit ordinem ad objectum, & materiam debitam, simulque ad rectam rationem.

364 Concl. 3. Moralitas actus non est quid essentiale entitati phisicæ actus, sed quid accidentarium ipsi superadditum. Est S. Bon. l. 2. d. 41. a. 1. q. 2. Scoti, D. Thomæ: Contra Granadum, aliosque sustinentes, moralitatem esse quid essentiale entitati phisicæ actus, ideoque non potest in illo casu de bono fieri malus. Probatur quia entitas actus sumitur ex objecto sumptu nudè, & seclusò omni respectu ad regulas Moris, ut patet in Pueris, &c. Moralitas autem ex habitudine rationis ad objectum, & ad regulas legis, & mediante libertate determinante: ergo, est quid superadditum: tum quia actus primò primi possunt inchoari cum inadvertentia, postea compleri cum advertentia: & hoc est quod dicit Seraph. Doct. l. 2. d. 39. dub. 3. & d. 28. q. 1. ad 3. omne naturale, & morale contra distinguuntur, & quod est proprium moris non potest convenire naturali, ut talia est, licèt naturale supponatur: Ergo moralitas est quid superadditum ad entitatem phisicam actus.

Quæres: *An hoc superadditum accidentale actui morali sit ens rationis, an quid reale?* Resp. Thomistæ esse ens reale per modum respectus, ac denominationis intrinsecæ, quia omnes actus humani, vel sunt intrinsecè boni, vel mali: Scotistæ asserunt esse rationis, non quidem formaliter, ut quid effectum ab intellectu, sed ut materiale, & deelictum actibus ipsis ex regula rationis, cui subjiciuntur per modum extrinsecæ denominationis, quatenus scilicet ipsis actibus advenit per opus intellectus dirigentis actum ad regulam moris: Sic apud Mastrium d. 5. n. 23. quæ controversia est potius de nomine; nemo enim potest negare talibus actibus advenire moralitatem per directionem rationis ad regulas moris. Sic etiam denominatio Domini advenit ex tali relatione, &c. Sic etiam Deus dicitur Creator ex fundamento concipiendi talem relationem, &c.

QUÆSTIO II.

De voluntario & involuntario: Quid: & quotuplex.

Quia libertas est fundamentum actus moralis, ob idque cum debeat habere rationem veram voluntarii, hic discutiendum breviter est, quid sit propriè voluntarium, & quotuplex per plura quæsita: idque inserviet ad explicandam totam materiam de actibus humanis, de peccato, & merito. 365

Q. ergo 1. *Quid sit propriè voluntarium.* Resp. ex Arist. 3. *Ethic. cap.* 1. Voluntarium est id quod habet principium in ipso agente sciente singula, in quibus est actio: quam diffinitionem communiter acceptant omnes SS. PP. & Theologi D. Thom. 1. 2. q. 6. a. 1. Seraph. Doct. l. 2. a. 22. a. 3. q. 3. & l. 3. d. 18. a. 1. q. 3. arg. 3. ad oppos. Explicaturque per singulas partes: Dicitur, *quod habet principium intrinsecum in ipso agente*; id est principium activum: Unde id propriè dicitur voluntarium, quod non solùm est volitum objectivè, sed effectivè, idest effectus voluntatis: volitum enim objectivè tantùm ab alio factum, non dicitur propriissimè voluntarium, uti est mors acceptata ab aliquo, quæ ab alio est illata, sic est Passio Christi illata ab Hæbreis, id enim dicitur volitum, sed non voluntarium: sic etiam generatio æterna est Patri voluntaria objectivè, seu concomitanter, non verò principativè: Dicitur (*ipso sciente*) quia prærequiritur cognitio, quæ cum voluntate operetur. Appetitus enim cognitione dirigitur, & ducitur: Dicitur (*Sciente singula, in quibus est actio*) idest cum cognitione eorum, quæ ad actionem conveniunt, hæcque sunt objectum, finis, & circumstantiæ, quorum cognitio est necessaria, ad hoc ut actio sit completè voluntaria; nam si aliquà circumstantia ignoratur, v. g. occidens aliquem, nesciens esse Sacerdotem, occisio est voluntaria, circumstantia verò sacrilegii est involuntaria. Hinc sequitur primò, quod actus interni elicitia voluntate sunt propriissimè voluntarii, ita quod non possunt esse objectum voluntatis etiam. si tales actus sint voliti reflexè, quia sunt voliti per modum actus, non objecti: objectum enim est quid distinctum à voluntate: unde tantum manat immediatè in ipsum actum à voluntate tantum, possuntque esse objectum voluntatis: unde prout imperatur à voluntate sunt voluntarii effectus licèt mediatè, pro ut sunt objectum volitum, sunt voluntarii: Secundo sequitur ex opposito, quod involuntarium est id quod nobis contingit per vim, scilicet ab extrinseco nobis resistentibus, vel quod nos facimus nobis ignorantibus.

366 Q. 2. *Quotuplex sit voluntarium?* Resp. Seraph. Doct. *l. 2. d. 41. dub. 3. & a. 2. q. 1. & Brevil. p. 5. d. 77.* assignans multiplex genus voluntarii: quæ multiplicitas clarius reducitur ad sequentia capita: Hinc. Resp. primò, voluntarium aliud esse elicitum, aliud imperatum: elicitum est à voluntate immediatè à quo actus producitur immediatè, & in ipsa recipitur, ut velle, nolle, amare, concupiscere, odisse, in quos actus ratio voluntarii descendit per ipsam voluntatem immediatè: Imperatus actus est, qui à voluntate imperatur aliis potentiis, à quibus immediatè elicitur, qui aliquando transit in alienam materiam, ut videre, ambulare, &c. de quibus supra etiam dictum est.

R. 2. Voluntarium aliud esse perfectum, aliud Imperfectum: primùm est quando finis cognoscitur cum omnibus circumstantiis: 2. Quando deest cognitio alicujus circumstantiæ, talesque sunt omnes animi passiones, & motus primò primi: Voluntarium perfectum aliud est liberum, aliud est necessarium: Primum est quando quis potest velle etiam oppositum: 2. Est quando non potest velle oppositum, ut est Amor Beatitudinis in communi, quam naturaliter homo vult, & desiderat, sic etiam passiones necessariæ, quæ dicuntur volitæ per modum acceptantis, ut dicit S. Doct. *l. 3. d. 18. q. 3. ad ult.*

367 Resp. 3. Voluntarium item aliud esse directum, aliud indirectum: directum est quod ab intellectu judicatum conveniens proponitur voluntati, quæ directè per proprium actum illud vult: Indirectum est quod secundùm se voluntati non proponitur, sed vel in sua causa, vel in suo materiali, vel in eo, quod cum eo habet naturalem connexionem, & necessariam, vel purè secundùm æstimationem moralem. Primum, scilicet directè volitum facilè cognoscitur, non sic indirectum, ideo indiget explicatione, & dicitur volitum interpretativè: Multiplexque est. Primò enim dicitur voluntarium indirectè non in se, sed in sua causa, ut qui vult jaculare sagittam sine debita circumspectione, censetur velle homicidium: 2. In suo materiali, ut qui ex ignorantia vincibili committit usuram: 3. In connexione, vel naturaliter, vel in voluntate Legislatoris: ut hæresiarca vult perniciem tot animarum, & peccans mortaliter, vult damnationem: 4. Imputativè, cum scilicet nec intellectus advertit, nec voluntas directè vult, sed potuit, & debuit advertere, & velle, ut quis præ ardore ludendi omittit sacrum in die Festo, & Magistratus ob studium aliarum rerum impertinentium negligit suum officium: 5. Voluntarium in præsumptione, & æstimatione est, cum voluntas non vult in se, nec in alio, sed est tale, quod si illud prævidisset, illud voluisset, & dicitur ratihabitio de futuro, ad quod reducitur id, quod per Epichæiam contra legis tenorem: Ratihabitio verò de præsenti est, v. g. quando Prælatus videns aliquid fieri, illud non prohibet, vel rationaliter supponitur, quod si illud videret, illud permitteret. Quod voluntarium sufficit ad hoc, ut actus sit validus, & honestus. Nota etiam, quod voluntarium indirectum est id, quod continetur in causa per se, non per accidens, idest effectus quem licet voluntas non velit, vult tamen causam ejus, ad quam effectus per se sequitur, ut si quis non vult comedere, ex consequenti vult mortem: quæ regula debet diligenter adverti in plurimis casibus conscientiæ, præcipuè in carnalibus: non enim sufficit causalitas per accidens, ad hoc, ut effectus ejus imputetur ad culpam, v. g. qui locat domum meretrici: non est culpabilis de fornicationibus consequentibus, quia consequuntur per accidens ad locationem: Si autem locaret ad hunc finem, tunc esset culpabilis: & si quis ex fornicationibus repetitis debilitatem contraheret, & impotentiam ad jejunandum, tunc talis impotentia sequitur per accidens: Unde hæc voluntas interpretativa debet diligenter adverti, quia sæpissimè locum habet in peccatis, raò in aliis, nunquam in meritis, nam in meritò requiritur actus positivus cum intentione explicita, vel implicita honestatis supernaturalis. Nota etiam hanc regulam communem: quando effectus ut plurimum evenit ex tali causa, dicitur in moralibus evenire per se, licèt phisicè loquendo, eveniat per accidens; ut v. g. exponens domum ludo publico admittens indiscriminatim quemcumque quis ex hoc ut plurimum, eveniunt infinita mala, & damna, & peccata, & juvenis amore intenso in mulierem affectus experiens se, ut plurimum, ex tali amore, & correspondentia peccare mortaliter, tunc ille amor ex indifferente fit per se culpabilis: quod diligenter est à Confessariis advertendum: Nam ut plurimum tales amasii non sunt capaces absolutionis, nisi caveant à tali occasione.

R. 4. Voluntarium directum esse triplex: scili- 368
licet vel actualiter, vel virtualiter. S. Bon. *l. 2. d. 4. a. 1. q. 3. ad ult.* Primum est quando quis in actu signato expressè signat suum actum, ut volo celebrare Missam, vel in actu exercito: quando quis vult consecrare, solùm sine reflexione super suum actum attentè facit id quod Christus instituit: 2. scilicet virtuale, quod etiam S. Bon. appellat habituale (sed impropriè) est quando actus exercetur virtute volitionis præcedentis transactæ: ut ponens Pixidem in Altari plenam hostiarum cum intentione consecrandi, absque eo quod postea actu dum profert verba consecrationis, cogitet de ipsis consecrandis: vel etiam quando intentio virtualis sic est conjuncta cum altera ex natura sua, vel ex institutione Ecclesiæ, ut hac præsente, censeatur ipsa quoque adesse, ut Sacerdos induens vestes Sacerdotales vadit ad Altare, ex consequenti vult etiam virtualiter consecrare: sic Suar. *in 3. p. d. 13. sect. 3.* Bonac. aliique. Ad hoc caput reducuntur actus religiosi ordinati ad observantiam status religiosi, qui in virtute professionis emissæ dicuntur virtualiter voliti: 3. Est habituale, quando nullus actus circa illud exercetur, sed antea exercitus est, & habitualiter movet: vel est intentio, quam voluntas præcessit faciendi opus, sed postea nullo modo influit in operationem, sicut influit virtualis intentio, quia nec est in memoria, nec in cogitatione, nec per se, nec per aliud est causa talis actionis, ut si quis ex habitu jam malè facto jurandi indiscriminatim ex quacumque occasione sive licita, sive illicita, sive verum, sive falsum jurat absque malo animo, & advertentia, vel ex quacumque levissima causa peccabit quidem solùm venialiter sæpè, sed tamen tenetur sub mortali sollicitus esse, ut destruat talem habitum ob periculum proximum peccandi mortaliter.

Resp. 5. Voluntarium dari in omissione, idque 369
exigit posse, debere facere, & non facere: ratione primæ conditionis, scilicet posse, & quia omissio est voluntaria, quando quis potest facere, & negativè se habet; intervenit enim libertas contradictionis: ratione secundæ conditionis, scilicet debere, est quia omittens, id quod debet, tunc ei imputatur effectus secutus, ut princeps omittens impedire excessus, &c. quando verò non

tenetur,

tenetur, ſed habet jus ac cauſam, tunc ei non imputatur, ut eſt mors innocentum in juſto bello, &c.

Q. 3. *An metus, violentia, cupiditas exardeſcens, & ignorantia tollant rationem voluntarii?* Quo ad violentiam: Reſp. primò, quod abſolutè loquendo voluntas non poteſt cogi: quia de ratione motus violenti eſt, quod procedat ab extrinſeco: De ratione verò voluntatis eſt, quod proceda liberè ſe ipſa, ſeipſam movendo. Reſp. 2. quod his non obſtantibus poteſt voluntas induci aliqua perſuaſione, vel etiam impediri quoad actus imperatos: In primis eſt ratio voluntarii, ut ſi quis inducitur perſuaſione ad fornicandum: In ſecundis, ſcilicet imperatis, non eſt ratio voluntarii, ut in Martyribus, qui cogebantur ad incenſandum exterius Idolis, hæc violentia exterior tantùm erat, non interior. Vid. S. Bon. *l. 2. d. 25 p. 2. q. 4. & 5.* Nota tamen, quod actio vel paſſio violenta voluntaria eſt, quomodo quis non reſiſtit quantum poteſt, vel quantum debet: unde mors Martyrum erat voluntaria, dum non reſiſtebant tortoribus: Quando verò voluntas negativè ſe habet, & non tenetur, tunc dicitur actus non voluntarius: ſic peccata noſtra reſpectu Dei permittentis ſunt ei non voluntarii: ſic permiſſio lupanarium, fœneratorum, & hujuſmodi ad evitandum majora mala. Quoad metum: Reſp. primò, metum alium eſſe ab intrinſeco, ſcilicet nemine cogente exteriùs: Alium ab extrinſeco illatum: Item alium eſſe cadentem in conſtantem virum, ut quando quis minatur aliquod malum, quod poteſt exequi: ſic S. Bon. *l. 4. d. 29. q. 1. & l. 2. d. 25. p. 2. q. 4.* Alium eſſe non cadentem in conſtantem virum, eſt levis. Alium eſſe reverentialem, ut eſt Filii ad Patrem. Hinc reſpond. metum non tollere voluntarium ſimpliciter, quia voluntas non poteſt cogi, ſed tantùm ſecundùm quid: tunc enim actio eſt mixta ex utroque. Primum patet, quam metus facit, quod multa fiant cum voluntate efficaci, quæ alias non fierent, ut confeſſio impiorum tempore Paſchatis, &c. Secundùm etiam patet, quia voluntas abhorret ab illo actu, ſemotis circumſtantiis, ut potio amara in ægroto. Quoad cupiditatem reſp. quod ſi eſt antecedens uſum liberi arbitrii, excitans ad actum, non tollit, ſed minuit liberum arbitrium, quia minuit indifferentiam: ſi eſt conſequens, tunc auget liberum arbitrium, quia voluntas excitat in ſe affectum, ut promptius exequatur. Vid. S. Bonav. *de tribus ternar. cap. 3. diat. tit. de tribus precept. cap. 8. & l. 3. d. 38. a. 2. q. 2.* Quo ad ignorantiam: Reſp. primò, ignorantiam aliam eſſe juris, ut quando quis ignorat legem, aliam facti, qua ignoratur res prohibita, ut occidens hominem occidere putat feram. Item ignorantia alia eſt antecedens, vel ſcilicet quæ prævenit judicium intellectus, ne ſubjaceat imperio voluntatis: & ſic actio facta tali pacto non eſt voluntaria vel explicitè, vel implicitè, & dicitur invincibilis, quia non poteſt diligentia humana impediri: & etiam probabilis, quia licèt potuerit prævideri, non tamen debuit, & hæc eſt cauſa operis, quod aliàs non fieret: Item alia eſt concomitans, quæ non ſequitur voluntatem vel explicitam, vel implicitam, eſtque quid diſparatum ad opus, ut quis ignorans occidit inimicum, occiſurus etiam, ſi ipſum cognoviſſet; & in moroſa delectatione carnis etiam id accidit: Item alia eſt conſequens non opus, ſed voluntatem, eſtque affectata, quam quis directè vult: vel craſſa, & ſupina, eſtque ex negligentia diſcendi, & eſt voluntaria indirectè: Hæc ſupradicta omnia ſparſim tradit Seraph. Doct. *l. 2. d. 42. a. 2. q. 1. & d. 22. q. ult. & diſ. 25. q. 1. p. 2. & diſ. 32. a. 3. q. 2. ad 2. & d. 5. q. 1. & d. 8. q. 2. ad ult. & d. 19. a. 3 q. 2. & d. 25. per totum & d. 13. p. 1. q. 2. ad arg. & l. 4. d. 4. p. 1. a. 2. q. 2.* Ex quibus concluditur primò, quod actus, ſeu conſenſus voluntatis directus eſt cum voluntas formali conſenſu ſibi complacet in objecto, quod deliberatè judicat intellectus practicus: 2. virtualis eſt qui includitur in conſenſu formali: vel eſt conſenſus ipſe formalis præteritus adhuc durans: Interpretativus eſt, cum quis tenetur elicere actum contrarium, & non cohibet: Plenus eſt cum plena advertentia: Semiplenus eſt cum non plena advertentia.

Q. 4. *An omnes actus non ſolùm voluntatis, ſed etiam intellectus ſint voluntarii.* Reſp. præſcindendo ab illa quæſtione inter Thomiſtas ex una parte, & D. Bon. & Scotum ex alia, an ad formalem libertatem concurrat effectivè intellectus determinando voluntatem per propoſitionem factam ab intellectu, ut volunt Thomiſtæ, an verò intellectus concurrat ſolùm ponendo tantùm rationes, hinc inde tanquam conditionem ſine qua non, relinquendoque voluntatem in ſuo pleno dominio, ut vult Seraph. D. cum Scoto, & de qua *in tract. 3. de anima, q. 2. ſatis actum eſt.* R. inquam, quod voluntas habet duos actus, ſcilicet elicitum, & imperatum: primus eſt, qui fit à voluntate per ſe ipſam, & in ipſa recipitur, ut eſt velle amare, &c. ſecundus eſt, qui fit à voluntate miniſterio alterius potentiæ, à qua proximè actus imperatus gignitur, interdumque tranſit in materiam externam, ut ambulare, videre, &c. De primis non eſt dubium: de ſecundis autem aliarum potentiarum dicendum, quod illi actus, qui antecedunt omne imperium voluntatis, & qui ſunt omninò neceſſarii, ut eſt prima intellectio, negatio, nutritio, & membra, quæ ſunt inſtrumenta talium virium naturalium, non cadunt ſub imperio voluntatis, nec poſſunt dici voluntarii, benè autem cæteri. 373

Q. 5. *An liberum arbitrium hominis poſſit cogi ſaltem à Deo?* Pro ſolut. nota, quod in voluntate ſunt habitus, actus, & privationes eorum, & de his omnibus procedit quæſtio. Prima opinio eſt Suar. Medinæ, aliorumque id affirmantium: Secunda S. Bon. communis negantium.

R. ergo primò Deum poſſe neceſſitare voluntatem ad recipiendos habitus, non tamen inferre violentiam. Eſt D. Bon. *l. 2. d. 25 p. 2 q. 5 ad 1.* ratio eſt quia poteſt habitus infundere in voluntate, etiam ipſa non conſentiente: ſed hoc non eſt contra inclinationem, & capacitatem animæ, ergo. R. 2. poſſe Deum cogere voluntatem ad privationem cujuſcumque actus; poteſt enim impedire ſuum concurſum. R. 3. non poſſe voluntatem cogi ad actum elicitum ab ipſa: ſic S. Bon. *cit. q. 4. & 5.* ratio eſt, quia actus voluntatis elicitus intrinſecè eſt voluntarius, quia voluntas cum vult, vult ſe velle, & ſe ipſam movet; ergo impoſſibile eſt ut voluntas velit aliquid niſi voluntariè.

Dices: Poteſt Deus infundere actum elicitum in voluntate, & contrarium ſuæ inclinationi. R. neg. aſſumptum; poteſt quidem movere exterius, perſuadere, excitare, ſed non cogere. Vid. S. Bon. *d. 25. loc. cit.*

QUÆSTIO

QVÆSTIO III.

An actio deliberativa dividatur per differentias oppositas in bonam, & malam, & an ipsæ differentiæ sint essentiales, an accidentales.

373 ADvert. circa hanc materiam, quod Seraph. Doct. *l.2. d.41. a.1. q.1.2. & 3. excitat tres quæstiones.* In prima; & secunda est, an actio procedens à voluntate deliberativa dividatur per bonam, & malam, tanquam per differentias vel essentiales, vel accidentales, & deinde in tertia, an præter bonam, & malam actionem detur tertia media per indifferentiam, ubi concludit affirmativè: & licèt videatur resolvere contradictoria, dum in primis duabus asserit dividi actionem voluntatis moralem per differentias oppositas, accidentales tamen, & postea in tertia admittit circa primas duas resolutiones tertiam mediam indifferentem; tamen Seraph. Doct. nec sibi contradicit, nec sibi est contrarius: continent enim diversa, & disparata; nam in primis duabus intendit probare quod malitia, & bonitas est moralitas accidentaria adveniens actioni, quia eadem actio potest habere bonitatem, & malitiam, ob idque non possunt esse differentiæ essentiales actionis voluntariæ: & hinc postea proponit quæstionem de actione indifferenti.

In qua 1. opinio Thomistarum admittit actionem indifferentem in specie, non verò in individuo, sed necessariò actio hæc debet esse vel bona, si ad Deum dirigatur, vel mala, si non dirigatur. 2 Opinio est aliquorum Scotistarum, admittentium actiones in individuo, & negantium in specie. 3. Opinio communissima Seraph. D. *d.41.q.5.* Scoti, & seq. & plurimorum omnium Scholarum admittentium actionem moralem indifferentem in specie, & in individuo.

Not.1. ex Seraph.D. *cit.* quod in actione duplex bonitas potest considerari: prima est naturæ ut ens est: & de hac non est quæstio. alia moralis, scilicet per ordinem ad rationem dirigentem vel secundùm regulas legis, vel contra regulas: unde bonitas in universum est triplex: bonitas in genere, scilicet ex objecto: bonitas ex circumstantia, fineque, & intentione: & bonitas secundùm se, & simpliciter, & est bonitas naturæ, ut notat *d.36. dub.5.* bonitas hæc tertia dicitur etiam ex genere, quia est potentialis ad fieri bonum, vel ex objecto, vel ex circumstantia, sic etiam ad malum: sic bonum naturæ fit bonum morale per transitum super materiam dubiam: cui triplex malum etiam opponitur: circumstantiæ verò addentes bonitatem, & malitiam actui vel se tenent ex parte operantis, ut intentio, intensio, libertas major, vel minor; vel se tenent ex parte objecti, ut major, vel minor eleemosyna, locus, persona, tempus: primæ augent, vel minuunt bonitatem, & malitiam intra eandem speciem, secundæ aliquando extra speciem. De quibus infra in propria quæstione agetur.

Not.2. Objectum illud dici indifferens, quod ita
374 à ratione proponitur voluntati, ut in proponendo illud nec suadeat, nec consulat, neque præcipiat transitum super illud; nec minus prohibeat, vel dissuadeat, sed solùm permittat, non quidem permissione illa, qua Deus, licèt prohibeat peccatum, illud tamen permittit, hæc enim non est rigorosa permissio, sed permissione, qua licitè fieri possit illud, unde actus transiens super objectum sic à ratione propositum, positivam ab eo accipit indifferentiæ speciem, quia ordinem positivum per modum accessus dicit ad rationem hoc modo permittentem, & tali pacto actus regulabilis per rationem optimè dividitur in actum conformem, & difformem tali regulæ, & actum indifferenter se habentem respectu ejusdem regulæ, cum qua nec conformatur, nec difformatur. Et si dicas, tales indifferentes spectare ad genus naturæ, quia ut sic non procedunt à voluntate, prout subjecta est regulis moris, aut principio morali, sed quatenus est potentia phisica cum indifferentia operans, ergo non possunt dici morales. R. neg. assumptum; ad prob. resp. actus istos ita exerceri, ut procedant ex perfecta cognitione objecti, & ponderatione ipsius malitiæ, & bonitatis, quatenus intellectus cognoscit objecta talium actuum non esse bona, nec mala moraliter, sed regulam rationis ad ea indifferenter se habere: & tali pacto morales dici possunt ad distinctionem eorum, quæ cum invincibili inconsideratione bonitatis, & malitiæ moralis fiunt, liberè tamen, attenta sola delectabilitate phisica, ut evenit sæpè in pueris: hinc patet, quod cum species actus sumatur ex objecto, si est conveniens rationi præcipienti, vel consulenti dicitur bonus, si est disconveniens dicitur malus. Si ratio est solùm permittens, sic reddit actum, & si non bonum in genere moris, licitum tamen, & tali pacto etiam talis actus est dignus laude non ob conformitatem practicam ad rationem, sed quatenus eam non violat, nec contra eam facit: & hinc differentia præsefert quid positivum, scilicet habitudinem per modum accessus ad rationem merè permittentem, & connotat negationem bonitatis, & malitiæ ex objecto: sic acutissimè Meldul. cum pluribus aliis, & Seraph. D. *infra cit.*

Not. 3. quod cum detur tertia species actus moralis, scilicet indifferentia positiva: per consequens cum dicat ordinem ad bonitatem, & malitiam cujus negationem de se importat, sequitur ex ea capacitas utriusque, scilicet bonitatis, & malitiæ non quidem ratione sui, sed ratione circumstantiarum ipsius operantis, præsertim finis extrinseci boni, vel mali, quem operans potest sibi præfigere: sicut superficis dicens negationem albedinis, & nigredinis habet capacitatem ad utramque, quæ omnia tradit Seraph. D. *l.2.d.41.q.1.2.& 3.& d.40.a.1. per tot.*

Concl. 1. Dantur actus indifferentes non solùm secundùm speciem ex objecto, seu in genere moris, sed etiam in individuo, ita quod constituatur tertia species positiva moris: est S.Bon. D.Thom. Scoti, & communis: licèt Thomistæ admittant tantùm speciem indifferentiæ negativæ ex objecto bonitatis, & malitiæ, quarum est prorsus incapax: nos verò admittimus indifferentiam positivam essentialem ut tertiam speciem moris, quæ habet negationem bonitatis, & malitiæ accidentaliter cum capacitate positiva utriusque ex circumstantiis, & ab extrinseco. Pr. concl. primò auctoritate D. Hieron. Epist. 89. ubi adstruit, aliqua opera leviora, ut ambulare, comedere, non esse bona, vel mala ex objecto, sed indifferentia. Idem dicit Glossa in illud ad Rom. cap.7. *Velle mihi adjacet*, velle est vel culpæ, vel gratiæ, vel naturæ, ergo datur medium inter bonum, & malum morale; quæ auctoritates probant dari indifferentiam utroque modo: tùm quia valdè durum est dicere, quando v.g. quis incumbens studiis,

ut,

ut percipiat scientiarum veritatem, loquens alii ex naturali pietate, & ex vinculi urbanitate, absque eo quod ista referat in Deum, peccet, ut notat S. Bon. *ibid. in corp.* Pr. quia dantur actus non importantes convenientiam formalem, vel disconvenientiam ad rationem ex natura sua; ut levare festucam, ambulare, &c. Tum quia omnis natura specifica petit conservari in individuo: Sed datur secundùm adversarios natura specifica indifferentium actuum, ergo & natura individua: Ambulatio enim specificè sumpta est indifferens: ergo & hæc ambulatio.

Resp. hos actus habere indifferentiam negativam, non positivam, ob idque tantùm in specie, & secundùm esse naturæ, non in genere moris, quia in individuo, si dirigantur in bonum finem, sunt boni, &c. Contra, quia tales actus possunt fieri ex præsupposita cognitione boni, & mali cum indifferentia positiva ad utrumque, ergo tunc erunt morales. Resp. admittendo totum in actibus secundùm speciem, & ex objecto: sed quia in individuo exigunt extrinsecas circumstantias, præsertim finis; sicut homo, ut sic, nec est albus, nec niger, nec rubeus, sed in individuo accidentaliter necessariò est vel albus, &c. Sed contra: sicut objectum de se est indifferens, ita & dantur circumstantiæ de se indifferentes, v.g. finis extrinseci, ut est levare festucam, comedere, qui actus sunt de se indifferentes ex motivo puræ naturæ, v.g. ad sublevandam naturam &c. vel ex complacentia naturali. Et hinc excellentissimè dixit Seraph. D. *q.3.a.1.* quod actio, quæ non est ordinata in finem ultimum, id erit vel ob inordinatam conversionem ad creaturam sicque erit malitia conversionis, vel ex negligentia operantis, sicque erit malitia omissionis, vel erit ob operantis infirmitatem, vel miseriam: & hæc est indifferens: quia circa creaturam non afficitur inordinatè, nec comparat illam ad Deum, sed facit propter aliquem finem, qui respicit indifferentiam naturæ, ut cum quis ambulat, ut recreetur, vel comedit ut reficiatur: Indulgetur enim naturæ fragili & infirmæ, ut multa possit talia facere, &c. *vid. ibid.* apud S. D. multa pulcherrima.

Prob. 3. Hic defectus ordinandi actum in finem ultimum vel est commissionis, vel omissionis: si primum, ergo actus ille est contra rationem, quod est falsum, cum ex objecto sit indifferens: si secundum, ergo est contra legem, sed non datur tale præceptum ordinandi omnes actus in Deum, ut advertit S. Bon. *cit. ergo.*

Respondent esse præceptum commissionis contra præceptum negativum non operandi otiosè: respondent alii esse omissionis, scilicet debiti finis, ad quem creatus est homo, ut ad objectum suæ dilectionis. Sed contra (ait S. D.) quia hoc est arctare nimis viam salutis: Præterea dicant Adversarii, tale præceptum contra quam virtutem sit adversans? In cujus interrogationis responsione mirùm est, quam sint varii Adversarii, nempè in assignando quale peccatum sit, & contra qualem virtutem; alii enim dicunt esse peccatum prodigalitatis, alii otiositatis: alii intemperantiæ: alii esse contra virtutem, à qua actus boni eliciuntur. Ulteriùs, si illi actus in individuo sunt boni, vel mali necessariò, ergo possunt esse materia voti, sed hoc est falsum, nam ut notat Seraph. D. *l.4. d.38. a.1. q.2. ad 3.* Indifferens aliquid est dupliciter: primo quod est informabile motu, & circumstantia virtutis, sicut comedere, & abstinere, & hoc potest moveri: Aliud, quod nihil facit quantum est de se ad virtutem, ut levare festucam, ire ad prata, & de tali non est propriè votum, & si quis tale quid voveat judicio caret, nec tenetur ad ipsius observantiam, quia talis actus nec est acceptus, nec exosus Deo.

Prob. 4. Præceptum operandi bonum est positivum, quod non ligat semper: ergo potest homo omittere aliquod bonum supererogationis, vel ab eo cessare: hæc verò actio nec erit bona, nec mala: & si mala cur? Resp. omissionem esse indifferentes, non verò actiones, quæ debent dirigi ad rectum finem. Contra: quia omissio non datur nisi cum actione, & per actionem, ergo nulla responsio. 5. Sequens hanc sententiam probabilem, imò probabiliorem, non peccat, ergo stat firma conclusio.

Objic. 1. ex 1. Cor. c. 10. Apostolum præcipere, 37 ut omnia ad Dei gloriam faciamus: quæ verba non continent purum consilium, quia consilium non ordinatur omnibus, ut hic facit Apostolus; ergo si non ordinantur omnes actiones ad gloriam Dei, omittendo quod præcipitur, intervenit peccatum. R. S. Bon. quod si hic sermo Apostoli sumitur negativè, est præceptum, est enim sensus, ita faciatis opera vestra, ut nihil faciatis contra gloriam Dei: si sumitur affirmativè, ita ut, ly, *omnia*, sumatur, & teneatur distributivè, & divisim, tunc est consilium, & admonitio, ut scilicet omnia referamus in Deum, nullum enim datur opus deliberativum, quod non possit ordinari in Deum: si sumitur affirmativè collectivè: tunc non est præceptum, nec consilium, sed finis præcepti, & consilii; ad hoc enim tendere, hoc desiderare debemus, quod ad talem statum perveniamus, ut omnia in Deum referamus.

Objic. 2. De omni verbo otioso reddemus rationem apud Deum ex Matth. 12. otiosum verbum verò ex D. Greg. est. Quod caret ratione justæ necessitatis, & intentione piæ utilitatis; ergo carens justa necessitate, & pia utilitate est malum, taleque opus est indifferens. R. S. Bon. quem alii Theologi sequuntur, otiosum verbum non esse illud, quod non est ordinatum in finem, sed quod caret omni utilitate, dum tamen aliquam deberet habere; sed tamen inter tale otiosum, & meritorium datur medium, quando quis facit aliquid quod non caret omnimoda utilitate, licèt non sit ordinatum in Deum, ut in finem ultimum; unde otiosus non dicitur homo semper dum non laborat, sed dum non laborat, quando deberet laborare: hinc SS. PP. exhortantur Monachos, qui in congressibus spiritualibus deberent spiritualia verba proferre, ne otiosas loquantur fabulas, & inutilia verba: non tamen otiosa vocant ea, quæ ordinantur ad recreationem spiritus, & necessitates etiam leves naturæ sublevandas, ut deambulare; unde S. Bern. cum quendam fecit hospitare ad recreationem Monachi Mæsti, dixit otiosum fuit factum, sed non otiosè factum.

Objic. 3. In via Dei stare, & non progredi, retrocedere est: sed qui facit actionem non meritoriam non procedit in via Dei in actione illa, ergo per illam retrocedit, ergo peccat. R. S. Bon. verum est, quod quando homo stat, dum deberet ambulare, & quantum ad illud ma'è facit: nec per hoc prohibetur actio indifferens, nisi quando deberet homo benè operari.

Objic. 4. Homo est rationalis, ergo semper debet operari cum directione rationis, sed ratio ordinat in Deum, ergo actio, quæ non est ordinata in Deum, est contra rationem; Confirmatur ex S D. quia sicut omne, quod non est à Deo, est malum, sic & omne

quod non est ad Deum, ut in finem. R. Seraph.D. *ad* 2. 3. *& 6. & in corp.* ad hoc datam esse homini rationem, & voluntatem, ut non quiescat in creatura, tanquam in ultimo fine, hoc enim est mortale, neque ut ad creaturam convertatur inordinata affectione, neque ut negligat suos actus referre in Deum ut potest, & debet; sed non semper ad hoc tenetur, alioquin etiam à somno se deberet ex parte privare, sed ut proportionaliter ad suam infirmam naturam operetur, cui Deus compatitur. Ad confirmationem respondet negando paritatem de eo, quod est à Deo, & de eo, quod est ad Deum: A Deo ut principio est omne esse etiam naturæ: Ad Deum ut ad finem respicit benè esse, & malè esse intercedit esse naturæ, ideò bonitas moralis rigorosè sumpta non se extendi ad omnes actiones, sicut bonitas naturæ, cui annexa est infirmitas naturæ, quæ exigit opera indifferentia, quæ etiam spectant ad bonitatem moralem permissivam, ut in fundamentis notatum est.

Objic. 5. Actio humana debet esse diversa ab actione Brutorum, sed Bruta adspiciunt ad bonum delectabile, & utile, ergo homo ut differat à Brutis debet adspicere ad honestum, alioquin darentur actiones in homine, de quibus Deus non magis curaret, quam de Bobus, quod est falsum, cum de omnibus reddituri simus rationem in judicio. R. ex doctrina Seraph. conced. major. distinguendo minorem: Bruta adspiciunt ad bonum delectabile, & utile, sed sine ratione, & prudentia, sicut potest facere homo talia bona appetendo ordinatè, & ex prudentia absque eo quod inordinatè declinet ad vitium: & de hac inordinatione solùm ratio à Deo in judicio exigetur, & cum tali distinctione ordinationis, & inordinationis in actibus indifferentibus solvuntur omnia ferè objecta in contrarium.

Dices: Seraph.D. *d.* 41. docere bono ex genere opponi malum ex genere: bono ex circumstantia opponi malum ex circumstantia; & bono secundùm se opponi malum secundùm se: tanquam per differentias oppositas immediatè; ergo si actio caret bonitate moris, includit necessariò malitiam; ergo vel sibi contradicit Sanctus Doctor, vel admittenda conclusio adversariorum: R neg. Seraph. Doct. sibi contradicere ullo modo: nam ibidem Seraph D. sumit bonum. & malum in genere; ob idque dicit, eandem actionem esse in potentia ad bonitatem, & malitiam moris, ut advertit *q.* 1. *ad ult. & d.* 36. *dub* 5. nec posse dari actionem ut sic etiam indifferentem, cui non possit addi bonitas, & malitia ex circumstantia: unde sumit ibi bonum lato modo, non ut est objectum virtutis, sed ut convenit quovis modo agenti, & actui, dummodo non habeat malitiam; & in hoc sensu etiam comprehenditur actio indifferens, quæ dicitur bona, idest non mala, sed capax bonitatis moralis formalis: & tali pacto sumpta bonitas, & malitia lato modo dividit actionem per immediatas differentias.

Dices: privativè opposita non datur medium; bonitas, & malitia ex objecto sunt talia, ergo. R. ex S. Doct. non dari medium in proprio susceptibili, dari autem medium, quando medium non est susceptibile: actus autem indifferens non est capax bonitatis ex objecto, sed tantùm ex circumstantia superaddita: per quàm potest solùm fundare rectitudinem moralem; unde bonum, & malum ex objecto sunt privativè opposita, inter quæ intercedit actus indifferens capax utriusque ex circumstantia.

QUÆSTIO IV.

Unde desumenda sit bonitas, vel malitia: & quotuplex sit. Ubi de bonitate actionis ex objecto?

Quæstio hæc, licèt videatur soluta in superioribus, ubi dictum est, actionem esse bonam moraliter quatenus libera est, & directa secundùm rationem: quia tamen bonitas superaddita actui non est intrinseca ipsi actui, sed ab extrinseco ei advenit, hinc specialiùs inquirendum est, unde adveniat talis bonitas, seu malitia moralis, & quænam requirantur ad hoc, ut actio sit bona, vel mala. Pro solut. quæst. 377

Not. 1. quod bonitas, & malitia moralis in actu, alia est formalis, quæ in ipso actu reperitur; altera objectiva, quæ reperitur in objecto, ut à ratione proposito: & constituit rem, in qua reperitur, objectum bonæ, vel malæ actionis, honestumque, vel inhonestum: Hinc quæritur in quonam consistat bonitas hæc formalis, vel malitia actus: item & in quo bonitas, vel malitia objecti.

Not. 2. quod objectum quando dicitur conferre bonitatem actui, id non debet intelligi fieri per veram efficientiam; non enim ipsum, ut quid externum, potest influere in actum, sed debet ita intelligi, ut det bonitatem actui, ut forma extrinseca movens, & terminans actum, & complens potentialitatem, quam actus importat, prout est via, & tendentia ad illud; quæ doctrina est communis tùm ex Philosophia, tùm ex Theologia.

Not. 3. quod objectum non sumitur nudè, & materialiter, sed formaliter secundùm rationem formalem, sub qua, ut etiam patet in scientiis, nempe ut regulatum per rationem, & judicium. Ratio autem concurrit ad actum voluntatis duobus modis: primo ut proponens, & manifestans, sive mensurans objectum, sicque est solùm conditio sine qua non, quia voluntas non potest ferri in incognitum: Secundo prout ratio est formata ex synderesi per prudentiam, & præcepta divina, subjecta dictamini divino, & legi: unde supra diximus duplicem regulam dari ipsi rationi, & voluntati ipsam regulanti, alteram primariam, remotamque, estque primò lex æterna, & naturalis: secundò lex peculiaris positiva; alteram proximam, scilicet rationem talem legem proponentem, ut conformem, & malitiam, ut difformem.

Not 4. quod lex æterna, & divina, seu indicans est judicium practicum intellectus divini judicantis de convenientia rerum, & terminorum, ex quo judicio efficienter, & principiativè oritur secunda regula æterna moris, & lex naturalis, ex qua regula æterna derivat bonitas completa in objecto: & hinc resultat primò synderesis indicans, & dictans principia universalia moralitatis, & inde descenditur per conscientiam ad particularia.

Prima conclusio. Bonitas formalis actus moralis, 378 inest ei ex objecto non unde consideratό, sed qua tenus objectum est propositum à ratione ut dirigente secundùm regulam primariam divinæ legis, & naturalis: Est communis omnium Theologorum cum Seraph. Doct. *d.* 41. *q.* 1. *ad arg. & q* 2. *in fine*, licèt diversificent in modo.

Prob. 1. Quia per talem ordinem ad rationem, ut dirigentem secundùm regulam legis æternæ, & naturalis bonum honestum distinguitur à delectabili

tabili, & utili: ergo, &c. Probatur antecedens: Ideo enim bonum eſt honeſtum, ob idque per ſe diligibile quia eſt conforme rectæ rationi, & legi divinæ, & naturali, ſive etiam poſitivæ: ergo, &c. Confirmatur, quia in actibus rectitudo, & irrectitudo explicatur per conformitatem, vel difformitatem ad regulas artis: ergo etiam & in moralibus; & confirmatur, & magis explicatur à Seraph. D. *loc. cit. q.* 2. quia ſicut ſpecificatio, & diſtinctio malorum attenditur ratione boni, quod privatur per malum, aut ratione boni, ad quod aliquis convertitur; ſic & bonorum diſtinctio ſumitur penes objectum bonum, ad quod reſpectus habetur.

Objic. 1. Dantur actus boni ſecundùm ſe, & etiam mali; ergo antecedenter, & independenter à ratione, & à lege. R. conced. & neg. conſeq. ob id enim ſunt boni, quia regulantur primò à lege æterna, & remota regula; ſecundò à ratione, ut à proxima.

Objic. 2. Si Deus per impoſſibile non eſſet, & eſſet homo, adhuc tamen illa objecta eſſent bona, ergo non per conformitatem ad legem æternam. Reſp. id implicatorium eſſe per locum intrinſecum; tùm etiam quia in tali caſu ellent juxta dictamen legis naturalis.

Objic. 3. Aliquando ratio decipitur in oſtenſione objecti, & tamen non fit peccatum: ut quia cognoſcit non ſuam uxorem, credens eſſe ſuam; non per difformitatem ad legem fit peccatum. Reſp. conced. anteced neg. conſeq. ratio enim aliquando decipitur inculpabiliter ob ignorantiam circa objecta particularia: ſed ſufficit ut probabiliter objectum cognoſcatur conforme rationi.

Objic. 4. Poteſt idem objectum terminare actum bonum, & malum, ut Deus actum amoris, & odii; ergo cum circa idem objectum alternentur actus oppoſiti, non poſſunt ab eo ſpecificari. R. ſpecificari ab objecto formali, non materiali, quale eſt Deus in noſtro caſu; undè dicitur objectum ex genere, ſive potentiale ad formalitates varias.

379 Concl. 2. Actus recipit bonitatem primam ex objecto, ita tamen quod aliæ bonitates ei competere poſſunt, ſcilicet ex circumſtantiis, ex fine, & intentione: Sed dicitur habere bonitatem ex objecto primam, quia hæc cæteris præſupponitur. Pr. quia in entibus naturalibus dantur plures perfectiones ad invicem ordinatæ, ergo & in moralibus. Et hinc bonitas ex objecto ſpecificat actum ultimatè: bonitas autem formalis eſt illa, quæ reſpicit actum in individuo reſultans ei ex objecto, & circumſtantiis; quæ concluſio magis in ſequentibus pa ebit.

Concl. 3. Non ſufficit bonitas objectiva ad bonitatem formalem actus ſine concurſu bonitatis ex circumſtantiis, ex fine, & intentione: eſt communis: Ratio eſt quia omnia iſta ſimul integrant actum: tùm quia circumſtantiæ ſe tenent ex parte objecti compleri: tùm quia etiam honeſtum conſiſtit in mediocritate quadam, quæ exigit etiam concurſum circumſtantiarum.

Ex quibus ſequitur primò quod ad bonitatem formalem actus debet concurrere etiam conformitas ad voluntatem divinam, ratio eſt, quia non ſufficit lex indicans æterna, ſed requiritur etiam lex imperans, illa eſt ante decretum, iſta poſt decretum divinæ voluntatis, à qua deſcendit rectitudo omnis, & immutabilitas ex parte noſtra. 2. requiritur etiam recta intentio: de quibus omnibus ſpecialiter eſt diſcurrendum infra. 3 Sequitur quod triplex bonitas moralis actui ineſt: Prima ex objecto: 2. Ex circumſtantiis: 3. Ex fine.

QUÆSTIO V.

Expenduntur aliqua difficultates circa bonitatem ex objecto ad clariùs explicanda, quæ tradita ſunt in antecedenti quæſtione.

QUæritur 1. *An ex bonitate, & malitia morali objectiva refundi poſſit bonitas, & malitia formalis in actu?* Reſp. affirmativè cum communi ex Seraph. Doct. ſupra cit. Ratio eſt, quia omnis actus, tam naturalis, quam moralis ſpecificatur ab objecto, eo quia commenſuratur omnis actus per ordinem ad ſuum objectum; ergo ſi bonum eſt objectum, bonus erit actus. 380

Dices: Idem objectum poteſt eſſe bonum, & malum, ut Deus objectum amoris, & odii, & eadem pecunia objectum liberalitatis, & avaritiæ; ergo objectum non poteſt eſſe ratio intrinſeca bonitatis actus. Confirmatur, quia actus externus nullum habet objectum, v. g. largitio eleemoſynæ; imò poteſt eſſe objectum actus interni: & tamen illa eſt bona; ergo. R. ex Seraph. Doct. *d.* 36 *dub.* 5. *& d.* 41. *q.* 2. *ad ult.* ut ſupra dictum eſt, bonitatem, & malitiam non ſumi ex objecto ex genere, & materialiter, & in eſſe naturæ ſumpto, ſed formaliter ſecundùm diverſas formalitates objecti, ut eſt in noſtro caſu de Deo, & pecunia. Ad confirm. de actu externo. Reſp. etiam illum eſſe bonum, vel malum per ordinem ad virtutem, vel vitium, ad quod ordinari poteſt.

Q. 2. *An bonitas actus ex objecto ſit prima bonitas, & eſſentialis ipſius actus?* Reſp. cum communi ex Seraph. Doct. ſupra cit. affirmativè; ratio eſt, cum ab objecto actus deſumant ſuam ſpecificationem in genere moris, conſequens eſt ut etiam ab ipſo primam, & eſſentialem ſuam bonitatem deſumant: & patet ex eo quod ex circumſtantiis, & fine extrinſeco deſumant bonitatem accidentalem, per conſequens præſupponunt in eis aliam priorem, & eſſentialem ex objecto.

Dices: Bonitas, & malitia actus deſumitur tanquam ex principio à recta ratione ad conformitatem legis, vel ad difformitatem, bonitas verò ex objecto tanquam à termino, ergo illa eſt prior: Confirmatur, quia actus indifferens ſumit bonitatem non ex objecto, ſed à fine; ergo idem dici debet de omni actu. Reſp. ex Seraph. Doct. & ex ſupra traditis rationem eſſe quidem regulam dignoſcendi bonitatem, & malitiam, non tamen de ſe, ſed per ordinem ad objectum, tanquam ad terminum: & ad confirmationem reſp. quod in caſu dato de actibus indifferentibus, qui fiunt boni ex fine, tunc finis induit rationem objecti: unde ſemper ſtat firma veritas iſta de objecto dante eſſe bonum primarium ipſi actui.

QVÆSTIO VI.

De bonitate, & malitia morali proveniente ex intentione finis, & de electione mediorum, expenduntur plura per varia quæsita.

381 PRo fundamento primò supponend. ex Seraph. Doct. *l. 2. d. 38. a. 2. q. 2. corp.* quod intentio, secundùm suam ethymologiam, nihil aliud est, nisi in aliud tentio, sicut intendere est in aliud tendere: & hinc secundùm generalem significationem, quælibet tentio in aliud a quavis virtute proveniens, sive animata, sive inanimata, sive intellectus, sive voluntatis, dicitur intentio; & quia triplex est appetitus, naturalis, animalis, & rationalis, & quilibet istorum habet suum regimen, quod appellatur intentio, quæ impropriè competit naturali, cujus est magis propriè dirigere, quàm dirigi: Minus propriè animali, qui movetur quadam impetuositate, quæ infra libertatem, & supra necessitatem est; non enim bruta possunt se reprimere, & tamen possunt ad oppositas partes tendere: propriissimè verò competit rationali, qui propriè dirigit, non dirigitur: differunt autem istæ tendentiæ inter se, quod in naturalibus intentio dicit tantùm ordinem, & tendentiam in suum finem quietantem, sic gravia tendunt ad centrum: levia sursum: in irrationalibus dicit & ordinem, & directionem: tùm activam, tùm passivam: in rationalibus ultra ordinem, & directionem activam, dicit etiam collationem, nempe finis ad media, & mediorum ad finem: sic Seraph. Doct. *d. 38. q. 1. & 2.*

Supponend. ex Seraph. Doct. *cit. q 2.* quod cùm intentio componatur ex præpositione (In, & tentione, seu ex in, & tendere: ly, *in*, potest importare duplicem habitudinem, quando additur huic verbo tendere: aut sicut ad objectum, aut sicut ad ultimum finem quietantem, primo modo intendere dicit solam conversionem potentiæ respectu objecti: sic dicitur intendo in hoc, idest me converto in hoc objectum: secundo modo importat & conversionem, & collationem, & quietationem in ultimo fine: sic dicitur intendo hoc (non in hoc) scilicet me converto ad hoc, ut ipsum conferam cum mediis, & aliis finibus, ad ipsum converto, ibique me quieto: collatio est per opus rationis: conversio, & quietatio actus voluntatis: & de hac intentione secundo modo sumpta principaliter est quæstio.

Supponend. 3. Quod duplex est actus in voluntate, alius est intentio in finem, alius est electio mediorum ordinatorum in finem: finis autem alius est intrinsecus, & dicitur finis operis; alius extrinsecus, & dicitur finis operantis de utroque, sed præcipuè de secundo est quæstio.

Quæritur 1. *An intentio sit actus intellectus, an voluntatis* Prima opinio est D. Thom. Scoti, & plurium esse actum solius voluntatis: Seraph. D. *l. 2 d. 38. a. 2. q. 2.* docet esse actum intellectus, & voluntatis, & per actus utriusque integrari: Probatur autem ex Matth. c 16. ubi intentionem vocat oculum, oculus autem animæ non est voluntas, sed intellectus; & ibidem Christus dicit lumen corporis tui est oculus tuus: super quem locum præclarè discurrit ad rem S. Aug. *l. 4. contra Julianum cap. 3. & l. 2. de serm. Domini, cap. 11.* & Seraph. Doct. *Op. de sex alis Cher. ala 4.* Prob. 2. quia intentio est actus appetitus cum collatione mediorum ad finem, & finium inter se, sed appetitus est voluntatis, collatio intellectus; collatio autem, & judicium præcedit, & intentio postea completur per conversionem, & quietationem in fine; ergo utraque potentia integrat intentionem.

Dices potest voluntas ferri in objectum absque collatione, sed simplici complacentia, ergo non ad ipsam necessariò concurrit intellectus, licèt prærequiratur cognitio objecti. Resp. ex doctrina Seraph. Doct. supra allata *in 2. fund.* quòd illa non est completa intentio, sed simplex complacentia, quæ explicatur, ut ibi dictum est, sic intendo in hoc, ut in objecto, scilicet simpliciter, at intentio involuit collationem rationis: Nota tamen, quod hæc quæstio potius est de nomine, seu de modo explicandi intentionis rationem, nam omnes conveniunt necessariò debere concurrere rationem, & compleri per actum voluntatis.

Q. 2. *An electio sit actus intellectus, & voluntatis?* Resp. ex Seraph Doct. *In itiner. ment. cap. 3. & l. 1 d. 40. a. 2.* & cum communi Scholasticorum, quod electio est actus voluntatis elicitus, connotans tamen ordinem ad intellectum consultantem: ratio est, quia electio (ut ait Seraph. Doct. *d. 40. cit.*) est dissimiliter entium, & præoptatio, quia electio præsupponit præeminentiam, & majoritatem in rebus electis, sed ad hoc ut voluntas in electa feratur exigit præcognitionem talis majoritatis: ergo. Hinc dixit D. Greg. Niss. *l. 5. Phil. c. 5.* Electionem esse mixtum quid ex consilio, judicio, & appetitu: ideoque electio dicit ordinem ad media, & finem: Intentio verò est ad finem cum respectu ad media, quare licèt absolutè loquendo electio possit esse non solùm mediorum, sed etiam finis hujus, vel illius singularis è pluribus oblatis, tamen propriè loquendo, & secundùm usum communem, intentio dicitur per ordinem ad finem, electio verò tantùm per ordinem ad media, ideo ejus objectum non est finis, sed media: cum autem requirat collationem, sequitur non posse esse in brutis: sequitur etiam non posse esse rerum impossibilium, ut talium cognitorum: sic S. Bon. *l 2. d. 5. a. 1. q. 2.* sicut diximus in superioribus de peccato Angeli. 382

Et si quæras, cum electio sit discretio unius præeminentis ab aliis; *An voluntas possit eligere id, quod propositum est ab intellectu minus bonum, vel utile?* Resp. Thomistæ negativè: Sed Seraph. D. *l. 2. d. 25. p. 1. q. 6 fund. 2. & p. 2. q. 2.* respondet affirmativè, quam sequuntur plurimi: ratio est, quia data quacumque propositione bonitatis objecti, voluntas semper remanet libera; ergo.

Hic etiam consequenter disquirunt Theologi: *An esse cognitum sit conditio necessaria ad hoc ut finis causet, & moveat voluntatem?* Vasq. de more citat Seraph. D. aliosque veluti asserentes posse voluntatem absque ulla cognitione prævia operari, & in Deum ferri: sed falsò, & malè citatur: nam semper S. Doctor totus est in hoc, quod voluntas non possit in Deum ferri sine prævia cognitione fidei, & mysteriorum, qua imbuta anima postea aliquando sine actuali cognitione, sed virtute præcedentium meditationum fertur in Deum amore unitivo: De quo vide *in Op. myst. Theol. in calce, & l. 2. d. 38. quæst. penult. in argum. 2. loc. cit.*

Q. 3. *An tendentia voluntatis in finem, & in media sit unus actus, vel duplex?* Resp. S. Bon. *l.* 2. *d.* 38. *dub.* 4. quod voluntas finis potest esse dupliciter: aut sicut objecti, aut sicut finis in ratione finis: si sit finis in ratione objecti, scilicet absolutè voliti, sic cum aliud sit objectum creatum, aliud increatum, alia est volontas, qua volo finem, alia qua volo media: sicut alius est motus affectionis, quo amo Deum in se, & alius quo amo creaturam: si autem sit voluntas finis in ratione finis, in quantum scilicet aliud habet ordinari ad finem, sic una voluntate, & uno decursu volo utrumque, licèt voluntas simul & semel non possit ferri super utrumque, sed successivè, ut patet cum amo comestionem propter salutem, quia in amore comestionis includo amorem salutis.

183 Q. 4. *An voluntas sit bona ex bonitate finis.* Pro solutione hujus dubitationis Seraph. Doct. *lib.* 2. *dist.* 38. *quæst.* 1. duo supponit certissima apud omnes Theologos: primum est, quod ad hoc ut voluntas sit bona ex ordinatione ad bonum finem, requiritur ut finis sit bonus duobus modis, nempè secundùm id quod est, & de se, & ex natura sua, & sub ratione finiendi: nam potest dari, ut aliquid sit bonum in se, non tamen rectè ordinetur ad alterum in ratione finis. v. g. minus bonum licèt sit tale, tamen non potest esse bonus finis majoris boni, sicut si Deus, qui est summum bonum, ordinaretur ad bonum creatum. Secundum, quod requiritur, est, ut ordinatio ipsa sit recta ad finem, & ad hoc exigit, ut adsit idoneitas ex parte ordinabilis, & actualis conversio ex parte voluntatis ordinantis; & cum aliquid horum deficit, tunc bonitas finis non potest redundare ad bonitatem voluntatis. v. g. quis ordinat manducationem ad prædicandum, cum manducatio non habeat rationem finiendi, & complendi, & qualificandi prædicationem: & mendacium dictum ad bonum finem non habet idoneitatem ex parte actus, ad hoc ut sit ordinabile ad bonum finem. Resp. quod voluntas sit bona ex fine volito, quando finis est bonus in ratione finis, & sub ratione finiendi, & res ordinabilis habet idoneitatem ad bonum finem, & voluntas actu convertitur ad illum finem. Prob. autem ex Matth. 6. Si oculus tuus; idest intentio, fuerit simplex, per quam voluntas ordinatur in finem, & totum corpus luminosum erit, idest congeries operum. Idem & asserit S. August. *lib.* 1. *q. de Trinit.* tùm quia, ot ait Arist. Cujus finis bonus est, ipsum quoque erit bonum; ergo si actus voluntatis est bonus, & ipsa erit bona: tùm quia sicut actio naturalis. v. g. generatio dicitur bona propter finem, & formam, multò magis id dicendum in moralibus.

184 Objic. 1. Finis bonorum est beatitudo, sed omnes appetunt beatitudinem, & omnes in eam finaliter tendunt, ut docent S. August. quamvis diverso tramite ad eam currant, ergo sicut omnes voluntates communicant cum illo fine, omnes erunt bonæ, & nullæ malæ. Respondet S. Bon. verum esse anteced. de beatitudine in communi; omnes enim tendunt ad aquisitionem boni; sed multi decipiuntur in beatitudine particulari, quæ est ultimus finis: hinc negatur consequentia, & idem dicendum de illo textu D. Dyonisii: nemo operatur ad malum aspiciens, sed ob bonum, scilicet vel honestum, vel utile, &c.

Objic. 2. Finis omnis voluntatis est Deus, sed iste finis est æqualiter semper bonus, ergo omnes voluntates æqualiter deberent esse bonæ, consequens est falsum, ergo non ex fine redundat bonitas in voluntatem. Respondet Seraph. Doct. quòd verum est Deum esse ultimum finem, & de se æqualiter bonum, sed tamen non indè sequitur omnes voluntates esse æqualiter bonas, ex eo quod bonitas finis redundat in voluntatem ex ordinatione, quæ ducit ad illum finem, & quia talis ordinatio est inæqualis in hominibus ex majori, vel minori approximatione, & ordinatione ad illum finem, in qua ordinatione datur gradualis ordo; hinc, &c.

Objic. 3. Actus voluntatis non est bonus, nisi qui oritur ex charitate; ergo bonitas voluntatis potiùs ex principio, quàm ex fine provenit. Nota, quod hæc objectio suscitat aliam quæstionem; an finis, ex cujus bonitate voluntas bona est, & ad quam debent referri nostræ voluntates, sit assignabilis quam proponit Seraph. Doct. *d.* 38. *quæst.* 2. & resolvit dicens, quòd est Charitas increata, in qua voluntas nostra quietatur, & est charitas creata, non in qua anima quietatur, sed qua quietatur, vel inchoatè in hac vita, vel completè in altera; hinc est quòd charitas non reddit opus bonum, nisi ex eo quòd ipsa refert bonum to summum bonum; nec potest aliquid sufficienter referri in hoc summum bonum, nisi ex charitatis adjutorio, quæ facit finem illum omnibus aliis præponderare, & in eo quiescere, ut in fine ultimo, hinc est, quòd bonitas voluntatis charitati attribuitur tamquam fini, quo anima fertur in ultimum finem, per quod tota ordinatio actus est ad finem ultimum.

Dices: finis, & principium sunt distincta, sed charitas est radix omnium operationum bonarum, ergo distinguitur à fine, ergo non est finis, cum ad ipsum consequantur operationes. Resp. S. Bon. *quæst.* 2. *ad ult.* primò, quòd charitas, prout est radix bonorum operum, dicitur principium, prout verò ad ipsam habendam, & augendam per ordinem ad Deum, dicitur finis: respond. 2. & probabiliùs, quòd charitas habet rationem efficientis, & finis secundùm diversas comparationes, quia, ut principium movens, continuat nostram voluntatem ipsi Deo, ut regula dirigens, confirmat voluntatem Deo, ut jungens ipsi Deo, habet rationem finis quietantis, quæ officia in charitate in unum junguntur.

Quæres 1. *An qualitas operis correspondeat qualitati intentionis?* seu an bonitas voluntatis in iis, quæ sunt ad finem pendeat ex intentione finis, & bonitas intentionis ex bonitate electionis. Unde duplex est quæstio. 1. an generaliter loquendo intentio reddat bonam, vel malam actionem. 2. an intentio bona reddatur mala ex prava electione. R. S. Bon. *lib.* 2. *dist.* 40. primò certum esse electionem mediorum ad finem esse malam, quæ ex mala intentione oritur; cum enim intentio mala sit causa electionis, etiam transfundit malitiam in electionem, ut si quis jejunet ad ostentationem. Resp. 2. intentionem, seu volitionem finis, si absolutè intenditur absque ordine ad media, ipsam esse bonam, si bona est intentio. v. g. quis intendit incumbere subventioni pauperum ex charitate, & postea furetur, ut possit facere talem subventionem, tunc enim tale furtum se habet impertinenter ad finem jam habitum; si verò intendatur talis finis etiam bonus cum ordine ad media, quando electio mediorum est mala, tunc talis intentio est mala, quia media in hoc casu se habent ut circumstantia, & ut causa finis, ut si quis furatur, ut pascat pauperem. Resp. 3. quòd absolutè loquendo, quando finis est bonus cum recto ordine mediorum, tunc bonitas intentionis redundat in boni- 185

tatem mediorum,& operis ; & è contra, si non adest vel finis bonus, vel recta ordinatio mediorum ad finem, tunc malitia redundat in opus.

Ratio horum dictorum est, quia voluntas aliquid amans transformatur in rem amatam, ergo si res amata est bona, & ipsa erit bona, & si est mala, & ista erit mala ; tùm quia bonum absolutum præsupponit bonum ex circumstantia, debet enim vestiri debitis circumstantiis, sed aliqua sunt opera mala extrinsecè, vel prohibita à lege Dei, ergo ipsa velle est malum etiam cum bona intentione. Nota autem, quòd hæc conclusio est communis, & determinata in sacris Cannonibus *in capite : Primum & in cap. ne quis* 22.q.2. & ad Romanos, ubi habetur, quòd non sunt facienda mala, ut eveniant bona.

Objic. ex D. Ambrosio, quòd affectus, & intentio operi nomen imponit, ergo intentio bona bonitatem confert operi ; quia ex arbore bona, scilicet voluntate cum bona intentione, boni fructus nascuntur. Resp. S. Bon. quod ad hoc ut intensio sit bona, requiritur non solùm intentio bona finis, sed & ipsa ordinatio in finem, quæ sit bona, ut suprà notatum est.

Objic. 2. Potentius est bonum respectu boni, quàm malum respectu mali ; sed qualecumque opus bonum depravari potest per malam intentionem, ergo & opus bonum per bonam intentionem potest rectificari. Resp. S. Bon. negan. paritatem, quia bonum consurgit ex integra causa, scilicet ex concursu multarum circumstantiarum, quibus deficientibus, vel in toto, vel ex parte, opus non est bonum ; malum verò ex defectu unius causæ, &c. itaque patet veritas Conclusionis, quòd ad bonitatem requiritur integritas causæ, scilicet bonitas ex objecto, & intentione, & circumstantiis, ad malitiam verò sufficit malum volitum, vel expressè, sed directè, vel interpretativè, sive consideretur malum ut verè objectum per se, vel ex circumstantia. An verò bonitas intentionis in actu malo saltem minuat malitiam actus ; aliqui id negant : sed communiter cum Seraph. Doct. *d.* 8. *q.* 1. & *d.*40.*q.*1. alii affirmant, & ratio est, quia quantum alicui operi adest bonitatis, tantum deest malitiæ, sed actioni malæ factæ ex bona intentione plus adest bonitatis quàm operi facto ex mala intentione, ergo tantum abest malitiæ, & consequenter plus meretur veniam; major est evidens, nam quantum crescit de forma, tantum de privatione tollitur, & è contra, & quantum crescit unum contrarium, tantum alteri minuitur ; minor probatur, ad bonitatem operis non modò confert, ut objectum sit bonum, sed ut ritè ad bonum finem ordinetur, ergo minus malum erit, si desit altera conditio, quàm si ambæ deficiunt.

386 Q. 2. *An accedente bonitate finis, maneat simul bonitas prior, quam actus habet ex objecto. v.g. actus temperantia ab amore Dei productus?* Nota quòd hæc quæstio versatur circà media ordinata ad proprium finem ; an scilicet actus volitus in ordine ad finem contineat ultra bonitatem finis etiam proprium; Et sensus est ; an bonitas, vel malitia ex fine desumpta sit essentialis electionis, an potiùs desumpta ex medio ; ita ut electio mediorum habeat bonitatem, vel malitiam essentialem ex objecto competente ipsis mediis, & solùm accidentalem ex fine extrinseco : cujus quæstionis solutio pendet ex iis, quæ traduntur à Seraph. Doct. *lib.*3. *dist.*28 *q.*5. an dona gratuita sint ex charitate diligenda, & ab alia ; an plures fines possint eidem actioni præfigi, ad quam remittentes fusiorem declarationem infrà tradendum. Resp. ex Seraph. Doct. *dist.*38. *dub.*4. quòd si objectum electionis, vel medium est per se bonum, & amatur non propter se, sed propter finem, tunc bonitas objecti nihil facit ad illam bonitatem medii, & si amo temperantiam in ordine ad castitatem, tunc est una bonitas finis ; ratio est ex S. Bon. *dist.*38. *dub.*4. & *quæst.*1. *ad* 3. quia ubi unum est propter alterum ; ibi unum tantum ; in quo casu tamen, etsi non acquiratur duplex bonitas, tamen major dispositio ad proficiendum in bono, & recedendum à malo, & in cælo præmium accidentale augetur ; si verò medium illud amatur ob suam bonitatem, simulque ordinatur in finem bonum, tunc concurrunt duæ bonitates ; ibi enim sunt duo actus distincti, & una bonitas alteri non contrariatur ; & prima ex objecto est essentialis. 2. est accidentalis ex circumstantia, talique pacto Seraph. Doct. conciliat opiniones inter se dissentientes : quare prima negans est Vasq. *dist.*51. *cap.*3. cum aliis ; Et Seraph. Doct. affirmans est communis apud Mastrium *num.* 126. Notat autem Seraph. Doct. *lib* 3. *cit.* quòd ista media diligenda sunt ex charitate, ut bona honesta, sed tamen amore concupiscentiæ, non amicitiæ, quatenus sunt bona, & ulterius ordinabilia ad Deum, & ad beatitudinem ultimam.

Dices : illam Viduam *Matth.*12. de qua dixit Christus, quòd plus omnibus reposuit in gazophilatio, laudatam fuisse ob bonam intentionem, ergo sola intentio est, quæ bonitatem inducit actui, & electioni mediorum. Resp S. Bon. *lib.*2. *dist.*40. *a.*2. *q.*1. *ad primum*, quòd Christus fecit comparationem non in ratione dati, sed dantis, scilicet ex majori charitate, & perfectiori intentione, & ex hac parte dicitur dedisse, sed per hoc non tollitur bonitas respectu rei oblatæ, nam cæteris paribus plus meretur eligens medium perfectius ; aliàs non mereretur plus patiens martyrium pro Christo, quàm abstinens à cibo, unde in electione medii debet attendi intentio bona, vel mala magis, vel minùs adæquata ad finem cum idoneitate, & propensione : *Vide Becanum tom* 1. *cap.*44.

Q. 7. *An bona voluntatis sit unus, vel plures fi-* 387
nes ? idem & quæritur de mala voluntate. Resp. Seraph. Doct. *l.*2. *d* 36. *q.*4. quòd plures fines statuere uni actui potest esse tripliciter ; primo ut unus finis sit sub fine, & propter finem, hocque potest intelligi duobus modis ; primo quòd unus finis habeat alios fines subordinatos, in qua subordinatione actus unius virtutis assumitur, ut medium in ordine ad actum alterius. v.g. abstinentia assumpta ad observandam castitatem, & in hoc nulla est discrepantia, vel difficultas cum actus virtutis alicujus potius habeat rationem medii, non finis ; & de hoc supra actum est in præcedenti dubio, & in tertio : alio modo quòd idem, & unus actus habeat proximè, & immediatè plures fines subordinatos moventes, sed ordine quodam ; & circa hoc etiam certum est id posse contingere, ita tamen, quòd unus finis sit principalior, alii verò minus principales, unus moveat remotè, alii proximè. v.g. quis vadit ad celebrandam missam principaliter ad Deum laudandum, minus principaliter ad acquirendam pecuniam, ut ipsam eroget pauperibus, vel ut impetret donum castitatis, humilitatis, &c. ratio est, quia isti fines, nec sunt sibi invicem contrarii, nec incompossibiles, & è contra habent subordinationem, & connexionem virtutum, quæ exercentur, &c. 2. ut unus finis sit principalis, alter non principalis, sed disparatus, & non subordinatus. ut quis vadit ad sacrum faciendum principaliter ad Dei gloriam manifestandam,

dum, & secundariò ad pecuniam acquirendam ad usus suos licitos; & etiam id fieri potest, cum tales fines non fint contractu. Addit Seraph. Doct. quòd, dato quod finis minùs principalis etiam esset peccatum veniale. v. g. cum aliqua inordinatione venali ad pecuniam, non per hoc tollitur valor finis principalis. 3 quòd eidem actui præfigantur duo fines principales, & ultimi v. g. ad celebrandum sacrum ad Dei gloriam, & ad acquirendam pecuniam ad avaritiam mortaliter implendam: & id est impossibile, quæ incompossibilitas currit etiam in bono actu elicito ex duobus motivis principalibus non subordinatis virtutum. v. g. assumptio jejunii ad castitatem, & ad humilitatem sine subordinatione; & ratio est, quia idem effectus non potest produci simul à pluribus causis totalibus ejusdem generis, & ordinis conjunctim, ut patet ex Physica: Tùm quia in moralibus finis totalis dat speciem actui essentialem, & primam in genere moris, ergo in dato casu idem actus primò poneretur in duplici specie essentiali, quòd repugnat; tùm quia, cum completio habeatur sufficienter ab uno fine; ergo alia est superflua, & frustratoria; & in hoc sensu, ait Seraph. Doct. sacra Scriptura detestatur tam actiter cor divisum, & cordis duplicitatem, ut patet in Isa c. 18. Eccl. 1. Osæ 10. Addimus tamen, quòd in bonis actibus ut plurimùm adest subordinatio, & connexio virtutum, ideo rarissimè potest dari quod tales fines careant suo merito.

388 Objic. ex 1. Corinth. cap 9. *Quoniam debet in spe qui arat*: scilicet, ait Glossa, prædicat homo ad Dei gloriam in spe stipendiorum; ergo duplicem finem principalem quis potest sibi præfigere. Resp. Seraph. Doct. quòd dicit Apost. in spe, non propter spem: propter, dicit finem principalem, in, verò, dicit finem minus principalem; imò finem sub fine, sic nulla est consequentia.

Objic. 2. in domo Dei admittuntur Mercenarii *in Luc. cap. 5.* sed Mercenarius sibi finem creatum constituit scilicet mercedem creatam; ergo, &c. Resp. S. Bon. admitti Mercenarium bonum in domo Dei, non malum collocantem suum finem ultimum in rebus creatis: bonus autem Mercenarius sibi præfigit finem creatum bonum, sed subordinatum fini ultimo.

Objic. 3. Bonum additum bono facit majus bonum, ergo duo fines principales boni faciunt majus bonum. Resp. conced. antecedens, si fines præfigantur cum debito ordine ad ultimum, & summum; nego si absque ordine.

Dices contrà secundum dictum, nempè non posse simul subsistere actum bonum ex fine bono, cum actu peccaminoso veniali; quia in peccato veniali concurrit intentio mala inficiens totam actionem; sed impossibile est ut actus sit moraliter simul bonus, & malus, ergo, &c.

Nota, quòd hæc objectio nititur illi quæstioni, quam agitant Theologi: an malitia intentionis inficiat totaliter electionem boni medii, vel potiùs cum ea consistere possit, ita ut ille actus sit simul bonus, & malus; Et licèt quæstio sit circa finem intentum, & electionem mediorum; objectio antem supradata sit circa intentionem plurium finium, tamen habent connexionem ad invicem; & quoad malitiam intentionis, & electionem boni medii affirmant posse simul consistere Almain, Cajet. aliique apud Mastrium *num.* 253. negant probabilius communiter alii, dicentes viriari simpliciter electionem medii à mala intentione, si hæc intrinsecè attingat illud medium, & si verè sit causa illius; & è contra, bonam intentionem viriari ex malo medio; ratio est, quia licèt ille finis materialiter sit bonus, formaliter tamen, quatenus finalizat, est malus, quia finalizat volitus objectivè per malum medium, & proinde redditur malus ex circumstantia, quæ notatur (quibus auxiliis) ac etiam, quia finalizat causando illud medium malum, quia omnis finis est causa mediorum; redditur etiam malus ex circumstantia (quid) quatenus denotat effectum sequutum; alioquin idem actus esset simul meritorius, & demeritorius, quòd implicat: S. autem Doct. assignat doctrinam satisfacientem utrique difficultati, si malitia sit objectum ut quod, & intenta directè ut finis, tunc inficitur totum corpus actionis; si verò est tantùm circumstantia circa quem, ut concionari cum aliqua vana gloria, tunc non inficitur totum corpus actionis, quia non destruit actum habentem suam bonitatem ex objecto essentialem, sed se habet illa circumstantia, ut concomitans tantùm; aliud enim est concionari ex vana gloria, aliud cum vana gloria, in primo ponitur vana gloria ut objectum circa quod; in 2. circa quem, & concomitanter tantum. Vide Cordubam *lib. 2. quæst. 23.* Suarez *de actibus humanis d. 8. sect. 1.* Addit S. Bon. *dist. 38. quæst. 4.* quòd, licèt in bono unicus finis ultimus possit præfigi in actionibus humanis; in malo tamen voluntates humanæ sibi diversos fines constituunt; cum enim simul conveniant in aversione à Deo, disconveniunt tamen in conversione ad diversa objecta creata; bonum enim de se reddit ad unitatem, sed malum procedit indispersionem.

QUÆSTIO VII.

Quale voluntarium requiratur in actu; vel qualis relatio, & intentio ad hoc, ut actus sit bonus, vel malus ex objecto?

Quæstio ista ad duo capita reducitur; primum est circa malitiam actus. 2. circa bonitatem. 389 Et quoad malitiam omnes Theologi communiter conveniunt in hoc, ad actum moraliter malum non requiri, ut malitia sit directè volita, & intenta, sed sufficere voluntarium quodcumque interpretativum, sed indirectum etiam ex ignorantia invincibili, sufficit enim advertere aliquo modo actum esse malum, vel quòd illi actui conjuncta sit malitia, obidque volita quocumque modo. Tota igitur controversia est de bonitate, quomodo debeat esse volita. Triplex opinio circumfertur; prima docet sufficere dumtaxat voluntarium virtuale, & interpretativum de ipsa bonitate actus. v. g. ad actum misericordiæ satis esse, ut quis in actu exercito feratur in objectum rationi conforme; estò illud objectum in actu signato non intendatur sic Medina cum aliquibus aliis paucis.

2. Sentent. extrema docet non solùm non sufficere voluntarium indirectum, & interpretativum, sed nec etiam quodcumque directum, & expressum de ipsa objecti honestate, sed ulterius requiri quòd sit formalis, & propter se ipsam, ita ut bonitas objecti, vel circumstantiæ reflexivè apperatur tamquam objectum formale, & motivum, & ut ratio formalis appetendi; sic Vasquez, Suarez aliquè plures.

3. Sentent. media asserit necessariam esse honestatem

nestatem objecti appetitam, sed negat semper debere appeti propter se ipsam, seu reflexè tamquam rationem motivam, & formalem appetendi; sic plurimi Recentiores cum Caspensi, Gaud. Mastrio *num.* 193. citaturque D. Thomas, & Seraph. Doct. à P. Gaud. sed hæc materia est veluti mare magnum continens multiplicem materiam, quia Seraphicus Doct. approbat aliquas rationes dictarum trium sententiarum, hinc pro ipsius elucidatione.

Not. 1. quòd, ut aliàs dictum est, intentio alia est actualis & expræssa circa finem actualiter volitum; alia virtualis, quæ etiam appellatur interpretativa, licèt impropriè: alia est habitualis tantùm, virtualis autem (quam etiam impropriè S. Bon. *lib.* 2. *dist.* 41. *art.* 1. *q.* 3. *ad ult.* appellat habitualem,) est illa, in cujus virtute aliquid cum actuali intentione incipitur, postea alii actus necessariò consequuntur, in quibus, licèt non adsit actualis intentio, adest tamen virtualis, quia in virtute primi actus alii subsequuntur, v. g. aliquis intendit dare pro Christo centum marcas, & incipiens dare cogitat in principio de Deo, sed postea actu non refert cæterarum elargitionem; sic & in viris Religiosis, qui in principio ex charitate devoverunt portare pondus religionis, quidquid enim faciunt est ad suæ religionis observantiam spectans ex prima intentione, & meritorium, nisi superveniat contraria intentio, in aliis autem, quæ ad religionem non spectant secus est, quia non se extendit ad alia habitualiter, seu virtualiter. Habitualis postea intentio propriè sumpta est, quando quis ex habitu bono facto facit opus bonum absque eo quòd, vel actualiter, vel virtualiter illud dirigat, ut si quis in generali offerat omnia opera sua totius anni, vel diei, & in hac habituali intentione non currit eadem ratio, ac de virtuali, & actuali, ut supra alias dictum est, & infrà dicetur.

Not. 2. quòd virtutes gratuitæ habent connexionem inter se, simul enim à Deo infunduntur in anima, nec contrarietatem inter se habent, sed conformitatem, non sic vitia quippè quæ sunt inter se contraria, & sunt in nobis per acquisitionem ex operationibus nostris; sic S. Bon. *lib.* 3. *dist.* 27. *quæst.* 1. *& op. Comp. Theol. lib.* 5. *c.* 8. & hinc est, quòd una virtus potest alteri imperari, v. g. jejunium à fortitudine, ab humilitate, & hoc præcipuè competit charitati, quæ est forma omnium virtutum, dans ei esse meritorium, indè patet, quòd martyrium, quod est opus fortitudinis, potest imperari à charitate, & aliquis martyrio se subjiciens absque eo quòd adspiciat honestatem fortitudinis potest habere pro objecto charitatem, & sic & meritum fortitudinis, & charitatis adspici: sic S. Bon. *in Apol. paup resp* a *cap.* 1.

Conclusio 1. ad actum moraliter bonum non
390 est necesse, quòd honestas objecti sit expresse volita reflexè propter se ipsam: probatur, quia in sacra scriptura habetur; laus alicujus virtutis imperatæ ab alia, ut fortitudinis ex charitate, magnanimitas, & fortitudo Moysis imperatæ à fide, sic ab Hebr. 11. 1. Macab *cap.* . *&* 2. *cap.* 6. & Josue *cap.* 1. alioquin non daretur connexio, seu circumincessio virtutum inter se.

Dices cum Oviedo, actus quibus quis amat abstinentiam, ut det suum panem pauperibus, non generat habitum abstinentiæ, sed misericordiæ; sicut actus misericordiæ non abstinentiæ; prob. antecéd. quia actus specificatur ab objecto, objectum autem est misericordia, nam abstinentia est medium; & ratio est, quia honestas abstinentiæ non est expresse volita, sed misericordiæ, ergo, &c. Resp. nego anteced. acquiritur enim duplex habitus & abstinentiæ, & misericordiæ, quia una coadjuvat aliam.

Concl. 2. Ad bonitatem moralem actus non est necesse, ut ejus objectum sit expressè volitum, sed sufficit, ut virtualiter tantùm sit volitum: Est S Bon. *cit. in* 1. *fund.* contra 2. & 3. sententiam, probatur, quia consensus virtualis, virtualiter est idem ac expressus, & actualis, ergo, &c, prob. antecedens, quia ex actuali oritur, ergo inducit rationem, & virtutem assensus actualis.

Dices; si vera est Conclusio, sequitur nullum esse discrimen inter malum interpretativè volitum, & bonum; consequens est falsum, ergo requiritur ad bonum, ut sit cognitum ipsius objectum, & expræssè volitum. Resp. negan. sequelam majoris, nam supersunt aliæ differentiæ. v.g. ad actum malum sufficit aliqua circumstantia mala. Aliæ objectiones. 1. 2. & 3. sententiæ nobis non officiunt: nam Seraph. Doct. exigit volitionem expressam in 1. actu, ad quem alii consequuntur.

QVÆSTIO VIII.

An actus externus addat aliquid bonitatis, vel malitia actui interno.

Suppon. 1. nomine actus externi intelligi omnes 395
illos, qui non eliciuntur à voluntate, sed tantùm ab ipsa imperantur, uti sunt actus intellectus, sensus, appetitus, & membrorum exteriorum prout subjacent imperio voluntatis.

Suppon. 2. tamquam certum apud omnes, bonitatem, & malitiam horum actuum externorum dependere ab actu interiori in esse exercito, sine quo in eis nulla esset malitia; ratio est evidens, quia secundùm se sunt necessarii orientes à potentia necessaria naturali, & determinata; obidque de se carentes libertate necessaria ad moralitatem.

Suppon. 3. actum interiorem voluntatis dicere ordinem ad exteriorem veluti ad objectum, ob idque ab exteriori sumere bonitatem, vel malitiam objectivam, & specificativam, & in genere causæ finalis; actum verò exteriorem ab ipso actu interiori sumere bonitatem, vel malitiam formalem tamquam effectum illius in genere causæ efficientis; quia ab interiori habet esse actum humanum liberum; ratio disparitatis istius duplicis bonitatis, & malitiæ objectivæ, & formalis est, quia bonitas objectiva sumitur per conformitatem; & malitia per difformitatem ad legem independenter ab actu interiori; bonitas verò, & malitia formalis in executione sumitur ab actu interiori; ideo enim actus exterior est bonus, vel malus formaliter, quia internus, à quo causatur, est talis. Hinc oritur quæstio incidens: An, cum bonitas, & malitia reperiantur in actu exteriori, & interiori seorsim, in exteriori quidem objectiva, in interiori formalis, priùs reperiatur bonitas, & malitia in actu exteriori, an potiùs in interiori, & indè ad exteriorem redundent: de qua in resolutione quæstionis; &c. Quibus suppositis, quæritur: an actus exterior conjunctus in eodem supposito cum interiori habeat propriam, & distinctam bonitatem, vel malitiam à bonitate, vel malitia interioris actus, ita ut utraque simul juncta extensivè sit major, & actus constans utraque ratione dignus sit majori præmio, vel pœna, quàm si solùm homo haberet

actum

actum interiorem efficacem ab externo separatum ob aliquod impedimentum; ideò quæstio procedit de extensiva additione, non de intensiva, quia regulariter certum est actum exteriorem addere aliquid bonitatis, vel malitiæ actui interiori vel causaliter, vel occasionaliter, quia eo posito intenditur internus, ut patet in patiente martyrium, sic & fornicatio actualis.

192 In hac celebri quæstione, prima sentent. est Thomist. communis negans actum exteriorem addere interiori aliquam bonitatem, vel malitiam. Aliqui tamen ipsorum explicant tali pacto: nempè actum exteriorem non addere tantùm bonitatem interiori, quanta est necessaria ad majus præmium essentiale, benè tamen ad præmium accidentale, sic Rubion. l. 2. d. 45. in quo casu esset tantùm quæstio de nomine.

2. Sentent. est Seraph. Doct. lib. 3. dist. 30. q. 1. & dist. 45. in corp. & Scoti, omniumque Scotistarum, plurimorumque aliorum ex omnibus scholis affirmans addi bonitatem, vel malitiam actui interiori non solùm numero, sed & specie distinctam. Pro solutione, &c. Not. 1. ex supra sparsim traditis, in actu morali duplicem bonitatem reperiri, aliam ex objecto, sive objectivam, aliam formalem, bonitas objectiva desumitur ex conformitate, & malitia ex difformitate ad legem sive æternam, sive naturalem, sive positivam, quæ bonitas præcedit bonitatem formalem actus, imò & rectum judicium intellectus, per quod voluntati proponitur, ob idque consistit formaliter talis bonitas in ipsa honestate objecti, quæ facit actum bonum, & honestum. Bonitas verò formalis consistit in integritate, & aggregatione omnium, quæ secundùm rectam rat onem actui debentur; uti sunt potentia, objectum, tempus, locus, & modus, aliæque circumstantiæ, & malitia è contra in defectu alicujus, vel aliquorum istorum; unde omnes circumstantiæ istæ, & qualitates concurrunt ad unam integritatem bonitatis actus, quibus positis, quæritur, an actus exterior addat interiori aliquam bonitatem, vel objectivam, vel formalem.

Suppon. 2. id, quod supra traditum est de moralitate, nempè importare pro fundamento, & connotare libertatem in actu, & pro formali directionem, & dirigibilitatem à recta ratione, ex quo sequitur imputabilitas actus ad meritum, vel demeritum. Cum autem libertas sit tantùm fundamentum, vel conditio moralitatis, sequitur, quòd non necessariò requiratur diversa libertas ad diversam actuum bonitatem, quia in eodem fundamento possunt fundari plures bonitates, & malitiæ; unde sufficit, ut libertas actui insit, vel immediatè ex voluntate eliciente, vel mediatè ex ipsa imperante; ratio est, quia tam actui elicito, quàm imperato competit dirigibilitas rationis; hinc & actus exterior, licèt de se sit necessarius, tamen, ut imperatus à voluntate, est liber participativè. His, &c.

193 Concl. 1. Actus exterior habet distinctam bonitatem, vel malitiam ab actu interiori: Est Seraph. Doct. supra cit. Scoti, & aliorum. Prob. 1. ex eo, quod Deus duplex præceptum distinctum dedit nobis contra actum internum, & externum: *Non furtum facies, non concupisces rem proximi tui*: Ubi Glossa ex Seraph. Doct. l. 2. d. 42. a. 2. q. 2. at, qui addit opus voluntati, addit iniquitatem iniquitati.

Respondet Salss. de ista Glossa parùm curandum esse, quia illa Glossa pro rudioribus distinguit actum interiorem ab exteriori, sed tamen verè est unum peccatum integratum ex utroque, quæ responsio existimatur communiter temeraria, nam illa præcepta data sunt non prò rudioribus, sed prò tota Ecclesia, cui Deus distinxit malitiam actus interni, & externi, & confirmatur ex D. Augustin. lib. 13. de Trinit. cap. 5. ubi ait, quòd peccans voluntate sola miser est, addens actum exteriorem miserior, quia desiderium malæ voluntatis impletur, & plura mala facit, ob quam rationem corruunt extortæ expositiones Thomistarum huic textui, ut videre est apud Mastrium citatum num. 261. seq. & Gaud. quæst. 4. dist. 16. num. 87.

Prob. 2. à S Bon. dist. 40. art. 2. quæst. 1. & 2. & d 45. cit. Illud, quod magis præmiatur, & punitur à legibus justis, est quid additum bonitati, vel malitiæ essentiali, sed actus exterior à legibus ab Ecclesia, & à Deo magis præmiatur, & punitur, ergo, &c. Major est certa, quia leges ordinant justitiam; minor patet, quia Ecclesia magis solemnizat Martyres, quàm Confessores, & Deus magis præmiat eos, quàm Doctores, & Virgines: Tum quia Christus aliquid nobis meruit per Passionem, quod ante non meruerat, ut porè apertionem Cæli, & multorum Charismatum diffusionem, ergo, si Christi Charitas fuit eminentissima ab instanti conceptionis, & majoris efficaciæ fuit cum passione, quàm sine, ergo idem dicendum est de qualibet alio actu. Tùm quia per actum exteriorem plus peccatur, & contra plures leges, quàm per interiorem, qui enim concupiscit rem alienam peccat in Deum, & contra decimum præceptum, & qui verè furatur peccat etiam contra septimum præceptum, & proximum, ergo, &c. Tùm quia quis non magis mereretur tribuens multum eleemosinæ, eo qui parum, data æqualitate ejusdem actus intensionis, quod est valdè absurdum. Tùm quia Ecclesia præcipit, ut actus exterior specificetur in confessione, ergo signum est, quòd fiat additio malitiæ. Tum quia sequeretur aliquem intendendo interiùs opera omnium Sanctorum posse mereri uno actu, quod tot Sancti Martyres, & Beata Virgo tot operibus, & passionibus meruerunt: talis enim actus, adjuvante Dei gratia, non est impossibilis.

Objic. 1. Ecclesiam canere de B. Martino, quòd licèt gladius persecutoris non abstulit, palmam tamen martyrii non amisit, sed S. Martinus fuit martyr tantùm desiderio, ergo, &c. Sic itidem multi SS. PP. dicunt voluntatem pro facto reputari, & afferunt immolationem intentam ab Abraham, &c. Resp. S Bon. dist 40. quæst. 1. omnia ista vera esse quoad præmii essentialis consecutionem, non verò quoad accidentale, vel quoad excellentiam præmii essentialis: & apud Deum reputari bonam voluntatem pro facto, quando adest impedimentum ad executionem, undè potest quis essentialiter tantum mereri bona voluntate, cæteris paribus, quorum alius cum facto. 194

Objic. 2. & est fundamentum potissimum Thomistarum: in actibus imperatis non est formaliter libertas, ergo nec bonitas distincta ab actu interiori, patet per consequentiam, quia moralitas fundatur in libertate, quæ non adest in actibus externis, v. g. in membris, &c. Resp. adesse libertatem per participationem ex imperio voluntatis, & eò quod ista libertas, cum sit fundamentum totius moralitatis sufficit ad fundandum plures morali-

 tates

tates per diversam ordinationem rationis, ut v. g. pœnitentia exterior, abstinentia, observantia castitatis ex motivo charitatis imperata.

Contra insurgunt: una est libertas, ergo una imputabilitas ad pœnam, vel præmium; ista enim fundatur in una libertate, illi autem actus exteriores de se habent moralitatem tantùm, quatenus eis provenit ex libertate participata à voluntate imperante. Resp. negando consequentiam; ad probationem respond. imputabilitatem duos respectus importare, alterum ad fundamentum scilicet libertatem participatam imperantis, alterum ad terminum per conformitatem rationis, quæ multiplicari potest etiam invariato fundamento, ut evenit in nostro casu; alia est enim conformitas rationis in actu interno, alia in actu externo, ut patet ex duplici præcepto à Deo facto; cum autem moralitas formaliter considerata competat actui ratione conformitatis, hinc ista multiplicata, multiplicatur & moralitas, cum & multiplicentur subjecta: Amplius etiam impugnatur objectio Thomistarum, cum verè possit dici multiplicari libertatem actus interioris, & exterioris, imperantis, & imperati, quatenus voluntas in utrumque actum habet distinctum dominium, ut observavit etiam Scotus quolibeto ad primum principale, vide Suarez *t. 2. de gratia p. 2. l. 12. c. 11. num. 11.*

Instant hic Nominales: actus exterior imperatus non minùs necessariò evenit, ut est. v. g. motio pedis, & brachii, quàm motio æqui imperata à mea voluntate; sed in motione æqui nulla adest moralitas, ergo nec in actu exteriori imperato; major est certa, quia eodem modo obediunt potentiæ, quo bruta, nec sunt liberæ; minor itidem est certa, &c. Vasquez, Mastrius aliique advertunt Thomistas, & Nominales teneri, & ipsi solvere hunc nodum, cum admittant moralitatem in actibus exterioribus sive ab intrinsecò, sive ab extrinseco, negantque posse adesse moralitatem in motione æqui, ergo aliquod discrimen debent assignare inter nostros actus imperatos, & brutorum.

395 Pro responsione adnotanda est subtilissima doctrina Scoti *lib. 2 d. 4 . . infrà B.* quòd imperium voluntaris ipsi convenit respectu causarum plurium naturalium, sed cum hoc discrimine, quòd aliquæ sunt ipsi conjunctæ in eadem anima, & subjecto radicatæ; ideò subsunt directè, & immediatè imperio voluntatis, quòd & observavit Seraph. Doct. *lib. 1. dist. 1. art. 5. quæst. 2. & art. 1. & 2. quæst. 1. ad 1. & lib 2. dist. 25. p. 1. art. 1. quæst. 3. & 4.* ubi docet, & notat hanc connexionem inter voluntatem, & alias potentias in eodem subjecto radicatas veluti in unum habitum coalescere, ob quam conjunctionem voluntas immediatè imperat istis potentiis, earumque actibus, tum in fieri, tum in conservari. Aliæ autem causæ naturales non ita immediatè subsunt imperio voluntatis, sed tantùm indirectè, nempe ratione applicationis materiæ ad ipsas à potentia motiva elicitæ, & à voluntate imperatæ; hinc est, quòd illæ possunt immediatè participare de libertate voluntatis, ob idque & moralitatem ipsius, non verò istæ; ratio est, quia actio, ut sit idoneum moralitatis subjectum ex Arist *3. Phys. & hic cap. 5.* debet esse libera, & in potestate elicientis, vel imperantis in principio, in medio, & fine, & talis est operatio nostra prævia, qua à voluntate applicatur causa nostra naturalis, prout refertur ad voluntatem hominis, & ab actu dependet, sic est pœnitentia externa, sic jejunium, sic operatio manuum, & aliarum potentiarum, quæ actiones sunt morales, quia sunt hominis applicantis; non sic actio bruti, vel causæ naturalis. v.g motus baculi, lapidis, æqui, &c. & hinc patet responsio ad objectionem, quam Nominales tanti faciunt.

Objic. 3. cum Nominalibus, qui ex animo vult furari, & non furatur eò solùm, quia non invenit quod furetur, non minori supplicio dignus est apud Deum; & ratio est, quia quòd non furetur, omnino est illi involuntarium; ideoque nec dignus pœna vel majori, vel minori; sic & volens elargiri eleemosinam eamque non habens non minùs meretur, ac si eam daret, ergo sicut involuntaria operatio, sic nec involuntaria carentia operis poterit hominis meritum minuere: tum etiam quia sequeretur aliquem posse privari merito sola oppositione impedimenti extrinseci; ut si quis mihi ligaret manus, ne eleemosinam darem, vel virgo violenter violaretur, quòd est falsum, uti advertit Sancta Lucia dicens Paschasio: si invitam jusseris violari, castitas mihi duplicabitur ad Coronam; idest unam pro virginitate custodita, alteram pro injuria Vasq. & Mastrius observant, & adversarius teneri ad solutionem hujus difficultatis, ut supradictum est, cum admittant præmium accidentale pro actibus externis: Nos autem respondemus ex Seraph. Doct; carentem actu exteriori privari, vel præmio, vel pœna accidentali, non substantiali; quia carentia furti privat pœna accidentali furem; sed quia est carentia furti voluntarii meretur pœnam substantialem; & ad absurdum, quòd aliquis posset privari invitè merito ex impedimento extrinseco. Respond. concedo id sequi de merito, & præmio accidentali, sic etiam conjugati carent multis occasionibus accumulandi merita, quas religiosi habent. Ad id de Sancta Lucia aliqui respondent, quòd in tali casu violentiæ privaretur aureula; alii probabiliùs negant, &c. omnes tamen conveniunt, quòd ipsi tribueretur corona præmii substantialis pro custodia virginitatis, & alia pro injuria passa æquivalens aureolæ virginitatis.

Objic. 4. nihil est objectum laudis; vel vituperii, nisi quatenus homo se ad illud liberè se determinat; sed actus exterior liberè non determinat hominem per suum exercitium, cum jam inveniat potentiam determinatam ad illum actum eliciendum, ergo non est imputabilis, nisi in causâ, scilicet in actu interiori, ergo nec auget bonitatem; explicatur assumptum hoc exemplo: quis mittit manum in crumenam, ut pauperi elargiatur eleemosinam, sed nihil invenit, idem meritum lucratur, ac si daret, quis emittit sagittam ad occidendum hominem, & ex errore non occidit, iste meretur pœnam, ac si occideret, &c. ergo potest augeri meritum, vel pœna absque eò quòd augeatur ratio laudis, vel vituperii per actum exteriorem. Resp. ex jam dictis, quòd imputabilitas dicit duo respectus; alterum ad dominium voluntatis, & alium ad aliquod correspondens actui, vel agenti secundùm justitiam, vel præmium, vel pœnam, & iste secundus sequitur ad primum, quia iste est dominus sui actus, ideo actui, & agenti debetur aliquid propter actum; primus remanet invariatus; secundus variatur penes aliqua correspondentia huic, & illi. v.g. Major eleemosina, major industria, additio circumstantiarum exteriorum, ob quod redditur magis, vel minus laudabilis, vel vituperabilis actus imperatus subjectus imperio voluntatis saltem mediatè; unde concludit Seraph. Doct. *l. 11. d. 40. art. 2. quæst. 1.* quòd augetur, vel præmium, vel pœna

præra accidentalis, & sensus ex additione operis exterioris, quoad præmium substantiale oportet subdistinguere: nempe quoad meritum de condigno non augetur, quoad meritum de congruo additio fit; quia per actum exteriorem anima disponitur, & præparatur ad susceptionem majoris gratiæ, & præmii, congruum enim est, ut Deus communis retributor addat majus bonum, gratiam, & præmium; & hinc inferunt gravissimi Theologi, actus exteriores prodesse, tum ad minorem pœnam in Purgatorio, tum ad majorem gratiam, & auxilia recipienda, & præmium majus; ideo sanum consilium est hos actus exteriores confiteri, &c. ot absolvamur à culpa, & à reatu pœnæ, etiam si immediatè non sint contra aliquod præceptum peculiare, ut est furtum, homicidium, hæc enim necessariò debent revelari in confessione.

396 Concl. 2. Multiplicatio bonorum operum addit bonitatem actui voluntatis non multiplicato actu voluntatis. Est S.Bon. *lib* 2. *dist*. 40. *a*. 2. *q*. 2. Prob. quia, si quilibet actus addit bonitatem, & malitiam seorsim, ergo actus additus actui addet, alioquin frustra multiplicarentur opera; tum quia actus elicitus à voluntate, & charitate meretur præmium non solùm accidentale, sed etiam substantiale, ergo idem erit, si multiplicabitur. Et si voluntas eadem invariata perseverat, tunc multiplicatio operum erit tum ad merendum præmium accidentale, tùm ad disponendam animam ad novam gratiam, tùm & ad priorem conservandam. *Vide S. Bon. ibidem.*

Concl. 3. Moralis bonitas, & malitia primò convenit actui interiori, & secundariò derivat in exteriorem: est S Bon. *dist*. 42. *quæst*. 1. & 2. *loco cit.* Prob. quia illud est primum subjectum bonitatis, & malitiæ, quo posito, ponitur moralitas, & quo ablato, aufertur, posito quocumque alio; sed posito actu interno liberæ voluntatis cum directione rationis ponitur bonum, & eo ablato amovetur, ergo, &c. major est evidens, quia principium intrinsecum, & primum est primò constitutivum; minor prob. quia actio. v.g. homicidii, si à quocumque alio non habente usum libertatis fiat, non est actio peccaminosa.

Dices ex supradictis: actus exterior habet suam propriam bonitatem, & malitiam ex objecto, ergo non dependet à voluntate. Resp. conced. anteced. sed tamen habere suam bonitatem ex objecto ex directione rationis dependenter à voluntate, à qua tamquam à fundamento, & radice derivat bonitas, & malitia meritoria, & demeritoria.

397 Q. *An actus exterior cum interiore sint duo peccata, an unum?* Scotistæ apud Mastrium *num*. 297. docent esse duo peccata partialia integrantia unum. D. Thom. & sequaces docent esse unum peccatum simpliciter; quæ differentia tamen, ut notat Mastrius citatus, est potiùs de nomine, quàm de re. Pro solutione. Not. 1. ex S.Bon. *lib*. 2. *dist*. 42. *q*. 1. ex Scoto *quolibeto* 18. ex D.Thoma cum communi, quòd voluntas interior, & actus exterior possunt considerari prout actus interior est conjunctus cum exteriori, & cum subordinatione unius ad alterum, vel prout sunt in diversis subjectis; hoc 2. modo sunt duo peccata, quia sunt diversa subjecta; sic si quis desiderat occidere hominem, & alter verè occidit; si verò sunt naturaliter connexi isti actus, ut unus sit ex altero. v.g. desiderium furandi; quòd est actus voluntatis elicitus, & actuale furtum imperatum à voluntate, sicque exterius furtum subordinatur interiori desiderio; & licèt ibi duo sint materialia, scilicet actus elicitus, & imperatus, tamen ibi adest unum formale, scilicet deordinatio, aversio scilicet à Deo, & conversio ad creaturam; attamen interior pendet ab exteriori, tamquam ab objecto, & exterior pendet ab interiore, à quo habet esse. Hinc evenit etiam, quòd actus interior imperet externum actum duabus virtutibus oppositum, ut fornicationem, vel homicidium in Ecclesia, tunc sunt duo peccata specie distincta necessaria explicanda in confessione; ratio est, quia sacrilegium, & fornicatio ex natura eorum non habent connexionem, & subordinationem ad invicem, sicut habet actus interior, & exterior.

Not. 2. quòd licèt actus interior, & exterior non habeant unitatem indivisibilitatis, vel simplicitatis, quia unusquisque capax est propriæ malitiæ, habent tamen unitatem ordinis, per quam integratur unum peccatum totale. *Sic S. Bon. cit.* Hinc Resp. quod in eodem subjecto actus interior, & exterior conficiunt unum peccatum simpliciter; ratio est, quia in aversione à Deo, & conversione ad creaturam conveniunt unitate ordinis, & licèt sint duo actus materiales, sunt tamen unum formaliter: Sic S. Bon. Tùm etiam, quia, ubi est unum propter alterum, ibi unum formaliter tantùm est.

Objic. primò multiplicato inferiori, multiplicatur superius; sed voluntati interiori convenit specialis malitia, sic & in actui interiori, ergo multiplicatur peccatum. Resp. S. Bonav. verum esse, quando superius est essentiale inferiori & sed malitia non est essentialis actui, sed accidentalis.

Objic. 2. multiplicato subjecto, multiplicatur accidens, sed actus interior, & exterior sunt diversa subjecta malitiæ, ergo, &c. Resp. S. Bon. veram esse majorem, si subjectum per se multiplicet secundùm diversam rationem ab alio; non sic est in proposito, quia inest malitia in actu exteriori ratione interioris: Tum etiam, quia major est vera in absolutis, non in relativis, &c.

QUÆSTIO IX.

De bonitate, & malitia morali ex circumstantiis. Resolvuntur plura quæsita.

Suppon. 1. ex Seraph. Doct. infra cum communi, quòd circumstantia dicitur (à circumstando) scilicet circa actum, vel objectum actus, & ob id sunt proprietates accidentales additæ, vel advenientes ipsi actui, vel objecto jam constituto in esse specifico, sive in genere naturæ, sive moris; & hinc est, quod in genere moris addunt bonitatem, vel malitiam accidentalem bonitati, vel malitiæ essentiali, vel substantiali eo modo, quo accidentia in esse naturæ addunt aliquam entitatem accidentalem ipsi substantiæ: *Sic S. Bonav. in Centil. lib*. 1. *part*. 5. 53. & *lib*. 4. *dub*. 16. *dub*. 7. *ad* 9. & *dist*. 17. *p*. 3. *art*. 2. *quæst*. 3. & *dist*. 41. *dub*. 3. & *lib*. 2. *dist*. 24. *part*. 2. *dub*. 3. & *op*. *Confessionale*. *cap*. 3. *p*. 20. & *op*. *de modo conf. seu de puritate conscientia*, *cap*. 2. & *seqq* & *op*. *de sex alis Cherubim ala* 1. & *l*. 3. *d*. 23. *art*. 2. *quæst*. 5. *ad* 5. quòd verò à circumstantiis actus sumant aliquam bonitatem, vel malitiam diversam 398

diversam ab ea, quam habent ex objecto eit de fide determin. in Concilio Triden. *sess.* 14. *cap.* 5. *& ant.* 7.

Suppon. 2. Circumstantias alias esse impertinentes ad actum moris, v. g. occidens hominem, indutus vestibus albis, vel nigris, ante prandium, vel post; & istæ sunt circumstantiæ tantùm materiales ad moralitatem; aliæ sunt pertinentes, & hæ sunt formaliter circumstantiæ, quæ aliquo modo per se circumstant, & afficiunt actum moralem tamquam accidentia ipsius, & ad ipsum spectantia in genere moris in ordine ab bonitatem, vel malitiam accidentalem, & secundariam. Itaque, aliæ sunt se tenentes ex parte actus, aliæ ex parte objecti; & tali pacto definiuntur à Seraph. Doct. *in Centil. citato:* Circumstantia est proprietas personæ, vel negotii ex se pertinens ad laudem, vel vituperium vel diminuendo, vel augendo, vel in aliud genus trahendo; & hinc eruitur ratio evidens dari circumstantias in genere moris; quia sicut in genere naturæ res naturalis accipit perfectionem, vel imperfectionem non solùm ex forma substantiali, sed ex accidentali, sic in genere moris, ex ratione circumstantiarum, actus redditur magis conformis, vel difformis regulis moris, & consequenter magis laude, vel vituperio dignus, magis est laude dignus actus charitatis fervidus, quàm tepidus.

399 Suppon. 3. quòd numerus circumstantiarum à variis licèt diversimodè assignetur, communiter tamen cum Seraph. Doct. loco citato ad 7. capita reducitur: Quis, ubi, quibus auxilus, cur, quomodo, quando: explicamusque tali pacto: Prima, quis, significat non præcise personam, sed conditionem personarum, seu statum personæ, v. g. si sis publica, privata, conjugatus, solutus, clericusque. 2. Quid, significas non præcisè objectum actus substantiale, sed aliquem effectum circà ipsum actum substantialem cum primario conjunctum, ut magnum, vel parvum furtum. 3. est ubi, & significas locum actionis principalis. 4. est quibus auxilis, scilicet quibus mediis. v. g. occidendo hominem cuspide, vel lapide, vel quibus complicibus. 5. est cur, scilicet qua intentione, vel fine. 6. est quomodo, dicitque modum, quo actus augetur, vel minuitur. 7. est quando, indicans tempus, &c. quæ explicantur à D. Bon. *loc. cit.*

Suppon. 4. quòd, cum ad moralitatem actus necessarius sit concursus voluntatis, ob idque & circumstantiæ debent esse volitæ, hinc notandum, cum circumstantiæ aliæ stent ex parte actus, aliæ ex parte objecti, primæ numquam possunt mutare speciem ipsius actus; obidque non est opus, ut sint directè cognitæ, & volitæ, ut dent actui bonitatem, vel malitiam, quia se tenent ex parte actus eliciti, qui est voluntarius per se formaliter, non autem objectivè, quia non debet esse cognitus & volitus tamquam objectum, sic intensio, vel remissio actus, ideò dicuntur indirectè volitæ, illæ verò, quæ se tenent ex parte objecti, us sunt quantitas, locus, tempus, & similes, debens esse directè volitæ, & expressæ, non quidem principaliter, sed concomitanter, nec motivè, sed terminativè tantùm, & quia sunt objectum secundarium, & terminativum tantùm, ideò dicuntur non objectum actus, sed circumstantiæ objectivè extra substantiam actus, quæ doctrina est communis omnium Theologorum.

400 Quæritur primo: *Quare circumstantia numerantur in actibus voluntatis, non verò in actibus aliarum potentiarum, v. g. intellectus, imaginationis, vel exteriorum sensuum, & quare illæ spectent ad bonitatem moralem?* Resp. quòd in tantùm circumstantiæ possunt addere bonitatem, vel malitiam actui, in quantum magis, vel minus sunt conformes rectæ rationi, & ad hoc est necessarium, quòd sint volitæ elicitivè, vel ut imperatæ; hinc solùm circumstantiis respicientibus voluntatis actum, vel objectum tribuitur moralitas.

Q. 2. *Quænam circumstantia sint augentes bonitatem, vel malitiam actus tantùm intra eamdem speciem; & quomodo:* Resp. istas esse, quæ se tenent non solùm ex parte actus, sed etiam objecti, primæ ex parte actus sunt, intentio, remissio actus, major, vel minor libertas, facilitas, vel difficultas in operando, duratio, &c, ratio autem, quia augent intra eamdem speciem actus, est, quia non afferunt actui motivum virtutis specie diversum, ut patet in hoc actu interiori: volo colere Deum, qui est actus bonus ex objecto pertinens ad speciem religionis, cui si accidat hæc circumstantia: volo colere Deum omni conatu, jam actus fit melior in eadem specie virtutis; secundæ verò se tenent ex parte objecti spectantes tamen ad eamdem speciem virtutis, sunt, v g. major, vel minor eleemosyna, indigentia, locus, tempus, circumstantia personæ: istæque augent aliquandò bonitatem intrà eamdem speciem, aliquando extra ipsam, sed intra aliam speciem, undè istæ augentes bonitatem, vel malitiam intra eamdem speciem virtutis, vel vitii spectant ad eumdem actum, nec variant actum specificè.

Dices 1. aliquæ circumstantiæ minuunt bonitatem actui, ergo non tribuunt. Resp. neg. & consequentiam, dicuntur enim diminuere, non quia tribuunt, sed quia non tantam bonitatem tribuunt, quantam possunt.

Dices 2. potest actui accidere, & addi circumstantia tantùm minuens, quæ ipsum actum extrahat extra suam speciem, v.g. parvitas materiæ furti aufert rationem furti, & è contra potest actus attingere infinitam quantitatem objecti, v g. quis potest habere complacentiam (non quidem effectum efficacem, quia est impossibile) erogandi in pauperes infinitam eleemosinam, Deum infinito amore prossequendi, sed in talibus actibus dabitur infinita bonitas excedens omnem speciem talis bonitatis, sicque ipsum actum extrahere poterit extra suam speciem: Idem ex duratione actus, quò enim diutiùs durat actus eò melior, vel deterior est actus, sed in tali spatio sunt infinitæ partes divisibiles, ergo videtur fieri augumentum infinitum. Resp. ad illud primæ circumstantiæ de parvitate materiæ, quòd circumstantia tunc habet rationem circumstantiæ, quando accidit, vel addit aliquid moralitatis speciei actus, salva specie actus, ideòque circumstantia supponit materiam necessariam ad speciem actus ex objecto desumptam, & requisitam, si verò materia, v.g. furti ita diminuatur, ut non maneat quantitas sufficiens ad speciē furti, jam ea paucitas non erit circumstantia furti. Ad alias circumstantias de infinita complacentia objecti, & duratione, quas appellant Theologi argumenta calculatoria; R. ex Scoto Mastrius, *num.* 210, negando consequentiam, & ratio est, quam adducit Seraph. Doct. *l.* 2. *d.* 40 *q.* 1. *&* 2. quia ad rectam operationem ex intentione requiritur & bonitas finis, & simul ordinatio voluntatis in finem; ad hoc autem, ut objectum infinitum infinitam perfectionem tribuat actui in ipsum tendenti, opus est, quod in ipsum tendat modo infinito

nito; sed quia ordinatio in finem est finita ex finito modo, licèt tribuat majorem perfectionem in certâ quadam proportione, quàm faciant objecta inferioris ordinis, non tamen simpliciter æquale, ut patet in visione beata, in actibus fidei, spei, & charitatis, qui licèt circa objectum infinitum versentur, quia tamen illud attingunt finito modo, finitam quoque ab eo desumunt perfectionem licèt proportione quadam majorem. Idemque dicendum de duratione, quam doctrinam. S. Bon. *l.* 4. *d.* 16. *dub* 9. etiam supponit, dum simili objectioni respondit sine directa responsione, v. g. infinito existenti inspatio permanentiæ hominis in peccato sufficere actum pœnitentiæ finitum; ratio est, quia in continuo sunt quædam infinitæ partes proportionales, & sincathegorematicæ, non verò continentes durationem infinitam, ob idque nec eis correspondet infinitum meritum, ex hoc, quod actus moralis respondet tempori determinato, & finito; continuatio enim non fit per infinita instantia actu; sed potentia tantùm, ob idque per tempus determinatum.

Q. 3. *Quomodo circumstantia aliqua conferant actui* 401*bonitatem, & malitiam diversam specie a propria actus objectiva, & quænam sint?* Resp. 1. certum esse, ut dictum est, & adnotat S. Bon. *l.* 4. *d.* 17. *q.vit. & alias locis in princ. quæst. cit.* dari circumstantias aggravantes, & diminuentes malitiam, & bonitatem actus intra suam speciem, de quibus in præcedenti quæstione actum est; dari etiam alias ex parte objecti trahentes actum ultra propriam speciem, etiam ad aliam speciei bonitatis, vel malitiæ: id inconfessò est apud omnes Theologos, & determinatum in Concil. Trident. supra cit. sed in assignanda regula cognoscendi talem mutationem varii variè respondent; regula autem magis plana, & communis est hæc; si circumstantia, quæ addit bonitatem, vel malitiam, ut si sola esset, fundaret sufficienter specialem ordinem, seu repugnantiam ad rationem, ut furtum factum in loco sacro, tunc circumstantia loci addit contemptum de se sufficientem ad malitiam fundandam diversam à furto; quia hæc est contra religionem, furtum verò contra præceptum Decalogi, vel contra justitiam. Resp 2. quod istæ circumstantiæ mutantes speciem possunt addere bonitatem, vel malitiam duobus modis, 1. accidentaliter: 2. essentialiter; accidentaliter, quando circumstantia intenditur secundariò, ut si quis absolutè vult furari in quocumque loco etiam sacro: Essentialiter verò, quando primariò intenditur circumstantia, & secundariò actus, vel objectum, ut si quis intendit directè contemptum loci sacri, ob idque furatur in Ecclesia; unde illa virtus, vel vitium, quod actui imperat, est principale, imperatum verò est secundarium, ut si quis det eleemosynam Sacerdoti intuitu Religionis; tunc Religio imperabit actum misericordiæ; sed hic quæritur quomodo debeant esse volitæ tales circumstantiæ? Resp. 3. quòd ad malitiam specie distinctam contrahendam sufficit, ot illud objectum sit vel expressè, vel interpretativè volitum primariò, & circumstantia secundariò, ut homicidium Sacerdotis: Ad bonitatem verò requiritur, ut objectum principale sit volitum propter se, ejusque bonitas sive primaria, sive secundaria propter aliud; primaria, ut directè volita; secundaria indirectè, & secundariò, vel tanquam finis, vel tanquam medium; sic docet S.Bon. *l.* 2. *d.* 3 *q. dub.* 4. *& d.* 40. *q* 3. *ad ult.* nempè non esse necesse, ut bonitas circumstantiæ sit objectum motivum ex parte operantis, sed sufficit, quòd sit motivum, & finis ipsius operis, etiamsi ex alio motivo priori imperante moveatur operans ad volendum, v. g. Concionator prædicans potest velle fructum animarum, & dirigere obedientiæ actum ad alium finem; sic jejunans ex voto, si dirigat jejunium ad exercitium temperantiæ, etiam si expressè non intendat actum religionis, & voti habebit duplex meritum.

Notandum hic tamen, quòd ad hoc, ut circumstantiæ dent novam speciem actui, oportet in aliquibus, quæ sunt generales concurrentes in omni peccato, ut ingratitudo, inobedientia contemptus Dei, ut præcisè, & directè, seu reflexè intendantur, alioquin non contraherent specialem malitiam distinctam specie. Aliæ verò peculiares necessariò connexæ vel semper, vel ut plurimum, ut adulterium, stuprum, violatio voti Castitatis, & similes, sufficit, ut interpretativè sint volitæ.

Q. 4. Quænam circumstantiæ sint necessariò in confessione aperiendæ? Resp. 1. certum esse de fide 402 determinatum in Concil. Trid. *sess.* 14. *& Can.* 7. & Florent. & Lateran. circumstantias variantes speciem necessariò esse aperiendas in confessione, ratio est, quia ad justitiam servandam in hoc judicio, & ad satisfactionem, & ad corationem proportionatam adhibendam, necesse est, ut Confessarius distinctè intelligat species criminum; ergo etiam ut pænitens eas aperiat, sic S.Bon. *l.* 4. *d.* 17. *p.* 3. *q. penult. & ult & aliis locis in princ. cit.* Quoad alias non mutantes speciem, est opinio Thom starum, & plurimorum esse necessarium exprimere circumstantias notabiliter aggravantes actum, etiam si non contineant aliam speciem 2. opinio communior D.Bon. *l.* 4 *d.* 17. *& aliis loc. cit. in princ.* & plurimorum, & omnino ferè recentiorum his temporibus est negativa, & est conformis determinationi Concil. Trid. quod declarat per cognitionem circumstantiarum specie distinguentium sufficienter Confessarium instructum esse; tum quia satis est, ut aperiatur in Confessione quod se se habet ratione peccati; sed non mutantes speciem non habent rationem peccati distincti, ergo, &c. Vide D Bon. *cit.* Card. Lugum. Mastrium, Bassæum *verbo circumstantia.* Resp. ad versarii in circumstantiis aggravantibus notabiliter mutari speciem Theologicam, licèt non moraliter ex objecto: species Theologica attenditur penes offensam Dei, & aversionem à Deo, quæ excedit ob gravitatem; & Conci docere solùm id, quod est certum, nec vult exprimere id, quod est in controversia; sed tamen ista sunt subterfugia, nec sunt vera; quia Concilium ibi enumerat quænam ad confessionem sunt necessaria, nec aliud exigit, nisi revelationem circumstantiarum mutantium speciem in genere morali; & illa distinctio de specie Theologica est vana, & gratis inventa.

DISPUTATIO XVI.

De Lege, seu Regula remota rationis.

HUcusque actum est de essentia, proprietatibusque actuum humanorum bonorum, & malorum, superest, ut explicentur duæ regulæ, seu mensuræ humanorum actuum, suntque lex æterna, & ratio, seu conscientia, per quas Deus nos instruit, & movet ad amplexandum bonum, & malum vitandum; & quia conscientia in tantùm dirigit, & amplexatur bonum, inquantùm dirigitur à lege: hinc primò de lege agemus, postea de conscientia; illa quidem est externa, ista interna.

QUÆSTIO I.

Quid sit lex, ejusque conditiones quales, & cujus potentia?

403 SUppon. 1. cum communi DD. legem dici vel aliquando, eo quòd ligat, & obligat homines ad aliquid observandum: vel à legendo, quia lex edita scribitur ut sæpiùs legatur ad instructionem subditorum, vel denique ab eligendo, vel deligendo, quatenus docet quæ sunt deligenda, & quæ rejicienda. Sic S. Bonav. *in Psal.* 118. *cap.* 1. *a.* 2. *& cap.* 1. *Ap.* Lex etiam variis nominibus solet appellari, nempè doctrina, institutio, præscriptio, jus, statutum, placitum, voluntas, & constitutio, quia docèt, instruit, dirigit, instituit, præscribit, & imperat quid agendum secundùm justitiam; ideoque communiter dicitur jus, & lex. His notatis, sit.

Concl. 1. Lex sic à Seraph. Doct. *Op. Princip.* definitur: Lex est ordinatio rationis ad bonum commune; seu est norma humanarum actionum, quæ ideo debet esse honesta, justa, possibilis secundùm naturam, secundùm patriæ consuetudinem loco, temporeque conveniens, necessaria, utilis, & manifesta; quæ descriptio reducitur ad hunc sensum clariorem ab aliis Theologis: Lex est regula quædam persevèrans, indita, vel præscripta ab eo, qui potestatem habet obligandi communitatem, in cujus utilitatem cadit, actiones humanas conducens in bonum, & avertens à malo, sufficienter promulgata. Explicatur, & simul probatur: dicitur primò *Regula*; quia actus humani reguntur per legem; dicitur secundò *perseverans*, in quo à præcepto distinguitur, quod modò adest, modò abest, & semper cessat per mortem præcipientis; ubi leges perseverant, & sunt stabiles regulariter ratione sui, licèt aliquando mutentur ratione finis, ob quem conditæ sunt; sic leges ceremoniales veteris Testamenti abrogatæ fuerunt per legem Evangelicam; quia constitutæ erant ad figurandam legem novam; quia dum præsens est veritas, figura cessare debet; aliquando mutantur etiam ratione subjecti, cui feruntur leges, ut patet de legibus judicialibus legis antiquæ, quæ datæ erant populo Judaico in servitutem redacto; cessante autem servitute, tales leges rigorosæ cessare debuerunt: 3. dicitur: *Indita vel præscripta*, ut includantur in definitione, tùm lex naturalis, quæ à natura est; tum positiva, quæ à Legislatore præscribitur: 4. dicitur (*ab eo qui potestatem habet obligandi communitatem*, nullus enim potest alium obligare, nisi in illum habeat auctoritatem, 5. additur (*in cujus utilitatem cedit*) leges enim in bonum commune cedunt, sive mediatè, sive immediatè, v. g. cum leges feruntur in favorem pupillorum, & minorum, & hoc mediatè vertit in bonum communitatis, nam bonum partis conducit in bonum totius; lex etiam tributorum, quæ solam utilitatem principis concernit; vertitur in bonum commune, ut scilicet possit debitè sustentari, & onera reipublicæ sustinere; 6. adjungitur (*actiones humanas conducens*) quia leges ordinantur ad bonum hominum, non Angelorum. 7. additur (*conducens ad bonum, & removens à malo*) sunt enim isti duo fines præcipui legis; 8. & ultimò additur (*sufficienter promulgata*, quia non potest lex obligare subditum nisi in ejus notitiam deducatur. Nota tamen, quòd hæc est differentia legis naturalis, & positivæ, quod naturalis sufficienter singulis promulgatur per judicium naturale, quod possident, quo judicant naturaliter, Deum esse colendum, parentes esse honorandos, ut fusè docet Seraph. Doct. *l.* 2. *d.* 39. ut infra dicemus; positiva verò externam promulgationem requirit; circa istas conditiones legis: vide S. Bonav. *in Op. Princip. &c. & in Ecclesiasten cap.* 10 *ad ea verba, vidi positum stultum; & serm.* 3. *de decem præcept.* 1. *& op. Comp. Theol. l.* 5. *c.* 2. *&* 37. *& l.* 4. *d.* 3. *p.* 3. *a.* 2. *q.* 1. *& Diet. tit.* 3. *c.* 3. *& l.* 3 *d.* 4 ?. *q.* 1. *& d.* 34 *q.* 3. Et quia difficultas potest esse, an lex sit actus intellectus, an voluntatis: esse propriè, & formaliter actum Intellectus practici imperantis, ex hoc quòd imperium sit actus intellectus, docent D. Thomas, & sequaces: S. Bon. econtra spectare ad utrumque docet. Hinc.

Concl. 2. Lex consistit in actu intellectus dirigentis principiativè, & formaliter, & completivè in actu voluntatis. Sic Seraph. D. Scotus, Durandus, aliique communiter apud Azorium. Prima pars prob. quia Sacr. Script. tribuit legibus rationem illuminandi, docendi, dirigendi, quæ sunt propria intellectus. 2. Pars patet etiam ex S. Script. à qua appellatur sæpè voluntas Dei, & sæpè S. Bon. *in Psal.* 118. quia lex imperat formaliter observantiam; sed imperium est actus voluntatis, non intellectus, ut fusè probatum est in tractatu de voluntate in Philosophia, & leges dicuntur Dei voluntates, & placita principum; ergo, &c. Ratio autem à priori est, quia ad legem necessariò tria 404

concurrunt

concurrunt; primo judicium practicum regularem voluntatem Legislatoris inferendo legem: 2. voluntas ipsius obligans subditum: 3. signum manifestans ipsius voluntatem; sed hæc tria important actum utriusque potentiæ, & principaliter voluntatis complentis, ergo, &c.

Dices. Lex est una, ergo non potest coalescere ex utriusque actibus potentiæ: Resp. esse unam non physicè, sed moraliter unitate ordinis.

QVÆSTIO II.

Quotuplex sit Lex?

405 NOt. 1. Quòd aliter respondent huic quæstio: Juristæ, aliter Theologi; illi jus cum lege confundentes dividunt in jus naturale, jus gentium, & jus civile: Jus naturale est commune brutis, & hominibus, ut procuratio prolis, & conjunctio maris & feminæ jus gentium est solis hominibus proprium, & illis omnibus ferè commune, & cultus Dei, honor parentum, vim vi repellendi licentia, &c. jus civile est proprium alicui regno, ut jus Gallorum, Romanorum, &c. Theolog. verò aliter dividunt; hinc.

Unica concl. lex primò dividitur in legem naturalem; & positivam; lex naturalis subdividitur in legem naturalem sacram, moralem, & politicam, lex positiva in legem æternam, divinam, & humanam; Explicatur & simul probatur conclusio, quæ est communis, licèt Doctores diversificent in modo explicandi; lex naturalis est judicium naturale, quo ratio nobis dictat bonum esse faciendum, & malum vitandum: sic S. Bon. *l.* 2. *d.* 39. *q.* 1. *&* 2. *& a.* 2. Ex quo principio practico multa alia deducuntur, quorum alia sunt faciliora, alia difficiliora; si enim illa princi; ia practica dictata à judicio naturali Deum respiciunt, ad legem naturalem sacram pertinent, ut Deum esse colendum, & amandum: si respiciunt mores hominum ad finem proximum, spectant ad legem moralem, si respiciunt societatem hominum fovendam, ad legem naturalem politicam spectant, quæ omnia fundantur in duobus principiis legis naturæ.

2. Lex positiva est ea, quæ præscribitur à Legislatore, & hæc est duplex, scilicet divina, & humana: Nota autem hic, quòd lex divina alia est æterna; alia temporalis: lex æterna non est in rigore lex formaliter, quia est judicium practicum divini intellectus terminatus ad praxim, & opus, quo indicat antecedenter ad decretum voluntatis, convenientiam propositionis principiorum universalium: & dicitur etiam lex naturæ, non propriè naturalis, quatenus inde derivatur lex naturalis in nobis, quæ tamen propriè dicitur lex naturalis solum post decretum divinæ voluntatis: Lex igitur naturalis divina propriè est post decretum divinæ voluntatis, estque ex parte Dei quoddam decretum Dei æternum, quo statuit homines, & Angelos sic esse in tempore regulandos; quæ etiam extenditur ad divinam providentiam; quæ recta ratione regulantur in suis actibus, & ordine omnes creaturæ & quia talis di itur per respectum ad subditos, hinc in nobis dicit quemdam habitum innatum, quo instruitur intellectus circa principia universalia, & inclinatur affectus ad ipsa amplectenda: & hæc propriè dicitur lex naturalis, ut ait Seraph. Doct. *l.* 2. *d.* 39. *a.* 2. *quæst.* 1. *ad ultim.* Et quia ex his principiis universalibus inferuntur conclusiones, & leges particulares, hinc ab ista descendit lex positiva divina, & humana: Divina habet immediatè Auctorem Deum & Christum secundùm Trident. *sess.* 6 *cap.* 21. lex vetus immediatè à Deo ortum habuit: lex gratiæ à Christo, à quo sicut Christianorum respublica fuit condita, sic ab eo, ut Rege, & capite, & Summo Pontifice legibus gubernatur; ut dicit Isaias *cap.* 35.

Lex verò humana propriè dicitur positiva, quia est regula quædam præscripta ab homine habente publicam auctoritatem, præscribens subditis aliquid faciendum, & prohibens aliud: & hæc dividitur in Ecclesiasticam, quæ dirigit ab bonum supernaturale, & in civilem ad bonum naturale. Addunt Theologi legem mediantem inter duas proximè dictas: nempè jus gentium, quod ut notat Suarez, est commune hominum judicium, & gentium consensus, quod jus constituitur ab hominibus ratione naturali ductis, talique jure introducta est divisio rerum, & meum, ac tuum, ad vitam in pace, & fine rixa bellorum ducendum, sic & eodem jure, bella contractus, pax, legatorum admissio servitutes introductæ sunt, non ab aliquo Principe, sed communi usu gentium; estque jus humanum, & positivum, vide Suarez t. *de legibus*, *&c.* Et hinc sequitur, quòd lex divina, & æterna per hoc distinguitur à temporali, & positiva; quòd illa habet vim directivam ab intellectu solùm, & vim obligandi à voluntate: ista verò habet utramque totaliter à voluntate. *De ista multiplicitate vide in Psal.* t. 18. *cap.* 2. *a.* 1. *& Psal.* 70. *& serm.* t. *&* 21. *& op. Princ. S. Script. & op. Centil. p.* 1. *cu* 7. *& l.* 4. *d.* 39. 40. *per tot. Videantur, & alii Theologi.*

QVÆSTIO III.

De materia, proprietatibus, fine; & effectibus legis.

VT clariùs, & magis distinctè naturam legis, 406 explicemus proponuntur enodanda ista, quæ in hoc titulo apponuntur: & 1. suppon. quod materia alia est in in quo, idest subjectum, in quo apponitur lex: alia est circa quam leges versantur: alia de qua agitur proximè, & remotè hinc.

Concl. 1. Materia, seu subjectum in quo primarium est intellectus inchoativè, seu antecedenter, & voluntas completivè, & formaliter: Materia secundaria; in qua, est vox, tabula, liber, Scriptura, & alia similia. Materia, circa quam, sunt actiones humanæ: est communis omnium Theologorum; cum Seraph. Doct. *loc. cit.* Prob. prima pars, quia superior condere legem intendens, cognoscit primò id, quod statuere vult: an scilicet sit bonum, & utile: sed hoc judicium est intellectus: ergo in ipso est tale subjectum inchoativè: & cum deinde præscribat suis inferioribus id, quod sibi congruum, & illis utile videtur, in quo stat formalis ratio legis, tunc id decernit voluntate: ergo vera conclusio. 2. pars de materia secundaria, in qua etiam patet, quia postquam stabilitæ sunt leges in mente Legislatoris, ut habeant suam essentiam non phisicam, sed moralem, quæ consistit in vi obligativa, debent inferioribus manifestari

manifestari per vocem, tabulam, scripturam, &c. ergo, &c. Hic autem disquirunt Theologi qualis publicatio requiratur ad hoc, ut leges obligent; & an requiratur consensus populi, quæ omnia brevitatis causa omittimus remittendo Lectores, & Casuistas, ad Theologos hanc materiam fusè tractantes, ut sunt Suarex, Caspens. Bassæus, Bonacina; &c. 3. pars de materia, circa quam etiam ex supradictis de actibus humanis, patet: nempè versari circa actiones humanas, quæ sub lege cadunt, ut bonæ fiant, & declinent à malo, quòd & infra magis patebit.

Concl. 2. Materia, de qua, sive remota: & primaria: Sunt principia universalia practica per se nota; Proxima, & secundaria sunt conclusiones ex ipsis deductæ, nempe ipsa præcepta moralia, quæ evidentem habent honestatem necessariam ad rectitudinem moralem. Prima pars patet ex traditis in præcedenti quæstione, nam principia universalia omnis legis sunt per se nota lumine naturali, quia descendunt, & derivant in intellectum, & voluntatem nostram ex lege æterna Dei: 2 pars etiam patet, quia præcepta deducta ex ipsis principiis sunt veluti conclusiones, quæ indigent discursu ad ipsorum notitiam habendam: & talia sunt præcepta Decalogi, loquendo de divinis: sic S. Bonav. *l.2. d.39. a.1. & 2.*

Et hinc sequitur, quod materia fundamentalis legis naturalis est bonum, vel malum morale secundùm se addens specialem obligationem per legem ad ipsam materiam, vel amplexandam, vel vitandam; quare lex naturalis per id differt ab aliis legibus specialibus, quod istæ reddunt malum id, quod prohibent: & bonum, quod præcipiunt; unde aliquid dicitur bonum quia præceptum, vel malum, quia prohibitum: Lex autem naturalis præsupponit in objecto, vel bonitatem, quam præcipit, vel turpitudinem, quam vetat: unde aliquid præcipitur, quia bonum est de se: aliud prohibetur, quia malum est de se: 1. ut cultus Dei, honor parentum: 2. odium Dei, mendacium, &c.

407 Concl 3. omnes leges sive civiles, sive Canonicæ descendunt velut conclusiones ex lege æterna, & naturali, & ex principiis universalibus per se lumine naturæ notis, & ob id sunt circa honestatem, & bonitatem moralem: est contra Machiavellum, qui cum aliis Athæistis dixit leges civiles versari circa quamcumque materiam sive honestam, sive non: dummodo inserviet & regimini politico, quæ est hæresis impiissima. Prob. prima pars de legibus civilibus, nam istæ debent esse justæ, & justè latæ, quia omnes conduntur ad bonum civile hominum, & ad malè vitandum: ergo ex lege naturali derivant nobis. Probatur 2. quia, ad hoc, ut sint justæ, & justè latæ debent recipere fælicitatem humanam, naturalem politicam, &c. Sed ad hoc est necesse, ut versentur circa quatuor Virtutes Cardinales, & principaliter circa justitiam, de qua materia vide S. Bon. *Op. de 4. Virtutibus Cardinalibus*, ergo, &c. Prob. 2. pars de lege Canonica, quia cum ordinetur ad bonum supernaturale hominis, versari debet circa virtutes Theologicas, ob idque: & circa religionem virtutesque facientes ad perfectionem spiritualem animæ.

Dices: multæ sunt leges civiles etiam ordinantes hominum ad bonum spirituale, & multæ sunt Canonicæ ordinantes hominem ad vitam politicam; ergo differentia supra allata non est vera. Resp. assumptum esse verum, sed tamen in lege civili, si dantur tales leges habent pro objecto primario observantiam Virtutum Cardinalium, & fugam vitiorum oppositorum: unde vita spiritualis in ipsis est per accidens, & secundariò intenta. In lege Canonica multa ordinantur spectantia moraliter ad Virtutes Cardinales, sed pro ut tantùm sunt ordinata ad perfectionem animæ, & exercitium spirituale virtutum, & hinc est, quod in utrisque multa sunt mixti fori; de quibus vide Suarez.

Concl. 4. Legis proprietates communiter à Theologis reducuntur ad tria capita: sic S.Bonav. *cit.* in prima quæstione: suntque auctoritas, veritas, & bonitas, nempe principium, forma, & finis. Prob. & explicatur concl. primò ratione principis condentis legem; debetur enim legi auctoritas, quia nullus potest legem condere nisi auctoritate polleat. Confirmatur à D. Thoma, quia lex cogit communitatem, eamque ad bonum commune ordinat, talis autem ordinatio exigit potestatem super communitatem, ergo, &c. Hæc autem potestas primo in Deo, & Christo Jesu residet, & hinc derivat in Ecclesiam, in Summum Pontificem, & Prælatos, & etiam in supremos Principes, quidquid in contrarium blacterant hæretici, de qua re vide Suar. P. Gaudent. *tom. 4. de legibus d.1 quæst.9. & d.5.quæst* 1. Prob. 2. ratione formæ; quia forma legis est veritas, rectitudo, & justitia, nam lex injusta est Tyrannis, ut supra dictum est. Prob.3. ratione finis: legi debetur bonitas, quia lex non ordinat nisi in bonum commune, ergo &c.

Concl. 5. Effectus legis ad duo capita reducitur: primum est obligare subditos: secundum est reddere subditos bonos: est communis, ut patet ex traditis: prima pars prob. quia de essentia legis moralis est ligare eos, ad quos fertur, & promulgatur: sed hæc obligatio duplex est: alia sub peccato, & in foro interno: alia sub pœna temporali, & foro externo, ergo, &c. 2. pars de se patet, quia de ratione legis moralis est componere mores hominum ad normam rationis, & si aliquando non obtinetur effectus, id est per accidens, & contra naturam legis, & intentionem Legislatoris: ergo vera conclusio.

QUÆSTIO VI.

Pro altera regula remota legis; quæ est voluntas divina.

IN prima quæstione, disp. 18. de Actibus huma- 408
nis diximus duplicem regulam remotam ad actus humanos regulando dari, scilicet intellectum divinum, ejusque voluntatem: de 1. ex professo in superioribus actum est: sicut etiam multa enodata sunt de secunda, scilicet de voluntate divina, diximus enim legem inchoativè tantùm habere esse per intellectum divinum cognoscentem connexionem terminorum propositionum moralium, sed completivè tantùm recipere esse formale per voluntatem divinam, nempe post divinum decretum statuens ipsam legem, & præcipiens ejus observantiam, ex qua oritur lex naturalis, & inde aliæ leges, hinc tantùm aliqua de hac secunda regula remota, scilicet de voluntate divina præcipiente, vel consulente, explicanda sunt.

Suppon.

Suppon. 1. ex traditis in 1. lib. sententiarum ex Seraph. D. *l.1 d.47. & d.48. & d.45. a.3 q.1.* quod voluntas divina alia est beneplaciti, alia signi. 1. est realis, & immanens in Deo, estque in ordine ad bonum amandum, & ad malum odiendum; & dividitur in antecedentem, & consequentem; in absolutam, & conditionatam, de qua fusè actum est in disput. de Prædestinatione. 2. consistit in exteriori signo, quo significatur divinum velle, suntque præcepta, consilia, & admonitiones, de quibus est tota ferè S. Script. Voluntas signi præcipiens est respectu objecti, quod Deus absolute vult, ut à nobis amplexetur, & hoc quantum est in se; nam respectu nostri, non necessariò, sed liberè ipsum vult, licèt velit ad id nos teneri sub præcepto: Voluntas verò signi consulentis est respectu objecti, quod ipse Deus vellet nos velle, vel quia melius, vel quia bonum nobis; ad quod Deus, licèt non se habeat in volendo absolutè, & efficaciter, tamen efficaciter vult, ut homo possit illud velle: his suppos. sit.

Concl. 1. Voluntas divina, per decretum suum, legem vel præcipientem, vel consulentem constituit actibus humanis, ut sibi conformentur non solùm in objecto materiali, sed & formali, est S. Bonav. citati, & communis omnium Theologorum. Prob. prima pars de objecto materiali; quia homo tenetur in suis actibus moralibus velle id, quod vult Deus; ergo, &c. 2. pars patet, quia tenetur velle in ratione, & modo volendi ipsum objectum tum ratione principii, nempè ex charitate, tum ratione finis, ad quem ordinatur voluntas divina ergo, &c. Explicat hoc Seraph. D. *d.48. l.1. a.1. q.1. & 2. & a.2. q.1. & 2.* dicens, conformitas voluntatis nostræ ad divinam attenditur secundum proportionem, scilicèt per similem habitudinem ad actum, & ad objectum volitum; ad actum, ut sicut Deus, quod vult, vult liberaliter, & charitativè, ita & homo velit justo, & recto fine; ut quod objectum vult Deus, vult, & homo, & eodem fine, & hoc possibile est.

Concl. 2. conformitas voluntatis nostræ ad divinam secundum actum, & volitum facit eam justam, & actus moraliter bonos, & sanctos. S. Bonav. *ibidem q.2.* Prob. quia divina voluntas justitia est, & regula justitiæ; ergo qui ipsi conformatur, justus fit, & justificatur; tum quia sicut intellectus noster se conformans divino intellectui efficitur verus, idest recipit principia universalia legis naturalis, & rectitudinis; ergo & voluntas se conformans divinæ quæ est rectitudo justitiæ, justa fit.

Objic. 1. voluntas Dei etiam ab iniquis semper impletur; ut ait Augustinus; quia peccator potest velle, quod Deus vult, & nolle, quod non vult, & tamen non per id fit justus, ergo falsa conclusio. R. quod iniquus vult tantùm materialiter quod vult Deus, non in ratione volendi, & formaliter, scilicèt justè, & ex charitate, & eodem fine.

Objic. 2. si conformitas voluntatis humanæ ad legem divinam sic volitam à Deo facit ipsam voluntatem justam, & sanctam, & sanctos actus; ergo & reddere debet voluntatem beatam, cum & voluntas Dei sit beata; consequens est falsum; ergo & antecedens. Resp. negando paritatem de Beatitudine, & Justitia; nam beatitudo est justitia consummata, quæ exigit conformitatem superexcellentem non solùm quoad objectum volitum, sed & in ratione volendi omnimodè completè secundùm statum Beatorum, & per lumen gloriæ, quod in hac vita non potest haberi.

Objic. 3. actus humani ideò recti fiunt, quia conformantur decreto, & voluntati divinæ; sed Deus vult vindicare se de offensis sibi factis; ergo idem poterit homo. R. conced. totum, si homo vult non solum objectum, sed cum eadem ratione volendi, scilicèt zelo justitiæ appetendæ, ut vindicentur delicta ab habente à Deo auctoritatem publicam: alio modo neg. quia defectus evenit in ratione volendi.

Objic. 4. si tenemur velle, quod Deus vult, & eo modo, quo vult; ergo quotiescumque non adest talis conformitas, erit actus malus, & contra legem Dei, quod est falsum. R. nego conseq. ratio est, quia talis conformitas est præceptum affirmativum non obligans semper ad semper, sed pro loco, & tempore, & quandò debemus exire v. g. in actum charitatis, & in actum contritionis; & si non habeat homo charitatem, tunc tenetur ad æquivalens pro loco, & tempore faciendo quod possumus, & quod in nobis est, &c. & hoc saltem quoad volitum, & objectum nobis à Deo ostensum *Vide S. Bonav. citatum, & præcipuè a.2. q.1. & 2. vide Caspens. d.4. sect.5.* Notat tamen hic Seraph. D. quod homo semper ad semper debet esse conformis voluntati divinæ ratione volendi non positivè, sed negativè, ut nihil velit contrarium divinæ voluntati, quia hoc est peccatum.

DISPVTATIO XVII.

DE Regula proxima humanorum actuum, scilicet de conscientia, & Synderesi. Assignavimus cum communi Theologorum duplicem regulam humanorum actuum remotam, seu extrinsecam; & proximam, seu interiorem; remota est intellectus, & voluntas divina, à qua descendit omnis Lex; proxima est Synderesis, & potissimè conscientia; de remota egimus; nunc agendum est de proxima, & interna.

QUÆSTIO I.

Quid sit conscientia, & in qua Potentia resideat?

IN primis reiicienda est sententia Origenis *l. 2. in epist. ad Romanos* asserentis conscientiam esse quamdam substantiam spiritualem separatam ab 459
anima nostra, illisq. assistentem per modum Angeli custodis directivam & moderantem actiones humanas: quod assertum reiicitur tamquam falsum ab omnibus Theologis convenientibus tamen in hoc, quod conscientia est res aliqua interna, & inhærens animæ nostræ, & colligitur ex pluribus locis sacræ scrip. præcipuè ex Epistola ad Romanos c. 2. sed quid sit, & cujus potentiæ, est in quæstione.

1. Sententia eſt Henrici conſcientiam eſſe inclinationem voluntatis ad bonum, vel malum. 2. eſt Durandi volenti, conſcientiam importare duos actus ſimul junctos ſcilicet intellectus, & voluntatis. 3 eſt D. Thom. & ſequacium, aſſerentium conſcientiam eſſe actum intellectus practici indicantis creaturæ rationali quid in particulari faciendum, quidve evitandum. 4. ſententia eſt Seraph. D. *l. 2 d. 39. q. 1 & 2.* Scoti, & ſequacium, aliorumque plurium affirmantium conſcientiam, licèt aliquando ſumatur pro actu, tamen propriè eſſe habitum dirigentem intellectum practicum ad id, quod in particulari eſt amplectendum, non quidem acquiſitum, ut falsò Vaſquez impingit S. Bon. ſed innatum.

Not. 1. ex Seraph. D. *cit. q. 1.* quod ſicut intellectus aliquando ſumitur potentia intelligendi, aliquandò pro habitu acquiſito, aliquando pro ipſo principio intellecto, ſic & conſcientia à SS. Patribus aliquando accipitur pro ipſo conſcito, unde ſic dicitur conſcientia lex intellectus noſtri; lex enim eſt illud, quod per conſcientiam noſcimus, aliquando pro eo, quo conſcii ſumus, ſcilicét pro habitu; ſicut ſcientia accipitur pro habitu potentiæ cognoſcenti; aliquando ſumitur pro ipſa potentia conſcientiæ, ſecundùm quod dicitur lex naturalis ſcripta in conſcientiis noſtris; propriè tamen ſumitur pro habitu intellectus non ſpeculativi, ſed practici dictante ea, quæ à nobis ſunt practicè agenda, & à voluntate amplexanda; unde dicitur conſcientia ideſt ſcientia conjuncta affectioni: *op. comp. Theol. l. 2. cap. 51.*

Not. 2. ex eodem Seraph. D. *l. 2. d. 39. a. 2. q. 3. ad 4.* quod conſcientia, & ſynderesis conveniunt in propoſitione univerſali conſcientia dictans propoſitionem univerſalem ut veram intellectui, & ſynderesis inclinans voluntatem ad ipſam amplectendam, ſed poſtea diſcrepant inter ſe, quod conſcientia non ſiſtit in illa propoſitione univerſali, ſed etiam deſcendit ad concluſionem in particulari, & hoc non motu ſimplici ſolo, ſed collativo, ſynderesis verò ſtat in univerſali ſemper, & inclinat voluntatem veluti pondus ad ipſam amplexandam in univerſali, v. g. ad Deum colendum, & ideo proprium eſt conſcientiæ, quia eſt opus rationis unum ab altero diſcernere, & unum ad alterum conferre, hinc eſt, quod dum ſiſtit in univerſali ſemper recta eſt, ſed pro ut deſcendit ad particularia, & confert, poteſt errare, eò quia ſe intermiſcet actibus rationis deliberativæ, ſeu liberi arbitrii, in quo poteſt errare aſſumendo aliquid falſum pro vero, non ſic intervenit in ſinderesi.

410 Concl. 1. conſcientia ſic definitur, conſcientia eſt lex intellectus dirigens voluntatem ad opus bonum: *ſic S Bonav. & SS. PP. in centil. p 1. 5. 11. op. comp. Theol. l. 2. c. 51. & l. 2. d. 39. a. 3. q. 1.* Dicitur lex, quia eſt lex naturalis deſcendens à lege æterna Dei: dicitur, lex intellectus, quia importat qualitatem exiſtentem in intellectu, & dicitur, dirigens, quia eſt regula practica, per quam voluntas dirigens ad opus bonum ſuadeturque ad ipſum amplexandum.

Concl. 2. conſcientia formaliter ſumpta non eſt purus actus, ſed habitus intellectus, eſt S. Bonav. *cit. l. 2. d. 39. q. 1. & 2.* & probatur 1. quia ſi eſt lex, ergo non eſt actus, ſed qualitas exiſtens in intellectu; Tum quia conſcientia eſt ſcientia, qua veluti lege judicat intellectus, dirigit, teſtificatur, arguit, ergo eſt habitus intellectus.

Concl. 3. conſcientia eſt habitus innatus cum additione alicujus qualitatis acquiſitæ, eſt S. Bon. *l. 2. d. 39. q. 1. & 2.* explicatur, & probatur à Seraph. D. *ibidem, & ex comp. Theol. & centil.* conſcientia dicit intrinſecè judicatorium lumen innatum, quo univerſalia principia ad bonum faciendum anima naturaliter cognoſcit, v. g. Deum eſſe colendum, parentes eſſe honorandos, ſed cum iſte actus ſit valde imperfectus, unde magis propriè debet dici conſcientia habitualis potentia, quàm in rigore habitus, hinc indiget acquiſitione novæ cognitionis per apprehenſionem terminorum talium propoſitionum, ipſorumque connexionum, tum cum lege naturali, & æterna, tum inter ſe, ex qua, veluti ex majori propoſitione, ſubſumit minorem, v. g. ſummum bonum eſt diligendum, hoc dictatur ab innato lumine ſynderesis: Deus eſt ſummum bonum, & hinc conſcientia concludit, ergo Deus eſt diligendus. Ex quibus patet, ait Seraph. D. quod in majori non poteſt cadere error, cum ſit quid cognitum per lumen naturale innatum, ſed tamen cum conſcientia in deſcenſu ad particularia jungatur cum parte inferiori animæ, & cum actibus liberi arbitrii, poteſt tum cadere error, & falſitas in concluſione, qualis falſitas intervenit in diſcurſu ſerpentis, & duæ tali pacto facto: Bonum eſt habere ſcientiam boni, & mali ſi comederitis, habebitis hanc ſcientiam, ergo bonum eſt commedere, & hic fuit ſyllogiſmus ſophiſticus, & Logica Diaboli, qua ruinam toti Mundo peperit, *eſt Seraphici D. ſerm. 1. Hexam.* Hinc ex naditis poteſt erui hæc clarior definitio: conſcientia eſt habitus intellectus practici dictans in occaſionibus quid in particulari proſſequendum, & quid fugiendum.

Objic. 1. dictare de agendis, ſtimulare, &c. ſunt munera conſcientiæ, ſed iſta ſunt actus, ergo conſcientia conſiſtit in actibus, non in habitu; Reſp. S. Bonav. conced. majorem, & minorem; ſed addit, quod ſunt actus prodeuntes ex habitu, addito lumine acquiſito.

Contra: ſi eſt habitus; ergo erit habitus generalis ad varios actus ſpecie diſtinctos, quod eſt impoſſibile; habitus enim eſt quid ſpecificum determinatum. Reſp. Seraph. D. *d. 39. q. 2. in corp.* eſſe habitum innatum inchoativè, & veluti ſeminarium aliorum habituum acquirendorum, dicit enim primariò lumen innatum nobis oſtendens bona; & ob id eſt verè habitus, & qualitas permanens in intellectu reſpectu eorum, quæ ſunt de dictamine Naturæ; ſed quia id non ſufficit ad inferendam concluſionem particularem, ut v. g. cognoſcit parentes eſſe honorandos, ſed ad inferendam hanc concluſionem; ergo iſte eſt Pater honorandus, indiget aquiſitione ſpecierum hujus Patris, hanc ſuperaddit etiam aliquid complementi acquiſiti.

Dices ex Ariſt. 3. *de anima*, quod intellectus eſt veluti Tabula raſa, in qua nihil eſt depictum, ergo non datur hic habitus innatus; & confirmatur ex illa maxima, nihil eſt in intellectu, quin prius fuerit in ſenſu; ergo quidquid eſt in intellectu eſt acquiſitum per ſenſus. Reſp. Seraph. D. *q. 2.* ſubtiliſſimè, quod notanda ſunt verba Philoſophi dicentis nihil eſſe depictum in intellectu, niſi id, quod venit per ſenſus, ideſt, in intellectu nulla eſt pictura, vel ſpecies abſtracta à rebus, quia debet tranſire per ſenſus; non tamen per hoc poteſt negari, quin in intellectu ſit habitus, & lumen innatum, quo anima cognoſcit naturaliter Deum, & ſe ipſam ſine adminiculo ſenſuum exteriorum, & hujuſmodi eſt hoc lumen indicatorium conſcientiæ, quo naturaliter ſine ſpeciebus acqui-

ſitis

sitis cognoscit universalia principia, quæ sunt de dictamine legis naturalis.

Objic. 2. conscientia dicitur bona, & munda, ergo ejus objectum est bonum, ergo spectat ad voluntatem. R. Seraph. D. q. 1. d. 1. & 2. conscientiam dici bonam non quod amplexetur, vel faciat opus bonum, id enim spectat ad voluntatem, dicitur ergo bona ob bonum dictamen, tum etiam ob conjunctionem, quam habet ad affectionem bonam.

Objic. 3. proprium conscientiæ est remordere animam, obidque causare dolorem, & passionem, sed hoc spectat ad voluntatem ergo, &c. R. Seraph. D. quod dicitur conscientia remordere animam causaliter, non formaliter, dum dictat bonum, & monstrat malum, tunc est in causa quod affectus remordet.

QUÆSTIO II.

Quid sit Synderesis, & quomodò differat à conscientia.

411 PRima sententia affertur à S. Bonav. *d. 39. q. 1.* asserentium, Synderesim esse portionem superioris rationis, qua anima ad Deum convertitur, unde dicunt, quod Synderesis nominat ipsam potentiam, conscientia habitum, & lex naturalis id, ad quod conscientia dirigit; hancq. Seraph. D. reiicit eo quod in Synderesi non est peccatum, sicut est in superiori portione rationis; tum etiam quia non tantum respicit Deum, sed etiam proximum secundùm dictamen legis naturalis.

2. Opinio est Divi Thomæ, & sequacium asserentium, Synderesim esse habitum intellectus practici circa prima principia; cum D. Thoma consentiunt Scotus, & Scotistæ apud Mastrium *d. 5. n. 9. 3.* opinio est S. Doct. Alensis, Henrici, aliorumque affirmantium esse habitum voluntatis inclinantem ad bonum remurmurantem contra malum: Pro solutione

412 Not. 1. quod, sicut lex naturalis provenit ex divino intellectu, & voluntate Dei, & derivat in animam, per consequens informat & intellectum, & voluntatem; in intellectu enim infunditur lumen innatum, quo dirigitur intellectus in cognoscendo; & hoc spectat ad habitum innatum conscientiæ ut supra dictum est; in voluntate descendit quoddam pondus, & inclinatio superaddita dirigens voluntatem in appetendis, onde sicut cognoscibilia, alia sunt speculativa, alia practica, & ad hæc moralia dirigit lumen conscientiæ; sic appetibilia alia sunt honesta, alia delectabilia; ideo Synderesis nominat illud pondus inclinans ad bonum honestum, & cum tale pondus numquam separetur a voluntate, hinc & habitus dici potest, & voluntas potentia habitualis, scilicèt informata tali habitu.

Unica conclusio: Synderesis est habitus voluntatis inclinans ad bonum: Prob. à S. Bon. ex 1. Ezechiel. & Glossa dicente: Synderesim gemere pro nobis, quod est voluntatis. Prob. 2. Synderesis inclinat, & stimulat ad bonum, ut bonum est tamquam ad proprium objectum, ergo est in voluntate, nec valet responsio, quod etiam conscientia respicit bonum, & tamen spectat ad intellectum, nam conscientia respicit bonum, sed ut cognoscendum, & ut verum, & ut amplexandum à voluntate, sed Synderesis stimulat ad bonum sub ratione boni, obidque est voluntatis. Prob. 3. sicut intellectus indiget lumine ad judicandum rectè, & videndum, ita & voluntas calore, & pondere inclinante ad rectè amandum, sed in intellectu est naturale judicatorium habituale pro dirigenda conscientia, ergo & in voluntate requiritur pondus habituale ad amandum, & amplexandum, sed hoc est Synderesis, ergo, &c. confirmatur à S. Doct. quia contra malum oppositum est bonum à Deo, sed homo in parte sensibili habet aliquid impellens ad malum, nempè fomitem, ergo & in parte rationali motiva debet esse instigans ad bonum, hoc autem non est nisi Synderesis, &c. Et confirmatur iterum ex D. Ambrosio dicente, quod homo peccato subjectus naturaliter vult bonum, sed id quod naturaliter vult bonum, vel est conscientia, vel Synderesis, habet enim utraque pro objecto legem naturalem, sed non est conscientia ex traditis, ergo Synderesis.

Objic. 1. ex D. Hieronimo in Glossa *ad 2. Malachia ibi. Custodite spiritum vestrum, & uxorem adolescentiæ vestræ*, per uxorem intelligitur lex naturalis scripta in corde, per spiritum partem rationalem, quæ est Synderesis, quæ postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus, sed postulare est intellectus, & rationis ergo, &c. R. Seraph. D. spiritum loqui ad Deum cogitationibus, verbisque exterioribus, & affectibus, desideriisque, unde cum Synderesis continuè stimulet nos ad bonum, dicitur postulare gemitibus, & tali pacto etiam respon. aliis textibus indicantibus aliquos actus rationis in Synderesi, ut est lumen, postulare, &c. qui actus attribuuntur Synderesi causaliter, quatenus dirigunt Synderesim, &c. 413

Objic. 2. ex Scoto: Synderesis ponitur habere actum elicitum necessariò tendentem in bonum, & malo resistentem, sed nihil tale est in voluntate, cum sit libera, & possit tendere ad oppositum. Tum quia impossibile est, ut simul tendat ad malum, dum habet actum ad bonum, tum quia per actus oppositos potest destruere hunc habitum naturalem tendendi in bonum, ergo non est in voluntate. R. S. Bonav. *d. 39. in dub. 2. & a. 2. q. 1. corp.* quod Synderesis essentialiter dicit habitum in potentia voluntatis, nempè pondus seu qualitatem superadditam innatam inclinantem necessariò ad bonum, ex quo veloci accidentaliter, vel secundariò consequitur actus elicitus, cum tamen potentia non semper sit in actu suo, quia non semper anima cogitat de bono, & ideo per hoc non impeditur libertas actuum elicitorum, unde simul datur non quidem actus elicitus naturalis in bonum, & liber in malum, sed bene datur naturalis inclinatio in bonum, & simul voluntas deliberativa actualis in malum, & tunc Synderesis suffocatur, ne exeat in actum elicitum ad bonum honestum, ut patet in damnatis, in quibus non est inclinatio elicita ad bonum honestum, licèt insit in eis habitus, sed impeditus, & veluti suffocatus, vel potius mortificatur per desideria mala deliberativa, *vide ibid. 3. & 3. & infra q. sequenti, &c.*

Q. quomodo se habeat Synderesis ad Conscientiam, & legem naturalem? Resp. S Bonav. *q. 1. a. 2. circ. ad finem*, quòd lex naturalis potest sumi vel pro habitu naturali indito in anima, vel pro præceptis legis

 naturæ,

naturæ; 1. modo illuminat conscientiam ipsam dirigens in actibus suis, & inclinare facit voluntatem ad amplectandum bonum, & vitandum malum; & hoc pacto conscientia dirigit, & dictat propositiones practicas ad bonum sequendum, & malum fugiendum, & synderesis inclinat voluntatem, ipsam facilitans ad bonum, &c. sicque lex naturalis dicit habitum communem intellectui, & affectui; si verò lex naturalis sumitur pro præceptis naturæ, sic est objectum utriusque; unde synderesis semper movet potentias animæ ad bonum.

QUÆSTIO III.

An synderesis, vel extingui, vel depravari possit?

413 NOt. 1. quod, cum proprium sit conscientiæ naturaliter dirigere animam ad propositiones practicas respectu boni amplexandas; Synderesis est inclinare voluntatem ad bonum; ideo ejus actus est instigare, & movere ad bonum, & pungere, & remurmurare contra malum; idque est sibi naturale, cum id habeat voluntas ut natura est; cum autem per hos actus habeat regere alias potentias, ad quod regimen duo requiruntur, scilicet rectiendo præsidentis, & obtemperantia famulantis; & quia non est in potestate ipsius præsidentis actu subjectas tenere ipsas potentias, cum & ei contrarie possint per liberum arbitrium, hinc est quod respectu actuum elicitorum potest impediri à voluntate deliberativa maximè in ordine ad bonum amplexandum; hinc potest vel extingui, vel depravari, ut infra dicetur. Sic Seraph. D. *citat. a.2.q.2.& 3.*

Notati. 2. quod peccatum residet in voluntate, non pro ut natura est, obidque nec potest dici synderesis; sed pro ut est deliberativa; hinc est quod per peccatum non potest Synderesis tolli essentialiter ab anima; quòd, cum sit verum, non per hoc tamen tollitur, quin peccatum possit impedire saltem ad tempus actus synderesis; & hoc tripliciter; primò propter tenebram excæcationis potest synderesis impediri, ne contra malum remurmuret; excecatio enim potest facere, quòd malum credatur bonum, ut in hæreticis morientibus pro impietate erroris, qui credunt se mori pro pietate fidei, ideò remorsum non sentiunt, imo potiùs gaudium siccum, & vanum. 2. ob lasciviam delectationis, à qua aliquando homo ita absorbetur, & cum tanto impetu fertur in voluptatem, quod ratio non habet in eo locum, ideoque nec remorsus. 3. ob duritiam obstinationis impeditur synderesis, ne ad bonum stimulet, sicut in damnatis, in quibus quantùm ad instigationem ad bonum ob confirmationem in malo sempiternum habent impedimentum, & quoad hunc actum potest dici extincta synderesis, non verò quoad remorsum omnino; quia iste semper vigebit in eis contra malum, non ut offensam Dei, sed pro ut læsivam, & pænalem; ideo eorum remorsus, & pænitentia est infructuosa; *hæc S. Bonav. loc. cit. q.2.* His notatis.

414 Concl. 1. Synderesis quoad essentiam extingui non potest: sic S. Bonav. *cit. q.2.* sic omnes SS. Patres ex S. Script. Prob. 1. quia synderesis naturaliter inest; ergo inseparabilis est. Tum. 2. quia in damnatis etiam viget quoad aliquem usum, nempè remorsum, quia vermis eorum non morietur; ergo, &c.

Concl. 2. Synderesis quantum ad actum potest impediri; sic S. Bonav. ibidem; idque patet ex 2. Notabili ex obcæcatione, lascivia, delectatione, & obstinatione; ergo, &c.

Concl. 3. Synderesis, & si recta sit, tamen à prava voluntatis affectione potest ita suspendi, ut nequeat effectus suos consequi, non tamen depravari; sic. S. Bonav. *cit. q.3.* Prob. 1. para ex Glossa, exemplo equitis perfectissimi, qui, quantum est de se, benè sedet super equum, & rectè pergit; sed tamen præcipitato equo præcipitatur etiam ipse in foveam; sic, quia voluntas frequenter obviat imperio, & inclinationi synderesis, se ipsam, & synderesim præcipitat quo ad effectus suos. Prob. 2. pars, quia natura semper vult bonum, & adversus peccatum semper remurmurat; ergo non potest de se depravari; & hinc est ait S. Bonav. quod, dum vivit homo in hac vita, numquam jacta est alea salutis, etiamsi omnes aliæ potentiæ sint depravatæ.

Objic. 1. Homo aliquando per peccatum privatur omnino vi rationis, & fit stupidus, & veluti insensibilis ad omnem ictum synderesis, ergo potest extingui; sic & arguit Glossa *ad Es.16. ibi corrupti sunt*; R. S. Bon. id verificari quo ad partem voluntatis deliberativæ, non quoad synderesim, quæ est quid insitum in natura; quoad stuporem peccatoris, R. Seraph. D. eodem modo; & addit, quod talis stupor potest esse ad tempus non absolutè, & eodem modo dictum est in 2. notabili.

Dices: Hæreticos sustentare mortem pro errore suo absque remorsu; ergo in eis extinguitur R. S. Bon. suspendi in eis usum synderesis ob excæcationem; addit negando quod synderesis non remurmuret, non solum contra alia mala in eis, sed etiam contra errorum suum.

Objic. 2. Sinderesis est antidotum contra fomitem peccati; sed in Beata Virgine extinctus est fomes; ergo & potest extingui synderesis. R. S. Bon. negando paritatem; nam synderesis inest homini secundùm primam naturæ institutionem; fomes verò est vitiositas præter naturam, ideò manente natura potest tolli; præterea datur Gratia directè opposita fomiti, sed non datur peccatum directè opositum Synderesi.

Quæres: *qualis est hæc Gratia directa fomiti, de* 415 *qua hic loquitur S. Bon. & per quam extinctus est fomes in Beata Virgine.* R. Seraph. D. esse quandam gratiam gratis datam specialissimam. Addimus, quod de ipsa agemus in 3. Sent; & probabimus esse gratiam corpoream, seu donum maternitatis, ob quam quasi connaturaliter Mariæ Virgini tanta Gratiæ dona collata fuerunt.

Objic. contra. 3. Conclus. 1. pæna, & culpa habent fieri circa idem; sed synderesis in remorsu ponitur; ergo & in ea est peccatum; ergo potest depravari. R. S. Bon. neg. majorem absolutè, nam peccatum est in voluntate, & tamen punitur etiam corpus; tum quia, cum peccatum sit in voluntate deliberativa, ponitur etiam ipsa in remorsu.

Objic. 2. Synderesis consequitur conscientiam; sed conscientia potest esse & recta, & erronea; ergo potest depravari. R. S. Bonav. neg. paritatem; nam conscientia, pro ut stat in voluntate, semper est recta, tamen pro ut descendit ad particularia potest errare, ut supra dictum est; at synderesis semper stat in universali ad bonum honestum, & contra malum non hoc, vel illud.; & si contra hoc,

vel

vel illud, est ut mal m ut sic, non ut hoc, vel illud, ideo non depravatur. Præterea Synderesis nominat ipsam potentiam naturalem, ut naturaliter habilitata per qualitatem innatam; conscientia autem nominat aliquid additum etiam de acquisita, & secundùm hanc partem potest obligari.

QUÆSTIO IV.

Quotuplex sit conscientia, & unde rectitudo ejus desumatur.

416 Concl. 1. Conscientia communiter à Theologis dividitur in rectam, erroneam, probabilem, dubiam, scrupulosam, atque temerariam; recta est, quæ habet objectum honestum; erronea, quæ determinatè judicat objectum aliter, quàm est; scilicet esse malum, quod est bonum, & contra bonum, quod est malum, probabilis, quæ innititur in aliquo fundamento probabili, quæ interdum est vera, interdum est falsa; probabilitas verò alia est extrinseca, scilicet auctoritas Doctorum; alia intrinseca scilicet ratio, quæ virum doctum movere possit; Dubia, quæ dicit suspensionem animi non potentis judicare, sitne operatio licita, vel illicita; scrupulosa est levis suspitio ex levibus fundamentis judicans peccatum id, quod revera non est, semper formidans contrariam posse continere veritatem; Temeraria est quæ ex nimio affectu ob leves, & apparentes rationes judicat honestum id, quod non est.

Concl. 2. conscientiæ rectitudo consistit in judicio practico circa objectum judicatum ab intellectu honestum, & conforme rectæ rationi. Sic ex S. Bonav. *d. 39. a. 1. c. 2.* Explicatur, & probatur, quia conscientia in tantum est recta, in quantum fertur suo lumine judicatorio in objectum honestum; sed ad id judicandum requiritur, ut præcedat ratio objecti, scilicèt legis naturalis, item & circumstantiarum, & deinde judicium conformitatis, vel difformitatis ad legem naturalem, & ad regulam rationis; & hinc movetur postea appetitus naturalis ad tale objectum amplexandum, vel respuendum; ex quo patet, quod quando conscientia cum debito fundamento, vel ex ignorantia invincibili judicat honestum, quod non est tale, tunc non ob id privatur rectitudine fundata in judicio recto. 417

Quot autem modis contingere possit error conscientiæ; Vide S. Bonav. Comp. *Theol. l. 2. cap. 51.* Not. tamen, quod hic Theologi subjungunt plures, & varias quæstiones de conscientia valde ad mores conducentes, quas ultrò ommittimus brevitatis causa, remittendo Lectores ad Casuistas, & præcipuè ad Caspensen, Gauden. Suarez, Bass. similiter quæstionem celeberrimam de opinione probabili & probabiliori remittimus ad recentiores Theologos qui hanc materiam exhauserunt.

DISPUTATIO XVIII.

De Peccato.

HUcusque de bonitate, & Malitia actuum humanorum ut sic, egimus; sed quia pauca dicta sunt de malitia, quæ est retrahens hominem ab ultimo fine; hinc de peccato superest agere, primòque de peccato in genere, & deinde de ipso specialiter, & multipliciter considerato. Et quia peccatum. 1. dividitur in originale, & actuale & hoc multiplicem divisionem admittit; originale contrahitur ex voluntate alterius; actuale ex voluntate propria; hinc transferentes considerationem peccati originalis ad calcem hujus tractationis, nunc de actuali commissione agendum est; & primò quænam sit ipsius ratio formalis; 2. qualis differentia inter mortale, & veniale; 3. de ipsius subjecto; 4. de causis ipsius; 5. de effectibus.

QUÆSTIO I.

Quid sit peccatum actuale, & ejus ratio formalis, an quid privativum, an quid positivum.

424 QUæstio ista de formali ratione peccati procedit de peccato commissionis, (nam alia quæstio agitando est de ommissione, an involuat in carentia actus debili etiam aliquid positivum) & quæritur, an ratio formalis peccati commissionis consistat in positivo, an in negativo; an in negatione, seu privatione; ex cujus difficultatis solutione postea facilè Peccati definitio habebitur. In qua.

1. Opinio asserit essentiam peccati consistere in aliquo positivo: estque Thomistarum, quorum antesignanus est Cajetanus, horum fundamentum præcipuum est; quia, cum in peccato adsit duplex malitia, scilicet aversio à Deo, estque privativa; & conversio ad creaturam, estque quid positivum, & quia peccatum in tantùm est tale, in quantùm est voluntarium, & in tantùm specificatur, in quantùm dicit ordinem ad objectum, & cum id totum habeat ex conversione positiva ad objectum creatum difforme rationi, ideò, licèt includat privationem, scilicet auversionem à Deo, tamen ejus ratio formalis est conversio positiva. Hanc sententiam plurimi Theologi sectantur; qui tamen sunt variè divisi inter se in explicanda hac ratione positiva, ut videre est apud Gandenctium, aliosque; aliqui enim dicunt hoc positivum consistere in conversione ad objectum indebitum; alii in relatione disconvenientiæ ad rationem, aliique;

ut aversa, in positivo simul, & privativo, ex quibus constituitur peccatum. 2. opinio communissima est Seraph. D. Scoti, omnium, Scotistarum excepto Pontio, plurimorumque aliorum ex omnibus Scholis asserentium consistere in privatione rectitudinis debitæ, vel potentiæ, ut dicunt Nominales, vel actui, ut S. Bonav. Scotus aliique.

Notand. 1. in quolibet peccato mortali concurrere aversionem à Deo, seu à lege divina, & conversionem ad bonum commutabile; aversionem verò fundari, & consequi ad conversionem, ajunt Thomistæ; quod tamen rectè non potest intelligi, cum aversio sit disconvenientia à ratione proponente legem divinam, obidque concipi debet non per modum relationis positivæ, sed per modum recessus, & defectus à lege; ex quo oritur postea illa relatio positiva ad bonum privatum; hunc antecedenter se habet privatio ad ipsam relationem, & ob id non potest formalitas peccati consistere in tali relatione positiva, seu conversione.

Not. 2 quod, cum præcipua difficultas in hac quæstione, & causa quare in tot sententias lapsi sunt Theologi (ad decem enim capita præcipua reducuntur) sit; cum privatio dicat capacitatem in subjecto, obidque cum privatio rectitudinis in peccato competat actui, difficile videtur explicare quomodo actus, maximè qui sunt de se mali, & non ex circumstantia, ut odium Dei, habeant capacitatem ad talem rectitudinem; & cum videantur carere tali capacitate, potius negatio debet dici, quam privatio; ex quo ulterius sequitur, quod, cum talis negatio insit in omnibus actibus non bonis, sed malis, ratione talis negationis non valeant specificè inter se distingui, nec etiam dari possint actus indifferentes, quibus est talis negatio. Præterea cum ponatur privatio pro ratione formali peccati, ut elongetur magis actus à ratione imputationis peccati, cum sit causa efficiens, non deficiens, attamen nec apud Thomistas nec à nobis videtur obtineri intentum, cum ad positionem positivi, & materialis necessariò in multis sequatur privatio; hincque dixit Joannes à S. Thoma currere eamdem difficultatem in utraque opinione sed tamen ex nostris principiis salvatur talis privatio, ut satis aliàs probatum est à nobis ex Seraph. D. agendo de concursu Dei ad actiones creaturarum, & infra patebit etiam ex eodem Seraph. D.

425 Not. 3. ex Seraph. D. *l. 2. d. 41. a. 1. q. 1.* quod malitia comparari potest ad actionem tripliciter; 1. pro ut est actio secundùm se; 2. pro ut est hæc actio; 3. pro ut est talis actio; hoc 2. & 3. modo malitia est ab ipsa inseparabilis, & se habet ad actionem veluti differentia essentialis, & proprietas ejus, non quidem propriè, sed quia, quando accidens comparatur ad aliquid successivum hoc ipso, quod adhæret ei, inseparabiliter adhæret, quia illud statim transit in præteritum, & efficitur intransmutabile, & amplius idem numero resumi non potest: actus enim numeratur subjecto & tempore, & specie, seu termino; ideoque sicut est alius actus, cujus est alia mensura, & aliud tempus intercisione, & renovatione facta in ipso actu, v. g. motus, cui accidit velox, & tardum; tamen qui est velox, prout est talis, nunquam potest esse tardus; *sic S. Bonav. ad primum.* Hoc est, quod actio hoc secundo, & tertio modo nullam habet indifferentiam ad utramque contradictionis partem; sed quæ jam facta est cum deordinatione, semper est mala, &c. actio cum primo modo sumpta pro ut est actio, idest pro ut dicit ordinem, & principium, & ad voluntatem producentem, sic habet indifferentiam ad bonitatem, vel malitiam, quodque declarat Scotus, *quolibeto* 18. & nos in Phylosophya ex Seraph. D. tradidimus *tract. de voluntate, q. 3. n. 597. & n. 600. ad 6. 3.* tali pacto, sicut enim voluntas ut est sub indifferentia activa ad elicere actum, vel non elicere continuare, vel non continuare, vel 2. ut jam est determinata & in actu 2. ad alteram contradictionis partem ad elicitionem actus, vel non elicitionem, sic etiam actus ipsius voluntatis, quia ex se liber est passivè, etiam in eo instanti, quo fit, ut voluntas activè, potest considerari dupliciter, vel ut est sub indifferentia ad elici, & non elici, continuari, & non continuari velut jam determinatus est ad alteram contradictionis partem, scilicet ad elicitionem, vel non elicitionem, & sicut quia Voluntas est debitrix rectitudinis, ut ait Scotus *l. 2. d. 37.* & imputabilis activè, ut loquitur, *quolib.* 18. debet enim conformare se legi superioris, ita quia actus indifferens est passivè ut sic, imputabilis est ad pœnam, vel præmium, quatenus respicit contradictoria illa ut determinata per determinationem legalem regulæ superioris, & ut sic includit debitum ad elici, vel non elici, continuari, & non continuari, sic, vel non sic elici, & per consequens sic consideratus habet aptitudinem ad bonitatem vel malitiam, quatenus potest elici conformiter, vel difformiter voluntati superiori, nam sicut se habet aptitudo in naturalibus, sic se habet debitum in moralibus. Actus ergo, ut sub hac differentia consideratus, respicit contradictoria illa tamquam subjectum immediatum indifferens, & capax bonitatis, & malitiæ, & si non physicè, saltem logicè, & moraliter, quatenus de ipso actu, ut sic passivè indifferenti in ordine ad indifferentiam activam voluntatis utrumque extremum cum veritate enunciari potest, & consequenter in hoc eodem sensu verum erit dicere, quod sit capax rectitudinis, vel malitiæ, quæ in illis extremis fundari possunt, & hoc est, quod dixit S. Bonav. citatus, quod actio ut sic, scilicèt ut est actio dicens ordinem ad suum principium, scilicet ad voluntatem ipsam elicientem, est capax rectitudinis, vel malitiæ, idemque Scotus *l. 3 d. 18. q. unica K.* dixit notanter: peccatum est privatio boni, quod deberet inesse actui elicito, quando elicitur, & non inest: (dixit) quando dicitur, & non quando elicitus est; ut intelligamus, actum capacem esse rectitudinis, quatenus sub indifferentia accipitur, & non quatenus jam elicitus est, quæ doctrina maximè vera est de actibus malis ex objecto, ut est odium Dei, nam de malis solum ex circumstantia certum est habere indifferentiam subjectivam ad utramque partem contradictionis, isti autem ex objecto, qui sunt intrinsecè mali habent potentiam non quidem subjectivam, sed tantum objectivam, scilicèt non ut actus v.g. odii Dei existit à parte rei, sed quatenus consideratur sub indifferentia ad posse elici, vel non elici, existere, & non existere, primo enim modo non potest fundare capacitatem ad utramque partem, sed tantum secundo modo, quatenus poterat elici, & non elici, & debitum habet passivum quælibet actio ut sic ex lege, ut non eliciatur.

Dices, in hoc sensu potentiam, & capacitatem rectitudinis non reperiri in actu odii, vel mendacii, sed potius in ejus contradictorio, nam in ejus negatione, vel suspensione solum fundari potest, & subjectari debita rectitudo, tum quia actus odii malus est non solum objectivè, sed & subjectivè, & ut actu elicitus, & ut talis ponitur, quia peccatum potentiale non punitur, ergo rectitudinis ca-

rentia subjectivè ei debet inesse; & confirmatur; quia carentia rectitudinis est aliquid à parte rei suo modo, ergo exposcit subjectum à parte rei.

R. idem omnino in se esse negationem actus posse fundari rectitudinem, & ipsam fundari in actu, quatenus potest non elici; ratio est, quia morales communiter numquam dicunt ommissionem actus à lege præcipi, v. g. carentiam furti, sed dicunt actum furti à lege prohiberi; unde pro eodem habent carentiam furti præcipi, & furtum ipsum prohiberi; signumque est evidens, quod actus ipse, quatenus sub indifferentia manens respicit alteram contradictionis partem, potest fundare rectitudinem conformitatis ad legem, licèt hoc non contingat in tanto rigore, sicut in physico subjecto; cum enim carentia, in qua consistit malitia, sit forma, vel privatio moralis, non physica, ideo non indiget subjecto à parte rei sub utroque extremo, uti physica indiget; hinc ad 2. respond. ad fundandam carentiam rectitudinis requiri actum à parte rei subjectivum, non verò ad fundandam rectitudinem; cum enim actus ex objecto malus, ut odium Dei, solum habeat carentiam rectitudinis, prout est à parte rei, ideo talis carentia exigit subjectum reale, & in ordine ad rectitudinem sufficit potentia objectiva, quatenus potest elici, & non elici, elici sic, vel sic non elici. Et hoc est, quod notavit Seraph. D. citat. quod bonitas, & malitia actus sæpè desumitur ex proprietatibus agentis, & patientis; nempè sicut indifferentia activa constituit voluntatem debitricem rectitudinis, ac proinde peccantem, & peccatricem activè quia tale debitum est in ipsa, & in principio morali activo, ita è contra indifferentia passiva, & debitum passivum actus sufficit ad constituendum actum ipsum in ratione peccati, quia tale debitum reperitur suo modo quoque in actu, tamquam in materia legis, sive tamquam in principio passivo circa quod, & in ordine ad quod principium activum manet obligatum; & hinc est, quod tale debitum in actu satis est, ut actus odii simpliciter dicatur privatus rectitudine, quam potest fundare secundum potentiam logicam, & objectivam, ut consideratur sub indifferentia ad elici, & non elici.

416 Notan. 4 & sequitur ex doctrina tradita ex Seraph. D. quod oppositio, quam habet actus malus ad bonum, videlicèt furtum cum non furto, potest sumi duobus modis. 1. secundùm suam entitatem physicam, sicque opponuntur ex natura rei, ut positivum, & privativum. 2. in genere moris, nempè prout non furtum à Deo est præceptum, & hoc secundo modo non currit eadem oppositio, sed opponuntur furtum, & non furtum secundùm conformitatem, vel difformitatem ad legem Dei; differunt autem istæ oppositiones, scilicèt physica, & moralis, quod prima physica alteram moralem præcedit, nec est in genere moris; nam etiam si nulla adesset lex prohibens furtum, adesset talis oppositio physica absque ulla moralitate, sed moralis advenit ex superveniente lege prohibente, hincque actio furti, ut actio est, & in actu primo, cum poterat fieri benè, vel malè, obidque cum capacitate vel subjectiva, vel objectiva, dum fit cum difformitate ad legem, & cum privatione rectitudinis debitæ actui, tunc moraliter fit mala. Ex qua doctrina sequitur, quod actus positivus est malus, prout respicit objectum à lege prohibitum, ipsumque specificans, sed media privatione comformitatis ad legem; sicque furtum non habet suam malitiam objectivam in genere moris formaliter, nisi pro ut subest prohibitioni, qua ratione dicitur privatum comformitate ad legem, seu objectum legi difforme, & contrarium; & consequenter etiam voluntas dicitur mala moraliter per solam privationem.

Concl. 1. Malitia formalis peccati commissionis non consistit in aliquo positivo, sed in privatione rectitudinis debitæ actui, & voluntati consequenter: est S.Bonav. *l.2. d.34.a.2.quæst.3. comp. & ad 1. & d.36. dub.3. aliisque plurimis locis*; Scoti, aliorumque apud Ma-trium *d.6. in princ.* & Gaud. *d.1. de peccato, q.1.* Prob.1. à S. Bonav. ex pluribus SS. Patribus, qui ex illo loco Ioan. c.1. ibi: *Sine ipso factum est nihil*, idest peccatum, qui omnes contendunt peccatum privationem esse formaliter, supponentem tamen pro substrato, & materiali aliquid positivum; idque explicat Seraph. D. *d.34. cit.* quia peccatum si consideratur abstractè, & formaliter, dicitur nihil in recto, sive prædicatione formali; quia non est ens, vel aliquid, nec bonum, sed privatio boni; in obliquo dicitur alicui inesse, sicque sumitur in concreto; undè dicitur in obliquo alicujus, ut oppositi, utpotè boni, quo caret; ut subjecti, quia sic privat bonum, & relinquit subjectum in esse naturæ, sed privatum benè esse; onde concernit actionem substratam rectitudine, quæ ei competebat: Affert postea plurimos textus SS. Patrum idem asserentes, *tum in Ioan. cap.1. tum in Pharetra c 5. tum in Diata tit. 1. c.1. & 2.* Thomistæ responsiones varias ad auctoritates SS. Patrum afferunt, quas doctissimè refutat Medola *d.6.n.4.seq.* tamquàm inutiles, & vanas. 417

Prob. 2. si peccatum est aliquid positivum formaliter; ergo est bonum; & si est bonum; ergo est positivè à Deo, ergo & positivè à Dei voluntate amatur; ergo & eminenter continetur in Deo; quæ omnia sunt maxima absurda, de quibus fusè Pater Caspen. *tract. 12. d.1. sect.1.* dicunt Thomistæ entitatem malitiæ moralis physicam esse ad Deo, ut verò est à creatura defectiva, sumitur moraliter, & ut talis non est à Deo. Contra, quia secundùm ipsos est entitas positiva quocumque modo considerata, ergo est à Deo, & ab ipso volita, quod implicat, sic discurrit Seraph. D. *d.34.q ult. in argumentis primo loco positis.*

. Dicunt Thomistæ etiam nos teneri ad respondendum huic objectioni, cum admittamus Deum concurrere ad substratum peccati; sed tamen nihil valet ista objectio, cum aliter Deus concurrat ad substratum peccati, aliter nos; nos enim ad utrumque concurrimus, sed Deus dicitur concurrere solùm per accidens ad peccatum, & solùm voluntate consequenti; quæ doctrina à nobis in 1. sententiarum fusè explicata fuit.

Prob. 3. illa est ratio formalis peccati, qua posita, ponitur peccatum, & qua ablata, tollitur; hæc propositio est per se clara, & evidens ex terminis, sed posita privatione rectitudinis ad conformitatem, & rationem ad legem, ponitur peccatum, & ipsa ablata, tollitur; ergo, &c. Min. prob. 1. in peccato est aversio à Deo, & conversio ad creaturam, sed datur conversio ad creaturam sine peccatò, imò cum merito, ut est viri ad uxorem; datur item aversio à Deo sine conversione, & talis est peccaminosa, ut est odium Dei,

Dei ; ergo vera minor. Prob. 2. eadem minor, fur-
tum oppositum non furto non potest constituere
speciem peccati præcisam, nisi pro ut privatum
conformitate ad legem Dei ; ergo, &c. Prob. as-
sumptum, furtum, & non furtum, præcisa lege
Dei, opponuntur tantùm physicè, moraliter verò
tantum, ut primum est tendens in objectum pro-
hibitum ; confirmatur, quia oppositio physica in-
ter furtum, & non furtum potest fundare varias,
& diversas species malitiæ in genere moris, &
è contra ; v. g. furari nummos, vel equum ad de-
lectationem, vel honorem consequendum sunt
actus ejusdem speciei moralis injustitiæ, cum ta-
men habeant diversas species physicas ; & è con-
tra ire ad templum ad occidendum hostem ibi
commemorantem, est idem actus omninò in spe-
cie physica, & fundat malitias specie diversas
in genere moris ; ergo, &c. Anagha respondet ar-
gumentum uti terminis æquivocis ; nam confor-
mitas ad legem aliquando est quid positivum,
aliquando negativum, v. g. cum lex dicit ; non
411 furteris : si non furari est conformari legi ; ergo
tum carentia conformitatis erit quid positivum,
quia est privatio privationis ; cum igitur carentia
rectitudinis negativæ sit quid positivum, v. g.
odij, furti ; ergo consistit ejus formalitas in po-
sitivo.

Sed contra : In violatione præcepti negativi rec-
titudo debita, in qua sita est formaliter bonitas,
non est actus oppositus, ut amor, veritas, eleemo-
sina ; neque est carentia furti, odii, mendacii, sed
est conformitas ad præceptum negativum, quæ
conformitas fundatur super has negationes, quia
præceptum cadit super ipsas ; ergo ablata hac
conformitate, non evenit violatio præcepti, &
peccatum ; & confirmatur evidenter, quia posi-
tis his negationibus, secluso ordine ad legem,
nulla est bonitas, v. g. qualis bonitas in hac ne-
gatione furti. 1. si quis non furatur, si quis non
mæchatur, ergo addita conformitate ad legem,
tunc illa negatio non furti est bona, & meritoria,
& privatio conformitatis erit mala. Alii Thomis-
tæ, ut Vasq. Oviad. Resp. formalitatem peccati
esse aliquid morale, scilicet dissonantiam actus pec-
caminosi ad naturam rationalem, seu ad rationem,
hancque esse relationem rationis, vel extrinsecam
denominationem, obidque esse quid positivum.

Sed contra, quia hæc disconvenientia non benè
concipitur per modum ordinis positivi, & contra-
rietatis ad legem, aut rationem, prob. assumptum,
quia talis dissonantia formaliter nihil aliud est, ni-
si privatio rectitudinis debitæ, quia nihil aliud
formaliter dicit nisi recessum, & defectionem à
lege, ergo hæc antecedenter debet supponi antè
talem relationem positivam, seu denominatio-
nem, ratio à priori est, quia privatio in eodem
signo sequitur in subjecto, in quo habitus ines-
set, ergo in eodem signo, in quo conformitas esset
in actu, sequitur in ipso privatio conformitatis,
& hinc postea ex consequenti relatio difformita-
tis per nostrum intelligendi modum : vide Man-
fetium *in Metaph. d. 5. n. 307.* hæc fusè, & doctè
de more discutientem. Alii cum Aversa respon-
dent, formalitatem peccati consistere in positivo,
& negativo tamquam ex genere, & differentia,
seu ex actu, & potentia, seu ex subjecto, & for-
ma, actu scilicet positivo, & privatione, sed con-
tra ex Seraph. D. *l. 2. d. 34. a. 2. q. 2.* Peccatum,
vel sumitur in abstracto, vel in concreto, si primo
modo, non potest fieri ex positivo, & privativo, ra-
tio est, quia ista duo sunt opposita, ergo non pos-
sunt convenire in una ratione formali indivisibili,
tum etiam currunt eædem difficultates circa po-
sitivum, quæ supra relatæ sunt, si verò sumitur
in concreto, idem & nos dicimus, unde erit quæs-
tio de Nomine.

Objic. 1. cum Caspen. si formalitas peccati 418
consistit in privatione, ergo actio peccati habebit
capacitatem ad bonitatem ; sed hoc implicat, &
probatur primo in actibus intrinsecè malis, ut est
odium Dei, mendacium, blasphemia in Deum.
2. quia in nullo actu malo potest recognosci in-
differentia ad bonum, & malum, cum sit quili-
bet determinatus ad objectum malum, ergo, &c.
R. ex traditis in 3. not. quod quicumque actus
voluntatis potest sumi pro ut exit à voluntate,
secundùm suam entitatem consideratusque in ta-
li statu est indifferens ad sic, vel sic elici benè
vel malè, & ideò habet capacitatem ad elici se-
cundùm rectam rationem, sinon subjectivè, sal-
tem objectivè : sic S. Bonav. *d. 42. cit.* & hinc cor-
ruit ratio adversariorum. Præterea licèt actus de
se mali sint præcisè contra legem positivam,
sunt tamen contra legem æternam dictantem ip-
sos esse malos, & etiam contra legem naturalem,
& lumen naturæ, ut rectè docet Seraph. D. *l. 3.
d. 37. a. 1. q. 3. in fund. & d. 8. a. . q. 2. in corp.
& l. 2. d. 40. q. 2.* ut dictum est in præcedenti dis-
putatione.

Objic. 2. Lex prohibens mihi odium Dei, &
furtum nihil aliud à me exigit, nisi carentiam
odii, & furti, ergo violans hanc legem produ-
cendo actum odii, & furti, id facio per actum
positivum, negationi enim opponitur positio non
verò negatio, vel privatio. Resp. ex traditis in
fund. quod furtum oppositum non furto, &
odium non odio dicit duplicem oppositionem,
aliam physicam, & de hac hic non est sermo,
quia sic nec homo meretur, nec demeretur non
odiendo, & non furando, aliam moralem per
ordinem ad legem præcipientem, vel prohiben-
tem, idæ ista malitia consistit in privatione con-
formitatis ad legem, quandò scilicèt occurrit ra-
tio observantiæ legis, quæ conformitas fundatur
in illa priori negatione, veluti in materiali, &
hac distinctione respondetur, ferè omnibus objec-
tis, quæ ab adversariis coacervantur, sistendo in-
quam in hoc fundamento, quod consonantia, &
dissonantia ad legem sunt rationes formales actio-
nis moralis bonæ, vel malæ, unde tendentia po-
tentiæ in objectum rationi dissonum est veluti fun-
damentum privationis conformitatis reddentis for-
maliter actum malum.

Objic. 3. contingit eidem virtuti opponi duo
peccata specie diversa v. g. liberalitati prodigalitas,
& avaritia, sed si formaliter peccati consistit in
privatione illius bonitatis, quæ est in virtute op-
posita, essent omnino ejusdem speciei, sicut justi-
tiæ opponuntur multa vitia, & peccata specie dis-
tincta, & tamen æqualis est privatio, ergo, &c.
Et confirmatur, quia privationes formaliter sum-
ptæ in vera Phylos. non distinguntur specie, & ite-
rum confirmatur, quia sequeretur peccata com-
missionis. & omissionis non distingui specie quia
utrumque est privatio ejusdem rectitudinis. Huic
arg. valde laborant Theologi, ut adequatè res-
pondeant, unde varii varias vias ambulant, ut
videre est apud Mastrium *in Metaphisica d. 5.
num. 316.* Qui *num. 318.* respondet vitia extre-
ma eidem virtuti opposita non distingui specie

in genere moris, sed tantùm in esse Phisico; sed quia talis responsio intendens se extricare à variis difficultatibus, in graviores incidit, cum sit contra rectam Philosophiam Aristotelis: tum quia sic non teneremur aperire distinctè ista varia peccata, sed sufficeret dicere: peccavi gravitet contra virtutem liberalitatis, vel justitiæ, quòd communiter non admittitur, cum habeant circumstantias saltem diversas specie, & objectivas. Hinc ex Seraph. Doct. qui sæpe inculcat magis, & minus in phisicis non variare speciem, sed benè in moralibus, nam licèt inter duo extrema sit una medietas, hæc tamen non est punctalis, sed moralis, ideoque inter multum distantia plures possunt esse mediocritates, ita quod una appropinquat uni extremo, altera alteri, sicut est timor, & spes: timori autem magis accedit desperatio, spei præsumptio, & ratio est, quia, licèt finis sit æqualiter bonus, non tamen omnes voluntates ad illum æqualiter ordinantur, & approximant illi fini; quia bonitas finis (idem dic de malitia) non redundat in voluntate: nisi ratione ordinationis ducentis ad illum finem, in qua ordinatione sunt varii gradus; hinc & oriuntur variæ species bonitatis, & malitiæ, nempe superfluum, & diminutum, vel citra terminum, vel supra, vel ultra terminum: ut in phisicis etiam calor in quatuor, differt specie à calore, ut tres, sic amor creaturæ citra, vel sub Deo est venialis; ultra, vel supra Deum est mortalis, sic *l. 2. d. 26. a. 2. quæst. 1. ad 3. & in Comp. & Centil. p. 1. sect. 22.* Cum igitur virtus consistat in indivisibili medietate, habet tamen rectitudinem multiplicem, & admittit ordinationem gradualem ad se ipsam; ex hoc etiam & per positionem rectitudinis multiplicis, & privationem conformitatis ad objectum, & rationem admittit varias malitias. Hinc, inquam. Respond. multiplicem privationem causare etiam multiplicem malitiam, & ad id, quod privationes sunt ejusdem rationis, respondet Seraph. Doct. *l. 2. d. 42. a. 3. quæst. 1.* privationem distingui per habitus oppositos, de qua multiplici distinctione peccatorum, infra, &c sic etiam justitia cum sit etiam una specie habet sub se multas rectitudinis specie differentes varia objecta respicientes, ut rectè docet S. Bonav. *l. 3 d. 27. a. 2. q 5. corp.* idemque dicendum de privationibus, quæ licèt sæpè explicentur per negationes juxta morem loquendi (cum in rebus moralibus non servetur tam exactus loquendi modus, sicut in speculativis, ut ait Aristot. *1. Ethic.*) hæc tamen negationes habent in positivo suam radicem, v. g. non furaberis, fundamentum habet in relinquendo suum cuique, unde rectitudo, cui opponitur privatio peccati, est dictamen rationis, v. g. invidia opponitur dictamini legis charitatis, &c.

Objic. 4. Bonum, & malum opponuntur contrariè, non privativè ex Aristot. *in postpred.* quia inter bonum, & malum datur medium, scilicet indifferens; ergo opponuntur contrariè, non privativè: quia sic non datetur medium: ergo malum est quid formaliter positivum, confirmatur, quia à privatione ad habitum non datur regressus, sed à malo ad bonum datur regressus: ergo, &c. Resp. S. Bonav. *l. 2 d. 34. quæst. ultimâ ad 2.* quòd bonum, & malum si sumantur ut habitus, scilicet virtutis, & vitii, sic opponuntur virtus, & vitium, seu bonum, & malum contrariè si sumantur malum, & vitium pro privatione boni, & rectitudinis, opponuntur privativè, contrariè verò largo modo; quia comitantur contrarietatis legem se excludendo mutuo, & per regressum ab uno ad alterum; & in his (ait S. Aug.) fallit regula Dialecticorum allata in objectione.

Objic. 5. Idem est constitutivum & distinctivum; sed peccata non distinguntur penes aversionem, cum in hoc omnia sint æqualia, & unum sit à quo sit aversio, sed penes conversionem: ergo, & penes hanc constituuntur in ordine ad objectum. Resp. S. Bon. *l. 2. d. 42. a. 3. quæst. 1. ad 1. & q. 2. corp.* quòd peccata non constituuntur præcisè penes aversionem, sed penes privationem rectitudinis debitæ actui ex objecto; sed quia aversio dicit deordinationem circa actum conversionis, quæ nihil aliud est, nisi privatio rectitudinis, & ordinationis finis ultimi, hinc aversio, seu privatio se habet ut formale, conversio ut materiale, ob idque ambæ concurrunt convenientia ordinis ad committendum peccatum, & tali pacto se habent veluti differentiæ constituentes potius, quàm dividentes: attamen propriè loquendo penes aversionem potest dici esse actum distinctum contra conversionem, & hinc sumitur varia distinctio peccatorum, quia aversio à Deo dicit deordinationem à Deo ut ab ultimo fine, & motum, seu actum inordinatum contra Deum, scilicet cum privatione rectitudinis debitæ. Vide Seraph. Doct. *locis citatis, &c.*

Concl. 2. Privatio rectitudinis, & conformitatis ad legem, & ad rationem immediatè subjectatur in actione, mediatè in anima: Est Seraph. Doct. *loc. cit. & d. 42. d. 1. quæst. 1. a. 3. quæst. 1. 8. 34. quæst. 3. & l. 2. d. 35. quæst. 1. & ad 1. dub. 16. q. 4. aa 5. & l. 1. d. 17. p. 2. quæst. 3. ad arg.* Scoti, aliorumque plurium, & sequitur ex doctrina superiùs tradita, & probatur à Seraph. Doct. *l. 2. d. 34. quæst. ult. corp.* sic discurrente, malitia, vel peccatum, licèt nihil sit in recto abstractè sumptum, in obliquo tamen alicujus est, alicujus quidem ut oppositi, & alicujus ut subjecti: alicujus ut oppositi scilicet boni, malum enim est privatio boni in actu deordinato, non tamen est omnino boni annihilatio, ideo sic privat bonum, quod relinquit bonum, scilicet naturæ; sic & privat actum, & relinquit aptitudinem; sic privat bonum quantum ad effectum, ut tamen in subjecto relinquat debitum; quare concludendum est peccatum privationem esse rectitudinis in actu, ut in subjecto immediato, & in voluntate ut in subjecto mediato; hinc concluditur ex Seraph. Doct. quòd peccatum non est privatio boni naturalis, scilicet substantiæ, & voluntatis; alioquin aliquando remaneret distructa per multiplicationem peccatorum; 2. nec præcisè privatio gratiæ, nisi ex consequenti, alioquin secundum peccatum nihil operaretur; 3. nec privatio virtutum, quia habitus virtuosi possunt remanere cum peccato, ut docet *d. 34. cit.* ergo est privatio rectitudinis debitæ actui 2. unde non est mutatio de esse ad non esse, nunquam enim actio mala potest redire in bonam, neq è converso, ut docet *l. 2. d 4. per totum*, sed est mutatio de esse, quod nunquam fuit, sed debebat esse.

Dices, Seraph. Doct. sæpè ponere in peccato privationem gratiæ, & habilitatis animæ ut subjecti ad gratiam: ergo non est solùm privatio rectitudinis actus. Respondetur, Seraphicum Doct. consuetum esse plus dicere, quàm promittat, unde loquendo de peccato exprimit omnes privationes, quas committatur peccatum primario autem formalem privationem actus, secundario verò privationem

tionem gratiæ demeritoriè, habilitatis verò animæ per introductionem habituum oppositorum, in quibus se patenter declarat *in loc. cit.*

Concl. 3. Peccatum cum plura in se involuat, & pro formali, & pro materiali, & per ordinem ad actum, tum ad efficientem, & ad finem, & ad objectum, & ad oppositas virtutes etiam admittit multiplicem descriptionem, sic S. Bonav. *pluribus locis præcipuè l.2. d.35. dub.1. & seq. & l.3. d.26. quæst.1. ad argum. & in Comp. Theol. l.3. cap.2. seq. Centil. p.1. sect.3. & pluribus aliis locis*, innitens auctoritatibus SS. Patrum, quas omnino omitto brevitatis gratia, remittens Lectorem ad supradicta loca, &c. Pro omnibus ergo sufficit hæc allata à Seraph. Doct. aliisque Theologis: Peccatum est defectus quidem voluntarius perfectionis ex divina, & æterna lege actui humano, seu homini debitæ, quo homo discedit ab ea lege æterna tanquam à prima, & rectissima regula, determinante modum necessarium ad consequendum ultimum finem.

Concl. 4. Peccatum ob suam deformitatem, &
432 effectus pessimos varia nomina sortitur in Sacra Scriptura, sic S. Bon. *Comp. Theol. l.3. cap.4.* Vocatur enim macula, quia imaginem animæ conspurcat, & deformat: Reatus, quia ad æternam pœnam obligat; Pollutio quantum ad cognitionem contractam ex delectatione terrena. Pœna in quantum respicit peccatum primi hominis, in quo natura nostra corrupta est: Delictum, secundum quod est recessus à dignitate gratiæ habitæ; culpa prout respicit pœnam: Offensa, quia est contra Deum; Prævaricatio in quantùm mandatum Dei respicit: vitium idest defectus bonorum naturalium: Peccatum pro ut est conversio ad bonum commutabile: scelus propter Dei injuriam magnam: nefas, pro ut est illicitum personæ patranti: crimen, pro ut est dignum accusatione, & pœna.

QUÆSTIO II.

Pro complemento tituli quæstionis præcedentis, & ut meliùs cognoscatur quidditas peccati aliqua dubia hic subjiciuntur, & solvuntur.

QUæres primo. *An peccatum essentialiter sit offen-*
433 *sa Dei.* Ratio dubitandi est, quia potest dari ignorantia invincibilis de Deo ut fine supernaturali, imò ut fine naturali, ut ait cum pluribus Theologis Tannerus, ideoque in tali casu peccatum non erit offensa Dei: solutio autem hujus quæstionis pendet maximè ab alia: an detur ignorantia juris divini, & de Deo inculpata, in qua Divus Thomas cum plurimis, & Seraph. Doct. tenent ignorantiam, quæ omnino prævenit voluntatem, & voluntarium, & quæ adhibita morali diligentia adhuc perseverat, & maximè circa aliqua particularia, excusare à culpa; & hinc Diana cum pluribus Theologis excusant à culpa adolescentulos polluentes se, nescientes id esse culpam lethalem, &c. De quo vide Dianam, Layman, Navar. &c. S. autem Doct. *l.2. d.39. quæst.1. & .& seq. & l.1. d.8. p.1.* docet in quolibet intellectu adesse lumen innatum, licet imperfectum, quo naturaliter homo cognoscit se ipso, Deum esse colendum, aliaque principia universalia legis naturæ; quia tamen ista cognitio est valdè imperfecta, ideo homo indiget lumine, habituque per sensus acquisito.

Resp. 1. Aversionem à Deo, pro ut habet deordinationem conversionis ad creaturam, esse unum peccatum: sic S. Bonav. *l.2. d.42. a.3. quæst.2.* Ratio est, quia conversio est veluti materiale antecedens formale, scilicet aversionem: ergo faciunt unum per se, non quidem phisicè, sed moraliter, & unitate ordinis. R. 2. poss. dari aversionem à Deo sine conversione ad creaturam speciali modo, ut patet in odio Dei, ista conclusio est vera metaphisicè loquendo: nam moraliter in praxi difficillimè potest verificari: nam odium Dei, ut in diabolo, & damnatis præceditur à conversione ad se ipsos, scilicet ad amorem proprium, & ad pœnam, &c. vel quatenus sit conversio ad bonum incommutabile, sed appetitor ut commutabile, ut advertit Seraph. D. *l.2. d.24. quæst.1. ad 3.* Resp. 3. omne peccatum mortale esse offensam Dei, quia per conversionem ad creaturam non potest quis peccare, nisi inordinatè in ipsam feratur, ut in ultimum finem, sed hoc non admittit ignorantiam invincibilem veri ultimi finis, ut supra dictum est: ergo, &c.

Quæres 2. *An peccatum sit offensa Dei infinita?* 434
Quæstio ista ab aliis tractatur infra de peccato mortali, nam procedit potissimè de isto, non de veniali, licèt etiam à multis involuatur peccatum veniale in hac infinitate, & licèt reducatur potius ad quæstionem de nomine, quàm de re, altercantur tamen inter se Scholæ, nam Thomistæ sustinent infinitatem propriam in peccato mortali: Scotistæ ex adverso negativam sectantur; ut videre est apud Mastrium: Seraph. Doctor citatur modo pro una, modo pro altera opinione, unde pro solutione addocis, quòd, cum in peccato mortali tria reperiantur: 1. malitia peccati, quæ est privatio rectitudinis debitæ actui: 2. aversio à Deo, & conversio ad creaturam: 3. offensa Dei: certum est carentiam rectitudinis esse finitam, quia rectitudo est finita; item aversionem, & conversionem esse finitam, nam aversio est actus finitus habens quidem objectum infinitum, sed tamen cum objectum nihil conferat actui, nisi juxta modum, quo attingitur, scilicet finito modo, sicut & conversio; sola igitur remanet quæstio de offensa Dei, ut est læsio divinæ Majestatis, auferens ei debitum honorem, & ejus jussa parvi pendens.

Thomistæ sustinent offensam Dei esse simpliciter infinitam ex hoc fundamento unico; quia offensa eò est gravior, quò major est dignitas personæ læsæ; cum autem Deus sit infinitæ dignitatis: ergo, &c. Et si ipsis objicias, charitatem etiam respicere objectum infinitum specificans ipsum, & tamen est finita: respondent negando paritatem, nam charitas aliique actus respiciunt Deum, ut objectum; & quia objectum non dat actui aliquid, nisi juxta modum, quo attingitur, & cum attingatur finito modo; hinc &c. At offensa comparatur ad Deum tanquam ad subjectum, quod moraliter afficit, & informat; & cum persona affecta sit infinita, & infinitæ dignitatis, hinc & participat gravitatem secundùm talem proportionem. Scotus cum suis, & plurimis Scholarum omnium è contra admittit tantùm infinitatem objectivam, & secundùm quid & extrinsecè, sicut dicitur de visione beata,

de

de charitate. P. Gaudent. *d.* 1. *quæst.* 4. trahit de more Seraph. Doctorem ad partes Thomistarum, sed immeritò, & manifestè contra ejus principia, cum semper firmissimè neget posse dari infinitum simpliciter creatum, ut alias in phisica à nobis probatum est.

Quoad D. Bonav. dicimus, ipsum in pluribus locis appellare gravitatem peccati infinitam, sed tamen semper se declarat, talem esse ratione objecti offensi, sic *l.* 3. *d.* 20. *quæst.* 3. *& l.* 2. *d.* 42. *a.* 2. *per tot. & d.* 33 *quæst.* 2. *& l.* 4. *d.* 15. *quæst.* 1. *& d.* 16. *p.* 2. *a.* 3. *quæst.* 1. *& d.* 44. *p.* 2 *quæst.* 1. unde solùm admittit in peccato infinitatem objectivam, & secundum quid, nec quid amplius, in quo etiam adversarii post varias concertationes superfluas fatentur, sic & P. Gaudentius, *ibidem num.* 96. dicens hanc infinitatem esse tantùm moralem, cum actus sit finitus, & quia moralitas ista desumitur ex objecto, ideo dici debet infinitas objectiva, & secundum quid, sicque immeritò traxit Seraphicum Doctorem ad partes Thomistarum. P. igitur nostra conclusio negativa: si offensa Dei esset infinita simpliciter, sequeretur omnia peccata esse æqualia, sicut impiè asserebant Jovin. & Stoici.

Resp. Gaudent. cum aliis omnia peccata esse æqualia quoad infinitatem, inæqualia quoad finitatem, nempe in ratione malitiæ, seu privationis, aversionis à Deo, & conversionis ad creaturam: addunt etiam in ratione offensæ infinitæ habere peccata extensionem, quia Deus potest offendi modo sub una, modo sub alia formalitate, v. g. odio, invidia, desperatione, &c. quæ tamen offensæ omnes tendunt in Deum sub ratione una infinitatis, quæ dicteria tamen nihil concludunt, & sunt contra ipsos respondentes, qui aliàs negarunt possibilitatem infiniti creati, & tamen dato per impossibile, quòd daretur unum infinitum non esset majus altero, nec magis, vel minùs extensum; tum etiam quia talis infinitas offensarum Dei ab ipsis admittitur ratione objecti, ob idque objectiva, quia impossibile est, quòd ratio offensæ tenderet in Deum subjectivè, nisi imputativè, objectivèque; tum quia ideo peccatum est offensa Dei, idest ratione malitiæ, quæ est ratio formalis peccati: ergo si malitia etiam per adversarios est finita, nec offensa ex ipsa trahens originem potest esse infinita; respondent negando paritatem, quia offensa crescit ad proportionem dignitatis personæ offensæ.

Contra, ergo etiam veniale erit offensa infinita ratione personæ offensæ. Respondet Gaudent. negando consequentiam, & paritatem, quia veniale non est simpliciter offensa Dei, sed levis quædam à Deo vetita non sub reatu inimicitiæ, & à solo Deo non adscripta offensioni absolutæ respiciente fragilitatem nostram; mortale autem afficit Deum ut subjectum ignominiæ, quia avertit à Deo simpliciter; sic & Hurtad. Lezana, aliique.

Contra, quia hæc responsio continet simul multa absurda, quia falsum est peccatum veniale non esse offensam Dei, nec prohiberi absolutè, nec afficere Deum ut objectum offensum: & asserere peccatum veniale non dicere gravitatem infinitam, sed finitam, quia est leve, hæc est petitio principii, cum & ipsum sit offensa Dei, eique displiceat, & ab ipso prohibeatur absolute, scilicet, si non ut principale, saltem ut annexum, ut notat Seraph. Doct. *l.* 2. *d.* 42. *a.* 2. *quæst.* 1. *ad* 2. in quibus secundùm magis, & minùs communicat cum mortali, & tandem istæ responsiones nihil ponderis continent, quia etiam peccatum veniale afficit personam infinitam læsam, tum etiam quia in peccato tam mortali, quam veniali est unica malitia moralis consistens in privatione obedientiæ Deo debitæ, & malitia est finita, ergo, & injuria, &c. Hic etiam notandum quod adversarii semper respondent objectionibus stantes super rationem moralem per quam attingitur objectum offensum, & per consequens & à nobis non discordant, cum talis moralitas sit tantùm objectiva, non formalis, vel subjectiva.

Objic. 1. Peccatum mortale exigit satisfactionem infinitam, quia solus Christus ut Deus, & Homo potuit satisfacere Deo offenso infinitè: ergo & offensa erit infinita. Hoc argumentum conficit Gaudent. tanquam de mente Seraph. Doct. *l.* 3. *d.* 20. *cit.* quod tamen Seraph. Doct. nec somniavit: sustinet enim gratiam, & meritum Christi esse entitates finitas, sic *d.* 13. *quæst.* 2. *ad* 3. *& aliis locis, ut p. tibus in* 3. solumque dici infinitam ratione unionis ad Deum; docetque *in citato loco d.* 20. solum Christum Deum, & hominem potuisse satisfacere pro peccato hominis, quia ad id requirebatur satisfactio non solùm respiciens personam, sed & naturam totam humanam, ad quod requirebatur gratia non solùm singularis personæ, sed & capitis respectu totius naturæ humanæ, quæ materia in 3. fusè agitabitur. 435

Objic. 2. Argumentum calculatorium (quod dicit P. Gaudent. esse etiam Seraph. Doct. sed falsò) offensa extrinsecè crescit è dignitate personæ, ergo si persona in dignitate crescit in infinitum, & in infinitum crescit offensa. Resp. Mastrius hoc argumento deduci etiam infinitatem in peccato veniali, idem & in actu charitatis, & si in istis non concluditur, nisi infinitas secundùm quid, sic nec in peccato mortali. Respond. postea directe non ex quolibet excessu infinitatum rerum statim in excedenti deduci debet infinitas simpliciter, & formaliter, nisi cum tali excessu concurrat etiam continentia formalis, vel virtualis, vel eminentialis inferiorum perfectionum; & cum talis continentia non intervenit, tunc solùm crescit aliqualis excellentia superioris ordinis, sed finita, cum sit determinatæ naturæ; tum etiam si daretur aliqua talis continentia rerum infinitarum erit infinitas tantum syncathegorematica, sic Angelus excedit infinitas alias naturas, & tamen non est infinitæ perfectionis, cum igitur offensa Dei, v. g. odium Dei, sit determinatæ speciei, nec contineat ullo modo omnes alias culpas, hinc non sequitur infinitas; tum etiam quia ad constitutionem talis offensæ concurrunt aliæ circumstantiæ finitæ, &c. Vnde patet, quod in tali objectione non concluditur nisi infinitas objectiva.

Q. 3. *An peccatum sit malum quia lege aliqua vetitum?* Resp. istam quæstionem etiam multum habere de nomine, aliqui enim dicunt aliqua peccata esse vetita, quia mala, alia mala, quia vetita; idque etiam sæpè notat S. Bonav. in superioribus adductus. Alii omnia peccata esse mala, quia vetita, & in hoc etiam sine sui contradictione consentit Seraph. Doct. *l.* 2. *d.* 35. *dub.* 4. ratio est, quia omnia mala sunt vetita ex aliqua lege, vel æterna, vel naturali, vel divina, vel humana; & quia ideo sunt mala, quia sunt contra legem aliquam ex enarratis, quod probant Theologi apud Mastrium *d.* 6. *quæst.* 3. Gaudent. *quæst.* 10. Faber, aliique ex Scriptura dicente: ideò peccatum esse, quis 436

quia cognoscitur per legem; item ex SS. Patribus: 2. Probatur, quia peccatum consistit in privatione rectitudinis debitæ, sed hoc debitum non potest esse nisi à lege: ergo omne peccatum, ad hoc ut sit tale, debet esse contra legem. Probatur minor, quia obligatio est ab aliquo superiori, sed ratio superior est lex formalissima, ergo, &c. Dicunt Thomistæ Vasquez, &c. Amicus, &c. Malum morale consistere in deviatione à regula morum, negant tamen regulas morum esse tantùm leges, sed etiam ipsam naturam rationalem; hinc omnibus aliis regulis sublatis, & hac tantum manente, adhuc ratio peccati maneret, quia maneret deviatio à ratione, quæ est prima regula, & potissima, sed hæc responsio confirmat nostram conclusionem; Ratio enim est lex naturalis intenta in cordibus nostris, unde ablato etiam decreto divinæ voluntatis præcipiente, vel prohibente, adhuc maneret lex ista naturalis.

Objic. Seraph. Doctor. aliosque Theologos admittere hanc distinctionem, aliqua mala sunt talia, quia prohibita; alia ideo sunt prohibita, quia mala, ergo aliqua sunt mala ante omnem legem. Resp. sensum Theologorum esse alia mala esse quia prohibita lege positiva, alia sunt lege positiva prohibita, quia sunt mala, idest contra legem naturalem, & æternam, hinc sequitur non dari peccatum, quin sit per aliquam legem prohibitum.

Dices: Ante omnem legem odium Dei est malum de se, & ante omnem actum voluntatis Dei cognoscitur à Deo ut tale: ergo ideo prohibitum, quia malum. Respond. antecedens esse verum de malo Philosophico, scilicet in esse naturæ, non de Theologico, & morali propriè; & hoc tale est ex lege aliqua vel æterna, vel naturali, vel positiva.

Dices 2. Ista mala sunt necessariò, non liberè à Deo prohibita: ergo antecedenter ad legem sunt talia, alioquin Deus posset dispensare in his actibus. Respond. conced. aliqua mala à Deo esse necessariò prohibita, nempe à lege æterna, quæ est indispensabilis, hinc nihil concluditur contra nostra conclusionem.

Nota autem quòd alii Theologi affirmant, Deum posse dispensare in præceptis primæ tabulæ, quæ assertio intelligenda est de lege positiva, non æterna, & naturali antecedente omnem positivam legem; Deus enim, si in præceptis primæ tabulæ dispensaret cum ordinent hominem in ipsum Deum summam veritatem, & bonitatem, præciperet contra se, tum quia in his actibus non potest præscindi à prohibitione radicali existente in ipsa lege naturæ, vel æterna; & natura talis actus transiens super tale objectum, & ordinati ad ultimum finem, sicque privatus tali ordinatione esset malus. Vide S. Bonav. *l. 3. d. 37. a. 1. quæst. 1. & 3.*

QUÆSTIO III.

An possit dari pura omissio sine aliquo actu positivo?

PRo explicatione tituli 1. Supponimus ex Doct. *Comil. p. 58. & l. 3. Comp. Theol. cap. 33.* omissionem esse privationem actus debiti ex præcepto, quæ ad hoc, ut sit peccaminosa certum est debere esse aliquo modo voluntariam, ad quam necessariò debet præcedere actus intellectus proponentis objectum, & obligationem, hinc duo quæruntur, primò an omissio peccaminosa sit, sicuti est commissio, privatio rectitudinis actus: 2. An possit dari mera omissio actus, & privatio actus absque eo quòd includat aliquem actum directè, vel indirectè in illam tendentem, vel ipsam causantem, in qua quæstione. Sect. 437

Prima opinio est Scoti, & sequacium admittentium, quòd licèt regulariter loquendo non detur omissio absque aliquo actu, qui sit ejus causa vel directè, vel indirectè, ut etiam notavit Seraph. Doct. *l. 2. d. 5. quæst. 1. ad arg.* potest tamen, absolutè loquendo, dari pura omissio etiam peccaminosa sine actu quocumque: Caspensis, Becanus, aliique admittunt hanc assertionem in actibus internis, non verò in externis. 2. Opinio est Divi Thomæ, & sequacium semper debere intervenire in omissione aliquem actum positivum, qui sit vel causa, vel occasio talis omissionis, & in hac sententia est Seraph. Doct. *l. 2. d., cit. & d. 35. dub. 1. & d. 41. dub. 3.*

Not. 1. Quod aliud est loqui de potentia phisica, aliud de morali; nam certum est, phisicè loquendo, voluntatem posse se habere negativè circa quodcumque objectum; datur enim actus neuter ex S. Bonav. *l. 1. d. 6. dub. 3. & d. 46. a. 1. quæst. 2. ad 1. aliisque locis cit. in tract. de voluntate in Philosophia,* qui actus neuter mediat inter velle, & nolle tanquam inter duos actus positivos contrarios, & explicatur per non velle, scilicet negativè se habendo per suspensionem actus, id enim spectat ad libertatem exercitii: Moraliter vero loquendo diverso modo loquendum est; nam considerata conditione humana, inspectis circumstantiis, voluntas numquam se movet, ut ait S. Augustinus contra præceptum omittendo actum, nisi ex timore malè humiliante, & omnis timor talis est ex amore malè inflammante: ergo ex aliquo actu positivo necessariò debet oriri, sic Seraphic. Doctor *l. 2. d. 5. cit.*

Not. 2. ex eodem Seraph. Doct. quòd omissio peccaminosa potest considerari, vel circa circumstantiam actus, & hæc propriè non est omissio, sed negligentia, ob quam omittitur, vel potest esse circa actum, & hoc dupliciter: 1. generaliter in ordine ad præceptum tam affirmativum, quàm negativum, & hæc non est speciale peccatum: 2. specialiter, & est contra præceptum affirmativum, sicut transgressio est contra negativum; non enim omittit, qui non vitat fornicationem; sed qui non honorat parentes, & quia omissio potest esse circa actum principalem, & circa non principalem, v. g. omittit quis ire ad matutinum, omittit etiam surgere à lecto, quod est actus annexus non principalis, & ob id non est multiplex omissio, sed una.

Hinc

Hinc est, quòd omissio peccaminosa specialiter non est nisi actus omissio, non circumstantiæ, affirmativi, non negativi, principalis, non annexi. Ex qua doctrina sequitur, quòd licèt in omissione non sit semper necessarius actus voluntatis circa ipsam omissionem, volo omittere, requiritur tamen aliquis alius actus, qui vel sit causa, vel occasio ipsius omissionis. His, &c.

438 Concl. 1. ad omissionem formaliter sumptam non requiritur necessariò actus positivus voluntatis, & expressus. v. g. volo omittere, licèt sæpè interveniat talis actus: Est S. Bon. citati. Probatur manifestè, quia potest dari omissio peccaminosa ex ignorantia vincibili, vel ex advertentia ad actum incompossibilem, absque eo quòd voluntas feratur ad actum præceptum, & omissionis, in quo casu intervenit consensus interpretativus.

Concl. 2. ad omissionem peccaminosam, licèt possit dari absque actu positivo volitionis talis omissionis, ut dictum est, semper intervenit aliqua occasio positiva talis ejusdem omissionis; Sic Seraph. D. locis citatis, in quibus exigit semper actum aliquem positivum, qui sit causa, vel occasio talis omissionis, cum non detur ex Divo Augustino omissio moralis, nisi ex amore malo, qui est actus positivus, ut patet; quia non potest esse omissio peccaminosa, nisi sit voluntaria; sed potest esse voluntaria, vel directè, vel indirectè aliquo fine volito, ergo necessariò exigitur aliquis actus positivus: Explicatur hæc ratio: quis sciens, & prudens omittit audire missam tempore debito, idcóque omittit, vel quia directè non vult eam audire, vel quia eo tempore vult aliquid incompossibile auditioni Missæ. v. g. ludere, dormire, &c. utroque modo contingit actus positivus, ergo, &c.

Objic. 1. omittere est non agere actum debitum; sed voluntas intrinsecè habet libertatem exercitii, actumque neutrum mediantem inter velle, & nolle, ergo absque actu positivo aliquo potest se negativè habere: Hoc est fundamentum potissimum adversariorum, sed respondetur ex traditis in 1. Not. quòd phisicè conced. min. sed hinc non sequitur, quòd moraliter id possit fieri, absque eo, quòd concurrat aliquis actus positivus, qui vel sit causa, vel occasio, vel concomitans talem omissionem; qui concursus non tollit quòd ph sicè non detur actus neuter, ratio est, quam adducit Vasquez; quia, cum intellectus proponat voluntati obligationem, aliaque objecta, voluntas pro libito vel illa amplexatur, vel omittit liberè id, quod est præceptum saltem ad sui exercitii satisfactionem, & ad deliberandum ad quam partem ipsa velit.

Objic. 2. ex supradictis: malitia peccati consistit in privatione rectitudinis debitæ actui; sed omissio est negatio, seu privatio actus, ergo si est peccaminosa erit privatio privationis; sicque destruet positionem suprà datam de formalitate peccati. Resp. quòd ibi specialiter locuti fuimus de peccato commissionis, non de omissione, cujus tamen formalitas est etiam privatio rectitudinis debitæ actui omisso; nam talis omissio in tantùm est peccaminosa, in quantùm est volita vel directè, vel indirectè contra rectitudinem debitam actui omisso; sic negatur consequentia.

439 Q. *An actus, qui est causa omissionis, sit semper peccatum. v. g. ludus, qui est causa omissionis auditionis Missæ, vel studium, vel alius actus?* In hac quæstione sunt diversæ opiniones Theologorum, communior tamen, & rationi magis consona est: si actus oppositus impletioni præcepti est taliter conjunctus cum omissione culpabili, ut verè sit causa talis omissionis directè, vel indirectè, & quatenus est incompossibilis cum observantia præcepti, semper est peccatum, estque ejusdem rationis cum peccato omissionis, nisi tamen aliundè sit malus. v. g. fornicatio, furtum, tunc talis causa ultrà circumstantiam peccati omissionis, aliam speciem peccati commissionis inducet; ratio est, quia omnis actus liber, qui est causa peccati, est etiam peccatum, & malitia ejusdem rationis infectus; quia eventus, & effectus, qui sequitur ex actione humana est una ex circumstantiis ipsius, *Sic S. Bon. lib. 2. dist. 5.* limitanda tamen est hæc assertio, dummodò actus ille, qui est causa omissionis non sit in præcepto, & afferat secum majorem necessitatem tali tempore. v. g. subvenire infirmo posito tunc in extrema necessitate; quia inter duo præcepta observandum est quod est gravius, & magis ad legem naturalem proximum est; limitatur etiam. 2. si ille actus, qui est causa omissionis, sit directè, vel indirectè volitus, & cognitus, & assumptus ad causandam omissionem volitam; si verò habeat aliam rationem, nempè si quis determinat se nolle die festo audire sacrum, & posteà assumit aliquem actum incompossibilem cum auditione sacri, non quidem ad hunc finem, sed ob alium finem. v.g. ne otio torpeatur; tunc iste actus assumptus se habet veluti per accidens, nec aliquid influit in omissionem, supposita enim illa priori mala voluntate, non tenetur homo abstinere ab aliis honestis actibus, videlicet studendi, visitandi infirmos, &c. ratio hujus dicti desumitur ex Physica, quia ad hoc ut una forma aliam formaliter expellat, & actualiter, debet per propriam actionem, qua ipsa introducitur, alteram expelli; sed si jam supponatur alia actio expulsiva formæ oppositæ, quæ non sit propria formæ jam introductæ, tunc per posteriorem formam introductam propriè non dicitur expelli vetus forma, sed solùm hæc forma dicitur in actu primo apta expellere formam veterem, si per aliam priorem non expelleretur; exemplum est de calore primo expellente frigus, vel humidum; alius calor posteà adveniens dicitur se habere per accidens ad illud humidum; sic in proposito, jam omissio per actum voluntatis positivum habet suam malitiam, ergo quocumque alio actu adveniente, dummodò non assumatur tali præcisa intentione omittendi, ille est per accidens nec influens in omissionem. Idem proportionaliter dicendum est de Sacerdote nolente recitare officium, projiciente in mare Breviarium, nec aliud habente; si hac intentione projiciat, ut sibi impossibilitatem causet ampliùs recitandi officium, tunc novum peccatum specie distinctum ab omissione committit ob illam malam voluntatem ad causandam impossibilitatem; si verò posteà resipiscat, & pæniteat; tunc talis impossibilitas, quæ vera est physicè, ei non imputabitur ad peccatum, talis enim impossibilitas potiùs est effectus prioris peccati. *Vide S. Bon. l. 2. d. 22. q. ult. ad ultim. & d. 33. art. 3. q. 1. ad arg. & d. 36. quæst. 1 ad arg.* Ex quibus solvitur alia quæstio, quæ tempore peccatum omissionis contrahatur, cui resp primò, quòd, quando quis dedit occasionem, & causam probabilem futuræ omissionis, certum est, tum contrahi peccatum in causa. Resp. 2. quòd tempore posteà adveniente, in quo ex tali causa quis positus est in formali necessitate, vel incompossibilitate virandi peccatum, cum currit præceptum. v. g. per ebrietatem, somnum,

somnum, debilitatem virium, tunc non contrahitur novum peccatum, nisi sibi complaceat de tali impedimento; talis enim omissio propriè non potest dici peccatum, sed effectus peccati: *Sic S. Bon. l.2. d.36. art.1. q.2. ad 2. dist.32. art.3. q.1. ad primum, & lib.3. dist.18. art.1. q.3. ad argum.* Vide Caspensem *dist.1. 58.* Vasquez. *d.93. cap.3.* Mastrium, qui ex hoc principio soluunt multa dubia valde moralia, & scitu necessaria.

QVÆSTIO IV.

De distinctione peccatorum; unde sumatur distinctio tùm specifica, tum numerica.

440 SUppon.1. tamquam certum, quod sicut quælibet res considerari potest, vel secundùm communem rationem sivè genericam, sivè specificam, vel secundùm peculiarem, & individuam, item secundùm essentialem, & accidentalem: ita & peccatum adsunt enim in eo plures rationes, & differentes defectus, & privationes bonitatis debitæ, tùm ex objecto, tùm ex circumstantiis, tùm ex ratione voluntarii; tùm ex oppositis, tùm ex effectibus. Hinc etiam multiplex divisio assignatur à Theologis, quæ à Seraph. Doct. *lib.2. d.41. dub.2.* reducitur ad septem capita. 1. in ordine ad causam, & dividitur in originale, & actuale: illud ex aliena, istud ex propria voluntate contrahitur. 2. in ordine ad pœnam, ad quam terminatur, & dividitur in mortale, & veniale; primo debetur mors æterna; secundo tantùm temporalis. 3. in ordine ad motivum, scilicet vel ex timore, vel amore: sic aliud est commissionis, aliud omissionis; & etiam in ordine ad affirmativum, & negativum: omissio est præcepti affirmativi; commissio respectu utriusque; commissio dicitur peccatum; omissio delictum, quasi derelictum. 4. in ordine ad substantiam, seu materiam, estque oris, operis, & affectionis, scilicet in ordine ad personam offensam, scilicet Deum, proximum, & se ipsum. 6. in ordine ad virtutes, quibus opponitur. 7. est in ordine ad vitia, à quibus oritur, sicque dividitur in septem vitia capitalia, quæ diffusè infra explicabuntur.

Hinc quæritur: *Quanam sit, & unde desumatur differentia specifica?* Et quæstio non procedit de peccato omissionis; certum enim est desumi ex actibus debitis, quorum est omissio, in qua quæstione. Prima opinio est D. Thomæ, & Thomistarum differentiam specificam desumi ex diversitate objectorum, ex eò quòd, cum sint actus humani inordinati, obidque, & penès objecta desumunt suam speciem. 2. est Scoti admittentis quidem distinctionem traditam à Thomistis penès differentiam materialem; sed penes differentiam formalem distingui per ordinem ad privationem, & per consequens penes præcepta, quibus opponuntur. 3. opinio communior est Seraph. D. distingui materialiter, & formaliter ex privatione rectitudinis in ordine ad finem. Pro solut.

Not. 1. quòd hæc diversitas sententiarum oritur ex diversa positione Theologorum circa formalitatem peccati; nam Thomistæ recognoscentes pro ratione formali peccati entitatem positivam, etiam ex consequenti docent debere desumi differentiam specificam per ordinem ad objectum; actus enim specificatur ab objecto. D. Bonav. verò, & Scotus sustinentes consistere hanc rationem formalem in privatione conformitatis ad rectam rationem, & regulam etiam per talem ordinem docent desumi differentiam specificam; sed quia, ait, S. Bon. privationes specificantur in ordine ad habitus contrarios, hinc reducitur ferè ad quæstionem de Nomine.

Not. 2. in peccato quædam esse essentialia, quæ- 441
dam accidentalia: essentialia in peccato duo sunt, nempè quòd sit actus voluntarius, & quòd sit privatio rectitudinis debitæ actui; & quia voluntarium dicitur tripliciter (ait S. Bon. *l.2. d.41. art.2. q.1.*) aut voluntate aliena, aut voluntate propria, & personali, aut voluntate partim propria, partim aliena; hinc & triplex genus peccati oritur, nempè peccatum originale, quod voluntate aliena scilicet non in quo, sed à quo, scilicet primi parentis oritur: peccatum verò actuale mortale oritur à voluntate deliberata propria, & consentiente; peccatum veniale partim ex voluntate propria, partim aliena, & maximè, quod consurgit ex repugnantia carnis ad Spiritum, vel ex corruptione potentiarum animæ; quia partim est à voluntate aliena, scilicet primi parentis, qui suo peccato corrupit totam naturam humanam, & secundùm hanc partem tenet rationem pœnæ, prout verò est à voluntate propria, est culpa: ex 2 capite, scilicet ex privationis oritur alia differentia essentialis, quia alia sunt peccata actualia, scilicet defectus perfectionis debitæ actui: alia habitualia, & per modum habitus inhærentia: ex primis homo dicitur verè peccator actualiter: ex secundis peccator habitualiter. v. g. quis manens, & perseverans in habitu avaritiæ; differentiæ accidentales posteà sunt, quæ sunt extrà definitionem peccati, vel conditiones, vel circumstantiæ accidentales non mutantes speciem.

Not. 3. quòd in peccato sunt duo, scilicet materiale, & formale; materiale est actus substratus inordinatus, & voluntarius; formale est privatio rectitudinis, & quia in peccato (*ait Seraph. Doct. dist 42 art.3. q.1. & 2.*) sunt privatio rectitudinis debitæ actui, & aversio, & hinc & conversio. Ratione privationis, & aversionis à Deo præcisè sumptarum non potest nobis innotescere differentia peccatorum, sed in ordine ad conversionem; aversio enim est æqualis in omnibus obidque se habet ut formale conversionis simul cum privatione, quia conversio consequens est ad bonum creatum, quod formaliter habet differentias; hinc peccatum habet multiplicari semper ex privatione in ordine ad bonum oppositum, & innotescere penès conversionem. Igitur peccatum specie distinguitur vel materialiter, vel formaliter; materialiter ab objecto, ut objectum est, formaliter ab objecto ut finis est ratione privationis debitæ; ideò etiam à fine, sive à privatione habitus virtutis oppositæ speciem habet; *Sic ex S. Bon. lib.2. dist.12. q.1.* & consentiunt in hoc D. Thomas, & Scotus, licèt ex diversis principiis quoad Thomistas.

Concl. 1. peccatum secundùm suum materiale 442
distinguitur specificè penès objecta, circa quæ versatur; ratio est Seraph. Doct. citati; *& Centil. p.1. sect.5.* quia actus distinguuntur penès objecta, à quibus habent esse morale; hincque oritur prima divisio in peccatum carnale, & spirituale, quia objecta sunt vel res carnales, vel spirituales, nam voluntas, in qua sita est ratio peccati vel est conjuncta cum appetitu sensitivo, vel rationali; si primum, oritur luxuria, & gula; quia tendunt in ob-

jectum

jectum delectabile carni: si secundum, oritur superbia, Ira, Invidia, & Accidia.

Concl. 2. peccatum secundùm suam rationem formalem dividitur penès carentiam rectitudinis debitæ actui in ordine ad finem: est communis D. Bonav. Scoti, & plurimorum; probatur, quia in tali carentia sistit ratio formalis peccati, ergo, &c. sed privatio cognoscitur per habitum oppositum, & habitus oppositi sunt præcepta, & virtutes Theologicæ, & Cardinales, quæ sunt finis humanarum actionum, ergo per istum ordinem specificantur formaliter per dissonantiam ad legem; *Sic S. Bon. citatus*. Hinc deducit S Bon. quòd peccatum præcisè non habet differentias propriè nisi sumptum conjunctivè, scilicet cum conversione ad bonum creatum, prout est simul objectum, & finis actus inordinati, & quia multiplex est motivum, per quod tenditur in istud, hinc & multiplicatur peccatum. v. g. furtum, adulterium, homicidium sunt contra justitiam, & quia adest diversitas motivorum, & rationum, per quas tenditur contra hanc virtutem, & multiplex conversio, hinc & multiplicitas specifica peccatorum.

Dices: multa peccata sunt contra eamdem virtutem, ergo non penes ordinem ad virtutem sumitur distinctio. *Resp.* conced. totum, nam destructio specifica exigit quidem objectum contra quod, & objectum creatum in quod, sed etiam motivum tendendi in illud per difformitatem ad legem. *Vide S. Bon. l. 2. d. 43. art. 2. q. 1. & 2.*

Deducitur 2. quòd licèt concurrant diversa præcepta ex parte præcipientis in eadem materia, v. g. non furtum facies, non concupisces rem proximi; si unico actu violentur, dummodo in objecto non adsit diversa ratio, committitur unicum peccatum, ut si quis violet festum Dominicæ, & Apostolorum in eadem die, & votum Castitatis in ordine Sacro, & Religione; si verò adsint diversæ rationes præcepti. v. g. jejunium ex præcepto Ecclesiæ, & ex voto, tunc sunt duo peccata specie distincta, &c. nec tamen idem dicendum est in actibus bonis; nam qui pluries repetit votum etiam animo contrahendi novam obligationem, ipsum frangens, unicum peccatum & specie, & numero committit; quia unicum est in objecto motivum; sed in repetendo eamdem promissionem, toties meritum proportionatum acquirit; ratio est, quia peccatum specificatur ex objecto motivo, sed meritum generatur ex actu voluntario completo.

Deducitur 3. unico actu posse pluribus præceptis satisfieri. v.g. auditione Missæ die Dominica occurrente in alio festo ob supradictam rationem. In peccatis verò excipiunt plures Doctores ab hac regula pænitentiam impositam à Confessario, ut auditionem Missæ; quando ad sunt plures rationes formales objectivæ in actu, tunc multiplicantur peccata, ut furtum de se prohibitum intuitu justitiæ, in Ecclesia verò intuitu Religionis. Vide Caspensem, plura ad hanc materiam dubia resolventem, *d. 2. sect. 2. 3. seq.*

Concl. 3. quoad multiplicationem numericam peccatorum communis opinio DD. plura corrolaria tradit, quæ possunt videri apud Casp. ad quem remitto lectorem, solùmque adverto discutiendum esse diversimodè de actibus internis, & externis, nam in internis, quæcumque interruptio sufficit ad multiplicationem. v. g. quis concupiscit occidere hominem, si post dormitionem, vel aliud opus eumdem actum repetit, tunc repetit & peccatum; nota tamen, quòd potest quis habitualiter vivere cum tali proposito absque elicitione novi actus, tunc probabile est non multiplicari peccata; in externis verò requiritur actus positivus externus, alioquin non multiplicantur peccata, reliqua vide apud cit. Doctorem.

QUÆSTIO V.

An omnia peccata sint inter se æqualia, & an sint ad invicem connexa.

Fuit error Stoicorum relatus à Cicerone, & postea hæresis Joviniani, omnia peccata esse æqualia, tùm in gravitate, tùm in pæna, contrà quam scripsit, ipsamque confutavit D. Augustinus apud Alph. de Castro. 441

Conclusio catholica est: peccata inter se habere inæqualitatem, non verò connexionem, sicut admittitur in virtutibus. Suppon. primò hic nos non agere de inæqualitate peccatorum quoad reatum pænæ & effectum, licèt etiam de ipsa aliqua dicemus, sed de gravitate in ordine ad privationem rectitudinis debitæ actui.

Not. 2. ex Seraph. Doct. *lib. 2. d. 42. art. 2. q. 1. & 2. & lib. 3. d. 36. q. 4.* quòd cum in peccato adsit necessariò aversio à Deo simul cum privatione rectitudinis debitæ, & conversio ad Creaturam, quia aversio respicit unum, scilicet Deum; omnia peccata habent ex hac parte connexionem, & æqualitatem, aversio enim dicit non actum, sed defectum, & quia privatio etiam est nihil præcisè sumpta, hinc ex hac parte etiam adest æqualitas; sed quia per conversionem ad creaturam oritur privatio boni debiti actui, hinc ratione privationis rectitudinis debitæ actui desumi habet inæqualitas, nempè per ordinem ad bonum privatum, ut id intelligatur.

Not. 3. ex Seraph. Doct. *lib. 2. d. 35. q. ultim. ad 4.* quòd licèt privatio ut sic non recipiat, magis, & minus, quia tamen est alicujus ut oppositi, & subjecti, hinc ratione boni, quod privat, & subjecti, quod bono privatur recipit magis, & minùs; quia major privatio est, in qua est major boni corruptio: Et quia omnia peccata mortalia æqualiter privant animam gratia, hinc ex hac parte non desumitur inæqualitas, sed aliundè.

Not. 4. quòd cum peccatum specificetur per ordinem ad objectum, & cum multiplex sit bonum, cui opponitur objectivè majus, vel minùs; scilicet magis, vel minùs recedens, vel accedens ad medietatem virtutis, ut observat Seraph. Doct. *lib. 2. cit. art. 3. q. 2. ad ultim. & d. 30. a. 2. q. 1. ad 2.* hinc & illa privatio, quæ magis elongatur à bonitate medii, illa erit etiam major; si verò sumatur per ordinem ad subjectum, seu animam, quæ privatur, cum æqualis sit privatio gratiæ, inæqualis tamen est corruptio, seu oblatio habilitatis ad ipsam, & virtutes, & operationes *lib. 2. dist. 35. quæst. ultim.*

Concl. 1. certum est non esse inæqualem semper in omni peccato quantitatem culpæ. Ratio est, quia plura peccata sunt ejusdem speciei, & plura etiam ejusdem intensionis. Certum enim est peccata, quæ secundùm unam quantitatem sunt inæqualia, posse esse æqualia secundùm aliam. v.g. in intensione, & è contra, & in hoc conveniunt omnes Theologi, ut patet ex ipso lumine rationis. 444

Concl. 2. Certum etiam est sæpe leviora peccata

cata æquare graviora, imò etiam excedere illa in pœna temporali non tantùm lata ab homine, sed etiam à Deo; id patet, quia aliqua peccata, quæ ex uno capite. v. g. ex objecto primario sunt graviora, superantur ab aliis propter adjacentem circumstantiam specie distinctam. v. g. infamare aliquem, gravius est furto, sed furtum factum in Ecclesia ratione sacrilegii fit gravius illo; idque est evidens ex ipsa terminorum notitia.

445 Concl. 3. peccatum, quod nec ratione objecti, nec circumstantiæ egreditur à sua specie, aliquando potest æquari peccato graviori ex proprio objecto, & specie. Est communis contra solum Durandum. Prob. quia peccatum mortale gravius est quovis veniali, cum tamen ex objecto, & specie aliquod veniale fit gravius. v.g. sacrilegium ex sua specie, & objecto gravius est alio non sacrilego, & tamen furtum grave gravius est in individuo, quàm veniale sacrilegium; sic etiam omissio sacri in die festo de se est gravius, sic & infamatio ipso furto, & tamen expoliare totam rempublicam ex alia parte gravius; sic etiam in Physicis calor. v. g. ut quatuor, est bonus homini, & ut octo est malus.

Dices cum Durando: augmentum individuorum unius speciei semper est intrà eamdem speciem, ergo si illa species est imperfectior, semper erit talis in quolibet individuo; species enim nihil aliud est, quàm sua individua, species autem sunt sicut numeri, earumque perfectio consistit in indivisibili, ergo & individuorum perfectio. Resp. ex doctrina Seraph. Doct. ista vera esse ut plurimum in physicis non in moralibus, in quibus magis, & minus variat speciem, eò quia ratio mali sit dissonantia respectiva secundùm magis, & minus in ordine ad medietatem; obidque aliqua circumstantia addita, vel ablata auget, & minuit gravitatem peccati in individuo.

446 Concl. 4. peccata quoad aversionem à Deo sunt æqualia non verò quoad conversionem, & privationem rectitudinis debitæ actui: Est S. Bon. *lib. 3. dist. 36. cit. & lib. 2. d. 42. art. 5.* & communior: prima pars patet, quia omnia peccata respiciunt in aversione unum, scilicet Deum, à quo recedunt, ergo, &c. 2. pars patet etiam ex supratradiris: quia per conversionem ad bonum commutabile oritur privatio rectitudinis debitæ actui, sed hæc recipit magis, & minùs ex bono, cui contrariatur, & ex objecto, & ratione subjecti, ex quo diversæ reitates ad pœnam oriuntur, ergo, &c.

Concl. 5. peccata, licèt ex aliqua parte ratione aversionis, habent aliquam connexionem, & convenientiam, non tamen ratione conversionis: Est S. Bon. *lib. 3. d. 36. q. 4.* & communior: ratio primæ partis est quia æqualiter avertunt omnia à Deo, & ob id idem Deus ab omnibus offenditur. 2. pars patet etiam ex tradiris, quia penès privationem rectitudinis debitæ per ordinem ad conversionem ad bonum commutabile sumunt rationem specificam, & hinc ex diversis conversionibus consequuntur diversæ privationes, & pronitates in vitia diversa, & hinc etiam diversi reatus ad diversa supplicia, ergo sunt inter se disparata; tùm quia non est connexio in operibus vitiorum exteriùs perpetratis, ergo nec in vitiis internis derelictis; tùm quia experientia patet, hominem esse ad aliquod vitium inclinatum, & ad aliud aversum; tùm quia aliqua vitia inter se sunt pugnantia, & contraria, ut avaritia prodigalitati, ergo, &c.

447 Objic. 1. ex sancto Jacobo, qui in uno offendit, fit omnium reus, sed hoc non potest esse, nisi adsit connexio, simulque æqualitas inter peccata, & vitia, ergo, &c. idem, & dicitur Eccles. *cap. 9.* qui peccat in uno multa bona perdit. Seraph. Doct. assignat quatuor responsiones his duobus textibus, quos adæquatè exponit: Primò respondet ex hoc non posse inferri connexionem, vel æqualitatem peccatorum, sed quia qui peccat in uno, charitatem perdit, in qua plenitudo est meritorum, & complectio omnium mandatorum Christi. 2. quia per unum peccatum mortale perdit omnes virtutes gratuitas. 3. id dicit, quia per quodlibet peccatum mortale perdit omnia merita. 4. quia perdit æterna præmia, quæ omnia perdit uno peccato, ac si esset involutus omnibus.

Objic. 2. Vitium non expellitur nisi per introductionem virtutis oppositæ, & cum ea cæteræ virtutes, sic & virtus per introductionem vitii; sed cum quis committit unum peccatum, omnes virtutes expelluntur, ergo cum committitur unum peccatum, cætera omnia introducuntur. Resp. S. Bon. negando paritatem de virtute, & vitio, plura enim requiruntur ad construendum, quàm ad destruendum; plura enim sunt necessaria ad rectificandum, quàm ad deficiendum, &c. ideò ad expulsionem vitii requiritur quidem habitus virtutis oppositus, sed ad expulsionem virtutis sufficit & vitium oppositum, & disparatum ex hoc, quod virtutes sunt connexæ, non verò vitia, & ratio est, quia omnes virtutes in unica ratione communi conveniunt, cui quodlibet vitium contrariatur.

Et si quæras: *Unde desumenda sit propriè inæqualitas peccatorum?* Resp. quod Seraph. Doct. cum communi, sæpè tractat hanc materiam, præcipuèque *l. 2. d. 2. art. 3. q. 3. & d. 22. q. 3. & d. 33. dub. 1. & d. 42. quæst. 2. & dist. 35. art. 2. q. 2. & lib. 3. d. 36. dub. 2. & lib. 4. dist. 38. dub. 9. & Centiloqu. part. 1. sect. 5. aliisque plurib. locis*; Hinc directè respond. 448
quòd primaria causa est ex objecto; ea enim sunt graviora, quæ habent objectum inhonestius specie, & hæc dignoscitur penes virtutem, cui peccatum opponitur, si tamen cætera sint paria, præcipuè ratione debiti, debitum enim est præceptum aliquando aggravans unum peccatum, quod de se est inferius specie alio. v. g. administrare Sacramentum in peccato mortali est contrà religionem; in casu tamen necessitatis ipsum non administrare, peccatur graviùs contra misericordiam. Ista autem excedentia reducitur ad sequentia capita. 1. est ex objecto magis, vel minus rationi, & legi repugnanti. 2. ex dignitate, & perfectione virtutis, cujus sunt privationes. 3. ex natura ipsorum peccatorum; spiritualia enim sunt graviora carnalibus. 4. ex causa peccati, scilicet vel malitia, vel ignorantia, metu, infirmitate, &c. 5. ex lege magis, vel minùs obligante. 6. ex qualitate personæ peccantis. 7. ex nocumento consequente, ob quod peccatum Adæ dicitur gravissimum. 8. ex pronitate; sic luxuria excedit alia. 9. ex majoris gratiæ impugnatione; sic peccata in Spiritum sanctum. 10. ratione majoris offensæ, ut est Idololatria. 11. ratione majoris libidinis. 12. Ingratitudine.

Dices: peccatum nihil est; sed in nihilo non est majus, vel minus, ergo, &c. Resp. Seraph. Doct. *lib. 3. dist. 36. dub. 2.* Peccatum esse nihil essentialiter, scilicet privationem, esse tamen alicujus ut oppositi, & ut subjecti, scilicet majoris boni, vel minoris, &c.

Dices 2. quodlibet peccatum mortale totaliter privat animam vita gratiæ, ergo est omnimoda, privatio

privatio, seu negatio, ergo non admittit magis, & minus; non enim est magis mortuus, qui habet peccatum idololatriæ eo, qui habet peccatum Luxuriæ. Resp. Seraph. Doct. verum esse quoad mortem spiritualem, sed non quoad debitum rectitudinis, nec quoad habilitatem animæ respectu gratiæ, unum enim magis damnificat alio; nec est simile de morte corporali, quia in ea est omnimoda privatio, & incompossibilitas redeundi ad vitam.

Dices 3. cum Stoicis, & Joviniano; peccare est transire terminos rationis, sed in hoc omnia peccata sunt æqualia, ut patet in transgressione Lineæ magis, & minùs, ergo, &c. Resp. S. Bon. omnia peccata in hoc genericè conveniunt, sed specificè per majorem, vel minorem excessum ultrà terminum differre in moralibus, ut aliàs dictum est.

QUÆSTIO VI.

De peccato mortali, & veniali: Quid sint, & qualiter differant.

449 Quæstio ista est gravissima tùm propter Hæreticos nostri temporis negantes dari peccatum veniale ex natura sua; tum propter varia placita Theologorum variè assignantium differentias inter mortale, & veniale: Hæretici communiter docent, omnia peccata esset mortalia, nulla esse venialia, nisi ex misericordia Dei condonante; ideò in prædestinatis sunt venialia, in reprobis omnia mortalia, de quibus potest videri Bellarminus *lib. 1. de Peccato.*

Inter Catholicos aliqui pauci asserunt peccata mortalia, & venialia non differre ex natura sua, sed à lege Dei ita statuente, ut illa sint mortalia, ista venialia; communis sensus omnium aliorum est differre inter se ex natura sua, sed discrepant in explicatione talis differentiæ, de qua infra erit consideratio. Hinc.

Not. 1. ex Seraph. Doct. *l. 2. dist. 41. art 2. q. 1.* quòd cum in peccato sit aversio à Deo, & conversio ad Creaturam, est quæstio, an in omni peccato etiam veniali concurrat aversio. Advertit igitur Seraph. Doct. quod aversio duobus modis sumi potest, primò strictè, & propriè. 2. latè, & impropriè; primo modo importat contemptum Dei, non 2. modo, & ideò propriè est tantùm in peccato mortali; hæc enim aversio committitur, quando homo facit contra mandatum Dei, aut quando ponit suum ultimum finem in creatura, relicto Creatore; mandatum enim Dei transgrediens propriè avertitur à Deo, etiam si nihil cogitat de Deo, quia mandatum divinum est via rectè perveniendi ad Deum, & in ipsum tendendi: cum igitur facit contrà mandatum, incedit directè via contraria, ideo quasi faciem suam retrorsùm convertens, terga vertit ad illum, in quem debebat per mandatum tendere; similiter cum homo ponit suum finem ultimum in creatura, scilicet magis appretiando bonum creatum, quàm Deum, tunc dicitur verè à Deo averti, & ob id Deum contemnere, & hæc semper in peccato mortali contingit alia aversio latè sumpta, & impropria est, quando homo absque eo quòd se separet à Deo, ab ipso tamen aliqualiter elongatur, vel retardatur aliqualiter in observantia mandatorum Dei, & in via perfectionis, & hoc est proprium venialis peccati.

Concl. 1. Peccata mortalia, & venialia differunt 450 inter se, non tantùm extrinseca ordinatione Dei, sed ex natura sua; est communis omnium ferè Theologorum, & Catholicorum. Prob. primò contra Hæreticos ex pluribus locis scripturæ dari peccata mortalia etiam in Prædestinatis, nam Adam, Petrus, David, Magdalena, aliique plures peccaverunt, & tamen sunt prædestinati: quod verò non omnia opera hominum sint peccata mortalia, sed aliqua esse purè venialia ex natura sua, probatur ex innumeris pænè textibus sacræ Scripturæ, ut videre est apud Bellarm. cit. & apud P. Gaud. afferentem varias expositiones ex Seraph. Doct. *d. 2. q. 1.* Prob. 2. contra alios Catholicos supra adductos inter Deum, & hominem est amicitia ex sacra Scriptura, sed contra amicitiam sunt offensæ graves, & leves, ergo & in ordine ad Deum, sed hæc major, vel minor læsio non potest esse ex parte Dei, quia actus liber Dei est ipsemet Deus, ergo est ex parte objecti, ergo ex natura terminorum, & peccatorum, ergo remota ordinatione Dei, datur peccatum mortale, & veniale.

Concl. 2. Peccatum mortale, & veniale in 451 ratione peccati, & offensæ Dei conveniunt univocè analogicè, & ideo aliquando conveniunt solùm genericè, aliquando specificè; est etiam communis inter Catholicos cum Seraph. Doct. ratio primæ partis est, quia tam veniale, quàm mortale est peccatum, & offensa Dei, & contrà voluntatem Dei, ergo conveniunt univocè, sed tamen analogicè, quia per prius & propriè ratio offensæ, & peccati convenit mortali, impropriè, & secundariò postea veniali, ut infra dicetur.

Prob. 2. pars quod aliquando conveniunt tantùm genericè, aliquando etiam specificè, quia peccatum veniale aliud est tale ex objecto, & ex materia propria specifica, ut verbum jocosum, mendacium putum: aliud est ex levitate materiæ ut furtum parvum, & magnum, vel ex defectu considerationis, ut delectatio morosa sine consensu, sed cum aliqua malitia, & sine plena advertentia, scilicet vel ex subreptione, vel præventione judicii, ut infrà nos dicemus, sed in venialibus primi generis, scilicet ex objecto, patet distingui specie à mortalibus, ergo tantùm conveniunt in genere; in venialibus verò secundi generis patet contineri intra eamdem speciem, v. g. furti, luxuriæ, &c. ergo vera est Conclusionis secunda pars: Sic ex S. Bonav. *tum in Centil. tum in Comp. Theol. tum l. 2. d. 42. art. 2. & d. 21. art. 19. & lib. 4. d. 16. part. 2. art. 3. q. 1. & d. 17. p. 2. dub. 7. & Opusc. de tribus ternarus, cap. 5. & alibi.*

Dices si peccatum mortale, & veniale possunt convenire in eadem specie ratione ejusdem objecti, ergo & conveniunt in eadem ratione specifica gravitatis, ergo non differunt essentialiter. Resp. ex Seraph. Doct. *serm. 1. Hexam.* quòd peccatum potest considerari phylosophicè prout consideratur ab Ethico secundùm purum lumen naturæ, & ut contrarium rectitudini naturali, & potest considerari Theologicè, scilicet prout nonficatur ex sacra Scriptura, ut est transgressio, & offensa Dei; primo modo sumitur materialiter tantùm, & in hoc sensu admittitur identitas specifica, ut in furto parvo, & magno. 2. modo in ordine ad intentionem Legislatoris, & Præceptorum, sic differunt specie; quia continent diversam obligationem, & privationem rectitudinis debitæ.

Concl. 3. Peccatum veniale, & mortale essentialiter differunt inter se: in hoc conveniunt om- 452

 nes

nes Theologi, sed discrepantia est in assignanda ratione à priori. 1. aliqui Scotistæ docent differre per hoc, quod mortale est contrà præceptum; veniale contrà Consilium. Sed contrà, quia sic esset peccatum ducere uxorem, quia Apostolus consulit oppositum; tum quia si aliquandò peccatur contrà consilium, id non est peccatum præcisè, quia actus sit contrà consilium, sed ob motivum non bonum, vel ob inordinatum affectum; Nota tamen, quod hæc positio tribuitur à Thomistis ipsi Scoto, quod est falsum, ut rectè notat Mastrius. 2. alii, & sunt Thomistæ, dicunt, quòd peccatum mortale est contrà ultimum finem, veniale contrà, vel circa media; sed contrà quia etiam potest peccari mortaliter circa media, ut est violatio castitatis, Justitiæ, quæ sunt media necessaria ad ultimum finem assequendum, & è contra potest peccari venialiter contra ultimum finem, ut est actus infidelitatis indeliberatus. 3. alii docent, peccatum esse mortale, quia est grave malum, & Dei offensa, veniale leve: sic Hurtadus, Complut. Ariaga sed contra, quia per talem positionem committitur vitiosus circulus; tum etiam quia tale discrimen est tantùm à posteriori non à priori. sicut est positio aliorum dicentium, mortale esse offensam Dei, & contra legem ejus, veniale nequaquam, sed præter legem Dei, sunt enim istæ rationes à posteriori; tum quia falsum est peccatum veniale non esse offensam Dei, quas omnes rationes etiam affert aliquando Seraph. Doct. sed non tamquam à priori.

Ut autem habeatur sensus ejusdem Seraph. D. & essentialis differentia inter utrumque. Not. 1. quod cum ex supra traditis ex Seraph. Doct. & Scoto essentialis ratio peccati sit privatio rectitudinis debitæ actui, quæ insurgit, & oritur ex aversione formali à Deo, & conversione ad Creaturam: & quia talis privatio dignoscitur ex qualitate conversionis ad Creaturam, si enim fit conversio ad creaturam cum formali aversione à Deo, & positione ultimi finis in bono creato, tunc insurgit peccatum mortale: nota autem, quod positio ultimi finis hîc sumitur non formaliter, sed vel æquivalenter, vel appretiativè, ut notat Seraph. Doct. *l. 4. d. 16. p. 2. q. 1. ad 3. & l. 2. d. 2. art. 2. q. 1. & 2.* quatenus contemnitur Dei præceptum propter bonum creatum: si verò fit conversio ad creaturam non cum formali aversione, sed aliquali elongatione, & retardatione, vel cum defectu alicujus bonæ circumstantiæ circa actum non necessariæ ad salutem, tunc committitur peccatum veniale.

453 Hinc ex D. Bon. peccatum mortale, & veniale, licèt conveniant in hoc, quòd utrumque est offensa Dei: differunt tamen, quia mortale est privatio rectitudinis debitæ actui ex præcepto, & ad salutem necessariæ: veniale verò est privatio rectitudinis non necessariæ ad salutem; & ob id illud est cum aversione à Deo ultimo fine, & cum contemptu; istud est sine aversione, & contemptu, & cum aliqua deordinatione non opposita necessitati salutis: & per hoc differt à Scoto, qui docet consistere in privatione boni, vel necessarii, vel utilis, D. Bon. in privatione boni, vel necessarii ad salutem, vel non necessarii, sed ad benè esse tantùm; Sic Seraph. Doct. *l. 2. d. 42. a. 2. p. 1. & 2. & d. 30. art. 2. q. 1. & l. 4. d. 23. q. 1. in corp.*

Prob. autem hæc positio Seraph. Doct. primò ex confutatione aliarum opinionum suprafacta; tum ratione, quia per talem positionem à priori differt veniale à mortali; prob. ab ipso in responsione ad primum, quia cum conveniant in Dei offensa, & in ratione offensæ, differunt, quod in mortali est privatio rectitudinis debitæ de necessitate salutis, quia per legem vel æternam, vel naturalem, vel positivam est præcepta: & privatio rectitudinis debitæ non ex præcepto, sed ex decentia, & supererogatione est in veniali, ergo per rationem necessarii, & non necessarii differunt essentialiter: Tum quia mortale avertit à Deo, Deum contemnit, & deserit, ergo deficit in necessariis ad salutem, at veniale non avertit à Deo, nec Deum contemnit, ergo non deficit in necessariis ad salutem: Et hinc postea consequuntur effectus super allati à Seraph. Doct. assignati in discrimine inter utrumque tamquam à posteriori.

Objic. primo ex D. Augustino dicente non esse appetitum rerum malarum, sed desertionem meliorum; sed mortale, & veniale communicant in ratione formali peccati, ergo in utroque est discretio, & aversio à Deo. Resp. S. Bonav. quòd in definitione Divi Augustini si desertio sumitur pro formali aversione à Deo, stat solùm pro mortali, si stat pro utroque, sic desertio sumitur secundùm proportionem, scilicet in mortali pro formali aversione, in veniali pro quadam elongatione, vel retardatione respectu Dei, & pro desertione alicujus circumstantiæ bonæ non ad salutem necessariæ; undè ait Seraph. Doct. quòd licèt in peccato veniali sit aliqualis elongatio, & recessus à Deo, eo quia non refertur homo in Deum, sicut deberet, & simul adest retardatio, quia quodammodò morosè adhæret ei, per quod deberet transire, sed quia id non est in necessariis ad salutem, & à Deo præceptis, hinc nec tollitur gratia, nec salus, &c. 454

Dices: peccato veniali homo convertitur ad creaturam, ergo & avertitur à Deo, in motu enim accessus ad terminum ad quem fert secum separationem, & recessum à termino à quo. Et confirmatur, simulque prob. consequentia, quia simplex ad quod se convertit, totum se convertit, sed intellectus, & voluntas est simplex, ergo totaliter se convertit etiam in peccato veniali avertendo se totaliter à termino à quo, & convertendo se ad creaturam, vel ad bonum commutabile, ut tale est.

Pro responsione notat Seraph. Doct. *cit. ad 4.* quod dicere simplex ad quod se convertit, convertit totaliter, potest intelligi tripliciter, quia, ly, *totaliter*, potest dicere totalitatem vel quantùm ad actum, vel quantùm ad habitum vel quantùm ad potentiam convertendi; si quantùm ad actum, sic verum est saltem in via, quia non intelligimus simul nisi unum, nec volumus nisi unum, & si multa intelligimus, solùm intelligimus ut unum; si autem dicat totalitatem habitus, & potentiæ sic falsa est propositio, quia quando anima convertit se ad aliquid, non est necesse, quod convertat se secundùm totalitatem habitus, & potentiæ, quia potest se convertere remissiùs, vel intensiùs, potest & se convertere ad unum in actu, & ad aliud in habitu; hinc respondetur argumento, concedo antecedens; nego consequentiam. Ad probationem resp. simplex, scilicet intellectus, & voluntas, si convertitur secundùm actum, habitum, & virtutem, concedo; si solùm secundùm actum, nego majorem, & minorem, simulque consequentiam.

Et si instes: impossibile est voluntati affici simul, & semel erga Deum, & creaturam inordinatè dilectam, ergo si convertitur ad creaturam, necessariò

ſariò debet averti ab altero, nempè à Deo. Reſp. Seraph. Doct. concedo antecedens quoad actum: nego quoad actum, & habitum, quia poteſt habitu affici ad Deum, & ſimul converti ad creaturam; ſic negatur conſequentia, quia averti plus dicit, quàm non converti actualiter; averſio enim dicit converſionem totalem, & quoad actum, & quoad habitum, ſcilicet contemptum, quod non evenit in peccato veniali.

Inſtabis: in motu acceſſus ad terminum ad quem importat neceſſariò receſſum à quo, ergo & averſionem. Reſp. Seraph. Doct. in peccato veniali animam non moveri à Deo ad creaturam ſicut in peccato mortali, ſed tantùm affici circa creaturam abſque diſceſſu habituali à Deo, unde non eſt motus, ſed affectio potiùs.

Objic. 2. veniale eſt contra Dei prohibitionem, ergo importat averſionem à Dei præcepto; prob. antecedens, quia veniale eſt malum, ſed Deus prohibet omne malum, ergo, &c. Reſp. D. Bon. *ad* 2. quòd propriè dicitur aliquid prohibitum, ad cujus oppoſitum obligat prohibitio directè, veniale autem non eſt hujuſmodi, ſic negatur antecedens, & conſequentia, ad probationem reſp. veniale quidem eſſe malum, & ob id annexum prohibitioni, potiuſque cohibitum, quàm prohibitum, unde prohibendo concupiſcentiam plenam rei, vel uxoris alienæ, ſimul cohibet primum motum, quia eſt malus.

Objic. 3. amoris creaturæ volitio eſt vel per modum uſus, vel fruitionis; ſi primum non eſt peccatum uti creatura ad finem ultimum, ergo ſecundum; ſed fruitio importat quieſcentiam in creatura, & per conſequens averſionem à Deo, ſed veniale conſiſtit in amore inordinato ad creaturam, ergo & continet auverſionem. Reſp. Seraph. Doct. veniale neutrùm eſſe, niſi uſus lato modo ſumatur, nam in peccato veniali eſt converſio actualis ad creaturam, non habitualis, obidque in ipſa anima non quieſcit, ut in ultimo fine, cum non recedat à Deo; ſic enim amans creaturam refertur in illam ſivè directè, ſivè indirectè, ſivè benè, ſivè malè ratione alicujus circumſtantiæ abſque quieſcentia in illa.

Objic 4. magis, & minus non variat ſpeciem, ut patet ex Philoſop. ſed cum S. Bon. *l.* 2. *d.* 42. *a.* 2. *q.* 1. *in fine corp.* in peccato mortali eſt auverſio à Deo ſtrictè ſumpta, in veniali verò eſt auverſio latè ſumpta, quam ipſe appellat elongationem, quatenus recedit homo à via mandati, & adheret morosè ei, per quod deberet tranſire, ergo talis auverſio minor peccati venialis non facit differre eſſentialiter à mortali. Reſp. Seraph. Doct. *ibidem art.* 3. *quæſt.* 1 *ad ultim*, veram eſſe majorem in phyſicis, falſam in moralibus, ratio eſt quam ſuper adduximus ſuo loco, quia cum virtutes attendantur penes medietatem, & vitium penes extrema, quæ ſunt ſuperfluum, & diminutum, hinc amor creaturæ citrà, vel ſub Deo, & amor ſuprà Deum differunt eſſentialiter, ut eſt in peccato veniali, & mortali, & quia eſſentiale eſt peccato veniali delectari ſub Deo, ideſt abſque receſſu formali à Deo, & mortali ſuprà Deum, hinc negatur in veniali concurrere auverſionem formaliter.

QVÆSTIO VII.

An peccatum mortale poſſit fieri veniale, & è converſo.

Quæſtio hæc multiplicem ſenſum admittit, 455
poteſt enim excitari quæſtio. 1. an veniale poſſit eſſe diſpoſitio ad mortale. 2. an idem actus venialis poſſit ſucceſſivè fieri mortalis. 3. an id, quod eſt veniale poſſit eſſe mortale per additionem alicujus circumſtantiæ, quoad primum ſenſum non eſt dubium, quod veniale non diſponat paulatim ad mortale, quoad ſecundum ſenſum multi ſuſtinent apud Vaſq. *diſt.* 125. qui etiam citat pro hac ſententia S. Bon. ſed falsò, eumdem actum inchoatum ut bonum poſſe fieri malum, & per conſequens actum venialem poſſe fieri mortalem, quoad tertium ſenſum conveniunt aliquod peccatum veniale poſſe eſſe mortale per additionem circumſtantiæ.

Not. 1. ex S. Bon. *l.* 4. *d.* 16. *p.* 2. *a.* 3. *q.* 1. *& Comp. Theol. l.* 3. *c.* 12. *& Centil. p.* 1. *ſ.* 6. *& pluribus aliis locis*, quod peccatum veniale eſt triplex: quoddam eſt ex ſubreptione, & ideò eſt veniale, quia vitari non poteſt in communi in ſtatu viæ, quoddam ex cognitione, ſive voluntate, ſive conſenſu non pleno, & determinato, quoddam eſt veniale cum conſenſu, hocque eſt ex genere ſuo, ut verbum jocoſum; primum veniale non poteſt eſſe mortale, 2. poteſt fieri mortale addito conſenſu; quæſtioque reducitur ad 3. ſenſum.

Not. 2. quod diſpoſitiones antecedunt introductionem formæ, quæ ſe habent veluti cauſa materialis, quia ſe tenent ex parte materiæ ad formam, iſtæque in Phyſicis ſunt neceſſariæ, & quia ex iteratis actibus introducitur habitus, hinc peccata venialia dicuntur diſponere ad peccatum mortale non directè, & per ſe, & neceſſariò, ſed indirectè quatenus diſponunt ad libidinem, & complacentiam, ob idque augent pronitatem ad peccatum mortale, quatenus, inquam, ut dicit S. Bon. minuunt fervorem charitatis, & amoris, redduntque ex conſequenti potentias animæ laxas ad bonum, ideò ſe habent veluti diſpoſitio remota, non proxima.

Not. 3. ex Seraph. Doct. *lib.* 2. *diſt.* 41. *q.* 2: *ad* 1. quod accidens poteſt comparari ad ſubjectum permanens, & fixum, vel ad ſucceſſivum: Primo modo accidens poteſt tranſmutari, exiſtente immoto ſubjecto, ut de albo fieri nigrum. 2. modo nequaquam: hoc ipſo enim quod adheret accidens, adheret inſeparabiliter, quia illud ſtatim tranſit in præteritum, & efficitur intranſmutabile, & ampliùs idem numero reſumi non poteſt, actus enim numeratur ſubjecto, & tempore, & ſpecie, ſive termino; & ideò ſicut alius eſt actus, cujus eſt aliud principium, & alius terminus, ſic eſt alius, cujus alia eſt menſura, & aliud tempus interciſione, & renovatione facta in ipſo actu, hinc quamvis motui accidat velox, & tardum, tamen motus, qui eſt velox ſecundùm eam partem, ſecundùm quam eſt velox, numquam poteſt eſſe tardus. Et hinc ex hac doctrina veriſſima infert Seraph. Doct. *in corp.* quòd malitia, & bonitas, licèt ſint differentiæ accidentales actionis ut ſic, tamen ſunt inſeparabiles actioni in individuo, & ut bonæ, vel malæ, & conſequenter actio bona numquam poteſt

eadem fieri mala, hinc eidem motui unico physicè cum possit incise moralitas multiplex, etiam multiplicatio proportionata inerit.

456 Concl. 1. eadem actio physica considerata de veniali successivè potest fieri mortalis, sed non erit eadem numero moralitet. Est S. Bon. citati, quia potest incipere actus delectationis venereæ citrà consensum, & ei super addi consensus, ergo, &c. quod verò non sit eadem numero moralitet, patet etiam, quia una species non potest mutari in aliam, sed veniale, & mortale differunt specie, ergo, &c. sic S. Bon. loco citato, præcipuè in Compend. Theolog.

Dices: ergo idem actus mutatur specie; si ex veniale fiat mortale. Resp. nego conseq. illa pars enim, quæ est venialis, & si additur alteri parti continuæ fit mortalis, diciturque mutari (ait Seraph. Doct. *lib.* 4. *cit. ad* 3.) quia id quod aliàs esset veniale per superadditionem consensus fit mortale.

Concl. 2. Licèt veniale ut tale, non possit fieri mortale, tamen quod ea genere suo est veniale, & aliàs e tet tale, posset tamen fieri mortale quatuor modis; *Sic Comp. Theol. cit.* 1. ea conscientia enonea, quia quidquid fit contrà conscientiam determinatè ædificat ad gehennam, ait S. August. & prob. quia in tali actu, licèt materiale, nempè conversio ad creaturam. v.g. levare festucam, sit leve, tamen dum sit contrà conscientiam, tunc superadditur aversio à Deo, & Dei contemptus, ergo, &c. 2. ex complacentia, qua homo relicto Deo, quietatur ut in ultimo fine in creatura, & hic est sensus S. August. dicentis: nullum est peccatum adeò veniale, quod non fiat mortale, dum placet, *Sic dist.* 21. *p.* 2. *art.* 1. *q.* 2. *ad* 4. 3. ea dispositione, de qua infrà. 4. ex progressu, de quo in prima concl.

457 Concl. 3. peccata venialia quantumcumque multiplicata numquam possunt coalescere ad constituendum unum mortale, nisi dispositivè, dispositione tamen non necessaria, sed per accidens, & remotè. 1. pars est communis, & certa, quia numquam species potest transire, & mutari in aliam speciem, ut docet Seraph. Doct. 2. pars patet ea 2. notabili; tùm quia ad constituendum unum mortale requiritur plenus consensus voluntatis, sed voluntas non potest necessitari, & inclinari, ergo hæc dispositio est per accidens.

Dices, quò magis augetur dispositio, eò magis necessitas accrescit ad introductionem formæ, ergo maxima multiplicatio venialium poterit reducere ad necessariam, & proximam introductionem mortalis culpæ, & confirmatur, quia mortale non excedit improportionabiliter veniale, cum ambo sint quanta, ergo poterit talis dispositio fieri proxima, & necessaria. Resp. S. Bon. *ad* 6. & 7. antecedens esse verum de dispositionibus naturalibus, & in materia physica, & naturali, non de moralibus respectu voluntatis, quæ est libera, & data quantacumque dispositione, potest liberè ferri ad utramque partem, & maximè quia anima habens solùm venialia, habet etiam simul charitatem contrà quam nullum pondus potest. Ad confirmationem; Resp. nego antecedens, mortale enim excedit improportionabiliter veniale, sicut superficies lineam; sic & excedit amor infrà Deum, amorem suprà Deum: unde de tali dispositione remota, & accidentali loquitur S. August. *Epist.* 108 *ad finem*, dum comparat venialia bestiis minutis, guttis aquæ, arenæ, & scabiei, quæ multiplicata obsunt:

Vide S. Bon. l. 1. *dist.* 17. *part.* 2. *a.* 1. *quæst.* 3. *per tot.*

Dices 2. ex Divo Augustino, ubi magna cupiditas, ibi parva charitas, & addit, minùs te amat, qui aliquid tecum amat, quod non propter te amat; sed hoc non potest esse verum, nisi per diminutionem charitatis factam per venialia, ergo tantùm poterit diminui, quod omninò tollatur, quod non potest esse, nisi per introductionem peccati mortalis, ergo venialia dispositionem necessariam, & proximam possunt afferre ad perditionem charitatis, & introductionem peccati mortalis. Resp. hanc objectionem petere illam quæstionem, quæ in tractatu de charitate io 3. excitatur: an charitas minui possit, quam pertractat fusè Seraph. Doct. *lib.* 1. *dist.* 17. *cit.* in qua opinio fuit Altisidior. & novissimè Victoriæ in relect. de Charitate, charitatem diminuere venialia quantùm ad entitatem, sed tamen circà terminum ultimum, quæ opinio ab omnibus rejicitur; verum quidem est, Charitatem paulatim augeri, non verò diminui quoad entitatem, sed solùm per peccatum mortale totaliter tolli, minuitur autem solùm quoad fervorem, quia venialia charitati non opponuntur, sed tantùm mortalia, idem etiam patet in formis substantialibus physicis.

Dices 3. ex multis furtis parvis multiplicatis fit unum mortale, ergo, &c. idem est in materia jejunii, voti recitandi parvas orationes quotidie, &c. Resp. Theologi communiter concoalescere ex pluribus venialibus unum mortale, sed tantum quandò ultimum furtum v. g. constituit gravem læsionem contrà justitiam, religionem, &c. sic negatur antecedens, &c.

QVÆSTIO VIII.

Quod nam sit subjectum proximum peccati, ejusque causa efficiens.

Quia in homine adsunt potentiæ rationales, & sensitivæ, quæ omnes concurrere possunt ad peccatum; quæritur, quænam ex illis sint causa subjectiva peccati, in qua conveniunt omnia peccata esse in voluntate tamquam principio, disquitunt tamen Theologi, an etiam sit in aliis potentiis. Prima opinio est Thomistarum asserentium, peccatum non in sola voluntate, sed etiam in aliis potentiis subjectari; sic D. Thomas *quæst.* 74. Cajet. aliique: istique docent, peccatum veniale subjectari etiam in intellectu, & potentiis sensitivis, non verò in membris; & alii addunt etiam potentias externas, Vasq. hic c. 4. 2. Opin. opposita est communior D. Bon. aliorumque, subjectari in sola voluntate. 458

Not. 1. ea S. Bon. *lib.* 2. *d.* 41. *art.* 2. *q.* 1. & 2. *aliisque pluribus locis*, quod peccatum tria necessariò includit, scilicet actum peccati, quoad entitatem realem, præcipuè in commissione. 2. malitiam activa, scilicet privationem rectitudinis debitæ ipsi. 3. rationem voluntarii, quæ est necessaria ad hoc, ut actus sit bonus, vel malus, dignus laude, vel vituperio, quæ suprà ex Seraph. Doct. fusè explicata sunt. Hinc infert Seraph Doct. quòd non potest dari peccatum sive mortale, sive veniale, quod non sit à voluntate vel præambula, & movente, vel concomitante, vel non prohibente, vel præcavente; obidque omnis inordinatio peccaminosa voluntati imputatur.

Not. 2.

459 Not. 2. ex S. Bon. *l. 2. d. 36. quæſt. 1.* quod Paſſiones animæ ſunt in duplici differentia: aliæ veniunt ab extrinſeco, ut vulnera, percuſſiones, iſtæque non ſunt de ſe meritoriæ, vel demeritoriæ, niſi in quantum à voluntate reſpuuntur, vel acceptantur: Aliæ ab intrinſeco, & iſtæ veniunt à duplici origine; ſcilicet vel ex corruptione naturæ, vel ex converſione voluntatis liberæ; ex corruptione naturæ duplex paſſio oritur, ſcilicet vitioſa corruptio per concupiſcentiam, & corruptio pœnalis per mortalia inflicta, quatenus ſubjecta eſt mortalitati, contrarietatibus, &c. 2. eſt metè, pœna ut fames, ſitis, &c. prima ex concupiſcentia vitioſa habet rationem metæ paſſionis, & pœnæ de ſe conſideratæ, & dicitur vitioſitas, vel vitium, ut ira, pro ut verò oritur ex voluntate ſe convertente ad bonum commutabile, ſic eſt culpabilis, & voluntaria aliquo modo; primo modo eſt pura paſſio: 2. modo eſt meritoria, ſi a voluntate rejicitur, eſt culpabilis, ſi acceptatur inordinatè, ut autem iſta clariùs intelligantur.

460 Not. 3. ex S Bonav. *l. 2. d. 24. p. 2. dub. 3.* quòd ſenſualitas propriè, & formaliter eſt vis quædam animæ inferior, ex qua motus eſt, qui intenditur in corporis exterioris ſenſus, atque appetitus rerum ad corpus pertinentium, & ut ſic præciſè comprehendit ſenſitivam, & motivam, & brutalem, ſed quia multam vim habet trahendi inferius rationalem importat tali modo quamdam rebellionem ex peccato originali contractam, ſicque ſonat in vitium.

461 Not. 4. ex *l. 2. d. 14 p. 2 a 3 quæſt. 1. & 2. & d. 34. a. 2. quæſt. 3. ad 1. & d. 41. a 2. quæſt. 1. in fine corp. & alibi ſæpe*, quòd peccatum duo poteſt dicere, ſcilicet rationem culpæ, & rationem vitii; primo modo dicit actum privatum debita rectitudine, dignumque vituperio, hocque ſemper eſt à voluntate, ut dictum eſt in in antecedenti notabili: 2. modo ut vitium dicit habitum ſubſtratum, quo aliquis redditur facilis ad perpetrandum aliquod genus peccati, v. g. habitum ſuperbiæ, luxuriæ, qui habitus impor at deordinationem non ſolùm voluntatis, ſed & aliarum potentiarum, ob quam caro reſiſtit rationi, & vitium virtuti; ideoque cum talis habitus ſive voluntatis, ſive aliarum potentiarum ſit ſubjectus imperio voluntatis, hinc nullum peccatum datur, quin ſub ratione culpæ non reſpiciat voluntatem, ut ſubjectum, & ſub ratione vitii reſpiciat ipſam voluntatem ut principium, primumque ſubjectum, licèt aliquo modo reſpiciat actus aliarum potentiarum, prout ſunt ſubjectæ imperio voluntatis; hinc eſt quod concupiſcentia, pro ut dicit appetitum, eſt quid poſitivum & à Deo, & pœna inflicta ob peccatum primi hominis, prout ſuperaddit exceſſum in appetendo, dicit vitium, & prout in tali exceſſu eſt privatio perfecti onis illius, quæ infuiſſet in ſtatu innocentiæ, ideo non eſt à Deo, nec tamen tunc eſt præciſè culpa, ſed cum fuerit à Deo ſubjecta voluntatis imperio ad utilitatem noſtram inflicta eſt, ſi verò cum libertas ad ipſam convertitur inordinatè, tunc culpabilis fit, *ſic lib. 1 d. 35. dub 1. & 2. & a. 1. quæſt 2.* ex quibus infert Seraph. Doct. *l. 2. d. 42. a. 3. quæſt. 1. & 2* quod peccatum pro ut tenet rationem culpæ, ſolùm eſt in voluntate, pro ut habet rationem vitii, ſic dicat inordinationem alicujus potentiæ reſpectu habitus ſibi debiti ſecundum ſuam naturalem inſtitutionem: & quia talis inordinatio habet eſſe in ſenſualitate, ita quod illa deodinatio eſt via ad opus vituperio dignum; ſic ponitur peccatum eſſe in ſenſualitate materialiter, non formaliter, nempe quatenus tamen à ſenſualitate trahit originem cum hoc diſcrimine, quod in peccato veniali ſenſualitas habet rationem excitantis voluntatem non excitatæ, & motæ, ex qua excitatione inchoatio fit deordinationis voluntatis abſque conſumatione; in materiali vero ita eſt in ſenſualitate, quod originem trahit ab imperio voluntatis, & eſt ſenſualitatis potiùs motæ; quàm moventis, quatenus deordinatio eſt completa per voluntatem; hinc concluditur, à Seraph. Doct. omne peccatum ideo eſſe culpam, quatenus eſt à voluntate, licèt aliunde proveniat excitatio, ex quibus patet quam falsò Vaſq. *d. 104. c. 4.* notat Seraph. Doct. ſibi contradicere, ex eo quod in locis citatis docet, ſolùm peccatum poſſe eſſe in voluntate; & poſtea *l 2. d. 42. a. 1. quæſt. 1.* docet malitiam moralem ex objecto, & circumſtantiis derivare in actionem extrinſecam; ergo (infert Vaſq) idem dicendum de potentiis ſenſitivis: mala illatio, quia Seraph. Doct. ibidem dicit, quod in actione exteriori conjuncta interiori, licèt ſint plura deordinata materialia, unica tamen eſt deordinatio ratione voluntatis deordinantis, ob idque unum peccatum, unde actio exterior ſe habet ſolùm ut ratio materialis ordinata ad formalem voluntatis, & à voluntate imperanti.

Concl. 1. In ſola voluntate peccatum reperitur 462 ſimpliciter, & ab ipſa ſola provenire poteſt; eſt S. Bon. *l. 2 d. 41. a. 1. quæſt. 2.* & communior. Pt. 1. ex D. Anſel. dicente: nuſquam, niſi in voluntate peccatum eſt: Prob. 1 in ea ſolùm potentia eſt culpa, quæ totius actionis peccaminoſæ eſt principium; ſed talis eſt voluntas, ergo, &c. major eſt certa, quia actio peccaminoſa eſt ſecundùm actiones, ergo in ſuo principio reſidet, & manet; minor prob. quia peccatum non eſt, niſi voluntarium ſit, & voluntarium eſt à voluntate, idque patet in pueris, &c. Pt. 4. in ea ſola potentia eſt culpa, in qua nata eſt eſſe juſtitia; ſed juſtitia eſt in ſola voluntate, ut in ſubjecto, eſt enim voluntatis rectitudo, ergo & in ea ſola eſt culpa; major patet, quia oppoſita nata ſunt fieri circa idem ſ. Confirmatur quia ſola voluntas denominatur bona, vel mala, & ſola libera, ob idque ejus actio ſola capax vituperii, vel laude.

Concl. 2. Actus externi, aliæque potentiæ ſunt 462 ſubjectum materialitatis peccati, prout vitium eſt, ſed tamen dependenter à voluntate, ut à principio, & cauſa, à qua, ut S. Bon. *cit. in 2. & 4 notat.* Prob. à Seraph. Doct. *d. 41. cit.* quia deordinatio reperitur in membris, in ſenſibus, in intellectu, in memoria, ſed talis inordinatio peccaminoſa non eſt, niſi prout tales potentiæ ſubjectæ ſunt imperio voluntatis, & ab ipſa tales actus procedunt 2. ergo, &c. Hincque fundamentaliter peccatum nè! peccatum eſt, non poteſt eſſe præciſè, niſi in voluntate.

Concl. 3. In ſenſualitate non eſt peccatum veniale, vel mortale pro ut ſecundùm ſe, & ut pura actio conſideratur, ſed tantùm pro ut importat converſionem voluntatis inordinatam ad ipſam; ratio primæ partis eſt, quia in ſenſualitate eſt deordinatio phiſica, & materialis, ſed ſic præciſè non eſt culpa, ſed pura paſſio, ergo, &c. ſi verò concurrat voluntatis inordinatio vel conſentientis; vel non impedientis, vel non prævenientis, vel moventis, ut dixit Seraph. Doct. ſupra cit. in not. & *d. 36. a 1. quæſt. 1. corp. & ad 2.* ergo vera concluſio, alioquin etiam in furioſis, ſtultis, ebrioſis, pueris eſſet culpa; cum adſit deordinatio materialis; hinc optimè Seraph. Doct. ſuprà cit. aſſignat diſcrimen

discrimen peccati venialis, & mortalis; respectu sensualitatis, dicens, quod in peccato veniali sensualitas est primò excitans voluntatem, quatenus in ea est vitiositas derivans à peccato Adæ; in mortali est voluntas excitans sensualitatem, & complens deordinationem per consensum plenum.

Objic. 1 Glossam in illud Proverb. 24 Septies in die cadit justus, docere quòd singulis diebus per necessitatem, vel fragilitatem carnis vel nolentes, vel inviti peccamus: ergo absque concursu voluntatis potest esse culpa; sed hoc est ob inordinationem sensualitatis: ergo in sensualitate est formaliter peccatum; idem & videtur docere S. August. *in lib. retractationum* 1. *cap* 9. *& l.* 3. *de lib. arb. cap.* 18. *& l.* 19. *de Civit. cap.* 5. dicens, quod quædam facimus malè ex necessitate; & confirmatur, quia ait Apostolus: Caro concupiscit adversus spiritum: ergo spiritu nolente. Resp. Seraph. Doct. *l.* 2. *d.* 41. *a.* 2. *quæst.* 1. quod inviti peccamus scilicet per privationem voluntatis plenæ, & consumatæ, non per privationem omnimodam voluntatis, quæ poterat prævenire, & præcavere, & custodire, & quia id non facimus, sæpe peccamus inviti quoad voluntatem plenam: 2. resp. in nobis esse necessitatem quandam committendi venialia in communi, non hoc, vel illud, vel etiam aliquod genus venialis peccati, ut patet in juvene, qui subjicitur naturaliter, & frequenter motibus carnis, licèt possit hic, & nunc illa vitare præcavendo, præveniendo, & custodiendo diligenter se ipsum: 3. resp. quòd caro concupiscit, &c. scilicet quatenus imputat deordinationem vitiosam, quæ tamen non impedit, quin possit vitari culpa.

Objic. 2. Primus motus est in sensualitate, maximè qui est ex subreptione, & præventione judicii: ergo & in ea est peccatum, quia in eadem fit consummatio. Resp. S. Bonav. primos motus esse quidem in sensualitate, quatenus importans vitium, & deordinationem naturalem, sed non sunt peccaminosa, nisi ex voluntate modo supradicto.

465 Concl. 4. Motus inordinati concupiscentiæ, & appetitus sensitivi, involuntarii non sunt peccata mortalia. Est omnium Catholicorum; & de fide definitum in Concil. Trident. *sess* 5. de peccato originali *cap. ult.* ubi definit, per Baptismum tolli totum id, quod verè, & propriè habet rationem peccati; estque contra Lutherum, Calvinum, aliosque Hæreticos docentes impiè, omnes actus appetitus sensitivos circa rem illicitam, etiam nullo accedente consensu voluntatis, esse peccata mortalia; ratio evidens est, quia nullum est peccatum, nisi voluntarium, & nullum potest dari peccatum mortale, nisi adsit antecedenter judicium plenum, & integrum, & ipsi succedat plenus consensus voluntatis: sic S. Bon. *l.* 2. *d.* 36. *q.* 1 *& d.* 41. *a.* 2. *q.* 1. *&* 2. & patet ex determinatione Concil. Trident. ut dictum est, ubi de fide definit, per Baptismum tolli quidquid habet rationem peccati, sed non tollitur fomes concupiscentiæ: ergo ejus actus non sunt peccata mortalia. Vide P. Gaudent. *d* 2. *de peccato quæst.* 1. qui ex Sacr. Script. ex Seraph. D. & ex D. August. aliisque Patribus probat hanc veritatem Catholicam fusè. & diligenter contra dictos Hæreticos; sic & noster P. Marcus à Ba. d. *q.* 17. *a.* 2.

466 Concl. 5. Non omnes motus concupiscentiæ sunt peccata mortalia, vel venialia, sed solùm quæ sunt voluntaria: Sequitur ex traditis, quia concupiscentia pro ut præcisè dicit vitium naturale, non est peccatum formaliter, licèt aliquando vocetur ab Apostolo peccatum, scilicet causa, & radix peccati, quatenus accedit voluntas aliquo ex modis supradictis. Addit S. Bon. *cit. in* 2. *&* 3. *d.* 3 1. *quæst. ult.* Concupiscentia pro ut dicit substratum habitum præcisè, vitiumque naturale, est à Deo, pro ut verò importat excessum appetitus super rationem licèt formaliter, non sit peccatum, est tamen privatio alicujus perfectionis; & ibidem dicitur Deus ipsam odio habere, quatenus accedente voluntate est causa peccati; & ad id, quod dicitur in lege: non concupisces: Resp. notat, quod dicit, non concupisces, ubi prohibetur actus completus, & progressus concupiscentiæ usque ad consensum, non primus motus, sic *l.* 2. *d.* 30. *a.* 2. *quæst.* 1. quia talis primus motus non est peccatum, sed à Deo permissus, vel datus in pœnam, & ad coronam.

Objic. contra quartam & quintam conclusionem; motus concupiscentiæ ex D. August. sunt illiciti: ergo lege divina vetiti. Resp. S. Bonav. ex eodem D. August. *d.* 36. *cit.* esse illicitos non pro ut sunt puræ passiones, sed ratione concomitantis voluntatis. Contra: trahunt per se ad malum: ergo sunt mali, & vetiti. Resp. trahere ad malum quatenus subjiciuntur voluntati, non verò de se, nisi remotè, & tali distinctione resp. cæteris objectionibus.

Instas iterum: Deus odit concupiscentiam in nobis etiam post Baptismum, ut ait S. August. *in Psal.* 35. *& ad Rom.* 7. Resp. S. Bon *d.* 32. *a.* 2. *q.* 2. quod ut dictum est in 3. not. Concupiscentia, ut dicit habitum, est à Deo, ut dicit excessum perfectionis, & inclinationem ad malum est vitiositas à Deo non proveniens; sed tamen in hoc non stat culpa, sed tantùm prout adest concursus voluntatis, ut dictum est, ideoque ipsam odit tantum pro ut tali vitiositati superadditur concursus voluntatis concurrentis ad talem imperfectionem.

QVÆSTIO IX.

An in superiori parte rationis possit esse peccatum absque concursu inferioris, & an in inferiori absque superiori, & absque concursu sensualitatis.

IN hoc titulo plures quæstiones à Seraph. Doct. 467 *l.* 2. *d.* 24. *p.* 2. agitatæ concervantur, quæ, quia sunt connexæ ad invicem, hac unica quæstione per plures conclusiones resolventur: Unde suppon. cum communi Theologorum ex Seraph Doct. citato, quòd ratio animæ importat intellectum, memoriam, & voluntatem; & hæc licèt sit una, tamen distinguitur in superiorem, & inferiorem; superior dicitur, quatenus attendit superioribus, & cæteris, inferior, quatenus convertitur ad temporalia; hæc autem duplex portio continetur in intellectu, memoria, & voluntate. Seraph. autem Doct. ex D. August. comparat superiorem viro, inferiorem feminæ, tentationem serpenti, quæ ut plurimum potius accedit ad fæminam, ut inde dejiciat virum, scilicet superiorem portionem; & hinc ait Seraph. Doct. portio superior ab inferiori distinguitur: primò quia illa fortis, ista debilis, ideo comparatur viro, hæc mulieri: 2. ratione officii, quia illa regit, ista regitur, quæ diversitas non habet ortum ex diversitate naturæ, sed ex diversa comparatione ejusdem potentiæ, quia dum ad superiora convertitur, purgatur, illuminatur,

&

& perficitur, dum ad inferiora veluti trahitur ad carnem, & emollitur, & quia una ab alia oritur, & ei conjungitur tanquam adjutorium simile sibi, rectè illa dicitur vir, ista mulier, & inter eas conjugium esse. Vide S. Bon. l. 2. 14. p. 1. a. 2. q. 2.

Hinc quæritur primò: *An peccatum possit esse in superiori parte rationis sola, an verò necessariò concurrat etiam inferior*: 2. *An possit esse in sola inferiori absque concursu superioris, & an etiam absque concursu sensualitatis.* Et quæstio potest procedere de peccato veniali, & de mortali, quas omnes pertractat Seraph. Doct. l. 2. d. 14 per tot.

Not. 1. ex eodem Seraph. Doct. cit. quæst. 1. quòd duplex est genus peccatorum in communi: Aliud spiritualium: Aliud carnalium: spiritualium sunt, quæ trahunt originem à superbia vitæ; carnalia, quæ trahunt originem à concupiscentia carnis, & oculorum, scilicet à voluptate carnali, & à divitiis, vel avaritia, sic l. 2. d. 5. quæst. 1. & a. 1. p. 3. art. 9.

Not. 2. quòd cum in peccato sit aversio à Deo, & bono incommutabili, & conversio ad bonum commutabile id advertendum est (ait Seraph. D. l. 2. d. 24. p. 2. a. 1. quæst. 1. ad 5.) quòd hæc conversio potest etiam esse ad bonum incommutabile, sed tamen appetitur ut bonum commutabile, scilicet utendo fruendis, & ad se, & proprium commodum ipsum convertendo; sic Lucifer appetiit similitudinem Dei, quæ conversio potiùs dici debebet aversio.

Not. 3. quòd cum proprium sit superioris portionis ad æterna converti, & ad Deum per consequens etiam tenetur inferiorem portionem, & alias potentias disponere, & regere secundùm legem, & beneplacitum Dei; cum autem penes ipsam stet judiciaria potestas, & regiminis auctoritas, per consequens inferior portio in peccato mortali dependet essentialiter à superiori; unde sicut spectat ad virum refrenare mulierem, sic & ad superiorem inferiorem; de quo vide S. Bonav. citat. a. 2. q. 2.

468 Concl. 1. In portione superiori potest esse peccatum mortale, imò & veniale. Est S. Bon. loc. cit. a. 1. & communis. Prob. quia dantur peccata spiritualia pura, quæ nun se ingerunt cum portione inferiori, & sensualitate: ergo spectant solùm ad superiorem: Prob. antecedens: In peccato infidelitatis, quod formaliter est in intellectu, fundamentaliter in voluntate imperante intellectui; tùm quia libertas arbitrii maximè stat in superiori parte rationis; tùm quia etiam Angelus appetiit id, quod spectabat ad superiorem portionem, nempe æquiparantiam in potentia, & etiam in superbia, ergo potest dari peccatum existens in sola portione superiori.

Objic. 1. D. August. dicere, rationem nostram deduci ad consensum peccati non posse nisi præventam ab inferiori per delectationem morosam in ista, l. 2. de Gen. cap. 14. Resp. S. Bon. d. 24. cit. quæst. 1. S. Augustinum loqui de peccatis carnalibus, eorumque progressu in perpetratione, & ideo nihil contra nos.

Objic. 2. Arist 30. de anima dicere, intellectum semper esse rectum, quia de se nunquam errat; phantasiam verò esse modo rectam, modo non rectam: ergo superior portio, si non deviat à veritate requirit sensualitatem, & portionem inferiorem ad hoc, ut declinet à veritate. Resp. S Bon. textum intelligendum esse in iis, ad quæ movet ad modum naturæ, non verò prout subjacet imperio voluntatis.

Objic. 3. Peccatum exigit conversionem ad bonum commutabile, ergo & operationem portionis inferioris ad temporalia. Resp. ex doctrina tradita in 2. notabili, quòd portio superior peccare potest dupliciter: 1. convertendo se ad bonum incommutabile, sed appetitum ut commutabile, ut evenit in Lucifero, & Eva: 2. non regendo debitè inferiores potentias, &c.

Contra: Proprium est portionis superioris intendere legibus æternis: ergo peccando se avertit, & declinat ab ipsis: ergo in ipsa non potest esse peccatum nisi ad inferiora convertendo: Resp. Seraph. Doct. conced. antecedens nam iste est actus nobilissimus proprius portionis. Addit verò ut supra, quod non solùm munus est superioris portionis entia spiritualia considerare, & ad Deum se convertere; sed quia pro objecto habet leges æternas, etiam ad ipsas spectat recta ordinatio inferiorum; hinc deficiens à tali regimine ad se intendendo, & ad æterna veluti media ad se ordinando, & ad proprium commodum, hinc ipsa etiam absque portioni inferiori potest peccare, dicitur autem superior portio, non in quantum semper actu ad superiora convertatur, sed in quantum nata est converti.

Concl. 2. Alia peccata ita sunt in portione superiori, quod etiam transeunt ad inferiorem, ut patet ex traditis, quia peccata plurima sunt per conversionem portionis ad bonum commutabile, quod respicitur à portione inferiori, ut sunt ea omnia, quæ sunt contra virtutes Cardinales, maximè carnalia.

Concl. 3. In superiori portione rationis potest esse veniale peccatum. Et S. Bon. d. 24 p. 1. a. 1. q. 2. contra aliquos sentientes ibi posse esse solùm mortale peccatum, idque patet experientia, & ratione, quia circa objecta mala spiritualia potest in mente advenire subreptio, dubitatio aliqua, negligentia sine pleno consensu, ergo, &c. 469

Objic. 1. Proprium est superioris consentire, vel dissentire, item regere inferiores; sed dato consensu, vel dissensu, & obliquatione in regimine, sequitur peccatum mortale: ergo, &c. Confirmatur, quia ob id nec Angelus, nec homo in statu innocentiæ poterant primo peccare venialiter, scilicet ob rectitudinem portionis superioris. Resp. conced. totum, quando est plenus consensus, neg quando non adest; vel adest aliqua subreptio, vel inadvertentia, quæ est proposita naturæ lapsæ, non institutæ ideo negatur paritas de statu innocentiæ, & lapsæ naturæ.

Concl. 4. Aliquando portio inferior peccare potest sine concursu sensualitatis, aliquando non. Est Seraph D. loc. cit. ratio primæ partis est, quia potest inferior appetere bonum spirituale incognitum sensualitati, ergo, &c. 2. pars, quia potest inchoare in sensualitate, & compleri in portione inferiori aliqua delectatio inordinata, ut supra dictum est, ergo, &c.

Concl. 5. Portio inferior non potest peccare mortaliter sine superiori, benè autem venialiter. Est S. Bon. citat, ratio primæ partis est, quia consensus plenus spectat ad superiorem, & ab ipsa est aversio à Deo, ergo, &c. 2. pars, quia potest in conversione ad creaturam concurrere aliqua subreptio, vel inordinatus motus venialis, ergo, &c.

QUÆSTIO X.

Quid requiratur ad peccatum mortale ex parte etiam intellectus, & voluntatis: ubi etiam de veniali.

470 CUm certum sit non dari peccatum aliquod, quin ad ipsum concurrat liberum arbitrium, & quia dicit actum intellectus, & voluntatis quæritur quænam consideratio requiratur ad peccatum ex parte intellectus; quinam consensus ex parte voluntatis. Quoad considerationem, & cognitionem; aliqui ut Gerson. Faventinus, aliique tenent ad peccatum mortale voluntatis sufficere considerationem, vel expressam, vel interpretativam, & hæc est quando non advertit ratio, illud esse malum, quod debuit advertere. Communior tamen est Alensis, Henrici, aliorumque plurimorum cum Seraph. Doct. infra cit. qui sustinent requiri cognitionem claram, & expressam, sic apud Gaud. *d.* 2. *quæst.* 11. Quoad consensum voluntatis prima opinio exigit consensum positivum in peccatum, quo consensu deficiente, etiamsi voluntas negativè se habeat absque dissensu formali non peccat mortaliter. Alii addunt, dummodo adsit aliqua displicentia: sic plurimi Theologi apud citatum Gaudent. *quæst.* 12. 2. opinio docet, sufficere consensum interpretativum.

Not. 1. ex Seraph. Doct. *l.* 2. *d.* 25. *p.* 1. *quæst.* 2. & 3. *a.* 1. quòd cum ad peccatum mortale, imò & ad veniale necessariò debeat concurrere liberum arbitrium; liberum autem arbitrium nominat duas potentias in unum concurrentes, nempè intellectum, seu rationem, & voluntatem, proprium autem rationis est ostendere voluntati bonum, & malum quidquid amplexandum, vel respuendum, cui additur dominium voluntatis, quod respicit & objectum, & proprium voluntatis actum; ex hoc enim quòd voluntas est sui domina, potest in quolibet objecto ferri pro suo libito, & actum producere ad utramque partem considerationis, scilicet vel volendo, vel non volendo, vel nolendo; ad hoc enim ut aliqua potentia dominium hoc dispoticum habeat, necesse est, quòd possit se ipsam movere, & se ipsam super actum reflectere, scilicet possit velle se velle; si enim non posset se ipsam super actum suum reflectere, nunquam posset illum refrenare, ni posset se ipsam movere, nec posset in illum exire, quando vellet; reflectere autem se super se, non solum est voluntatis, ut dictum est, sed magis propriè potentiæ cognitivæ sublimatæ à materia; movere autem se est proprium virtutis appetitivæ rationem consequentis. Igitur ad plenam libertatem requiritur concursus potentiæ cognitivæ, & motionis liberæ voluntatis, nec una sufficit sine altera. Vide S. Bon. ubi clarè, & sublimissimè hanc materiam pertractat.

Ex qua doctrina clarissima sequitur, quòd, cum voluntas sit potentia cæca de se, ideo indiget lumine ab intellectu proposito, nam licèt possit se ipsam movere, & in actum exire, non potest tamen sine lumine tali se ipsam super actum reflectere, sicque non haberet dominium. Hinc patet improbabilitas docentium quòd ad peccatum mortale sufficit concursus voluntatis absque actuali cognitione, & expressa, dummodo adsit interpretativa, quatenus debebat malitia adverti ab intellectu: nam ad summum poterit dari in tali casu aliqua omissio peccaminosa, sed non peccatum actuale in voluntate.

Not. 2. ex S. Bonav. & communi *l.* 2. *d.* 24. *p.* 2. *a.* 2. *quæst.* 2. quòd duplex datur concursus voluntatis: alius verus; & expressus, quo voluntas expressè consentit: Alius interpretativus, & est, quando voluntas post plenam considerationem malitiæ potens reprimere appetitum tendentem ad lethale, non reprimit, sed negativè se habet, sinens appetitum talibus rebus delectari. His, &c.

Concl. 1. Nullum datur peccatum mortale, abs- 471
que expressa aliqua cognitione, & consideratione moralis malitiæ. Est S. Bonav. *l.* 2. *d.* 25. *cit. aliisque locis*, & communissima Theologorum; ratio est evidens, quia ad peccatum requiritur libertas voluntatis ad illud morale amplexandum, & deliberandum; sed libertas essentialiter exigit cognitionem, cum sit de se cæca, nec possit ferri in incognitum, ergo, &c.

Objic. 1. Quia si esset vera hæc conclusio ferè omnea excusarentur ab innumeris peccatis exterioribus, quæ sine tali consideratione fiunt. Resp. conced. sequelam de peccatis, quæ sine ulla consideratione fiunt, & ea sunt maximè, quæ ideo sunt mala, quia prohibentur, in aliis verò vetitis ex lege naturali rarò, vel numquam dabitur talis excusatio.

Objic. 2. sequeretur eum numquam mortaliter peccare, qui non cogitat illud esse mortale, quod est falsum. Resp. nego sequelam, nisi enim adsit cogitatio actualis, sufficit, ut sit cognitio habitualis id esse à ratione, val à lege gravi alienum.

Q. 1. *An ad peccatum mortale sufficiat dubitatio, quod talis actus sit licitus, vel illicitus.* Resp. ex Seraph. Doct. quòd dubitatio propriè dicit indifferentiam judicii rationis respectu utriusque partis contradictionis, ita quod neutrum præeligat alteri; vel potest esse indifferentia quædam partis sensibilis ad sequendum affectum naturæ inclinationem, vel rationem imperantem: Quæstio est de prima dubitatione, & hæc potest esse speculativa, vel practica; prima est, quando quis dubitat, an aliquid sit licitum, vel illicitum: 2. est quando in singulari hic, & nunc perpensis omnibus circumstantiis dubius manet verè intellectus. Hinc. Resp. 1. peccatum est operari contra conscientiam practicè dubiam; estque communis omnium; ratio est, quia cum intellectus præcisè non judicat id esse licitum, se manifestè exponit periculo peccandi, sicque devorat objectum cum malitia, quæ forte in objecto verè existit. Resp. 2. non esse peccatum operari cum conscientia speculativè tantùm dubia, an opus sit licitum, vel illicitum si aliundè adsit judicium practicum certum, vel probabile, quod operatio sit licita; nam in tali casu non est scientia speculativa, sed judicium practicum hic, & nunc regula operationis, sicque prudenter operatur.

Q. 2. *Quænam cognitio præcisè requiritur ad peccatum.* Resp. debere esse advertentiam plenam, nec sufficere semiplenam, ut in semidormientibus; debereque esse vel gravitatem peccati in specie, vel saltem cognitionem mali in genere, tunc enim exponitur homo periculo Deum graviter lædendi.

Concl. 2. Consensus interpretativus perfectus 472
sufficit ad mortale peccatum. Est S. Bonav. citati, *d.* 24 & communis inter Theologos; ut autem id intelligatur, nota ex eodem Seraph. Doct. quod consensus interpretativus alius est proximus, & plenus, scilicet quando quis advertit periculum,

&

& delectationem illam non repellit, si potest, sed mentem in talibus cogitationibus revolvi sinit, negativè se habendo; hinc concl. est: consensum interpretativum, supposito periculo cognito, esse mortalem, ratio est, quia qui videt periculum, & liberè illud amat, cum teneatur removere, peribit in illo; spectat enim ad portionem superiorem tegere inferiorem.

Concl. 3. Secluso periculo consensus non est mortale permittere motus læthiferos; ratio Divi Bonav. citati est, quia quandiu superior portio arcet à se delectationem, & periculum ejus, non intervenit aversio à Deo, & consequenter nec peccatum mortale, nec intervenit consensus interpretativus proprius voluntatis, quia delectatio non versatur in voluntate, sed in sensualitate. Addit autem Seraph. Doct. citatus, quòd qui est timoratæ conscientiæ, etiam omnes istas cogitationes à se longè repellit, ne anima remaneat polluta, saltem aliquo peccato veniali graviori. Vide S. Bon. *cit. dub.* 1.

Concl. 4. Si quis motibus ex sua natura gravibus dat causam aliàs venialem, solùm venialiter peccat. Sic Vasq. & Caspens. qui citant D. Thomam, quia v. g. pollutio sæpè accidit ex inordinata concupiscentia appetitus sensitivi absque periculo consensus. His addimus primò quòd si quis det causam etiam mortalem pollutioni, si ista causa ex se non sit proxima, sed remota, v.g. ebrietas, vel crapula, dummodo non admittatur datâ opera, tunc non est mortalis. 2. Si causa sit honesta, v. g. auditio Confessionis, vel valdè utilis, nec etiam peccabit venialiter, quia talis effectus evenit per accidens. Vide Caspens. *d.* 4. Dianam, &c.

473 Q. 1. *Quid dicendum de delectatione morosa?* Resp. ex Seraph. Doct. *l.* 2. *d.* 24. *cit. aliisque locis infrà cit.* delectationem dici morosam non à mora temporis, sed voluntatis liberè in ea immorantis. Hæc autem vel est de objecto moraliter malo, vel de cogitatione, v. g. quatenus est aliquid factum ridiculè, ingeniose, &c. primo modo est læthalis, 2. nequaquam, præciso periculo consensus. R. 2. si est de re mala jure positivo vetita, non esse mortalem, v. g. delectari in comestione imaginata carnis die veneris; ratio est quia ista non sunt ex genere suo mala; si verò est de se jure naturali vetita; tunc est lethalis.

QVÆSTIO XI.

Quid sit peccatum habituale, scilicet quid remanet in anima post actum peccaminosum; & quid sit ista macula; seu reatus?

474 PRimo suppon. quod hoc peccatum habituale dividitur in personale, & originale; personale est quod remanet in peccatore ratione sui peccati ab ipso commissi; originale est quod trahitur ex peccato alieno, & sequitur personæ naturam, ejusque originem, quæstio est de personali, nam de originali erit consideratio in sequenti disputatione.

Prima op. est D. Thomæ, & sequacium constituentium peccati habitualis rationem formalem in privatione gratiæ, (volunt enim peccatum, & gratiam opponi directè, vel contrariè, vel privativè; isti tamen non verè conveniunt inter se in sententiæ explicatione. Alii enim (suntque rigidiores Thomistæ) volunt adæquatè constitui habituale peccatum in sola, ac simplici privatione gratiæ. Alii ad hanc privationem superaddunt pro connotato respectum ad actum peccaminosum præteritum. Alii assignant utrumque ex æquo complectentem privationem gratiæ, & respectum dictum.

2. Opinio est communis aliorum recentiorum, Ariaghæ, Lugo, Grannad. aliorumque plurium, hanc maculam, seu peccatum habituale nil aliud esse præter ipsum peccatum præteritum, & carentiam condonationis divinæ, simul cum carentia satisfactionis ex parte peccatoris. Discrepant tamen inter se; nam aliqui volunt, formaliter peccatum habituale adæquatè consistere in dictis tribus rationibus. Alii ut Vasq. & Suarez essentiam peccati habitualis consistere in actu præterito non retractato, neque condonato, quæ duæ negationes, scilicet non retractationis ex parte peccatoris, & non remissionis ex parte Dei, sunt solùm conditiones puræ, ut peccatum formaliter duret. Alii volunt, quòd negatio condonationis spectet ad essentiam peccati, negatio retractationis sit effectus tantùm negationis pœnitentiæ.

3. Opinio est Scoti, & Scotistarum plurium asserentium, peccatum præteritum dici transire in permanens, & habituale moraliter ratione obligationis satisfaciendi, & veritatis, seu dignitatis ad pœnam, ut immediatè & proximè contractæ ex peccato præterito; sed quia à pluribus recentioribus notatur (licèt falsò) hæc sententia tanquam condemnata à Pio V. inter propositiones Michaelis Baii, hinc ab aliquibus recentioribus Scotistis est declarata veluti periculosa, ut notavit Mastrius *d.* 8. *num.* 292 quæ tamen cæteris est verior, & rationabiliter sano modo intellecta; estque etiam Seraph. Doct. cum aliquali differentia tamen, ut infra patebit, à quo Scotus ipsam sumpsit.

Not. 1. Quod cum in peccato mortali adsint 475 duo tanquam media formalia ad peccatum faciendum, scilicet aversio à Deo; & conversio inordinata ad creaturam, ex quo resultat ratio formalis peccati quæ consistit in privatione rectitudinis debitæ actui peccaminoso, ratione aversionis anima se deordinat in actibus suis, se discontinuans à Deo supernaturaliter influente, & discordans ab ipso ut regula dirigente, & se elongans à fine ultimo quietante, in quibus consistit corruptio modi, speciei, & ordinis, scilicet modi essendi supernaturaliter, speciei scilicet pulchritudinis prius à Deo participatæ, & ordinis supernaturalis ad primam regulam, & hoc totum est pura privatio; hinc resultat in anima dissimilitudo respondens modo, deformitas respondens speciei, & curvitas respondens ordini; sicut membrum fit fædum, quod ita distortum est, ut non retineat naturalem situm, & ordinem cum reliquis membris, & quia avertendo se à Deo, convertitur ad bonum commutabile; hinc resultat macula in ipsa anima: quod totum dicitur reatus culpæ, & etiam pœnæ actæ, non contractæ (de qua infra) quæ dicitur reatus per ordinem ad actum per quem introducitur in anima cum tanta injuria Dei deformitas; & in hoc voluntas se habet & activè, & passivè, ut notat Seraph. Doctor *l.* 2. *d.* 35. *quæst.* 1. activè quatenus se movet

deordinatè; passivè quatenus ipsa deordinatur, & deformatur in se, & hæc deordinatio passiva dicitur pœna acta, scilicet impressa inseparabiliter à peccato in anima. Et hinc est ait S.Bon. *l. 2.d.36. a. 2.quæst.* 1. quod peccatum fert secum inseparabiliter hanc pœnam, quæ est maxima omnium. Et quia inde postea meritò à Deo ordinatur ad pœnam æternam, & alias temporales, quæ sunt sequelæ peccati, hinc resultat tanquam effectus reatus potius pœnæ habens ordinem non ad actum, sed ad pœnam, ut ad terminum, qui duo reatus, scilicet pœnæ actæ, & contractæ sunt ita connexi in eodem peccato, quod non possunt separari ab invicem.

476 Not. 2. ut pateat mens Seraph. Doct. quòd ipse movet hanc quæstionem, *d.42.dub.*1.& quærit, quid remaneat post actum peccati, & si remaneat reatus, ut omnes Theologi fatentur, quid est iste reatus, & super quod subjectum insit, & permaneat. In solutione dubii proponit tres sententias, quas omnes rejicit. Prima opinio dicit, quod reatus peccati fundatur super actum, & licet actus transeat in præteritum, non tamen reatus, seu obligatio ad pœnam æternam, quæ post actum remanet; & hæc est opinio, quæ Scoto à Thomistis imputatur, quamque,& Bon.& Scotus rejicit, quia obviat (ait S. Bonav.) potestas absolutionis à reatu isto, & si reatus fundatur super actum præteritum, & id transit in necessarium, sequeretur esse inseparabilem istum reatum, cum sit tamen contingens.

2. Opinio dicit, reatum fundari super pronitatem, quæ dicitur macula, quatenus est quædam dispositio remanens in anima reddens eam cremabilem, ratione cujus amotionis dicimur lavari in Sanguine Christi à peccatis nostris; contra quam arguit Seraph. Doct. quia talis pronitas est quid positivum, & potest removeri absque gratia, ut patet in avaro, qui de avaro fit prodigus, tunc enim aufertur pronitas ad avaritiam,sicque absque gratia esset absolutus ab ipso reatu, quod est falsum.

3. Opinio dicit, quod reatus fundatur super deformitatem, prout dicit privationem boni, sed debiti, illud habendi, & quia peccator debet Deo justitiam, & honorem, & dum illis privatur per peccatum deformatur, & ex hoc obligatur ad sustinendam pœnam, & cum non possit in operibus, solvere debet in passionibus. Et hæc est sententia supra relata recentiorum, licèt aliis terminis ab ipsis explicata. Contra quam arguit Seraph, Doct. quia ex hoc sequeretur, quòd ex multis peccatis ejusdem speciei resultaret unus reatus, & una deformitas, cum unica specie privatio redundat boni, quod est falsum cum unicuique actui redundet proprius reatus; Tùm etiam quia carentia boni in homine obligat ad carentiam summi boni non ad supplicium æternum, ut patet in originali peccato, quia, remota deformitate per gratiam, adhuc remanet obligatio ad pœnam consequendam ex ipso originali.

4. Opinio est propria Seraph. Doct. ubi supponit ex alias traditis, qoòd malitia peccati consistit in privatione rectitudinis debitæ actui; actus autem malus consistit in deordinatione causata ex aversione à Deo, & conversione ad bonum commutabile: ex aversione à Deo in actu deordinatio redundat passivè in anima, quæ dicitur deformitas, & ex conversione redundat macula; & hinc ratione utriusque reatus incidit in anima relictus ex actu præterito; unde sicut actus malus est privatio rectitudinis debitæ ipsis actui, unde dicit privationem simul & positionem substratam, sic & iste reatus dicit privationem summi boni, & positionem, scilicet debitum passivum animæ ad pœnam æternam à Deo ordinatam, & hoc est, quod dicit Magister: reatu remanet peccatum in homine, cum pro eo sive transierit, sive adsit, mens hominis polluta est, & corrupta, totusque homo suppliciis est deputatus perpetuis; hinc patet mens Seraph. Doct. circa rationem formalem peccati habitualis, nempe consistere in debito habendi rectitudinem, qua privatus remanet, ob idque in privatione modi, speciei, & ordinis fundata in positivo debito, seu obligatione ad pœnam debitam; quod etiam repetit Seraph. Doct. *l. 2. d.34. quæst. ult. in fine corp.* dicens, quod peccatum ita privat bonum gratiæ quod relinquit bonum naturæ, sic privat actum, ut relinquat aptitudinem, & sic privat bonum quantum ad effectum ut in subjecto relinquat debitum, & hoc est; quod constituit cum privatione rationem formalem peccati habitualis; sic *ibidem fund. 5. & ad 5. & 6.*

Concl. 1. Ratio formalis peccati habitualis, seu reatus culpæ non consistit in privatione gratiæ Dei, ut dicunt Thomistæ. Est S.Bonav. *l. 2. d.35 a.1. quæst.* 1. *& 2. & aliis locis citatis*, & Prob.ex Scoto *l.2 d.37.* apud Meldulam *n.*237.quia privatio gratiæ est æqualis in omnibus, qui sunt in peccato mortali, cum sit privatio in facto esse; sed macula peccati non est in omnibus æqualis, ergo non est sola, & nuda gratiæ privatio. Et hinc sequeretur, omnia peccata habitualia esse ejusdem speciei: Prob. sequela, quia privationes sumunt suam rationem formalem ex habitibus oppositis; Tùm quia peccatum secundum non privat gratia hominem, cum per primum supponatur totaliter privatus, sicque nec contraheret novum reatum, quod est omnino falsum. Respondent aliqui, privationes gratiæ distingui secundùm inæqualitatem gratiæ privatæ; sed contra, quia hinc sequeretur majus peccatum esse majoris gratiæ privatio privationem, quod est falsum, cum omnia peccata æqualiter privent gratiam; Tum quia qui per parvum furtum perderet magnam gratiam,gravius peccaret, quam qui ob maximum furtum perderet maximam gratiam, imò si nulla gratia præcederet, nullum in eo esset peccatum, aliaque plura absurda sequerentur ex tali responsione data, ut notat Meldula.Confirmatur quia privatio gratiæ est pœna peccati ex D.Thom. & S Bonav.ergo non est ipsum peccatum. Respondent aliqui recentiores Aversa, Lezana, &c. moderantes datam responsionem, gratiæ privationem formaliter constituere peccatum habituale, non quidem nudè, & solitariè sumptum, sed connotando peccatum actuale præteritum tanquam suam causam, per quod admittitur gratia: Sed contra, quia privatio specificatur per ordinem ad habitum oppositum, non ad causam efficientem, quòd fusè secundùm rectam Philosophiam probat Seraph. Doct. *l. 2. d.42. a.3. quæst. 1. & d.41.a.1.quæst.1.ad ult. & d.24.p.1. a 2. quæst.* 1. ratio est quia causa efficiens non potest facere, ut in privatione sit magis, & minus, si in forma, quam corrumpit, non reperiatur: eadem enim est mors ex privatione vitæ non ex eam inferente; Tùm etiam, quia alioquin peccata essent æqualia.

Objic. 1. hanc Conclusionem non esse ad men- 478
tem

tem S. Bonav. qui ſæpè ait, peccatum eſſe privationem gratiæ. Reſp. quod ubi id aſſerit, non intendit aſſignare rationem formalem peccati, ſed per effectum quemdam, ut ſuo loco dicetur, de quo poteſt videri *l. 2. d. 33. quæſt ult.* nec enim gratia, & peccatum formaliter opponuntur, ſed tantùm demeritoriè; unde *d. 36. quæſt. ult. ad* 5. dicit. gratia corrumpitur, & annihilatur non per actionem contrarii agentis, ſed propter defectum in ſe ipſa, quia deficit in ſe ipſa, ex eo quod ſubjectum ſibi deficit, ſcilicet anima, cum ſe avertit à Deo, deficiente converſione ad Deum, deficit, & influxus Dei gratuitus in ipſam: unde deficit gratia propter ineptitudinem ſubjecti: ſic ex oppoſito peccatum non tollitur formaliter per gratiam, ſed per condonationem divinam, quam tamen exigit gratia divina non ex natura ſua, ſed ex ordinatione Dei, qua doctrina ſatisfit cæteris objectis Thomiſtarum.

Contra inſtant: actuale peccatum eſt actualis averſio à Deo, ob idque privatio gratiæ: ergo & habitualis privatio gratiæ remanentis in anima, cum gratia ſit per habitualem converſionem in Deum. Reſp ex S. Bonav. *l. 2. d. 41. quæſt. ult. corp.* quòd averſio alia eſt negativa, ſcilicet dicens privationem circa actum, deordinationemque circa actum converſionis, quæ duo ſunt unum quid eſſentiale in peccato mortali; alia eſt formaliter poſitiva, ut eſt formaliter odium Dei; tunc negatur antecedens: nam peccatum eſt privatio rectitudinis debitæ in anima, ad quam ſequitur privatio gratiæ, ut effectus, & eodem modo dicitur ad conſequens, conſiſtere quidem in privatione rectitudinis, & in debito contracto paſſivè ab anima, ut infrà dicetur.

Objic. 1. Juſtificatio conſiſtit in tranſlatione animæ à ſtatu peccati ad ſtatum gratiæ: ergo conſiſtit in infuſione gratiæ. Reſp. ex Seraph. Doct. *l. 1. d. 26. dub 3. & alibi ſæpe*, idemque Scotus ait *l. 4. d.* 16. quòd ad juſtificationem plures mutationes concurrunt, nec remiſſio peccati, & infuſio gratiæ ſunt idem, ſed duæ mutationes, quarum prima eſt tranſitus à peccato ad ejus negationem; altera eſt à privatione gratiæ ad ejus poſitionem, in prima deſtruitur ſtatus peccati, etiam ſi ſecunda mutatio non eſſet annexa, unde prior eſt prima & ſtatus peccati, & peccatoris, ad quam conſequitur poſtea infuſio gratiæ: ſicque cum peccatum habitualiter prius tollatur infuſione gratiæ, hinc etiam ſequitur falſitas antecedentis, quod in 4. lib. fuſiùs oſtendetur.

479 Concl. 2. Peccatum, ſeu actus peccaminoſus præteritus non concurrit intrinſecè & eſſentialiter ad conſtitutionem peccati habitualis, & permanentis, nec ut non retractati, nec ut non condonati. Eſt contra ſecundam ſententiam recentiorum, eſt tamen S. Bonav. *l. 2. d. 42. dub* 1. in comprobatione primæ opinionis: Ratio primæ partis eſt, quam adducit Seraph. Doct quia actus peccati tranſiit in peccatum, nec ullam præſentem exiſtentiam habet: ergo non poteſt denominare peccatorem præſenter: neceſſe eſt enim præteritum eſſe præteritum, nec nunc eſſe, peccator autem de præſenti eſt reus: ergo, &c. & confirmatur, quia præteritum eſt neceſſarium nec poteſt non fuiſſe: ergo nunquam poteſt tolli, ſicque nunquam poteſt tolli à Deo macula iſta.

Pr. 2. pars, quia ſi retractatio eſſet neceſſaria, non poſſet à Deo auferri ſine pœnitentia, quod eſt falſum, cum poſſit remitti à Deo per ſolum extrinſecam denominationem; Tùm quia retractationis negatio præſupponit maculam permanentem in anima, cum ſit objectum retractationis: ergo talis negatio, cum ſit quid poſterius, non poteſt concurrere ad formale conſtitutivum peccati habitualis, poteſt enim retractari, & non retractari: ergo eſt antecedenter in anima, quæ ratio etiam probat, negationem condonationis non poſſe concurrere ad formale conſtitutivum peccati.

Objic. ex præterito actu peccati aliquid permanet in anima per pœnitentiam delendum, ſed non eſt aliquid poſitivum abſolutum, vel reſpectivum, ergo negatio aliqua; ſed non poteſt eſſe niſi negatio retractationis, & condonationis, cum alia non reperiatur, ergo, &c. R. Seraph. D. *d. 41. cit.* remanere obligationem, & debitum paſſivum peccati, & peccatoris, quod debitum tamen involvit ex conſequenti tales negationes; ſed iſtæ non ſunt rationes conſtituentes aliquid poſitivum, ergo, &c.

Concl 3. Ratio formalis peccati habitualis con- 480
ſiſtit in debito paſſivè contracto à peccatore ex actu præterito ſimul cum deformitate contracta, ſeu privatione modi, ſpeciei, & ordinis in 1. & 2. not Eſt Seraph. Doct Scotique ſupra citati, ſed tamen S. Bonav. diſcrepat à Scoto, quòd Scotus præcisè recognoſcit rationem formalem in obligatione ad pœnam ſed Seraph. D. in privatione, & poſitione, ſcilicet in deformitate, & macula, ſeu reatu contracto ex actu præterito. Vt autem hæc ſententia intelligatur, iterum notandum, poſſe ſumi debitum, & obligationem ad pœnam ſtatutam contra peccatum, vel peccatorem, vel pro ut dicitur debitum paſſivum, ſeu pœna acta ipſius peccati, ob quod debitum homo redditur dignus deſtinari à Deo ad pœnam æternam; in hoc 2. ſenſu intelligitur Concluſio, quod notavit, & explanat fuſè Maſtrius, *num. 302. ſeq.* hoc debitum dicit quid poſitivum, ſed cum privatione contracta modi, ſpeciei, & ordinis permanente ex præterito actu, quæ à Seraph. Doct. appellatur deformitas, & debitum macula, & in utraque ſtatuitur ab eodem ratio formalis peccati habitualis.

Prob. Concl. primò ex pluribus locis Sacræ Script. præcipuè Exodi 32. ubi habetur, quòd Deus percuſſit populum pro reatu vituli, & Deuteron. 31. Auferetur ab eis reatus ſanguinis, ſic & & in pluribus aliis locis; ſed quia iſti textus variè à Theologis ſecundùm uniuſcujuſque principia exponuntur, probanda eſt concluſio. rationibus, & primò auctoritate S. Bonav. *l. 2. d. 42 dub.* 1. ubi habetur, quod obligatio ad pœnam æternam fundatur ſuper culpam, ſive præſentem, ſive præteritam, culpa autem propriè loquendo non eſt ipſa pronitas ad malum, ſed eſt ipſa deordinatio ſive quæ eſt in actu; ſcilicet præſente, ſive quæ eſt in anima, ſcilicet ob actum præteritum. Deordinatio autem in actu conſiſtebat, ſeu reſultabat ex converſione, & averſione, & ſecundùm hanc duplicem comparationem anima deordinatur, cum peccat, & deordinatio in anima ratione averſionis dicitur malum Hinc reatus pœnæ fundatur ſuper peccatum, ut eſt deformitas, & ut eſt macula, ſed differenter, quia ratione averſionis dignus eſt privatione ſummi boni; ratione averſionis dignus ſupplicio. Fundatur etiam iſte reatus ſuper maculam, & deformitatem, quæ eſt in anima per comparationem ad actum, per quem illa macula, vel deformitas introducta eſt, & ideo plurificantur reatus, ſecundùm quod plurificantur peccata. Igitur ratio formalis peccati habitualis conſiſtit in debito tan-

quam positivo, quod dicitur macula tanquam fundamento reatus; & in privativo, quod dicitur deformitas. Ex quibus potest confici hoc argumentum: ratio formalis peccati actualis consistit in privatione rectitudinis debitæ actui, ob idque importat rationem formalem privativam cum suo substrato, & positivo; ergo & formalitas peccati habitualis proportionaliter debet consistere in privativo, & positivo; sed non potest assignari aliud nisi aliquid permanens in anima, hoc autem nil aliud est nisi deformitas, & macula, seu corruptio resultans ex actu malo in anima, & reatus, seu debitum ad pœnam; ergo vera conclusio.

Prob 2. In humanis tandiù durat injuria, v. g. Principi allata, quandiù permanet reatus injuriæ, sed hæc consistit in dignitate passiva actus mali; & in obligatione ad pœnam condebitam: ergo & in peccato habituali tandiù permanet, quamdiù permanet in anima reatus, scilicet dignitas passiva actus præteriti, & obligatio ad pœnam condebitam. Pr. 3. meritum habituale in merente ex actu præterito consistit in condignitate, & jure permanente ad præmium; ergo ex opposito culpa consistit in condignitate permanente in anima ad pœnam, sed hæc dicit deformitatem, seu privationem contractam, & debitum ad pœnam passivam resultans in anima; ergo in his consistit ratio formalis peccati habitualis. Pr. 4. ex S. Bon. *l. 2. d. 2 o. dub. 6.* ex remissione peccati habitualis: cum remittitur peccatum mortale tollitur deformitas, & macula, scilicet reatus pœnæ debitæ, & commutatur in temporalem: ergo in his duobus stat ratio formalis ipsius. Ex quibus patet, quòd licèt peccatum habituale dicat relationem ad actum præteritum ratione cujus contrahitur deformitas, & macula; relationem item ad negationem condonationis divinæ, & satisfactionis debitæ, non tamen in istis relationibus consistit ratio formalis ipsius, sed solùm involvuntur in ipsa tanquam conditiones, & circumstantiæ.

281 Objic. 1. Plura loca Sacræ Script. & SS. Patrum distinguentium malum culpæ, & malum pœnæ, sic etiam Joan. cap. 20. dicitur: *Quorum remiseritis peccata, &c.* ubi per Trident. agitur de remissione peccatorum per pœnitentiæ Sacramentum, & non de remissione pœnæ, sed culpæ; sed ordinatio ad pœnam ob commissum peccatum est malum pœnæ; ergo, &c. Resp. ex Seraph. Doct. supra cit. præcipuè *l. 2. d. 42. dub. 1. & l. 4. d. 17. p. 1. dub. 7. & 1. dub. 7. & d. 20. dub. 6.* quod cum in peccato mortali sit deformitas, quæ est privatio, & macula, scilicet reatus, istæque reatus est debitum passivum contractum per actum præteritum ad pœnam, qui communiter exprimitur nomine culpæ, cum sit inseparabilis ab ipso peccato, & ultra istum reatum adsit ordinatio explicita statuta per decretum divinum ad pœnam æternam, per pœnitentiam veram remittitur ipsa culpa quo ad deformitatem, & maculam, scilicet quo ad obligationem, vel debitum passivum, & commutatio fit pœnæ æternæ in temporalem, & hoc est, quod nos asserimus in conclusione secundùm mentem Concilii.

Objic. 2. Nos incidere in Propositionem Michaëlis Baii condemnatam à Gregorio XV. & à Pio V. qui asserebat, transeunte peccato, nil remanere nisi obligationem ad pœnam. Resp. negando assumptum, nam Baius dicebat, peccatum contrahere tantùm reatum pœnæ absque privatione gratiæ, quod nos firmiter negamus; dicimus enim per peccatum mortale privari actum sua rectitudine, & consequenter gratia Dei, & simul contrahere prius rationem, seu deformitatem, & maculam, scilicet reatum pœnæ passivum cum ordinatione ad pœnam æternam, & omnia ista per pœnitentiam removeri, permutarique pœnam æternam in temporalem, de qua materia latè tractat Gavatius *d. 1. c. 4. 5. 6.* Meldula *d. 6. n. 3 37. seq.* & Salas, Atiagha, Ovied. sustinentes hanc nostram sententiam.

Objic. 3. In inferno damnati producunt novus, & novos actus malos, & peccaminosos, & tamen non contrahitur nova obligatio ad pœnam, cum sit in eis determinata, nec ultra possunt demereri; ergo non consistit formalitas peccati habitualis in tali debito. Resp disting. antecedens, vel majorem, committunt nova, & nova peccata absque nova obligatione ad pœnam, si intelligitur de obligatione ad pœnam æternam ex decreto Dei, conc. quia hæc exigit etiam statum demerendi. qui abest à damnatis; si intelligitur de debito ad pœnam actam annexam inseparabiliter ipsi actui nego antecedens; sic enim & multiplicant peccata, & debita annexa, licèt pœna à Deo statuta etiam esset eadem, quia ad eamdem rem potest esse multiplex jus. Addit Seraph. Doct. *l. 2. d. 7. p. 1. a. 1 quæst 3. ad 1.* quod in damnatis motus inordinatus voluntatis conversus est eis in pœnam, & imputatur in supplicium, non in demeritum, unde in æternum semper peccando afflictionem, & tormentum perpetuum subibunt.

Objic 4. Concilium Tridentinum distinguere duplex malum in peccato, scilicet culpæ, & pœnæ æternæ, & utrumque remitti in Sacramento Pœnitentiæ, & Baptismi, solumque post pœnitentiam remanere posse reatum pœnæ temporalis; sed ex nostra sententia sequitur confusio utriusque mali, nec explicatur remissio utriusque asserendo, peccatum esse obligationem passivam ad pœnam æternam propter peccatum commissum: ergo est contra Concilium. Resp. ex traditis negando minorem, nam ordinatio ad pœnam æternam propter peccatum commissum supponit reatum culpæ præteritæ, qui dicit ordinem ad peccatum commissum, & ad malum pœnæ, unde in damnatis reatus pœnæ durat, quia durat reatus culpæ, & inimicitia Dei.

Dices: ergo si post confessionem remanet reatus pœnæ, remanebit etiam reatus culpæ, cum sint connexi. Resp. post pœnitentiam reatum pœnæ, esse diversæ speciei à primo; est enim pœna satisfactoria non spectans ad quidditatem peccati.

Objic. 5. Si Deus non destinaret peccatorem ad pœnam, adhuc tamen esset peccator, & Dei inimicus, objectumque odii Dei; & si nulla esset lex prohibens peccatum & statuens pœnam, adhuc daretur peccatum actuale, & habituale, ergo habitualitas peccati non consistit in obligatione ad pœnam. Resp. 1. nos discrepare à Scoto, quia ponimus habitualitatem peccati in ratione positiva, & privativa, scilicet in deformitate, & macula contracta ex actu peccaminoso, quæ obligatio, seu reatus est passivus ipsius actus, ab ipsoque inseparabilis; unde ut ait Seraph. Doct. *l. 2. d. 5. a. 2. quæst. 1. ad 2. de Lucifero, l. 2. d. 36. a. 1. quæst. 1. & a. 2. quæst. 1. & ult. & d. 46. quæst. ult. ad 1. & in Ps. 118. cap. 1. & in Ioan. cap. 9.* homo peccando se punit, scilicet incidit in pœnam actam, & deformantem, ad quam sequitur obligatio ad pœnam æternam. Et ad id de lege Dei resp. omne peccatum esse contra legem Dei, ut satis in superioribus dictum est.

Et

482 Ex quibus sequitur, quòd ratio formalis peccati habitualis formaliter non consistit in negatione condonationis, & satisfactionis, licèt aliquando explicetur per istam negationem tamquam à posteriori, sed in privatione, & positione habituali modi, speciei, & ordinis, quæ à Seraph. Doct. appellatur deformitas, & in macula, seu reatu pœnæ actæ, quæ ab aliquibus dicitur habitualis aversio à Deo, vel elongatio ab illo per dissimilitudinem, ad quam ex ordinatione divina sequitur destinatio ad pœnam æternam; quare propriè non potest dici Deus causa proxima, & immediata culpæ habitualis, sed ipse peccator, unde corruit quòd objicit contra hanc sententiam nostram Caspensis *dist.6. §. 2.* carpentis nihil dicere intelligibile, eo quod videtur culpa habitualis recognosci in pura privatione, vel negatione, quod falsum est, ut diximus; consistit enim in privatione, & posito one modo supra explicato; sequitur secundò quòd proportionaliter idem dicendum est de peccato veniali habituali, cui respondet pœna temporalis, & ipsius data remissione, adhuc remanet pœna satisfactoria assumenda à peccatore.

483 Quæres 1. *Quid sit reatus proprius pœnæ à Deo determinatæ ad vindictam peccati, & quotuplex sit, & quomodo differat à reatu peccati habitualis suprà dicto.* Resp. primò ex Seraph. Doct. *lib.1. dist.40. art.4. q.1. ad 3. alibique sæpè*, quòd pœna peccati triplex est; alia est contracta: alia acta, alia inflicta; prima est, quæ ex originali contrahitur, ut est fomes, & concupiscentia ad malum inclinans. 2. est quam in se facit peccator, diciturque reatus culpæ habitualis, de quo supra actum est. 3. inflicta est à Deo ordinata ad punitionem culpæ, diciturque propriè reatus pœnæ, proveniteque ex ordinatione divinæ Justitiæ vindicativæ; unde patet, quale discrimen sit inter istas pœnas; nam prima & secunda est ante omnem ordinationem divinæ voluntatis, & inseparabilis ab ipso peccato, tertia est ex ordinatione divinæ voluntatis ad vindicandam culpam, & sui offensam, oempe pro culpa originali sola pœna damni, & pro mortali pœna damni, & sensus, & pro veniali pœna temporalis. *Vide S.Bon.l.2.dist. 36.per tot.* ubi fusè agit de istis pœnis.

Q. 2. *An reatus pœnæ omnium peccatorum mortalium sit æqualis.* Resp. Seraph. Doct. quòd quoad pœnam damni, quæ est in carentia visionis Dei, est in omnibus damnatis æqualis, quia carentia in omnibus damnatis est æqualis capacitas obedientialis, ergo & carentia beatitudinis totalis est æqualis in omnibus: Quoad pœnam sensus verò datur inæqualitas secundùm inæqualitatem peccatorum.

Q. 3. *An peccato veniali debeatur pœna æterna.* Resp. Seraph. Doct. *lib.2. d.42. art. 2. q.2.* quòd peccato veniali de se debetur pœna temporalis, per accidens verò in damnatis pœna æterna, eo quòd peccatum veniale non potest deleri absque gratia, & quandiu durat culpa, debet durare pœna; ideo ratione durationis æternæ culpæ, durat & pœna. Addimus, quòd si ante egressum animæ deleta fuerit culpa, remanente pœna satisfactoria luenda, si quis damnatur cum hoc reatu pœnæ, ista pœna tandem finitur sic Divus Thomas, Bonav. Scotus. De aliis effectibus peccati vide S. Bon. *in Comp. Theol. lib.3. cap.7. Centil. p.2. §. 2. in op. de tribus ternariis peccat. & op. Dieta cit. 1. cap.1. & seq.*

DISPVTATIO XIX.

De Peccato Originali.

484 HOc discrimen est inter peccatum actuale, & originale, quòd actuale contrahitur voluntate propria, & personali: originale verò voluntate aliena, scilicet Adæ: de primo hucusque locuti sumus, nunc differendum est de peccato originali: de quo videbimus: An, & quid sit: quæ ipsius causa: ad quos transfundatur: & de ipsius effectibus in hac, & alia vita: qua occasione etiam agetur de immunitate B. Virginis à peccato originali.

QUÆSTIO I.

An detur peccatum originale transfusum ab Adam in posteros?

PElagius, & sequaces negarunt dari peccatum originale in posteris Adæ: solumque parvulos dari baptismum, non ad delendum istud peccatum, sed ut ingredi possint in Cælum: cum baptismus institutus fuerit solùm ad hunc finem; quem errorem postea secuti sunt plures hæretici, ut Armeni, Albanenses, & Anabaptistæ, Zuinglius, Faber, Erasmus, aliique apud Bellarmin. *lib.4. de statu peccati cap.2. & seq.* contra quem errorem fusè scripsit D. Augost. & post ipsum Seraph. Doct. *lib.2. dist.30. quæst.2.* cum cæteris Theologis Catholicis. Hinc.

Conclusio 1. Datur revera aliquod peccatum propriè dictum, quod contrahimus in conceptione, & in quo nascimur filii iræ. Concl. est unum ex præcipuis nostræ fidei fundamentis, & prob. præcipuè à Seraph. Doct. *lib.1. dist.30.q.2.* nempè quòd merito primæ transgressionis, humana natura fuit corrupta, non pœnaliter tantùm, sed etiam culpabiliter, tùm ex ad Rom. *cap.5.* ubi dicitur: *Sicut per unum hominem peccatum intravit in mundum, & per peccatum mors, & in omnes homines mors*

pertransiit, in quo omnes peccaverunt : ergo patet, quòd omnes in Adam fuerunt infecti, & peccatores constituti : nec valet responsio Pelagianorum, peccatum pertransiisse per imitationem, scilicet pœnaliter, non culpabiliter : Non valet inquam, quia subdit Apostolus *Ephes.2. Eramus natura filii iræ, sicut & cæteri* : Ergo si filii iræ, id erat per culpam : Probatur etiam ex Joan. *cap.3.* ubi dicitur : *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto non potest introire in regnum cælorum* ; ergo omnes non baptizati tam parvuli, quam adulti, si excluduntur à regno Dei, id non potest esse nisi ob peccatum contractum, sed non per peccatum, quod commiserunt, cum huic sententiæ subjaceant etiam ante usum rationis, ut patet in parvulis incircumcisis ex Gen.17. ergo erit per culpam per naturalem generationem contractam : Patet Gaud. *d.4. q.1.* affert alia plurima loca sacræ Scripturæ cum expositionibus Seraph. Doct. idem probantia, quæ possunt ibidem videri.

Prob. ratione 1. si tota natura esset in una persona, corrupta illa persona quantùm ad esse, necesse esset totam naturam corrumpi quantùm ad esse, ergo pari ratione si corrumpetur quantùm ad bene esse, corrumpetur & tota natura quantùm ad bene esse : sicut enim sequitur : Si Adam moritur, ergo homo moritur ; sic sequitur : Si Adam peccat, homo peccat : sed tota natura erat in Adam, quando peccavit, ergo in eo peccaverat tota natura, & per hoc tota in omnibus, & singulis culpabiliter infecta fuit.

Confirmatur : quia Adam à divino pacto constitutus fuit princeps, ac caput hominum, ita ut innocentiam sibi, & posteris retineret, & amitteret : hoc enim poterat Deus facere in distributione suorum donorum, & maximè suo absoluto dominio : quo pacto supposito, ab omnibus Theologis rectè infertur infectio totius naturæ humanæ : unde venenato fonte, & rivuli ab eo procedentes venenati remanent. *Vide S. Bon. cit. q.2. maximè in corpore.*

Concl. 2. Hoc peccatum derivatur in nos per seminalem generationem ex peccato Adæ : & dicitur originale : patet ex pluribus locis S. Script. maximéque supracitatis.

Objic. 1. ex Ezech. *cap.18. Filius non portabit iniquitatem Patris* ; ergo : Respondet Seraph. Doct. cum communi illum textum loqui de posteris Adæ, qui peccant ut singulares personæ, non de Adam, qui peccavit ut stipes, & caput naturæ humanæ.

Objic. 2. Si peccatum originale per generationem traheretur à parentibus, jam nuptiæ, è quibus malum illud oritur, essent malæ, quia sunt causa peccati, quòd est falsum : nuptiæ enim sunt bonæ, & in testamento veteri, & in novo laudatæ : ergo. Resp. Seraph. Doct. neg. sequelam majoris : ex nuptiis enim (quæ etiam fuissent in statu innocentiæ) sequitur ista corruptio non per se, sed per accidens, ex depravatione naturæ in primo parente, ad quem reducitur talis corruptio peccaminosa, non ad ipsos generantes.

Et si instas, quomodocumque sequatur malum, est omittendum : Respondet Seraph. Doct. verum esse, quando malum præponderat bono : nunc autem non est sic, quia in generantibus non est culpa, sed in genito ; sic autem melius est sic esse, quàm non esse ; maximè quia paratum est remedium baptismi, regenerans ad salutem.

Objic. 3. Natura hominis est incorruptibilis persona corruptibilis, ergo ista est illa inferior, illa nobilior, & independens ; ergo corrupta persona Adæ, non potuit corrumpi natura. Respondet S. Bon. negando naturam humanam esse independentem à persona, & individuo Adæ, tamquam à stipite, & capite tùm quoad existentiam physicam, tùm quoad moralem ex pacto divino. Et tali distinctione solvuntur ferè omnia objecta ; aliud enim est Adam ut caput ; aliud ut singularis persona.

Concl. 3. Hoc peccatum rectè appellatur originis, vel originale : non quòd sit origo omnium peccatorum, loquendo propriè, sed tantùm impropriè, & largo modo, & quia inest homini ab origine sua : dicitur etiam lex carnis, quia contrahitur mediante carne : dicitur concupiscibilitas, concupiscentia, lex membrorum, languor animæ, Tyrannus ob diversos respectus, & effectus, de quibus agetur infra : *Sic S. Bon. l.2. d.30. dub.1.*

QUÆSTIO II.

Quid sit peccatum originale.

QUæstio hæc valdè involuta, & difficilis redditur ob varios errores hæreticorum, & varia placita Theologorum, quæ hic à nobis subjiciuntur, ut veritas catholica, & sententia Seraph. Doct. pateat. 485

Et 1. opinio, hæresisque fuit Matthiæ, Illirici, aliorumque ejusdem farinæ, qui ausi sunt asserere peccatum originale nihil aliud esse præter ipsam substantiam animæ, quatenus à Diabolo ex imagine Dei ab ipso transformata est in propriam, & essentialem : contra quam scripserunt multi SS. Patres, & doctores veluti ridiculam : anima enim est à Deo, nec potest aliqua creatura transformari in aliam substantiam, & maximè anima, cum sit incorruptibilis, & immutabilis : tum quia etiam Christus habuit eandem substantiam animæ, sicut nos. Objectiones istorum impiorum habebis solutas à Becano, & Bellarm.

2. Hæresis fuit Origenis, asserentis peccatum originale esse maculam contractam ab anima ante ipsius infusionem in corpore : contra quem errorem scripserunt SS. Patres, cum Seraph. Doct. *l. 2. d. 31. a.2. q.2.* ejusque falsitas probatur ex communi consensu Theologorum, quod anima in eodem instanti, quo creatur, simul etiam in corpore infunditur.

3. Heresis est Lutheri, Calvini, & Sectariorum hujus temporis, peccatum originale esse ipsam concupiscentiam, pro ut dicit fomitem, & inclinationem ad malum, existentem in appetitu sensitivo : ejus falsitas patet, quia talis inclinatio etiam remanet post baptismum : in quo autem sensu appellatur concupiscentia infra dicetur.

Inter Catholicos Theologos etiam circumferuntur variæ sententiæ : nam aliqui dixerunt, nil aliud esse peccatum originale præter culpam Adæ, qua posteri rei constituti sunt ; unde unicum esse in omnibus hominibus volunt : alii esse reatum ad pænam æternam : alii esse morbidam qualitatem animæ, contractam ex corruptione carnalis appetitus : alii esse conversionem ad malum, & aversionem à Deo, ut fine nostro : alii privationem subjectionis, & conjunctionis cum Deo in qua nasceremur, si Adam non peccasset : qui modi possunt trahi ad catholicum sensum ; licèt non explicent directè naturam peccati originalis : ut videre

dere

dere est apud Becanum, Bellarm. Vasq. Gaudentium.

Communissima, & vera sententia est D. Bonav. D. Th. Scoti, a torumque consistere in privatione justitiæ originalis: discrepant tamen inter se, quod D. Thomas cum sua schola sustinet consistere in privatione justitiæ originalis, scil. gratiæ habitualis. D. Bonav. & Scot. dicunt consistere non in privatione gratiæ habitualis præcisè, sed inchoativè in privatione doni originalis, consistentis in subjectione partis inferioris superiori, & Deo, & ex consequenti, & completivè in gratiæ habitualis privatione. Pro solutione.

Not. 1. ex S. Bonav. *l. 2. d. 42. a. 3. q. 1 ad 5. & d. 30. a. 2. q. 1.* quod, ut supra traditum est, sicut peccatum actuale duo importat, nempè pro materiali conversionem ad creaturam, pro formali aversionem à Deo, ob idque privationem debitæ rectitudinis actus; sic & proportionaliter dicendum de peccato originali, nempè pro materiali dicere positionem, scilicèt concupiscentiam habitualem, pronitatemque ad malum, & pro formali privationem justitiæ originalis: & si quæres quid sit justitia
486 originalis.

Not. 2. ex Seraph. Doct. *l. 2. d. 5. a. 3. q. 1. corp. & d. 33. a. . q. 2. in fund. & a. 1. de tribus ternar. c. 3. & Brevil. p. 3. c. 5* quod, justitia originalis in primo homine fuit donum consistens in hoc, quod quamdiu anima fuit Deo subjecta, etiam ipsi animæ subjiciebantur omnes vires corporis, & ipsum corpus, ita quòd nullus motus poterat esse in corpore sine imperio rationis. Unde in elementis componentibus corpus non fuisset aliqua pugna, nec in hominibus aliqua dissonantia, seu impedimentum in propriis operationibus, non subdentibus se virtuti regitivæ corporis, si anima Deo perfectè subjecta fuisset. In viribus etiam corporis, & animæ non fuisset motus contra imperium rationis: concupiscentia enim non tetendisset æffrænatè in delectabilia præter regulas rationis, potentias animæ, & corporis vires regulantes quantùm ad objecta, & actus earum. Hinc est, quòd statim amoto primo ordine etiam secundus ordo est rationabiliter mutatus, quàm citò enim anima Deo inobediens fuit, & corpus animæ! sicque sicut ante ordinatè ferebatur desiderium in delectabile, animus in aggressibile, intellectus in intelligibile, & voluntas in appetibile, sic post recessum à Deo, desiderium remansit vulneratum concupiscentia, animus discrasia, intellectus ignorantia, & voluntas malitia. Igitur peccatum originale est formaliter privatio hujus justitiæ originalis, ad quam secuta est privatio justitiæ, seu gratiæ habitualis:
487 Usque magis hoc pateat.

Not. 3. ex eodem Seraph. Doct. *lib. 2. dist. 32. quæst. 1. & d. 31. q. 2.* quòd peccatum originale est vitium, & simul culpa mortalis: prout est vitium, deordinat totum hominem, præcipuéque animam, fomentum recipiens à carne infecta eo modo quo in præcedenti fundamento dictum est. Prout culpa est, dicit privationem ordinis debiti à Deo, ad quod fuerat obligata à Deo tota natura in Adam: & quia est culpa mortalis, hinc superaddit, & privationem justitiæ, & gratiæ, & sanctitatis: primum dicit reatum pœnæ; secundum dicit reatum culpæ: undè per baptismum tollitur hoc secundum per collationem gratiæ sanctificantis, per quam recompensatur justitia originalis innocentiæ: primum autem non omninò tollitur, sed minuitur per potestatem, quæ datur spiritui regendi, & vincendi carnem. His positis.

Unica concl. Peccatum originale formaliter consistit primariò in privatione justitiæ originalis debitæ naturæ humanæ ex sua prima institutione: & secundariò in carentia gratiæ habitualis tanquam integrante tale peccatum. Est S. Bon. cit. Scoti, & communis: & contra cæteras sententias supra relatas: Ut autem intelligatur sensus germanus conclusionis: notandum, quòd in conclusione non sumitur privatio justitiæ originalis actualis, scilicet sumpta pro actibus honestis, & supernaturalibus, mentem Deo subjicientibus, & appetitum rationi, sicuti docent plures recentiores apud Meldul. *num. 110. dist 4.* qui in hoc differentiam inter nostros actus honestos, & illos status innocentiæ assignant, quòd conformitas, & directio talium actuum in statu innocentiæ erat conjuncta cum justitia sanctificante, & singulari protectione externa Dei hominem ab omni malo defendentis, quòd in nobis non evenit: Nec item sumitur pro sola privatione gratiæ gratum facientis habitualis, sicuti docent Thomistæ, qui sustinent justitiam originalem formaliter consistere in gratia habituali sanctificante, quatenus non solùm sanctificabat animam à sua origine, sed etiam carnem subjiciebat spiritui; sed sumitur justitia originalis supradicta integrata, & completa à gratia sanctificante; undè in statu innocentiæ homo imbutus erat habitu supernaturali, ordinante ipsum in Deum, non solùm tamquam in finem naturalem, sed etiam ad receptionem gratiæ sanctificantis, sicuti dictum est suo loco. Hinc.

Probatur 1. peccatum originale non consistere in privatione justitiæ originalis sumptæ pro actibus honestis contra recentiores: quia talis carentia etiam post baptismum est in infantibus: tùm quia exigit peccatum originale aliquod habituale residens in anima, ergo exigit carentiam habitualis formæ, quæ debuit esse in Adamo, ejusque posteris statim post conceptionem. Prob. 2. contra ad modum sentiendi Thomistarum, quia posset in aliquo reperiri macula culpæ originalis absque carentia alicujus habitus supernaturalis, quicumque ille sit sive distinctus à dono supernaturali subdente carnem spiritui, sive identificatus cum eo: potuisset enim condere primum hominem in puris naturalibus absque ullo habitu supernaturali gratiæ, & charitatis, vel justitiæ originalis, simulque ipsum, & posteros destinare ad æternam beatitudinem per observantiam præceptorum ipsis collatorum, & è contra, ad damnationem in casu inobservantiæ. Prob. 3. directè conclusio: quia per peccatum originale homo fit inimicus, à Deo aversus, odiosus ipsi, filiusque iræ; sed solùm per utramque privationem, scilicet justitiæ originalis, & gratiæ habitualis, in ista homo incidit, ergo. Probatur antecedens, quia, si parvulo Deus infunderet justitiam originalem absque gratia habituali, non deleretur peccatum originale, & si Adæ dedisset gratiam habitualem, non per hanc præcisè habuisset justitiam originalem, quæ sola pugnat cum peccato veniali, cum mortalitate, & pœnalitatibus; ergo ex utriusque privatione integratur. Et in hoc conveniunt D. Bon. D. Thom. Scot. & ferè omnes SS Patres: & discrepantia inter ipsos est potius de nomine, ut advertit etiam Meldula: Hinc est quòd per privationem justitiæ originalis fit homo virtualiter filius iræ: per privationem gratiæ habitualis fit formaliter.

Confirmatur à D. Anselmo apud Seraph. Doct. *dist. 31. art. 2. q. 1. corp.* & Scotum exemplo de navi fracto gubernaculo, & de æquo fracto fræno, qui

qui dimittitur sibi, & ex hoc facit motum inordinatum, quem cohibet frænum; sic enim voluntas amissa justitia originali, quæ erat frænum ipsius, facit actus inordinatos, & sequitur appetitum sensitivum inordinatè, & contra rationem debitam: sicque patet per justitiam originalem non intelligi justitiam actualem, quæ est rectitudo debita actui secundo, sed justitiam, & rectitudinem habitualem, ad actum primum spectantem, sicuti temo navis, & frænum æqui non pertinent ad eorum directionem in actu secundo, sed tantùm in actu primo, sunt enim instrumenta ordinata ad directionem navis, & æqui: nec minus intelligi de habitu gratiæ sanctificantis præcisè, quia non cohibet rebellionem potentiarum inferiorum ad rationem, ut de se patet. Addit ex traditis Seraph D. *lib.* 2. *dist.* 30. *art.* 1. *q.* 1. *& d.* 32. *art.* 1. *q.* 1. *corp.* quòd hinc patet similitudo peccati originalis cum actuali: sicut enim peccati actualis ratio formalis consistit in privatione rectitudinis debitæ actui ex aversione à Deo, & conversione ad creaturam: sic in originali peccato adest aversio à Deo, nempè carentia debitæ justitiæ originalis, & conversio ad creaturam, nempè concupiscentia habitualis, scilicet curvitas, & necessitas concupiscendi, seu immoderatus, & inordinatus appetitus, qui se habet veluti materiale ad ipsam carentiam, veluti ad formale.

488 Objic. 1. Homo in puris naturalibus positus haberet carentiam justitiæ originalis, & tamen non haberet peccatum originale; ergo hoc non consistit in tali privatione. Patet consequentia, quia tali homini posito in statu puræ naturæ non debetur de se talis justitia: ergo ipsa carens non contrahit per hoc præcisè peccatum: Et confirm. quia homini posito in tali statu non potest imputari ad peccatum id quod nunquam accepit, nec sua culpa ammisit; ergo. Respondetur in dato casu hominem futurum esse in pura negatione justitiæ, non in privatione; quia ei non deberetur; sed negatur consequentia, & paritas de homine ab Adam descendente, quia ei debetur talis justitia, quatenus ipsi in Adam voluntate antecedente data est ex pacto, ut dictum est. Undè peccatum originale est voluntarium in Adam voluntate antecedenti, in qua inclusi sunt posteri.

Objic. 2. Non minùs est carentia justitiæ originalis in homine post baptismum, quàm ante, & tamen baptismus delet peccatum originale; ergo peccatum originale non consistit in tali carentia. Confirmatur, quia enim recuperatio justitiæ originalis sit homini impossibilis; ergo ei non est debita. Urgetur ampliùs, quia post baptismum remanet non solùm carentia talis, sed etiam concupiscentia, quam dicimus esse veluti materialem ad ipsam carentiam: ergo falsa conclusio. Resp. ex Seraph. Doct. quod & Scotus ab ipso desumpsit *dist.* 32. *quæst.* 1. quòd cum in peccato originali duo adsint, scilicet carentia justitiæ originalis, & debitum ipsam habendi, simul cum concupiscentia veluti materiale, scilicet pronitas, & necessitas concupiscendi bonum commutabile ex merito Christi, per collationem gratiæ habitualis tollitur debitum, tamquam per quid æquivalens, imò & superemineus ipsam justitiam originalem; & quia talis concupiscentia habet etiam rationem pœnæ, hinc, prout connexa est cum culpa, tollitur, nempè necessitas concupiscendi per vigorationem gratiæ, & remanet debilitata talis necessitas: hinc est quòd per formam æquivalentem, imò excedentem secundùm usum moralem aufertur tale debitum, & carentia debitæ justitiæ originalis. Idque explicatur exemplo nummi aurei, & argentei: debens enim aliquis alteri nummum argenteum: si illud non habet, & solvit nummo aureo, satis superque solvit æquivalenter eodem suum debitum: sic in proposito per baptismum homo recipiens gratiam sanctificantem excedenter compensat suum debitum justitiæ originalis: nobilior enim, utilior, & Deo gratior est hæc gratia, quam illa justitia.

Instabis: privationes solùm tolluntur per habitus oppositos: ergo solùm talis carentia potest tolli per justitiam originalem: Nec valet, si dicas tolli per æquivalentiam; quia gratia sanctificans non affert illos effectus justitiæ originalis. Resp. S. Bon. quòd, licèt collatio gratiæ baptismalis sit speciei differentis à justitia originali, & non producat propriè effectus justitiæ originalis, attamen cum in altiori statu in ordine ad Deum collocet animam ultra solutionem debiti, hinc dicitur eminenter æquivalere ipsi.

Instabis iterum: privatio gratiæ habitualis spectat ad peccatum originale, ut suprà dictum est: ergo per ipsius positionem solùm recompensatur ejus privatio, non verò justitiæ originalis. Resp. Seraph. Doct. quòd, licèt gratia sanctificans non sit forma æquivalens justitiæ originali ex se, & ex natura sua, est tamen talis ex meritis Christi, & acceptatione divina, sic ordinante Deo, ut per ipsam tollatur debitum habendi justitiam originalem, & eamdem gratiam, & in hoc stat talis æquivalentia, non verò quoad cæteros effectus.

Objic. 3. Privatio in Adam justitiæ originalis fuit pœna à Deo inflicta; ergo etiam in nobis: ergo non est culpa; patet consequentia, quia non alio modo est in nobis, quam fuerit in Adam, ut in capite, à quo in nos est derivata, ut in membra. Resp. Seraph. Doct. *d.* 30. *art.* 2. *q.* 1. quòd eadem privatio secundùm diversas comparationes est culpa, & pœna: unde per baptismum deletur culpa, remanetque pœna.

Objic. 4. Post baptismum remanet concupiscentia cum aliis pœnalitatibus ortis ex carentia justitiæ originalis: ergo infusio gratiæ baptismalis non æquivalet justitiæ originali. Resp. Seraph. D. *lib.* 2. *d.* 30. *art.* 2. *q.* 1. *in corp. & ad* 3. *& l.* 4. *d.* 4. *q.* 1. quòd in sacra Script. aliquando peccatum originale appellatur concupiscentia, sicque sumitur non pro appetitu sensitivo, ut contrario superiori rationi, sed sumitur illa pronitas materialis cum debito habendi justitiam originalem: per baptismum autem tollitur ratio culpæ, & remanet ratio pœnæ, sed diminuta, & facilis vinci per gratiæ adjumentum. Cum igitur baptismus deleat pœnam æternam, atque assumptam, seu satisfactoriam, non tamen delet quamcumque contractam, ut sunt fames, sitis, mors, &c. idque optimo ordine disposuit Deus, tum ad manifestandam æquitatem sententiæ divinæ de morte Adæ, & posterorum; tum ad ostendendum fructum passionis Christi, ut nosceremus indigentiam ipsius regenerationis; tum quia ad hoc ordinata est ipsius passio, ut pœnas remitteret personales, non naturales; quia remedium respicit personam, non naturam; tum ad amplificandum meritum liberi arbitrii. *Vide l.* 4. *dist.* 4. *cit.*

QUÆSTIO

QUÆSTIO III.

De causis peccati originalis.

489 Primò certum est, peccatum originale nullam causam habere finalem, cum non per se, sed per accidens sit voluntarium, & intendatur: item nec causam formalem positivam, cum consistat in privatione, ut dictum est; item nec propriam efficientem; provenit enim à peccato Adæ, quod est nihil, & defectus. Certum tamen est habere causam moralem, nempè ipsum peccatum Adæ, ut capitis, ex quo derivat corruptio culpabilis in omnes posteros: Difficultas igitur est de subjecto proprio peccati originalis, quodnam sit, an sit caro, an anima, & an primò insit in voluntate, & per quas vias, seu, ut loquitur D. August. per quas rimulas ad nos descendat, an media carne, vel semine, vel alia re: circa quam difficultatem.

1. Opinio est Durandi asserentis peccatum originale residere in appetitu sensitivo, ex eo quòd provenit ex carne infecta. 2. Opinio communissima D. Bon. D. Thomæ, Scoti, aliorumque est residere, ut in subjecto, in anima: Discrepant tamen in hoc, quòd D. Thom. & sequaces volunt primò residere in anima, secundariò in potentiis, maximè in voluntate. D. Bon. & Scot. volunt residere primò in voluntate, secundariò in anima: *Sic lib. 2. dist. 31. art. 1. q. 1. & dist. 32. art. 2. q 1.* Pro solutione quæstionis.

490 Not. 1. ex Seraph. Doct. *lib. 2. d 33. art. 2. q. 2. corp. & d. 32 art. 1. q. 1.* quòd ad originale peccatum tria concurrunt; primum est debitæ justitiæ carentia. 2. est concupiscentia. 3. est fœditas carnis; primum est essentiale peccato originali. 2. est materiale. 3. causale. Primum, cum sit quid spirituale (justitia enim residet in voluntate) & privatio justitiæ, ideò etiam in voluntate residere debet. 2 est concupiscentia, quæ inest in appetitu rationali, & etiam in sensibili, ideò residet in toto conjuncto, sicque est in anima formaliter, & causaliter, formaliter ratione animæ, causaliter ratione carnis, vel sensualitatis; & hoc est 3. quòd spectat ad peccatum originale; quia caro infecta juncta animæ ex sua infectione reddit eam concupiscentem; sicque respicit totum conjunctum pro subjecto concupiscentiæ.

Not. 2. ex eodem S. Bon. *lib. 2. d 31. art. 1. q. 2. & d. 26. art. 1 q. 5.* quòd cum carentia justitiæ originalis dicat deordinationem animæ, hinc & ipsa inest, ubi est deordinatio: hæc autem est in anima ratione potentiarum; potentiæ enim distinguuntur per ordinem ad opera conversa ad bonum, vel malum: & cum justitia sit rectitudo voluntatis, ideò primò est in voluntate; sic & deordinatio, & concupiscentia est actus non substantiæ animæ, sed primò voluntatis, secundariò animæ.

Not. 3. ex eodem Seraph. Doct. ibid. quòd peccatum originale potest sumi prout est culpa, & prout est vitium (de quo etiam suprà actum est) prout est culpa reddit animam Deo odiosam, & exosam; prout est vitium deordinat potentiam: primo modo inest animæ secundùm liberum arbitrium, & voluntatem, ob quam solam anima culpatur, vel laudatur ratione sui actus, vel ortus: secundo modo, quatenus deordinat potentiam, fomentum accipit à carne, & ratione partis sensitivæ: oppositò enim modo contrahitur in nobis corruptio, seu vitium originale; quàm fuit in Adam; ibi enim persona corrupit, & infecit naturam, & ratio partem sensibilem, & voluntas carnem; sed è converso id in nobis evenit, nam originalis corruptio ascendit ad partem rationalem, mediante portione sensibili, secundùm quòd est vitiositas; licèt secundùm quod est culpa habeat esse in sola parte rationali, in qua est libertas arbitrii. *Vide ibid. d. 31. loc. cit.* His not.

Concl. 1. Peccatum originale prout est culpa, seu aversio formaliter primò inest in voluntate, secundariò verò in anima, ut in subjecto integro. Est S. Bon. *dist. 31. q. 2.* Prob. quia privatio, & habitus oppositus privationi peccati originalis est justitia; ergo in eodem subjecto sunt; sed voluntas est primarium subjectum justitiæ; ergo & ipsius privatio: tùm quia in tantùm peccatum est tale, in quantùm est voluntarium vel in se, vel in causa; ergo primò inest in voluntate. Cum autem peccatum originale sit carentia justitiæ, quæ est voluntaria, & à voluntate; ideò prout est à voluntate est culpa, ut est in voluntate passivè est vitium, & pœna deordinans totum regnum animæ; & hæc dicitur culpa habitualis per comparationem ad actum peccaminosum contra præceptum, quod Adam habuit specialiter de servanda justitia originali pro se, & posteris.

Objic. primò: Nasci filium Adæ est idem ac nasci filium iræ; sed homo nascitur filius Adæ ratione animæ unitæ carni, non ratione potentiarum; ergo peccatum inest in homine ratione animæ formaliter, non ratione potentiarum. Resp. neg. majorem: priùs enim est filius Adæ, & hic homo, quàm intelligatur infectus: ut sic enim præscindit à peccato, & gratia, ut patet in Beata Virgine: undè in eodem instanti temporis potest contrahere peccatum, & non contrahere: Minor etiam est falsa; nam homo nascitur filius Adæ ratione carnis, & unionis ejus cum anima, ob idque ratione totius compositi. 491

Sed instabis: Si homo nascitur filius Adæ ex unione animæ ad corpus, ergo prius infectio tangit animam, quàm voluntatem: prob. consequentia, quia prius per naturam unitur substantia animæ ipsi corpori, quàm potentiis, priusque est vivere, quàm moveri: tùm quia peccatum originale est unum commune inficiens omnes potentias, ergo si inficit, id est ratione alicujus communis potentiis, sed hoc est substantia, ergo. Resp. S. Bon. *dist. 31. q. 2. ad 3. & 3.* quòd omnino non est tota causa infectionis, sed requiritur ibi possibilitas ad deordinationem peccati, quæ primò inest in voluntate, & libero arbitrio; & per hoc patet responsio ad sequens; nam peccatum originale dicitur unum commune ex eo, quòd primò inficiens potentias, inficit ex consequenti animam, quatenus ad ipsam identificantur, & continuantur: Et hinc est quòd ait Seraph. Doct. *d. 33. art. 2. q. 2. ad 5.* quòd originale peccatum est unum in quolibet homine numero, unum, inquam, existens primò in voluntate, & potentiis, & per continuationem, & identificationem in substantia animæ: & prout est vitium, est in toto composito.

Concl. 2. Peccatum originale materialiter consideratum, proutque dicitur vitium, seu vitiositas, seu deordinatio, seu concupiscentia inest animæ ratione unionis ad carnem infectam, obidque ex consequenti dicitur esse in toto composito. Est S. Bon. *locis cit. & dist. 31. art. 2. q. 1.* quòd & S. August. pluries docet apud S. Bon. cit. & Prob. quia concupiscentia est actus animæ, sed ratione totius 492

conjuncti, & maximè partis animalis, & sensualitatis: ergo inest concupiscentia habitualis in anima ratione carnis infectæ: Patet conseq. quia, ut arguit Seraph. Doct. anima recedente à carne non plus concupiscit caro, quàm lapis; ergo inest animæ talis concupiscentia, prout est carni unita: *Vide S. Bon. d.30. art.2. q.1. & ibid. art.1. q.2.*

Objic. ex Apostolo *Rom. cap.7. Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ*, explicat Glossa, video aliam legem, idest fomitem peccati, qui repugnat in membris meis, ut in oculo ad concupiscendum, in manu ad operandum; ergo est in carne, &c. Idemquè videtur asserere Ugo de S. Vict. Resp. S. Bon. hîc sumi membra, & carnem non pro parte constitutiva hominis, sed pro toto homine exteriori, prout comprehendit carnem cum potentia, & appetitu sensitivo: qua distinctione solvuntur omnia objecta.

QUÆSTIO IV.

Quomodo transfundatur peccatum originale in posteros Adæ.

493 QUæstionis hujus solutio explicat perfectè naturam, & causas peccati originalis: continetque plures difficultates valdè graves: cum enim dictum fuerit, peccatum originale inchoare infectionem suam à carne; dubium est primò, quando anima possit infici à carne, quod solvit Seraph. Doct. *l.2. d.31. art.2.* secundò: an peccatum originale contrahatur ex carne in anima per aliquem appetitum, & voluntatem animæ, scilicet, vel naturalem, vel deliberativum: tertiò an contrahatur ex propagatione tantùm; an ex propagatione, & libidine simul: quartò quomodo Deus infundens animam in carne infecta, non sibi imputetur tale peccatum. Pro solutione harum difficultatum.

Sup. 1. tamquam certum de fide, Adam potuisse totam naturam humanam corrumpere, & culpabilem facere suo peccato, triplici conditione concurrente, ut notat S. Bon. *l.2. d.30. art.1. q.2.* Prima conditio est, quia Adam non erat solùm naturæ humanæ individuum, sed etiam ipsius naturæ humanæ principium: Secunda est, quia non tantùm fuit sibi datum mandatum, sicut singulari personæ, sed tamquam stipiti totius humanæ naturæ, & hoc benè indicat textus, quia mandatum illud expressè non fuit datum mulieri, sed ad ipsam per virum descendit. Tertia est, quia Adam, innocentiam, & immortalitatem pro se, & pro tota sua posteritate susceperat; undè ipse innocens, & immortalis generasset immortalem, & innocentem: sic etiam, ipso cadente, cecidit cum ipso tota posteritas & pœnaliter, & culpabiliter; & hoc tùm propter debitum ordinationis mentis in Deum, quæ debet esse in nobis; tùm propter carentiam illius innocentiæ, quam deberemus habere; tùm propter prædominantiam concupiscentiæ, per quam animæ nostræ sunt inordinatæ, & injustæ, ob idque Deo exosæ.

494 Not.2. quòd, cum dictum sit, animam contrahere peccatum originale mediante carne, difficultas est, quomodo hoc possit intelligi: quæ quæstio agitatur à S. Bon. *dist.31. art.2. q.1.* qui affert tres sententias. 1. est asserentium animam infici à carne ex hoc, quòd unitur carni mortali, & passibili, & quia anima non potest ipsam carnem regere efficitur concupiscens, & infecta peccato originali: quam opinionem rejicit, tùm ex hoc, quòd Christi anima unita fuit carni mortali, & tamen non contraxit peccatum originale; tùm quia posset aliquod corpus à fomite purificari, remanente mortalitate, ut asseritur à pluribus, factum in Virgine Maria, tuncque non contraheret peccatum originale. 2. Sent. docet peccatum originale non derivare in animam ratione alicujus influentiæ provenientis ex carne; sed quia anima, dum unitur corpori infecto, impeditur, ne exerceat justitiam originalem, imò ipsam trahit ad concupiscentiam: quam sent. Seraph. Doct. rejicit ex hoc, quòd stante tali asserto, si anima extra corpus crearetur, esset innocens, etiamsi postea uniretur corpori, ergo talis unio non potest præcisè ut causa maculare animam. 3. sent. est Seraph. Doct. quòd peccatum originale contrahitur mediante carne, cum qua unitur; dum autem unitur carni passibili contrahit passibilitatem, & dum unitur carni infectæ vitiositate & concupiscentia ex eo quòd descendit ab Adam, hinc anima ex tali inordinatione, & fæditate trahitur deorsum avertendo se à Deo; & hinc oritur peccatum originale.

Dices: caro non potest agere, vel influere in animam, ergo ex conjunctione animæ ad carnem non potest transfundi privatio justitiæ originalis. Resp. S. Bon. quòd tripliciter aliquid dicitur agere in alterum. 1. per prædominantiam, sicut unum contrarium agit in aliud. 2. per influentiam, sicut corpus superius agit in inferiora. 3. modo per colligantiam, sicut quando duo sunt ita uniti, quòd unum trahit ad se alterum, & communicat alteri proprietates suas: primo, & secundo modo caro non potest aliquid in animam, sed solùm. 3. modo scilicet per colligantiam, quam caro habet ad animam, propter quam dum deorsum tendit, eam secum trahit: Nec dicas (ait Seraph. Doct.) talis infectio carnis est pœna pura, & justa; ergò non potest causare culpam. Hoc non valet, quia hæc non est pura pœna: talis enim corruptio, seu inordinatio vitiosa in Adam subsecuta est ex culpa: ex hoc enim quòd peccavit, caro ejus dissoluta est non solùm dissolutione ordinationis ad mortem, sed etiam faciens rebellionem, & faciens concupiscere quod non licet, & ideò quia talis vitiositas & à culpa est, & ad culpam, potest quodammodo causare peccatum in anima: & hoc non aliquid animæ impertiendo. (Nota benè sequentia,) sed potius rebellando, & Deo subtrahendo.

Et si quæras: *An ad contractionem peccati originalis in anima concurrat appetitus animæ ad carnem?* Resp. Seraph. Doct. *d.31. art.2. q.2.* concurrere appetitum naturalem, non deliberativum, quem habet anima ad corporis unionem, ità tamen, ut principalis ratio sit ex parte carnis, appetitus verò naturalis animæ ad corpus sit conditio sine qua non; naturalis enim colligantia animæ, & corporis non est nisi per appetitum animæ ad corpus; per quem anima adeò alligatur corpori, ut, nisi virtutem supernaturalem habeat, per quam carnem regat, necesse habet deorsum ferri cum carne, ac per hoc captivari in servitutem peccati: hinc fit, quòd peccatum originale est contractum, & nullo modo dici debet actum, vel actuale, vel voluntarium, sed tantùm originale, & naturale.

Not. 3. quòd, cum peccatum originale contrahatur per propagationem secundùm carnem ex Adam, quæritur, an sola propagatio sufficiat ad talem contractionem, & fæditatem; an verò requiratur

rarunt etiam libidinis fœditas; quam quæstionem resoluit Seraph. Doct. *d.* 31. *q. ult.* dicens, quòd libido dicitur tripliciter. 1. improba voluntas. 2. delectatio immoderata, quæ in actu generationis ut plurimum concurrit. 3. modo corruptio vitiosa existens in semine deciso, & proveniente ordinatè, & successivè ex substantia Adæ, & etiam in virtute generativa, præter actum generandi, secundùm quam ipsa vis generativa dicitur esse corrupta, & infecta; & hæc tertia in quacumque generatione secundùm legem naturæ concurrit, & per ipsam transmittitur ad prolem peccatum originale.

Concl. 1. Peccatum originale transfunditur in anima mediante carne transfusa ab Adam, à qua trahitur deorsum, & incurvatur per aversionem à Deo: Est S. Bon. *lib.* 2. *d.* 31. *art.* 2. *q.* 1. Prob. 1. quia ex hoc traducitur peccatum originale, quia proles nascitur ex traductione à primo parente per propagationem naturalem carnis: ergo mediante carne: Antecedens, & consequentia patet, quia Adam Deum offendit pro se, & pro sua posteritate; ergo descendens ab ipso naturaliter secundùm carnalem generationem remanet infectus: Tum quia dum anima unitur carni mortali, & passibili, & infectæ, necessitatem habet contrahendi & concupiscentiam carnalem, & mortalitatem, & passibilitatem: cum non habeat vim carnem regendi, & prædominandi, sicut fuisset in statu innocentiæ ex justitia originali: Tùm quia non dicitur filius nasci ex patre, nisi ratione carnis, quam ex eo trahit; ergo si anima efficitur peccatrix, hoc est à corruptione carnis: Tùm etiam quia nulla proprietas traducitur ab uno in alterum, nisi mediante aliqua substantia deferente utrique communi; sed nulla substantia est communis Patri, & Filio, nisi sola carnis substantia; ergo impossibile est peccatum patris in filium descendere, nisi mediante carne. Vide ibid. S. Bon. qui affert exempla patentia ad id probandum.

Objic. primò ex D. August. & Anselmo dicentibus, peccatum non esse in semine, &c. Resp. non esse in semine per existentiam actualem, & ut culpa, sed esse prout dicit vitiositatem, materialitatem, & rationem instrumentariam, & defferentem. Contra, ergo erit major corruptio in effectu, quam in causa: nam in carne est corruptio passiva, & vitiositas tantùm, in anima verò etiam prout culpa est: Consequens est falsum, ergo & anteced. Resp. S. Bon. conced. majorem: verificari enim potest, quòd major sit corruptio in effectu, quàm in causa primò, quando causa non est perfectè talis in ratione causalitatis, sed tantùm se habet ut instrumentum, & ut defferens, uti est caro: secundò potest id verificari, quando in effectu est major nobilitas, quàm in causa, quòd etiam evenit in proposito nostro. *Vide S. Bonav. ibid. & Not.* 2. *suprà traditum.*

496 Concl. 2. Peccatum originale contrahitur ab anima, mediante appetitu (non deliberativo) sed naturali existente in anima ad corpus, ut causa sine qua non. Est S. Bon *lib.* 2. *d.* 31. *art.* 2. *q.* 2. Patet ex traditis in 2. & 3. Notabili: tum quia per hoc differunt peccatum actuale, & originale, quòd ad actuale concurrit voluntas peccantis; non verò ad originale, quia totum innititur naturæ descendenti ab Adam: tum quia contractio peccati originalis est ratione unionis naturalis corporis, & animæ; sed ad ipsam fertur anima naturali appetitu; ergo ratione talis appetitus fit contractio: Hinc fit quòd contractio peccati originalis, licèt fiat formaliter in anima ratione voluntatis; materialiter tamen descendit ex unione animæ ad tale corpus infectum, quia descendens est ex propagatione naturali ab Adam, & quia tali carni conjungitur, ideò spectat ad genus Adæ, & fit indigna, ut Deus suam justitiam apponat; & cum illam debeat habere, & non habeat, culpabilis est, & rea, & per consequens efficitur concupiscens, sicuti manus paralytica è dissolutione regitivæ virtutis efficitur tremula: *Sic S. Doct. art.* 2. *q.* 1. *&* 2.

Dices cum Bellarm. sequitur ex positione tali, quòd caro habeat vim vitiandi animam, & inficiendi ipsam peccato, quòd est falsum. Resp. Seraph. Doct. neg. sequelam, sed solùm unionem esse conditionem sine qua non ad talem carnem: quare anima serviendo carni descendenti ab Adam contrahit peccatum originale, quia privata remanet debita justitia originali.

Dices 2. cum eodem Bellarm. Parvuli non sentiunt rebellionem trahentem deorsum, ergo ipsi non habebunt peccatum originale? Resp. S. Doct. parvulos non sentire actu, sed habitu.

Concl. 3. Caro non inficitur præcisè per propagationem ab Adam, sed per talem propagationem descendentem cùm fœditate, & libidine: Est S. Bon. *d.* 31. *q. ult.* & sequitur ex supra traditis. Prima pars patet, quia etiam in statu innocentiæ fuisset propagatio pura, & innocens. 2. pars etiam, quia ex hoc quòd fit propagatio carnis post peccatum Adæ & corruptionem consecutam, sequitur quòd hinc etiam transmittitur peccatum originale.

QVÆSTIO V.

Solvuntur aliqua dubia circa traductionem peccati originalis in posteros.

Quæritur 1. *Cur potius per vim generativam, quàm per alias potentias sensuales dicatur transfundi peccatum originale?* Resp. S. Doct. *l.* 2. *d.* 31. *a.* 1. *q.* 3. quòd licet per peccatum Adæ tota natura humana fuerit corrupta tùm pœnaliter, tùm culpabiliter, ut supra explanatum est ex eodem S. Doct. *d.* 30. *art.* 1. *q.* 1. tamen magis verificatur de potentia generativa, quàm de cæteris. Ratio est, ait Seraph. Doct. *dist.* 31. *cit.* quia cæteræ potentiæ magis deserviunt personæ, quàm naturæ, sed generativa deservit quidem personæ, sed principaliter naturæ; hinc est quòd vitium, seu corruptio originalis existens in natura ex corruptione personæ per prius respicit potentiam hanc generativam, quàm aliam; & quia hæc vis generativa deservit naturæ, in quantùm per ipsam fit transfusio seminalis in prolem, & quia in illo semine est radix infectionis, & corruptionis, utpote descendens ab Adam, hinc est quòd illa vis, quæ est illius seminis administrativa, plus habet in se de corruptione, & infectione generali, & cum tali potentiæ generativæ junctus in nobis sit sensus, & potentia sensitiva respiciat ipsum hominem in se, hinc non solùm deservit naturæ, sed etiam personæ: Et quoniam inter omnes sensus maximè materialis est tactus, sicque apprehendens cum majori adhærentia sensibilitatis ad sensibile, quæ maximè viget in membris genitalibus ratione multitudinis nervorum, hinc est quòd modica corruptio ratione magnitudinis sensus plus inficit illam potentiam, quam inficeret aliam, & propterea maximè viget in ea, & regnat pruritus, & concupiscentia. Post hanc vim postea secundum locum tenet nutritiva & gusta- 497

tiva, quæ maximè est materialis, ob idque & in hæc etiam conspicitur patens inordinatio. Vide S Bon. *l.2. d.35. a.1. q.3. & d.30. art.1. q.3. 4 & 5.* clarè explicantem hanc materiam, & discrimen talium actuum in statu innocentiæ, & naturæ lapsæ.

498 Q. 5. *Quomodo possit dici ex patre transfundi in filium substantiam infectam in Adam, cum per tot sæcula transacta, & per infinitas ferè generationes conservata fuerit, & traducta substantia corporea ex corpore Adæ in posteros?* Resp. quòd hæc difficultas locum non habet in traductione peccati originalis in ordine ad causam moralem, Adam enim non potest dici causa physica veré influens tale peccatum, cum jam transierit, nec sit existens dum posteri inficiuntur; fuit igitur solùm causa moralis per modum efficientis, sivè potius meriti, vel demeriti: posito enim peccato Adæ posita est radix, à qua applicata subjecto statim moraliter derivatur peccatum, eo quia, ut ait S.Doct. ex Apost. ipso peccante, omnes in illo censemur peccavisse. Difficultas est quomodo ex carne possit derivari infectio animæ in ordine ad transfusionem seminis ex Adam? S. Doct. *l.2 d.28. art.3. q.1.* affert varios modos diversorum Doctorum, sed concludit, quòd solutio hujus dubii pendet ex illa quæstione philosophica: an semen ex quo generatur proles sit solùm de superfluo alimenti, an etiam de humido radicali, & substantia spectante ad veritatem humanæ naturæ, quæ à nobis satis, & fusè soluta fuit *in tract. de anima vegetante, quæst* 2. ubi diximus transmitti ex Patre in prolem substantiam radicalem, sicut transmissa est ab Adam, & commixta est cum toto corpore prolis commixtione perfecta, ita quòd nulla pars assignari possit in prole, in qua non sit de illa substantia patris, & sic deinceps pertransiit talis decisio, & commixtio successivè in omnes posteros, & pertransiet usque in finem sæculi; undè etiam secundùm carnem quilibet homo nascitur de pasta, & massa Adæ: quæstio hæc fusè examinata est *in tract. cit. de anima vegetante*, q.2. ad quem remitto lectorem, & continet multa scitu necessaria maximè ad hanc materiam de peccato originali valdè conducentia: *Vel vid. textum Seraph. Doct. qui fusè, & clarissime hanc doctrinam explicat: l.2.d.28. art. 3. q.1. & l.4. d.40. art.1. q.1 in corp. & ad 3. & l.3. d.4. a.1. q.2. ad 1. & d.3. p.2. art.2. q.2.*

499 Q 3. *Quomodo anima possit infici à carne?* Resp. S. Doct. *l.2. d.31. art.1. q.1.* quòd, cum in carne Adæ post peccatum contracta fuerit duplex corruptio, scilicet pænalitatis, & vitiositatis; ratione primæ subjectum fuit corpus pænalitati, & mortalitati; ratione secundæ rebellio carnis, & sensualitatis rationi; & cum visum sit fæditatem carnis posse facere rebellem animam, ut patet in Adam, & anima unita corpori ob conjunctionem vel trahit carnem, vel à carne trahitur ob tale vinculum, & quia anima destituta justitia originali, & gratia non potest regere corpus, & carnem rebellem, hinc & trahitur deorsum, & per concupiscentiam curvatur, & Deo fit exosa, hinc cōsequitur infectio peccati originalis.

Q. 4. *An si Angelus uniretur corpori, contraheret peccatum originale?* Resp. S.Bon. cit. negativè, & hoc ob defectum appetitus naturalis, & colligantiæ naturalis, quæ est inter animam, & corpus: Idem est dicendum, si Deus ex brachio, vel alio membro formaret hominem, non enim nasceretur per propagationem naturalem, ut est necess. in proposito: si autem fieret homo ex aliquo membro Adæ post peccatum, talis homo contraheret pænalitatem, non culpam, *lib.2. dist.31. dub.3.*

500 Q. 5. *An concupiscentia interveniens in contractione peccati originalis sit quid positivum, & à Deo?* Resp. S.Bon. *l.2.d.30.dub.2. & a.2. q.2.* quòd, cum concupiscentia dicat appetitum immoderatum boni commutabilis, duo importare potest: scilicet prout est culpa, & prout est pæna, prout est culpa quatenus ratio captivatur, & anima pervertitur, ita ut necessitatem habeat præponendi bonum commutabile bono incommutabili, & hæc intervenit in contractione culpæ originalis: eo quia homo nascitur destitutus justitia originali, & gratia ipsius: & hæc non est à Deo, quia solum habet causam deficientem, non efficientem, eo quia est privatio debitæ rectitudinis, vel est ex privatione: Prout est pæna dicit appetitum ad bonum commutabile, sed cum aliquo excessu, quatenus sensualitas perfectè non obtemperat rationi, sed cum difficultate; hinc quatenus dicit appetitum est à Deo, quatenus dicit excessum dicit privationem, & tali pacto nec est propriè à Deo; habet tamen, ut est pæna, causam promoventem, & ordinantem: meretur enim homo ex sua inobedientia talem rebellionem, & hinc à Deo ordinatur ex sua justitia ad malum præexistens commissum: iste autem appetitus pænalis remanet etiam post baptismum, per quem datur à Deo gratia ipsum superandi. Addit 2. S.Bon. *loco cit. a.3. q.1.* justissimè, & rectissimè Deum permittere contractionem peccati originalis ex carentia justitiæ originalis debitæ homini ex peccato Adæ: de qua re vide S.Doct. ubi plura dignissima tradit. Addit 3. decuisse divinam justitiam infundere animam in corpore maculato absque eo quòd Deo imputari possit talis contractio. *Vid. ibid. q.2.*

Q. 6. *An parentes proximi possint transmittere ad prolem peccata sua actualia? Item quare ex parentibus sanctissimis nascuntur filii inquinati?* Resp. ex S.Doct. *l.2. d.3. q.1.* quòd solùm ex propagatione naturali ex Adam possunt infici omnes filii, non autem ratione peccatorum actualium suorum: ratio est, quia in solo Adam omnes homines sunt obligati ad justitiam conservandam, ob idque privati tali justitia eis debita caro tota infecta remansit, sicque & contrahunt maculam, & deformitatem peccati: Cætera autem peccata actualia, ideò sunt talia, quia voluntaria, ideò solùm inficiunt ipsa volentia liberè. 501

Dices: Multa bona filiis derivant ex rectitudine patrum, & multa mala ex malitia. Resp. S.Bon. quòd id verum est quantùm ad beneficia, vel percussiones temporales non verò quoad æternas: *De qua re vid. S.Bon. loc. cit. ubi multa ad mores habebis.*

QUÆSTIO VI.

Quid sit, homines peccare in Adamo, & ad quos transfundatur peccatum originale?

ORitur hæc quæstio ex verbis Pauli *Rom. 5. n.12. Propterea per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, &c. in quo omnes peccaverunt:* 502 quæritur quid sit, &c. 1. sent. est Galatini *l.7. de arcanis, &c. c.4.* docentis totam massam corpoream corruptam fuisse in Adam, ex qua omnes descendunt, & ideò infecti remanent: Deumque selegisse particulam illius massæ, eamque præservasse à tali infectione ad generationem Mariæ, quæ sententia veluti fabula, & fictitia ab omnibus rejicitur, quia continet impossibilia, & ridicula. 2. est aliorum Theologorum Soti, Medinæ, Driedonis, Ægidii, Lusitani, &c. asserentium ideò omnes peccasse in Adam, quia omnes actualiter peccaverunt, & contraxerunt

traxerunt peccatum originale in omnes ex Adam derivans: & hinc videntur asserere nostrum peccatum esse idem cum peccato Adæ. 3. sent. docet, homines peccasse in Adam, idem esse ac spoliatos fuisse justitia originali, ex quo natura humana remansit Deo invisa. Sic Pererius, aliique. 4. sent. communis S.Bon.D.Thom.& Scoti est; Peccasse in Adamo esse quid distinctum à contractione actuali peccati originalis; hancque esse veluti effectum illius. Pro solutione.

Notand. 1. & supponend. tanquam de fide omnes in Adam peccasse, in quo omnes conveniunt; hoc autem potest sumi veluti in actu primo, & secundùm sufficientiam, sicque homines dicuntur peccasse in Adamo, quatenus Adæ peccatum erat peccatum capitis, & consequenter etiam totius naturæ humanæ in illo contentæ, & ex se, & ex pacto divino sufficiens ad maculandum omnes posteros, si in individuo, & secundùm existentiam producerentur; talique pacto fuit tota natura humana infecta, statim ac peccavit Adam: sic S. Bon. *l. 2. d. 31. a 1. per totum.* Si verò sumitur in actu 2. & efficaciter, tunc dicitur de facto maculari homo, & contrahi peccatum originale, quando concipitur actualiter homo: hincque sequitur homines in Adam peccavisse nihil aliud esse formaliter, quàm peccatum Adæ esse eis voluntarium, quatenus supposita ratione principii phisici, & realis capitis, Deus ejus voluntati alligavit voluntates posterorum in illa actione, ita ut secundùm prudentem æstimationem possit censeri procedere peccatum à propria uniuscujusque voluntate: Primum scilicet quoad actum primum omnibus convenit etiam non existentibus; & appellatur debitum impropriè, & remotum; quia potest impediri quoad actum secundum per aliquid consequens, v. g. per præservationem.

Not. 2. Quòd valde differunt primò peccasse in Adam omnes, secundò habere in se necessitatem contrahendi peccatum, & tertiò de facto illud contrahere: Secundum sequitur ex primo, & tertium sequitur ex primo, & secundo: Primum dicitur necessitas remota; secundum proxima, & & tertium magis proxima, & efficax: ideo valdè istæ necessitates inter se differunt: potest enim dari prima absque secunda, & secunda absque tertia: si enim aliquis præservaretur à debito proximo, vel à contractione actuali peccati, haberet necessitatem tantùm remotam illud contrahendi in Adam. His positis.

Concl. 1. Peccatum originale traducitur in po-
503 steros Adami per generationem: non tamen ita ut generatio sit vera productio terminata ad peccatum concursu phisico efficienti primi parentis, sed solùm concursu morali: Tres partes continet hæc conclusio, quæ est communis S. Bonav. D. Thomæ, Scoti, & aliorum ex traditis supra. Prima pars pr. quia peccatum originale transfunditur in posteros Adami, quatenus sumus aliquid proprium illius, & participamus naturam, quæ fuit in illo, tanquam in primo principio, & capite, sed nec sumus aliquid ipsius proprium, nec humanam participamus naturam nisi per generationem naturalem, ergo peccatum originale transfunditur in nos per generationem. Major est certa, quia peccatum traducitur in posteros, quatenus ex natura rei, & phisicè, & ex pacto divino, moraliterque habemus connexionem ut membra phisica, & moralia cum illo ut capite phisico, & morali; ac proinde ut sumus aliquid ipsius proprium; minor est etiam evidens, quia hic est modus naturalis procedendi ab Adam non solùm per corpulentam substantiam, sed etiam per naturalem propagationem; solùm enim miraculosè potest contingere quòd alio modo aliquis procedat ab Adam, ut processit Christus non per seminalem propagationem, sed quia habuit Adami corpulentam substantiam: 2. pars, scilicet, quod generatio substantialis nullam habet connexionem naturalem, & physicam cum peccato originali, Probatur, quia peccatum non est terminus phisicus productus per illam, ergo. Probatur antecedens, quia nullam habent inter se connexionem essentialem, sed sunt separabiles: Tùm quia primus homo non existit, ergo generatio non potest esse physicus illius influxus in originale peccatum, ergo. 3. Pars, quod Adam sit causa tantùm moralis nostri peccati, est clara, & sequitur ex dictis.

Concl. 2. Peccatum originale transfunditur in 504
posteros per generationem, non quia producatur in semine morbida qualitas; quæ semen inficiat, ex qua maculetur caro, & deinde ex infecta carne maculetur anima, & turpetur macula originali: est contra Holchot, Gabr. Gregorium, aliosque, & à multis citatur etiam cum istis Theologis Seraph. Doct. eo quia, ut suprà diximus, anima maculatur peccato ex unione cum carne infecta; sed malè citatur; non enim admittit istam morbidam qualitatem, sed dicit maculari ex unione ad carnem, quatenus in toto conjuncto adest concupiscentia rebellis rationi, & contraria; quæ est ex peccato, & ad peccatum inclinans, diciturque ob id immunditia carnis: Conclusio hæc supra *in quæst.*4. satis probata est, ideo omittuntur probationes.

Concl. 3. est, universos homines peccasse in 505
Adam, nec est illis actualiter peccatum originale contrahere, nec naturam humanam in eo expoliatam originali justitia: est communis ferè omnium maximè affirmantium Beatam Virginem maculatam non fuisse peccato originali, etiamsi in Adam peccaverit. Probatur, quia ex traditis: Aliud est peccare in Adam, aliud contrahere peccatum actualiter: nam peccare in Adam convenit omnibus hominibus in actu primo etiam non existentibus; at actualiter convenit tantùm existentibus; Tùm quia solùm adest debitum contrahendi peccatum originale ex colligatione omnium voluntatum in voluntate Adæ facta à Deo non efficientia phisica, sed tantùm morali, sed hoc debitum est remotum, & improprium, ergo est separabile ab actuali contractione.

Hoc assertum magis patebit infra in seq. disp. de Immac. Concept. B. Virg. Mariæ, ad cujus laudes modò invitamur.

DISPUTATIO XX.

De Immaculata Concept. B. Virginis, ejusque præservatione à peccato originali.

506 Quia tanta est gloria Sacræ Deiparæ, ut licèt semper evulgetur, semper etiam maneant occulta pandenda: Habitat enim ejus filius caliginosam lucem: hinc, ut novas laudes ipsi B. Virgini depromamus, totam hanc disputationem ad ejus Immaculatam Conceptionem reportare decrevimus antiquam quidem, sed novis laudibus, novo modo, noviter illustrandam. In qua disputatione discutiemus: primò: An B. Virgo præcisè sumpta secundùm humanam naturam ab Adamo participatam, & præciso dono maternitatis potuerit concipi in peccato originali. 2. An supposito, quod sumpta prædicto modo potuerit maculari peccato originali, potuerit etiam præservari ab hac macula per divinam gratiam, ut non illam maculam contraheret. 3. An absolutè (non ex vi præsentis decreti eam præservandi) sed absolutè, & simpliciter potuerit præservari: nam ex vi præsentis decreti certum est non potuisse maculari, aliàs fuisset gratia, & peccatum simul. 4. An ex vi doni maternitatis Dei fuerit impeccabilis, ita ut de potentia Dei absoluta non potuerit peccare, vel infici peccato: quæ omnia ad majorem B. Virginis gloriam infra fusè discutientur, adjuvante sua piissima intercessione, ipsa Beatissima Virgine.

QUÆSTIO I.

An B. Virgo Maria præcisè sumpta secundùm humanam naturam participatam ex Adam potuerit concipi in peccato originali: & an data tali possibilitate potuerit præservari.

507 Prima Concl. Beata Virgo Maria, prout dicit humanam naturam, & ut præscindit à dono maternitatis divinæ, potuit in sua Conceptione fœdari originali peccato: Assertio est communis omnium SS. Patrum, & Doctorum, & indubitata: & ratio evidens est, quia Maria ortum habuit ab Adamo per naturalem generationem, & secundùm hanc rationem omnibus hominibus communem potuit comprehendi sub pacto à Deo cum Adamo inito, ergo: Tùm quia etiam Christus, præciso ordine unionis hypostaticæ, potuit infici, ergo.

508 Concl. 2. Beata Virgo Maria potuit præservari ab originali peccato gratia divina, ita ut illud non contraheret etiam per instans in sui Conceptione. Assertio est communior contra Alensem 3. *p. q.* 9. *membr.* 1. *a.* 1. Ricard. 3. *d.* 3. *a.* 1. *quæst.* 2. aliosque asserentes Mariam non potuisse redimi per Christum, nisi esset in peccato originali concepta, ideo negant redemptionem præservativam, quod est contra torrentem omnium aliorum Theologorum, de quo peccatum infra.

Prob. autem, quia ex nullo capite potest afferri repugnantia, etiamsi certum esset Mariam in Adamo peccasse, & necessitatem illam contraxisse: quod est fundamentum adversariorum patenter inane: ratio autem est, quia lex generalis à supremo Legislatore non officit, quin possit, si velit in illa dispensare: ergo in nostro casu id potuit à Deo supremo Legislatore fieri: Confirmatur, quia voluntas antecedens efficax de contractione peccati originalis, & voluntas efficax circa Beatam Virg. de negatione talis contractionis non repugnant ad invicem, ergo. Probatur antecedens quia talis voluntas generalis efficax non abstulit à Deo vim dispensandi, si sic ipsi placuerit: semper enim lex etiam efficacissima adjunctam habet illam conditionalem: si ego in hac lege non dispensaverim: & in hoc omnes Doctores debent consentire, &c. ut de se patet, quòd confirmat S. Bon. *l.* 4. *d.* 3 n. *a.* 1. *quæst.* 2. *ad* 1. dicens, quòd B. Virgo, ut Dei Mater, non erat sub lege, quia legis Authorem peperit.

Dices: Implicat voluntas antecedens efficax 509 Dei aliquid in communi faciendi, & voluntas consequens efficax contraria; ergo, & in nostro casu. Prob. anteced. quia v. g. si Deus decrevisset efficaciter dare omnibus gloriam antecedenter, nullo pacto posset illam alicui denegare; quia sequeretur quòd Deus revocaret suam sententiam, quòd est impossibile: ergo & in nostro casu. R. conc. anteced. si sermo sit de efficaci voluntate Dei per modum decreti absoluti: sic enim pugnant inter se duæ voluntates efficaces dandi, & non dandi: si vero agitur de decretis conditionatis, & in materia legis, neg. antecedens. Ad probationem resp. negando paritatem de decreto absoluto dandi gloriam omnibus, & de lege contractionis peccati: Voluntas autem efficax comprehendendi omnes homines sub peccato Adæ habet vim legis, quæ in suo proprio, & intrinseco conceptu affert, quòd non tollat à Legislatore vim dispensandi in illa, si voluerit, sed semper illius potestatem conservat illæsam: unde voluntas legem condendi efficax est ad utrumque, scilicet ad comprehendendum sub illa universos, & ad dispensandum cum aliquibus, si Legislatori placuerit; non quòd de facto,

-dum

dum legem constituit, dispenset actu in ea, sed quia, illa stante, potest in illa materia se habere perinde ac si nullam legem statuisset, & efficaciter velle quod aliqui non comprehendantur, sic utendo jure suo Ratio est, quia semper lex quantumcumque efficax habet adjunctam illam conditionalem: si legislator in hac lege non dispensaverit: & si id est possibile legislatori creato multo magis Deo, qui scientia sua infinita cognoscit privilegium, quod contra suam legem concessurus est; præcipuè cum in eodem signo possit intelligi velle legem esse universalem, & aliquod contra illam privilegium concedere.

Instas contra: Si Deus voluit condere legem universalem comprehendendi omnes sub peccato Adæ, etiam habuit decretum absolutum consequens talis comprehensionis, ergo non poterit aliud decretum absolutum oppositum facere: Resp. conced. totum, si sic evenisset: sed non sic evenit: nam Deus habuit voluntatem absolutam condendi illam legem universalem, sed postea non est subsecutum decretum absolutum comprehendendi omnes sub illa lege: unde decretum solùm terminatum est ad condendam legem, quæ habuit conditiones legis: Inter quas est jus, & facultas dispensandi in casu particulari, si legislatori placuerit. Aliæ objectiones in sequentibus solventur: Et hinc sequitur solutio tertiæ dubitationis: An absolutè loquendo (non ex vi decreti præsentis Mariam præservandi, quod supponimus factum) potuisset præservare eam à peccato per dispensationem: Id enim evidenter sequitur ex traditis. Vide Vegam *in Theol. Mariana a n.* 601. Savedram *de Conceptione d.* 13.

QUÆSTIO II.

An de facto Beata Virgo Maria Concepta fuerit in peccato originali.

510 DUplex opinio in hac materia circumfertur: Altera negans, altera affirmans. Partem affirmantem docuerunt Antiquissimi, & gravissimi Theologi D. Thomas, Alens. Bonav. Richard. aliique plurimi, & inter recentes Soto, Major. *in cap.* 4. *Cantic.* quæ opinio valdè placuit Calvino, aliisque Novatoribus. 2. Opinio docet immunitatem Mariæ ab omni contagione peccati originalis, quam similiter tenuerunt D. Thom. *l.* 1. *d.* 44. *quæst.* 1. *a.* 3. *ad* 3. D. Bonav. *serm.* 2. *de B. Virginis, & op. de contemplatione*, Scotus, & innumeri alii, hæcque in tota Ecclesia est communis: ut patebit. Pro qua stabilienda.

Notand. 1. Ne detur locus æquivocationibus vocum, quod duplex datur Conceptio apud Theologos, & Physicos: Prima est per mixtionem seminis paterni cum materno: 2. est, quando unitur corpus cum anima in utero materno, quæ & appellatur generatio, & consequenter peccatum originale sub multiplici statu, vel nomine à Doctoribus tractatum fuit: Primò appellatur peccatum originale ille reatus aliquo modo inhærens in semine, aut embrione, vel carne ante animationem vitiosa, estque illa materia retenta, & compressa, in qua post multos dies inducenda est anima rationalis, de qua Galenus, *l.* 1. *de semine*, cum Scoto *l.* 3. *d.* 3. *quæst.* 1. & D. Thomas 3. *p. q.* 27. *a.* 2. & S. Bon. *l.* 3. *d.* 3. *q.* 1. qui S. Doct. agit de hoc reatu *l.* 2. *d.* 31. & nos suprà satis diximus: Secundò sub peccati originalis nomine appellatur debitum ipsum contrahendi: Tertiò macula animæ inhærens in primo momento creationis, & infectionis animæ.

Not. 2. Quòd nomen sanctificationis applicatur aliquando semini, vel embrioni, ante animationem, quatenus aliqui Doctores docent fuisse sanctificatam illam carnem; quòd tamen sanò modo est intelligendum, nempè fuisse ordinatam ex divino decreto ad Virginis generationem, & non fuisse instrumentum traducendi culpam originalem, ex eo enim vulgaria semina dicuntur immunda: Aliqui Doctores tamen apud Laurent. à Ponte *annot.* 22 *mor. in cap.* 1. *Matth.* in illa carne asserunt impressas fuisse à Deo aliquas qualitates, vel virtutem supernaturalem curatissimæ, & supernaturalis organizationis: de quo vide Savedram *d.* 7. *sect.* 3. *num.* 252. & Granadum *de Concept. Virg. d.* 3. *cap.* 12. *num.* 5. Hancque sanctificationem ab aliquibus celebratam fuisse peculiari festo docent aliqui apud Vegam *num.* 245. & de qua loquitur D. Thom. 3. *p. quæst.* 27. *a.* 2. quatenus talis caro deputata fuit usui sacro, sicut fit de Ecclesiis: 2. Sumitur sanctificatio animæ in primo instanti creationis, & infusionis ejus in corpus: 3. Pro sanctificatione facta in secundo instanti naturæ, vel tempore immediatè. Propriè tamen loquendo solùm satisfactio, & immunitas à peccato sumitur pro eodem instanti animationis. 511

Hinc Joan. à S. Thoma, aliique exponunt D. Thom. nunquam directè tractasse utrum Deipara in primo instanti animationis fuerit præservata ab originali labe: quia S. Doctor non agebat de privilegio personali: quia cum penderet à libera Dei voluntate, Ecclesiæ judicio se submisit; solùm ergo investigabat: An ex vi principiorum generantium, & actionis productivæ ipsorum fuerit inducta sanctitas personalis in primo instanti animationis Mariæ: vel ex eo quòd Joachim, & Anna paulò ante conceptionem filiæ ex Dei gratia, & privilegio habuerint non solùm sanctitatem personalem, sed etiam naturæ, ex justitia originali: vel ex eo quod actio productiva eam haberet efficaciam: vel quià materia futuri corporis Deiparæ prius defæcaretur; quæ cum animationem præcedant, ideo ex professo nusquam egit nisi de sanctitate orta ex principiis antecedentibus eandem B. Virginis animationem; quæ omnia etiam tradit Seraphinus à Porrecta *in* 2. *p. quæst.* 17. *a.* 2. & probat Joan. à S. Thom. ex variis locis D. Thomæ, docetque nullibi Angelicum Doctorem denegasse immunitatem ab originali labe ex privilegio independente à productione, & principiis naturalibus: & hoc meritò, quia loquebatur contra Pelagium eximentem plures à macula originali sine privilegio, ut docet Ferrar. cum aliis à Vega citatis; vel etiam loquitur de sanctitate primo, vel secundo modo sumpta. Ut autem ista magis elucescant. 512

Not. 3. ex Vega cit. quòd labes originaria propriè sumpta dicitur peccatum originale formale, vel actuale, contractum ab homine actu existente: Peccatum autem existens in semine, vel embrione, vel carne, ut loquitur S. Bonav. dicitur peccatum originale materialiter tantùm sumptum, scilicet peccatum existens in debito proximo, vel in reatu actuali: Peccatum verò consideratum proximè post pactum, & legem universalem inde manantem ante congressum parentum vocatur peccatum in debito remoto: Peccatum verò originale

ginale in primo animationis momento, si tunc impediatur executio maculæ actualis ex privilegio Dei, nuncupatur debitum, aut peccatum in actu primo suspensum? Et hinc proclivè est exponere D. Thomam, Bon. aliosque SS. Patres à contradictione, quæ in ipsorum scriptis apparet. D.Bon. *in lib. 3 d. 3. q. 1. & 2.* Affirmat primam opinionem de immunitate B. Virginis esse rationabilem, & probabilem, sed oppositam rationabiliorem, & & probabiliorem: Tunc temporis enim verè erat probabilis, & à pluribus Theologis receptissima (ut advertit idem Seraph. Doct.) hæc pia sententia: Unde quàm minùs probabilem junior existimavit, postea senior amplexus est ut probabiliorem, ut patet *in serm. 1. & 2. de B. Virgine, & in op. de contemplatione in fine 2. tomi opusculum in flore quinto: Idem & in specul. Virginis lect. 2.* Idem & fecit Angelicus Doct. ut egregiè notant Vega in Theolog. Mariana, Savedra, aliique plures: unde dicendum, quòd, quando ista scripserunt contra hanc immunitatem, vel locuti sunt ad sensum aliorum, tunc enim erat opinio communior: & quando se retractaverunt locuti sunt ad proprium sensum, maximè istam asserentes in concionibus: Vel dicendum locutos fuisse de macula originali pro ut dicit debitum, ut suprà expositum est: sed videatur S. Bonav. *l. 3. d. 3. p. 1. q. 1. ad 4.* quomodo loquitur de hac Conceptione Virginis, & laudat celebrantes ejus Festum, licèt tunc temporis Ecclesia hoc nondum instituisset: afferèque fundamentum solidum celebrationis Festorum factæ ab Ecclesia universali, estque sanctitas personæ, quæ tali festo colitur; hinc inferre licèt evidenter, ergo si Ecclesia solemnizat punctum Conceptionis Mariæ, ipsam supponit Sanctam, & puram: sic & infert Carthusianus *l. 3. d. 3. q. 1. ex S. Bonav.* Ex quibus, & ex varietate dictorum, in quæ inciderunt omnes illi Doctores, & Patres, qui asseruerunt B. Virginem maculatam fuisse, nunquam constanter in talem opinionem steterunt, sed postea ipsam mitigarunt, vel retractaverunt; quòd patenter expendit Savedra, *Tomo de Sacra Deipara d. 16. s. 17.* & hinc Doctissimus Granadus infert argumentum validissimum pro immaculata Conceptione.

513 Not. 4. esse maximam concertationem inter Theologos: An ad hoc ut quis dicatur redemptus à Christo, necesse sit, ut priùs fuerit infectus peccato; An verò detur redemptio vera præservativa? In qua aliqui negant posse dari redemptionem veram absque priori infectione culpæ: hosque supra citavimus.

Alii sustinentes B. Virginem fuisse præventam à Christo gratia, ne incurreret peccatum originale, admittunt tria genera redemptionis: Primum est redemptionis à culpa contracta: 2. est, quæ partim est liberativa à culpa, partim præservativa, & hanc admittunt in Maria liberata quidem, & redempta à culpa, quam commisit in Adam, & præventa, ne personaliter ipsam contraheret: sic enim admittunt in Virgine debitum proximum, & necessitatem contrahendi peccatum originale, licèt potius actu non contraxerit: sic Ægidius Lusitanus cum aliis apud Savedram *d. 19. sect. 10. & d. 18.* Alii tantùm duplicem redemptionem admittunt: Aliam à captivitate actuali, quæ est communis omnium hominum: Aliam præventivam, qua Christus B. Virginem liberavit, præveniendo eam, ne non solum peccatum incurreret, sed nec etiam debitum proximum; Et hæc tertia opinio his temporibus est communior; & communiter recepta apud recentiores; summopere enim exaltat Mariæ Matris Dei dignitatem, & in majorem Christi Redemptoris gloriam redundat.

Not. 5. Quòd variis modis Deus posset præservare aliquem hominem à peccato originali: Primo si ita illum produceret, ut impediret emanationem voluntatis illius ex anima, vel in anima; tunc enim deficeret subjectum immediatum peccati originalis (de quo suprà actum est) quo medio inficitur anima, & per consequens remaneret immunis anima: 2. Si non permitteretur ille homo infici peccato, sed illius loco in primo instanti infunderetur gratia, ut creditur de B Virgine: 3. Si non conciperetur homo per generationem viri, & mulieris, sed solum virtute Spiritus S. sicut fuit productus Christus Jesus, de qua materia in lib. 3. fusior erit sermo. 514

Notand 6. quòd in solutione hujus quæstionis in gratiam Christiani Oratoris, & Prædicatoris aliqua etiam promemus, prætermisso stylo Scholastico, amœnanda mysticis floribus ex S.Script.& SS.PP. His positis, sit.

Concl. Sacra Deipara in instanti Conceptionis divinitus est præservata, ne contraheret peccatum originale, adeo quòd in suo conceptu, & in momento unionis fuit immaculata, inviolata, purissima, atque sanctissima: Est communis nunc consensus totius Ecclesiæ: non tamen adhuc de fide declarata est hæc concl. Prob. 1. ex Epist. ad Rom. *cap 5. num. 15.* ubi habentur hæc verba: *Sed non sicut delictum, ita & donum, si enim unius delicto multi mortui sunt, multò magis gratia Dei, & donum in gratia unius hominis Jesu Christi in plures abundavit:* Hæc Apost. Paulus: quæ verba ad hoc, ut litteraliter verificentur, sic intelligenda sunt, ut, dicendo, quòd ex unius delicto multi mortui sunt, & non dicat, omnes mortui sunt, sed multi, necessariò aliqui excipiendi sunt à morte, sed nullus exceptus fuit à morte corporali, ergo aliquis exceptus est à spirimali; sed de nullo id potest dici, nisi de B. Virgine Maria, ergo. Vide Celadam *in Judith figur.* qui hunc textum fusè, & doctè ad litteram expendit ad rem nostram. Sic & Savedra *d. 21. sect. 2. & 3.* ubi plura loca Sacræ Script. affert ad litteram exprimentiam immunitatem Mariæ à peccato originali, & præcipuè suprà citatum Apostoli. 515

Dices cum adversariis nec hic, nec alibi expressè fieri mentionem in Sacr. Script. de hac immunitate à peccato originali in B. Virgine: ergo signum est non fuisse exceptam inter homines. Resp. quod ad hoc, ut aliqua propositio definiatur de fide, non est necesse, quod exprimatur expressè in Sacr. Script. ut tradunt Theologi: Et in Concil. Claramont. sub Urbano II. referente Vega *lib. 4. in Trid. cap. 18. & supponit Trid. Syn. sess. 6. can. 23.* definitum fuit B. Virginem ex speciali Dei privilegio omnia peccata venialia vitasse, & tamen nullibi expressè habetur, in Sacr. Script. quæ solet silere, quæ, necessarium non est, ut exprimantur, in se enim clarissima sunt, vel continentur implicitè in rebus aliis, quæ Scriptura protulit claté; & ex earum numero est immunitas Virginis à peccato originali; quæ tamen mirificè gloriam illius, & redemptionis illustrat, & ad illius pertinet honorem summum: sic nec etiam expressè tradit Sacr. Script. creationem

creationem, aliaque multa de Angelis, & creaturis spiritualibus, & aliis, quæ sunt de fide credenda: ideo sufficit, ut B. Virgo Maria declarata fuerit vera & naturalis Mater Dei; & hoc est primum elementum fidei (ait Procopius) circa hanc materiam, ut ex ipso postea plura alia arcana deducantur. Sic fusè de hoc silentio Sacræ Script. expendit Savedra *d. 16. sect. 3.*

Deinde B. Virgo Maria respondit S. Brigittæ interroganti cur nullibi reperiatur expresè hæc immunitas? quòd Deus voluit, ut aliquando hæc veritas ignota esset, ut quilibet ostenderet suum zelum, donec elucesceret in tempore determinato; *sic l. 9. c. 5.*

Prob. 2. ex illis verbis Gen. cap. 1. *In principio creavit Deus Cælum, & Terram:* Vbi per Cœlum intelligitur ad litteram Empyreum, ut ait Seraph. Doct. *l. 2. d. 1. a. 1. q. 1. & 2. & a. 2. q. 2.* hocque, quia lucidissimum micantissimum, nullas vesperas, nullos patiens horrores: ideo mysticè intelligitur Beata Virgo creata ad instar Empyrei, in luce spirituali gratiæ habitualis, & in superiori lumine maternitatis, ob idque nunquam obscurata; & sicut hoc Cœlum materiale fuit creatum (ait Bonav.) ut esset peculiare domicilium Dei, Angelorum, & Beatorum corporum, præcipueque Christi, sic & B. Virgo: ergo sicut illud fuit in loce absque tenebris; ita & Beata Virgo Maria: De proprietatibus hujus Cœli adaptatis Mariæ, vide S. Bonav. *in op. de Eccles.* Hier. *p. 4. cap. ult. in serm. de B. Virg. p. 2. & 3.* Verè Cœlum fuit Maria, quia sicut Cœlum est veluti liber in Carta Munda exarans mirabilia Dei (dicitur enim: Cœli enarrant gloriam Dei, *Psalm. 8. ubi S. Bonav. in Psalt. ibidem*) sic Maria fuit liber generationis semper purus, mundus, candidus, &c. de hoc libro mundissimo tractant S. Greg. Nyss. S. Ephrem, aliique Patres apud Vegam *n. 29.*

Prob. 3. ex illis verbis Canticor. cap. 4. *Tota pulchra es, & macula non est in te!* ubi additur in Officio Immaculatæ Conceptionis apud varias Religiones approbato à Summis Pontificibus, *& macula originalis, non est in te*, ubi adducitur ex Seraph. Doct. quòd, quando Ecclesia addit, vel detrahit aliquid verbis Sacræ Scripturæ, id firmiter tenendum; hinc & supradicta, & multa alia aptat B. Virgini, de quibus Vega *d. 307. & 240.* Præterea dicendo *macula*, indefinitè, intelligitur de omni macula juxta regulas logicales: dicitur autem *Tota pulchra es*, de hac pulchritudine vide Vegam *num. 214.* & ad alia, *Pulchra ut Luna*, idem Vega *num. 215. & 1768.* ubi pulcherrima ad rem nostram, & ad conciones conficiendas.

Pr. 4. auctoritate Concilior. & primò ex Basileensi, in quo tot Patres, & Theologi unanimiter consenserunt in affirmanda immunitate à peccato originali in Maria; quæ determinatio licèt non sit de fide, est tamen maximæ auctoritatis: Vega affert ad hujus rei confirmationem alia Concilia, & Summos Pontifices idem sentientes à *num. 2. 4.*

Pr. 5. auctoritate plurimorum SS. Patrum, quos afferunt Vega, Savedra, Velasq. Shetlog. Salaz. aliique omnes, inter quos dignissima expensione est illa aurea sententia D. Anselmi: decuit Virginem ea puritate nitere, qua major sub Deo nequit intelligi: Sed sub Deo est puritas omnium Sanctorum & Angelorum, & Beata Virgo omnes istos excedit, ergo super Angelos purissimos magis accedit ad Deum; hinc sequitur evidenter, quòd fuerit immunis ab omni peccato, plusquam Angeli: Et confirmatur ex doctrina S. Bon. *l. 1. d. 7. p. 2. a. 2. q.* ubi docet, quod augmentum qualitatum spiritualium fit differenti modo, ac corporalium; nam in corporalibus simplicissimum est minimum, ac magis remotum à perfectione; ut patet in puncto; sed in spiritualibus simplicissimum est perfectiùs, quia accessus ad simplicitatem fit per recessum à contrario: Addit S. Thomas *lib. 1. d. 44. q. 1. a. 3. ad 3.* quòd ex hoc sequitur posse dari in creatis summa puritas proxima Deo, supra quam major non est dabilis, talisque est in B. Virgine.

Post immensam testium qui referuntur à cit. DD. nubem, & qui amicè conspirarunt in defensionem Immaculatæ Conceptionis Mariæ, subjiciuntur etiam motiva, & rationes, quæ illam efficacissimè ostendunt, & illarum omnium radix argumentatio est illa, qua plures Theologi utuntur; desumpta ex D. August. *tom. 9. de Assumpt. cap. 5.* ubi supposita Dei potentia, & decentia, efficaciter probat Mariæ sanctissimæ opprobrium corruptionis non sustinuisse his verbis: si ergo voluit integram Matrem virginitatis servare pudore, cur non velit incorruptam à putredinis servare fœtore? Dicat ergo qui cognovit sensum Domini, & qui consiliarius ejus fuit; numquid non pertinet ad benignitatem Domini Matris servare honorem, qui legem non venerat solvere, sed adimplere? lex enim sicut honorem Matris præcipit, ita inhonorationem damnat, &c. Aliaque plura subdit S. Pater, ostendens decentiam talis privilegii: Hinc argumentum conficitur.

Primò. Deus potuit præservare B. Virginem ab 516
omni peccato, & decuit ipsum id facere, ergo ipsam præservavit de facto: discursus iste sumptus rigorosè secundùm regulas logicales non concludit, sed tamen in hac materia evidenter concludit, ut notant Catharinus, Ogna, Savedra, Vega, & communiter Theologi recentiores: Antecedens est certum, & de fide apud omnes etiam contrariæ sententiæ: Consequentia apud D. Aug. tenet, dum agitur de Maria Matre Christi ex eo quòd supra tradidit de incineratione, & corruptione corporis Mariæ, & validiùs concludit dum agitur de corruptione animæ: decuit enim Christum honorare suam Matrem, ipsamque exaltare in omnibus, in quibus non intervenit contradictio, & maximè in quibus alienatur à Maria omne opprobrium conditionis humanæ possibile: Tùm quia non est denegandum Matri Dei id; quod alicui puræ creaturæ concessum est, sed datur creatura omni peccato destituta, nempè Angelus, ergo plus Mariæ digniori omnibus Angelis debuit dari. Confirmatur ex doctrina D. Thomæ *3. p. q. 27. a. 4.* quia intendit probare Mariam immunem ab omni peccato veniali, & hoc sequentibus motivis: nempè quia Deus ad aliquod opus aliquem eligens, ita præparat, & disponit, ut ad id, ad quod eligitur inveniatur idoneus; sed B. Virgo electa fuit divinitùs ut esset Mater Dei, ergo ipsi contulit id, quod idoneam magis ipsam redderet: sed sic est quòd non fuisset satis idonea Mater Dei, si aliquando peccasset etiam venialiter, ergo. Prob. antecedens (nam tota argumentatio antecedentis syllogismi est certa ex eo, quod tradit Apostolus, ut ait S. Thomas) primò, quia honor parentum redundat in prolem, & per oppositum & ignominia: 2. quia singularem affinitatem habuit ad Christum, qui ab ea

carnem accepit; non enim est conventio Dei ad Belial: 3. quia singulari modo Dei Filius, qui est Dei sapientia, in ipsa habitavit, & non solùm in anima, sed etiam in corpore; dicitur autem Sap. cap. 1. *In malevolam animam non introibit sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccato*: & ideo fatendum est simpliciter, quod Beata Virgo nullum peccatum commisit, nec veniale; nec mortale: Ex hac doctrina verè Angelica Angelici Doct. infert Granadus rectissimè, si Maria ob peccatum veniale non oppositum gratiæ non fuisset idonea Mater Dei, multò minus ob peccatum originale, quod est mortale, oppositum gratiæ. Pr. 2. ideo Christus immunis fuit à peccato originali non solùm ratione divinitatis, sed & humanitatis descendentis ex Virgine purissima: Vim hujus argumenti expendit Salazar. *de Concept. cap* 41. *Can* 2. Pr. 3. Conceptio B. Virginis fuit primus processus legis gratiæ, quo Deus redempturus hominem à peccato originali, & suam Incarnationem, & generis humani redemptionem jam parabat, ergo fuit purissima: Antecedens est S. Ambrosii, & commune Patrum: Consequentis etiam patet, quia liberatio futura, & imminens a peccato inchoanda erat non à peccato, sed à gratia. Prob. 4. quia in primo instanti fuit Mariæ infusum donum maternitatis, habens oppositionem formalem ad peccatum: & hæc ratio est à priori, & evidens, quæ infra sua quæstione propria examinabitur. Prob. 5. quàm decens fuerit talis immunitas: quia ad nullum finem potuit permitti Deipara à Deo turpari peccato originali; ergo verè immunis ab ipso fuit concepta: quæ ratio maximam vim habet animum quemcunque inclinandi ad talem assertionem: quamque exagerat Simon de Cas. *l.* 2. *de B. Virg. cap.* 1. ipsam appellans totam formosam in se, totam in virtutibus, & actionibus formam exemplarem æterni exemplaris; quia ad hoc solùm condita est Maria, ut esset Dei Mater, sicut ad hoc solum conditus est Christus, ut esset hominum redemptor; quomodo ergo est exemplar divini exemplaris, si in peccato concepta? Prætereà si electa solùm, ut esset Mater Dei, quomodo ad hoc tantùm munus maternitatis hæc macula fuit necessaria? Non quidem ad justitiam Dei ostendendam, cum alio suaviori modo id potuerit fieri: non ad misericordiæ ostensionem, vel pietatis, vel sapientiæ, vel bonitatis, vel humilitatis, vel redemptionis amplissimæ, cum per præservationem à macula magis innotescant ista attributa? ergo solum ad imperium Diaboli dilatandum potuit inservire, ut scilicet carnem Dei stringeret: Et ista pro ratione sufficiant: qui alia desiderat, adeat Vegam, aliosque Doctores citatos supra.

517 Objic. 1. cum adversariis plura testimonia Sacræ Script. quæ per propositiones universales ostendunt omnes homines ex peccato Adæ infectos; sed sic est quòd propositiones universales omnia individua comprehendunt, & neminem excludunt, ergo & Beatam Virginem. Resp. jam huic objectioni satisfactum fuisse in antecedenti quæstione, & ulterius dicimus, quòd, data lege universali, adhuc legislator potest dispensare quem voluerit: & hinc plurimæ propositiones universales in Sacr. Script. admittunt talem restrictionem, ut Gen. cap. 6. *Omnis caro corruperat viam suam*, in qua Noë non includitur, & in Psalm. *Omnes declinaverunt*, &c. & tamen tunc erant multi justi: & ratio est logicalis, quia propositio universalis in materia contingenti potest accipere restrictionem, & patet praxis talis doctrinæ, quia Deus dispensavit cum aliis in legibus naturæ, & gratiæ: sic dispensavit cum Joanne Baptista, & Hieremia, ne ex vulva exirent maculati: Deus prohibuit, ne aliquis intraret Paradisum terrestrem, & tamen dispensavit cum Enoch; ergo multo magis dispensatio data est à Deo suæ Matri circa peccatum originale.

Objic. 2. Multa testimonia SS. Patrum admittentium maculam in B. Virgine: Jam responsum est ad hanc objectionem: nam vel fuerunt omnes in hac materia instabiles, & plures retractaverunt seniores facti istam sententiam: vel, si id affirmarunt, id evenit, quia tunc Ecclesia Romana non adhuc celebrabat hoc mysterium: Prætereà etiamsi omnes SS. Patres id asseruissent (quod non admittitur) adhuc tamen non esset temerarium contra ipsos ire, cum Ecclesia Catholica sentiat oppositum: Sed vide Savedram *d.* 16. *s.* 19. qui fusè istam objectionem doctissimè refellit.

Objic. 3. quia sequeretur, Beatam Virginem non habuisse debitum, nec peccasse in Adam, nec proximam necessitatem habuisse incurrendi originale peccatum, quòd est maximum absurdum, & falsum: sequela probatur, quia si peccavit in Adam, ut omnes fatentur, ex eo quòd omnes posteri inclusi fuere in pacto Dei inito cum primo parente, ut supra dictum est, ergo & debitum habuit, & necessitatem contrahendi peccatum originale: Responsio hujus objectionis remittitur ad propriam quæstionem infra exagitandam: Pro nunc. Resp. primò negando sequelam majoris; quia dato debito, & peccato in Adam, adhuc potest dari præservatio à contractione actuali peccati originalis, ex sententia plurimorum Theologorum. Resp 2. conced. Mariam nec habuisse debitum proximum, nec necessitatem dictam, nec peccasse in Adam: ut infra patebit, & in superioribus etiam probatum est.

Objic. 4. Sequeretur Mariam non fuisse redemptam per Christum, ex eo, quòd redemptio præsupponit captivitatem: sicque redemptori Christo injuria fit ex nostra sent. Resp. neg. sequelam: duplex enim redemptio facta per Christum admittitur communiter à SS Patribus, & Theologis; alia liberativa à malo contracto; alia præservativa; & ex hac redundat etiam major gloria Christo, quo gloriosior, & nobilior est redemptio: de qua redemptione præservativa videri possunt D. Thom. 3. *p. q.* 52. *a.* 1. *ad* 1. *&* 22. *q.* 83. *a.* 9. *ad* 4. Scotus *lib.* 3. *d.* 3. *q.* 1. §. *contra primam rationem, &* §. *si autem tenetur*. Suar. Valent. Bellarm. aliique Theologi communiter. Et de hac præservativa redemptione loquuntur D. Bernard. *serm.* 22. *in Cant.* aliique Theologi, dum asserunt Angelos morte Christi redemptos: Videatur etiam Vega *in Theol. Mar. à n.* 579. Quæ redemptio præservativa à nemine negari potest, cum certum sit in fide per merita Christi non solùm nos redemptos fuisse à peccatis contractis, sed etiam ab illis quæ committeremus, si sua gratia, & auxilio non præservaremur: propter quod Justi, & Sancti juges gratias referunt tanto redemptori.

Objic. 5. Quia sequeretur conceptionem Christi non fuisse singularem, si communis fuit etiam puræ creaturæ. Resp. neg sequelam: Conceptio enim Christi fuit singularissima super Conceptionem Mariæ ex multis capitibus, quia Christus ex sua natura exigebat talem immunitatem tan-

quam

quam ei debitam; Tùm quia fuit ex sola Virgine; conceptio autem fuit ex mera gratia, & facta ex viro, & muliere.

Objic. 6. Maria habuit effectus peccati originalis, ut mortem, passiones, &c. ergo & causam ipsorum. Resp. Mariam V subjectam fuisse mor-ti, pœnalitatibus, sicut Christus, non quatenus faciunt effectus peccati originalis, sed quatenus sunt propriæ naturæ humanæ, sic etiam dicitur de Christo, ideo mortua est, quia Christus mortuus est: sic D. August. *conc.* 2. *ad Psal.* 34. vide Vegam *n.* 559.

Objic. 7. Maria subjecta est baptismo, ergo & peccato originali: Hæc objectio indigna est Theologo, nam Joannes fuit baptizatus, & tamen in utero fuerat sanctificatus: communi enim doctrina Theologorum impenditur baptismus primariò ad delendam culpam originalem: & secundariò, si ibi non adest, ad conferendam gratiam baptismalem, & dona supernaturalia, ad impressionem characteris, ad constituendum baptizatum membrum Ecclesiæ visibilis, ad disponendum ad alia Sacramenta.

QUÆSTIO III.

Qua certitudine credenda sit Immaculata Conceptio B. Virginis.

518 Titulus iste plura, & gravissima dubia involuit: & primò: An Immaculata Conceptio Deiparæ sit evidenter credibilis fide divina. 2. An hæc piissima opinio sit à parte rei ita certa, ut à parte rei falsa esse non possit: 3. An hæc pia opinio sit nunc in tali statu, ut possit ab Ecclesia diffiniri de fide: 4. An Immaculata Conceptio Mariæ probabiliter sit jam Ecclesiæ revelata: 5. Verum sit de fide veritas Immaculatæ Conceptionis Sacræ Deiparæ. Quæ omnes quæstiones per varias conclusiones in hac unica solventur, Deo dante, ac patrocinante ipsa Beata Virgine Maria. Pro solutione quæstionis hujus mulriplicis.

Not. 1. Quod rem aliquam esse evidenter credibilem nihil aliud est, quàm illam esse dignam evidenter fide secundùm leges prudentiæ, quæ credibilitas provenit à multitudine motivorum, rationum, & momentorum, quibus res illa suadetur; quæ desumuntur vel ex testimonio divino, vel humano, unde credibilitas alia est ex fide divina, alia humana, quæ doctrina magis patebit in 3. tractatu de fide.

Not. 2. Quòd credibilitas alicujus mysterii secundùm fidem divinam, alia est remota, alia proxima, sive secundùm rationem materialem, & ut quod, sive in actu primo, vel formalem, & ut quo, sive in actu secundo: prima est, quando tale mysterium non adhuc est definitum ab Ecclesia, ut de fide, & in actu secundo, sed tantùm in actu primo, quatenus est in tali statu, quòd potest definiri ab Ecclesia de fide; in actu vero secundo, & proximè dicitur illa propositio informata credibilitate passiva, ita ut necessariò debeat credi veluti definita de fide ab Ecclesia, v. g. Ante Concilium Tridentinum, hæc propositio: Infantibus in baptismo infunduntur gratia, & virtutes: Erat de fide materialiter tantùm, post determinationem postea factam *in sess.* 6. de justificatione, est credibilis proximè de fide, & in actu secundo. Cum autem Immaculata Conceptio Mariæ sit in sufficienti statu, ut desiniri possit de fide ab Ecclesia, sicut docent ferè omnes recentiores Theologi, hinc est credibilis fide remotè, licèt non proxime: Hanc doctrinam fusè, & doctissimè tradit Savedra *d.* 171 *sect.* 1.

Not. 3. & supponendum tanquam certum secundùm omnes ferè Theologos, Ecclesiam, & Summum Pontificem, non solùm posse definire doctrinam aliquam esse certam, & de fide, sed etiam esse magis probabilem, & ab omnibus tenendam ut talem, ita ut in hac definitione non possit errare: in quo casu sequendo opinionem contrariam judicatur à Theologis temerarium: sic Soto, Vasquez, aliique apud Vegam *n.* 290. Praxim hujus veritatis habemus in multis propositionibus moralibus condemnatis ab Alex. VII. à Clement. IX. & ab Innocent. XI. Et ad hunc statum proximè accedit opinio pia de Immaculata Conceptione, licet non totaliter; nam cum Summi Pontifices, licèt relinquant oppositam in suo statu, tamen prohibent ipsam posse doceri, affirmari, prædicari; sicut ex opposito laudant tanquam magis piam, sanctam, credibilem, canonizant Indulgentiis, & laudibus, & celebrant Festivitatibus opinionem de Immaculata Conceptione, de qua re vide Vegam cit. ubi fusè, &c. hinc inferunt Theologi esse ita certam, ut moraliter impossibile sit subesse falsitati: His prænotatis.

Prima Conclusio. Opinio de Immacular. Conceptione Mariæ non est ita certa, ut contraria inferatur hæretica, erronea, aut temeraria: Ratio est in promptu: Summi enim Pontifices contrariam vocant opinionem, & facultatem concedunt hoc, vel illo modo opinandi, dummodo nulla harum opinionum incurratur aliqua nota: hinc inferunt Theologi, peccatum mortale, vel veniale non esse, tenere minus piam sententiam, nisi forrè concurrat scandalum, vel aliquis auderet ipsam docere, & prædicare contra jussa Summorum Pontificum: Hinc supra dictum est in 3. Notabili opinionem de Immaculata Conceptione, licèt annuatur ab Ecclesia, tamen non totaliter talis assertio, vel consensus Ecclesiæ trahit ipsam extra opinionis rationem, vel sententiam magis piam, vel oppositam. 519

Concl. 2. Piissima sententia ab originali culpa Mariam præservans his nostris temporibus, ita est vera, & certa, ut nullo modo à parte rei possit esse falsa. Est Ægidii Lusitani, Salazar, Granadt, Suarez 3 *d.* 3. *sect.* 5. & ferè communis: Probatur autem, quia illa doctrina est vera, ut re ipsa falsa esse non possit, quæ ex principiis urgentissimis etiam supernaturalibus est evidenter credibilis; sed doctrina affirmans Mariam immaculatam in sua Conceptione est hujusmodi: ergo. Major est certa apud omnes: Minor patet ex auctoritatibus Sacræ Scripturæ, Conciliorum, Summorum Pontificum, Theologorum, Universitatum, & rationum urgentissimarum, quas fusè coacervant Recentiores, præcipuè Vega, Salaz. Granado, Savedra, & ferè omnes: ergo. Vide Savedram *d.* 18. Confirmatur quia Ecclesia videtur, hanc veritatem jam determinasse saltem implicitè, remotè, & virtualiter, licèt non formaliter, & in actu secundo: Instituit enim Festum ejus, cultum, adorationem sanctitatis existentis in re adorata: aliàs ex pone-

ret periculo erroris fideles: nec enim potest in hoc errare Ecclesia, de quo vide Suarez *tom.* 1. *de Relig. l.* 2. *de diebus Festis cap.* 8. & 9. Salaz. *cap. ult. fol.* 446. Savedram, *vestig.* 3. *dist.* 18, *num.* 397.

Dices: Sequeretur oppositam esse falsam, & hinc severiori sententia notandam: Resp. concedendo primam seq. sistendo tamen intra limites probabilitatis; & hinc negatur ult. sequela. Dicimus enim nostram probabiliter posse credi falsam, sed non adhuc à Summis Pontificibus declaratam: ob idque nec censura dignam.

Concl. 3. Immaculata Conceptio Deiparæ evidenter est credibilis (tametsi remotè) fide divina: Hanc conclusionem ponit Savedra in terminis *d.* 17. 5. 2. patet ex dictis, & potest evidenter probari, sicuti à recentioribus probatur, ex motivis suprà proximè adductis ex authoritate Summorum Pontificum, Conciliorum, Sanctorum Patrum, ex concursu Theologorum, & populorum, Academiarum, ex miraculis, revelationibus, ex celebratione Festorum, quæ motiva doctissimè expenduntur à cit. Doctoribus, quæ brevitatis causa omitto.

4. Conclusio. Purissima sententia de Immaculata Conceptione Deiparæ probabiliter jam Ecclesiæ est revelata: Licèt non ab ipsa definita ut res fidei: Hanc conclusionem ponit citatus Savedra *d.* 21. ipsamque probat fusè cum pluribus Theologis tanquam communiorem, & ratio potissima est, quia si ex traditis est in statu, in quo potest definiri ab Ecclesia tanquam de fide, sequitur quod probabiliter inferri possit esse sufficienter revelatam à Deo: Vide ibi citat. Author. *sect.* 1. & 2.

Dices ex præmissis conclusionibus notam aliquam Scholasticam inuri contrariæ sententiæ. Prob. quia si nostra sententia est evidenter credibilis, & de fide remota, nec potest à parte rei esse falsa, & si est revelata, sequitur ista nec posse convenire contrariæ, ob idque ot minimum erit temeraria. Resp. primò, ista à nobis affirmata fuisse tantum probabiliter. 2. Ob id nec sequi contrariam esse temerariam, vel erroneam, cum non fuerit definita ab Ecclesia, quæ conditio est necessaria. Addimus, nec Pontifices oppositam declarare probabilem; solùm enim aiunt non esse erroneam, neque esse læthale peccatum ipsam interius tenere, sed solùm ipsam exterius docere, & asserere: Vnde aliud est dicere nostram sententiam esse absolutè credendam de fide, aliud ipsam probabiliter esse de fide juxta nostrum opinandi modum: primum prohibetur, secundum permittitur. Imò addit Vega sententiam de maculata Conceptione propriè opinionem non esse appellandam, sed tantùm placitum, seu sententiam aliquorum Doctorum, non tamen inurenda nota hæresis, sic decernentibus Summis Pontificibus. Vide Vegam *fol.* 88. *num.* 296.

QVÆSTIO IV.

An B Virgo Maria peccaverit in Adamo: Ubi de necessitate, & debito contrahendi peccatum originale.

20

Suppon. 1. cum communiori: quod peccasse in Adamo nihil aliud est nisi nostras voluntates in eo, ut in nostro capite moraliter extitisse, & moraliter voluisse concurrere ad eandem transgressionem ad quam Adam phisicè, & simul moraliter concurrit: hincque ortum est debitum, & necessitas in omnibus posteris contrahendi peccatum originale consistens in carentia justitiæ originalis, & gratiæ sanctificantis, nisi à Deo impediatur.

Quæritur ergo an Beata Virgo habuerit hoc debitum, & quale in qua quæstione.

Prima opinio, maculans conceptum Mariæ, necessariò admittit tale debitum proximum. 2. Opinio, defendens Mariam à contractione actuali peccati originali asserit Mariam posse dici peccasse in Adamo, habuisseque debitum proximum habituale talis contractionis, sed actualiter in actu conceptionis fuisse præservatam. 3. Opinio his temporibus communissima apud Theologos recentiores eximit Mariam à peccato in Adam, & à debito proprio talis contractionis, admittens tamen debitum remotum, & improprium. De qua re actum est supra disp. anteced. *quæst. ult.* cui adstipulantur etiam Sancti Patres, & Theologi antiqui, quos fusè citant Vega, Savedra, aliique.

Not. 1. quod debitum peccati originalis, cum sit necessitas, & exigentia contrahendi peccatum in se, nisi à Deo impediatur, orta ex pacto, & lege Dei, & Adæ transgressione, est duplex remotum, & proximum: remotum est in Adæ posteris ante peccatum initum Dei, & consistit in quadam obnoxietate, & subjectione naturali, per quam natura, quæ ab Adamo propagari poterat, aptitudinem habebat, ut ex lege Dei cum Adamo comprehenderetur sub eadem lege; ob idque indifferens erat ex se ad peccatum, & ad gratiam transfundendam in Adæ posteritatem: de quo debito remoto agunt Salaz. *de Concept. cap.* 1. 5. 10. *num.* 68. Vega *num.* 55. Savedra *d.* 19. *sect.* 1. aliique: proximum verò, & proprium est post legem latam à Deo, & contractum ex peccato Adæ, ut supra dictum est: quæstio est, an Beata Virgo solùm primum debitum remotum, an etiam proximum contraxerit. Plures Theologi affirmant utrumque debitum: Alii probabilius admittunt solùm remotum, ut notat Vega cit. aliique.

Not. 2. Quod ut rectè intelligatur turpitudo hujus debiti proximi, supponimus id, quod in superioribus traditum est: hoc debitum proximum posse considerari in sua radice, nempè in peccato actuali Adæ, à quo orta est formaliter denominatio extrinseca adhærens in posteris Adæ, prout talis actus censebatur morali æstimatione esse in posteris, & posse esse in ipsis; vel

vel quatenus exigebat ipsis inesse ex lege, & pacto Dei potest & considerari prout habitualiter veluti in actu primo supponitur in omnibus posteris, quatenus omnis posteritas in Adæ malitia infecta est, & omnes verè dicuntur peccatores, sicque in hoc secundo sensu omnes homines dicuntur peccatores etiam antè eorum actualem existentiam per intrinsecam denominationem peccati radicaliter inclusi in naturali esse virtuali totius posteritatis: scilicet quatenus virtualiter continentur in naturali esse Adæ: quam doctrinam tradit Seraph. Doctor *d.3. d.3. p.1. art.2. q.2.* Hinc sequitur, quòd meritò variis titulis in sacra Scriptura & à SS. Patribus denominatur, ut ejus vilitas, & turpitudo dignoscatur; appellatur enim captivitas, servitus corruptionis, fomes peccati, & hoc ratione sui objecti, quia non solùm ex peccato provenit, sed etiam ad peccatum tendit, & quasi cogit; ideò licèt peccatum formaliter non sit, peccatum tamen sapit: Hinc est, quòd Recentiores Theologi hoc debitum à B. Virgine excludunt.

Not. 3. quòd, cum Deus cognoverit omnia possibilia, & varios modos, quibus poterat illa producere, & varios ordines, quibus poterat ea ordinare, etiamsi ea natura sua essent disparata, & non ad invicem ordinata: ob idque vidit se posse creare Adam, ipsumque constituere caput omnium cum pacto, & lege de transfundenda justitia originali, & peccato in posteros: vidit se posse decernere Incarnationem Verbi in remedium peccati, & etiam absque tali ordine ad peccatum, & unico indivisibili decr to omnia decernere, & ordinare ea etiam, quæ ca natura sua non essent ordinata, & velle unum sine alio, vel unum propter aliud, & etiam oppositum. v. g. ut mors Christi non solùm ordinaretur ad redemptionem generis humani, sed etiam ad gloriam verbi hominis absque respectu ad peccatum, & consequenter se nasciturum ex Virgine, ideoque in tali decreto, quod consequutum est scientiam simplicis intelligentiæ, decrevit incarnationem futuram, includendo in decreto Mariam nascituram cum dono maternitatis, absque eo quòd involveretur in debito posterorum Adæ contracto ex peccato Adæ, & hoc intuitu meritorum Christi: Undè facilè intelligitur per talem doctrinam quàm facilè eximi possit Maria à debito proximo: quæ doctrina est conformis rectæ Theologiæ, & quam tradunt fusè Gabriel *lib.1. dist.9. & dist.19.* Granadus, Savedra, *dist.20. sect.4.* & quæ infra aliàs à nobis fusè expendetur.

Not. 4. quòd licèt B. Virgo quoad humanam naturam non exierit præcisè ordinem naturæ; tamen quia illa infusa fuit alia natura supernaturalis accidentalis inhærens in corpore & anima, & consequenter denominans totum conjunctum, nempè virtus realis, & physica primò, & per se ordinata ad generandum Deum hominem illæsa virginitate sine virili semine de Spiritu sancto conceptum; quæ virtus, licèt originaliter, & inchoatè sit naturalis, tamen ut elevata à Spiritu sancto ad ordinem hypostaticum, & supernaturalem est supra ordinem naturæ Mariæ debita prout est Mater Dei electa, quæ communiter appellatur sanctitas corporea, talisque qualis fuisset in statu innocentiæ, ideoque repugnantiam habens formalem cum peccato, sufficiensque ad reddendam Mariam Deo gratam, etiam præcisa quacumque gratia habituali; imò ratione talis doni maternitatis ei debita erant omnia dona gratuita communicabilia puræ creaturæ; quæ tamen materia in inferioribus fusiùs expendetur; hicque solùm innuitur pro defendenda Maria à ratione debiti proximi.

Not. 5. plures, & varios modos excogitatos fuisse à Theologis ad eximendam B. Virginem ab hoc debito proximo, quos fusè refert, & expendit Vega *Psal.5. art.7.* sed facilior est ille qui consequitur ex doctrina proximè tradita in 3. notabili de decreto Dei connectente cum volitione Christi nasciturí etiam ipsius Matrem ut redemptam nobilissimo modo ex ipsius meritis: Cui suffragatur etiam alia doctrina, quæ à pluribus Theologis traditur: nempè legem intram à Deo cum Adamo solùm comprehendisse naturales generationes humanas, non verò miraculosas, qualis sine dubio fuit Christi conceptio, & etiam B. Virginis, licèt differenti modo; Parentes enim ejus infæcundi, ac steriles erant, ideo necesse fuit, ut Deus miraculo aliquo corroboraret virtutis generativæ ineptitudinem; de qua materia fusè agit Vega *num.191. ex SS. Patribus, & Theologis, & num.599.* quibus positis, sit.

Prima concl. Beata Virgo nec peccavit in Adamo, nec debitum proprium habuit contrahendi peccatum originale, undè ipsam non tetigit peccatum originale etiam extrinsecè, & in sua causa primæva. Conclusio hæc est contrà plures Theologos: Ipsam tamen libentissimè amplectuntur plurimi Recentiores, quos longa serie affert Savedra *dist.19. sect.3.* qui pro probanda hac conclusione affert plures textus sacræ Scripturæ & primo loco illum Gen. *cap.3. v.15. Inimicitias ponam inter te, & inter mulierem, & semen tuum, &c.* ubi per inimicitias intelligunt Rupert. Abb. aliique & debitum contrahendi peccatum, quod dicitur peccatum originale inchoatum, & ipsum originale actuale: Idemque affert plures SS. Patres idipsum asserentes; sic & Vega in sua Theolog. Mariana *à n.596.* Confirmatur ex Concilio Trid. quod tractans de peccato originali super illum textum; *Omnes peccaverunt in Adam*, declarat suæ intentionis non esse comprehendere Mariam in hac universalitate. *Vid. Vegam n.564. seq.* 521

Prob. 2. à priori: Christus Dominus est perfectissimus, & excellentissimus Redemptor, ergo sacra Deipara in Adamo non peccavit, nec debitum proprium contraxit: Antecedens est de fide. Conseq. prob. Redemptio perfectissima exigit non solùm liberationem à captivitate existente, sed etiam præservationem, ergo hanc debuit exercere ad completam rationem redemptionis; sed in nulla creatura fuit magis conveniens ipsam exercere, quàm in sua matre, ut esset dignissima Mater tanti Redemptoris, ergo. Confirm. quia ex tali præservatione à peccato, à debito, & à necessitate peccandi oritur major dignitas, & pretiositas in matre, & id fuit possibile, & convenientissimum, ergo. Respond. Adversarii neg. antecedens, ex eo quòd redemptio exigit captivitatem actualem, Contra: Redemptio est translatio à statu peccati vel existentis, vel possibilis; sed in Virgine fuit hoc possibile tantùm considerata ex propria natura humana, & ex suis principiis, licèt considerata persona non fuerit possibile, ergo per præservationem fuit perfectissimè redempta; si enim nulla persona tali modo fuisset redempta, Christus non exercuisset munus perfectissimi Redemptoris: sic etiam gratiæ infusio non necessariò præsupponit peccatum, ut patet in primo homine, & Angelo.

Prob. 3. Quia si non fuisset præservata à tali debito

bito Mariæ, fuisset infælix infælicitate, à qua nec Deus potuisset ipsam liberare: consequens est falsum, ergo. Conseq. prob. quia si Maria habuisset debitum, fuisset aliquando mancipium Diaboli, obidque & infælix fuisset, à qua infælicitate nec à Deo potuisset liberari: quod est absurdissimum id asserere de Matre Dei; sicut multis probat Savedra *num*. 185. tùm etiam quia fuisset maledictioni obnoxia in illa sententia Gen. *cap* 2. *In quacumque hora comederitis, morte moriemini*, morte scilicet corporali, & spirituali: quodque est indignum asserere de B. Virgine; tùm quia sequeretur, Mariam aliquando fuisse destinatam ad servitutem Diaboli, idque ante maternitatem, & consequenter habuisse characterem bestiæ & Sathanæ; sicque sequeretur, quòd Maria Virgo in eodem instanti fuisset deputata ad servitutem Diaboli, & simul ad maternitatem Dei, & consequenter ad imperium super Diabolum, quæ duo sunt contradictoria.

Prob. 4. Maria Virgo fuit mater moralis Adæ, & omnium hominum, constituta enim fuit Mater, & post Christum caput, vel collum influens gratiam in omnia membra, sic asserentibus omnibus SS Patribus, ergo neque peccavit in Adamo, neque ullam necessitatem habuit contrahendi originale peccatum: patet consequentia, quia in eodem genere Maria fuisset & filia, & mater moralis Adæ, quòd implicat: quomodo autem Maria sit mater moralis in genere gratiarum hominum, id probant Theologi. & nos alibi de hac materia agemus: Interim vide Savedram *dist* 19. *sect*. 6 Vegam *in Theol. Mariana, &c*.

Concl. 2. Maria Virgo habuit debitum remotum, & improprium contrahendi peccatum: Patet ex traditis in fundamentis: Nam hoc debitum non est proprium, sed impropriè dictum, respicit enim naturam creatam, quæcumque illa sit, quæ de se est defectibilis, nisi à Deo sublevetur, & adjuvetur qualis natura fuit in B. Virgine, sicut etiam in Angelis.

522 Objic. primò cum adversariis plures textus sacræ Scripturæ indicantes omnes homines peccasse in Adamo, sicque per istas propositiones universales involvitur etiam B. Virgo. Respondent Theologi nostræ opinionis piæ assertores, propositiones sacræ Scripturæ universales non debere sumi logicaliter, sed physicè, & moraliter, ob idque patiuntur exceptiones; & ratio est in superioribus adducta, quia istæ continent, ut plurimùm, leges latas à supremo legislatore, in cujus potestate stat exemptio alicujus ad sui placitum, sicuti de facto dicimus exemptam fuisse B. Virginem, quæ doctrina est conformis Concilio Trident. quod, loquens de hac propositione universali: quod omnes peccaverunt in Adam; eximit B. Virginem, ergo nec est temeritas excludere aliquem à legibus universalibus, quæ habentur in sacra Scriptura, & de hoc possunt videri Savedra *dist*. 19. §. 7. Vega, aliique.

QVÆSTIO V.

Qua ratione, & medio Maria præservata fuerit à debito, & peccato originali: Ubi de dono maternitatis, vel sanctitate corporea.

JOannes Baptista Poza *lib* 2. *elucidarii Virginis* 523
tit. 2. *c*. 4 docuit, Beatam Virginem fuisse præservatam à peccato originali, ex hoc quod ejus conceptio fuit miraculosa, nempè quatenus fuit ipsius corpus organizatum perfectissimè in primo instanti, sicut & corpus Christi quæ sententia condemnata fuit à Sacro Tribunali Inquisitionis, cum nulla creatura pura fuerit æqualis in hoc ipsi Christo, ut patebit in 3. libro suo loco: Verum quidem est plurimos Theologos convenire, organizationem corporis Mariæ factam fuisse brevissimo tempore in octava die Decembris, & in puncto Conceptionis præservatam ab omni labe debiti, & peccati, de qua fusè agit Savedra *vest. g*. 2. *a st*. 7. *sect*. 2 Hinc quæritur qualiter fuerit præservata, an vi gratiæ sanctificantis in ipsa animæ creatione, & infusione in corpore collata; an per extrinsecum aliquem concursum supernaturalem Dei: an per aliquam sanctitatem corpoream collatam ipsi corpori B. Virginis: In qua re opinio communissima est, B. Virginem fuisse præservatam vi gratiæ habitualis infusæ in instanti animationis: Nos verò altiùs gradientes, altiora etiam fundamenta talis præservationis Deo dante, ac B. Virgine auxiliante, præmittimus; recognoscimus enim in B. Virgine donum maternitatis, & qualitatem supernaturalem infusam antecedentem gratiam omnem habitualem, & superiorem omni, & quacumque alia gratia, in cujus virtute præservata fuit ab omni debito, & peccato. Pro solutione.

Not. 1. quòd est quæstio inter Theologos, quid 524
sit formaliter sanctitas, & an sicut datur sanctitas spiritualis sic etiam detur corporea: sanctitas verò ex vi nominis significat separationem rei sanctæ ab aliis rebus, quæ sanctæ non appellantur; & hinc ex hac etlymologia propriè sanctitas est (ait Seraph. Doct. *sec*. 2. Exam.) ab omni labe libera, & perfecta, & immaculata ab omni immunditia, faciens hominem deiformem, quæ deiformitas dicit ordinem vel immediatum, vel mediatum ad operationes intellectus, & voluntatis, per quas anima unitur Deo: Et hinc difficultas est inter Theologos, an sanctitas necessariò importet formaliter, & immediatè intellectualitatem, & rationabilitatem in subjecto sancto, idest, an pertineat ad ordinem intellectualitatis. Aliqui affirmant, unde dicunt implicare sanctitatem corpoream, idest, asserunt carnem unitam verbo non posse dici formaliter sanctam, atque Deo charam, cum de se sit incapax gratiæ: & si aliquando appelletur sancta, id dicitur impropriè, & ratione unionis cum verbo: sic Granad. aliique apud Savedram *vestig*. 2. *d*. 2. *n*. 32.

Communior est opposita: estque S. Bon. *lib*. 3. *d*. 3. *p*. 2. *art* 2. *q*. 2 *& p*. 1. *q*. 1. *in princip. corp.* ubi licèt neget sanctitatem, quæ oritur ex gratia, carni Christi ante animationem, & B. Virginis, asserit tamen, Deum potuisse infundere sanctitatem in ipsa proportionatam: Idem & asserunt Suarez *in* 3. *part. tom*. 2. *d*. 18. *sec*. 2. *concl*. 2. Matr. *l*. 2 *d*. 3. *q*. 1. *art*. 5.

art. 5. aliisque. Id tamen est intelligendum cum limitatione, quòd talis sanctitas corporea, licèt de se, & præcisè non possit fundare amicitiam cum Deo, id tamen poterit saltem ratione personæ, ad quam illa caro, vel corpus ordinatur intrinsecè, quæ exigit charitatem, & gratiam spiritualem. Et hinc deducitur, quòd Verbum non poterit assumere naturam irrationalem, cum ipsa non sit capax sanctitatis ordinabilis ad animam, & ratio est; quia omnis sanctitas aut per se, aut per conjunctionem ad formam superiorem affert secum amicitiam cum Deo, & cognitionem de illo; sic S. Bonav. *lib.* 3. *d.* 21. *art.* 1. *q* 2. *ad* 3. quòd magis *in lib.* 3.
525 patebit.

Not. 2. ut explicetur ex doctrina Seraph. Doct. citati ratio formalis hujus sanctitatis corporeæ, quòd duplex sanctitas propriè reperitur, alia est rectitudo, principiumque actus liberi supernaturalis, & meritorii, & hæc propriè est spiritualis, & subjectatur in anima; alia est quædam deificatio, seu munditia, estque qualitas spiritualis, quæ redundat in carne, & corpore, vel ex unione cum Deo, ut in corpore, & carne Christi deificata per unionem cum Verbo, vel ex elevatione facta per virtutem superadditam naturali virtuti; hæcque præcisè non est principium per se intellectualitatis, & volitionis supernaturalis, licèt de se, & ex sua natura sit ordinata in persona, & ad personam valentem elicere actus supernaturales, quæ veritas patet ex carne Christi; & probatur de carne B. Virginis antè animationem, & multò magis in animatione; & fusè & doctissimè probatur à doctissimo Savedra *vest. g.* a. *dist.* 2. §. 3. ex plurimis Theologis, & SS. Patribus, & præcipuè ex Seraph. Doct. cujus doctrinam acutè examinat, & exprimit.

Not. 3. ex aliàs traditis, quòd supernaturalitas est qualitas supra exigentiam, & capacitatem naturalem propriæ, & puræ naturæ; alii acutè, & solidè exprimunt sic: est participatio divinæ naturæ secundùm aliquem modum respicientem esse creaturæ rationalis; in qua explicatione involuitur sanctitas & corporea, & spiritualis, quæ est suprà exigentiam debitam naturæ, nec potest ab agente naturali viribus naturæ haberi. Hæc doctrina communis tradita est à nobis in 1. lib. & fusiùs trade-
526 tur alibi.

Not. 4. quòd, cum in confesso sit apud SS. Patres, & plurimos Theologos in B. Virgine fuisse sanctitatem corpoream, & spiritualem; illam ut disponentem ad generationem hominis Dei; istam ut principium activum supernaturalium, & meritoriorum, quæstio exagitatur quandò fuerit infusa sanctitas corporea in B. Virgine, & an ultrà istam, alia ei collata fuerit; & an hæc sufficisset præcisa, & ablata quacumque alia, adhuc ut esset creatura cæterum omnium Deo charissima. Pro solutione hujus gravissimæ quæstionis, notandum, quòd ipsa B. Virgo, adhuc ut generaret Deum hominem, indiguit aliqua elevatione supernaturali per aliquid aliud à gratia habituali; hæc enim nihil poterat agere in ordine ad corporeum generationem, ut omnes Theologi fatentur. Ratio autem hujus necessitatis est, quia cum Maternitas Dei sit relatio realis, & supernaturalis ratione termini, etiam exigebat fundamentum, & principium supernaturale, nempè virtutem elevativam, & activam (verior enim, & communior est sententia S. Bon. & Scoti, Matrem concurrere non solùm passivè, sed & activè) & quia hæc virtus activa (idem intellige & de passiva in opinione opposita) cum sit accidens, exigit subjectum proportionatum, hinc & ipsa afficiebat Matrem, sufficiebatque eo modo, quo tali Matri conveniens erat, ut scilicet esset Mater Dei, eo ferè modo, quo dicitur de lumine Gloriæ in ordine ad visionem beatam informante intellectum in esse permanente, secumque concurrente ad visionem ipsam effectivè. Hinc falsum est quod ab aliquibus paucis, & præcipuè à Vasquez inf.a citato dicitur, adhoc ut B. Virgo elevaretur ad generandum Christum solùm positum fuisse auxilium, seu concursum Dei peculiarem ab extrinseco in genere efficienti absque eo quòd aliqua forma immitteretur in Maria; ratio autem hujus falsitatis, & veritatis nostræ assertionis est, quia Maria debebat poni in actu primo, ad hoc, ut eliceret actum secundum, obidque per formam inhærentem permanentem; tùm etiam quia hic est modus magis proprius connaturalis ad talem actionem; sicuti dictum est de necessitate luminis Gloriæ; hincque à SS Patribus recognoscitur Maria in sua Conceptione vera Mater Dei, scilicet in actu primo; quòd non posset verè prædicari, si non adesset talis virtus supernaturalis in esse permanente infusa in instanti Conceptionis. Hincque ex supra traditis elicitur, quòd duplex sanctitas corporea debet in Maria recognosci, altera ante animationem, qua mundificata, & præparata est ejus caro; altera veluti completiva infusa in animatione, quæ est virtus generativa hominis Dei.

Not. 5. quòd communiter talis virtus genera- 527
tiva elevans naturalem propriam Mariæ, appellatur sanctitas corporea, spectans ad generationem, & ad munus vegetativæ potentiæ: Nos autem procedentes ex principiis Seraphicis: *Ex l.* 1. *d.* 8. *art.* 1. *q.* 3. *ad arg.* & *lib.* 2. *d.* 17. *art.* 1. *q.* 2. *ad* 5. & *alius locis citatis expensis à nobis in tract. de anima vegetante*, consequenter sustinemus, quòd, cum anima vegetativa sit spiritualis, & de se inextensa, etiam & talis virtus debet dici spiritualis respiciens in Maria animam rationalem, ex cujus radice prodit, prout consideratur secundùm esse naturale radicale, licèt quoad esse completum per supradictam virtutem Spiritus sancti sit posteà supernaturalis infusa in ea prout respicit pro termino Deum generatum, vel generandum, hic & ejus subjectum radicale est anima, & totale est ipsa persona B. Virginis, & hac ratione verè dici potest corporea.

Concl. 1. Sanctitas corporea est possibilis; sic 528
S. Bonav. *l b.* 3. *d.* 3. *part.* 1. *art.* 1 *q.* 1. *in princ. corp.* & *part.* 2. *art.* 1. *q.* 2. *corp.* Sic Suarez, aliique plurimi citati suprà, & fusè expensi à Savedra *fol.* 125. contra Granadum, aliosque paucos. Prob. autem, quia nullam implicantiam involuit; ergo, &c. Prob. anteced. nullam implicantiam involuit, nec ut accidens, nec ut corporea, nec ut sanctitas; non quatenus est accidens, quia dantur accidentia spiritualia; non ut corporea, quia dantur dotes corporis gloriosi corporeæ; nec ut sanctitas, quia datur gratia habitualis, quæ est accidens, & formaliter sanctitas; tum quia, ut in 3. probabitur unio hypostatica sumpta pro modo inter humanitatem, & Verbum est forma sanctificans, & est corporea, ergo, &c.

Objic. sanctitas necessariò importat esse principium actuum liberorum; & meritoriorum; sed talis sanctitas non est hujusmodi; ergo, &c. Resp. ex traditis in fundamento 1. & 2. dari duplicem sanctitatem

sanctitatem; aliam, quæ est tale principium, aliam, quæ solummodo dicit deificationem quandam; seu, ut dicit Suarez citatus, dispositionem ad eadem opera producenda, sive ex subjecto, in quo est, sive in toto conjuncto, ad quod ordinatur tale subjectum; unde semper hæc sanctitas in carne importat talem ordinationem, ideóque denominat immediatè proprium subjectum, & mediatè totum conjunctum. *Vide fundamentum secundum supra allatum.*

319 Concl. 2. Sanctitas corporea infusa fuit in carne B. Virginis antè animationem. Est plurium Theologorum apud Savedram citatum, nec dissentit Seraph. Doct. *lib. 3. dist. 3. p. 1. q. 1.* ubi negat ipsam sanctitatem in carne B. Virginis provenientem ex gratia habituali, sed admittit corpoream de possibili in carne antè animationem, nec de facto ipsam negat. Hæc veritas fuit revelata ab Angelo B. Brigittæ in sermone angelico; & S. Joan. Damasc. *or. 2. in Nat. B. Virginis*; Grisol. *ser. 104.* Granad. *de Concept. B. Virginis, d. 2. s. 3.* aliique plures; & ad hoc facit id, quod ab Ecclesia dicitur in collecta: *Omnipotens Deus, qui gloriosæ Virginis corpus, & animam præparasti, &c.* & in hujus rei confirmationem. Seraph. Doct. *lib. 3. dist. 3. p. 1. dub 4.* explicat illud dictum S. Joan. Damasc. Spiritus sanctus creavit illam carnem, quam Verbum assumpsit de Virgine, ubi notat hic non sumi creare pro producere ex nihilo; sed vult dicere ipsam creatam non seminaliter, sed conditivè secundùm actionem Deo convenientem, idest ipsam carnem præparasse, & condidisse; prout exigebat caro assumenda à Verbo, & *dist. 2. art. 2. q. 1. ad 1. & 2. ad illud Ioan. c. 3. qui de Cœlo venit, de Cœlo est,* notat Christum non esse formatum de carne ex Adam ut existente post peccatum, sed antè peccatum; sicque illa caro assimilata est altitudini humanæ naturæ in Adam innocente quantùm ad privationem omnis immunditiæ per carentiam culpæ originalis, & cujuscumque rebellionis, quæ doctrina mirabiliter probat conclusionem nostram de sanctitate corporea B Virginis. Et S. Joan. Damascenus dicit: ò Beatos Joachim, & Anna, ex quibus prorsus immaculatum semen effluxit: & B Brigitta *lib. 1. cap. 9. & lib. 6. c. 35.* dicit illam carnem Beatæ Virginis peculiari modo à Deo fuisse dilutam. Probatur etiam ratione ex sententia notissima S. Anselmi de peccato originali *c. 18.* Decebat, ut Christi Conceptio de matre purissima fieret; nempè decens erat, ut ea puritate niteret, qua major sub Deo nequit intelligi; sed si non datur in Maria sanctitas corporea distincta à gratia habituali, sequitur, quòd ejus puritas non sit major sub Deo; consequens non admittitur ab ullo Theologo, omnes enim acceptant propositionem Anselmi; ergo, &c. Prob. sequela, quia potuisset Deus producere aliam fœminam cum ista sanctitate corporea, sicque posset intelligi alia mater purior. Prob. 2. quia Deus potuit tribuere talem sanctitatem Matri, ut suprà probatum est; ergo decens fuit, ut ipsi infunderetur ut Matri Dei, sic multi SS. Patres, & Theologi discurrunt, & inquirunt à posse, ad esse, dum agitur de Privilegiis à Deo Matri concessis.

330 Concl. 3. sanctitas corporea, quam suprà diximus posse aliquo modo dici spiritualem, in actu animationis infusa fuit in Maria, ipsam sublimiùs sanctificans, quàm quæcumque gratia habitualis, eamque habuit ab ipso instanti conceptionis permanentem, & communiter appellatur dignitas, seu donum maternitatis, de qua in 4. & 5. fundamento. Duas partes habet hæc Concl. 1. est, sanctitatem corpoream infusam fuisse in Maria in instanti suæ Conceptionis. 2. quòd sublimiùs hæc sanctitas sanctificat, quàm quæcumque gratia habitualis. Probari autem potest prima pars ex doctrina, quam tradit Seraph. Doct. 1. *in Brevil. p. 4. cap. 3.* in conceptione Filii Dei (ait) simul concurrit virtus innata (hæcque est communis omnium fœminarum) & virtus infusa, & hæc est corporea spectans ad generationem, & virtus increata. 1. materiam præparavit. 2. purificando, & sanctificando segregavit. 3. subitò perfecit; & quia in mente B Virginis Amor Spiritus S. singulariter ardebat, ideò in carne ejus Spiritus S. miracula faciebat, gratia scilicet partim excitante, partim adjuvante, & partim elevante naturam, juxtà quod conceptus ille mirabilis exigebat. *Et lib 3. d. 4. art. 3. q. 2.* sic ait: Beata Virgo potentiam habuit suprà naturam, & potentiam juxtà naturam. 1. fuit ei collata in 1. sanctificatione, & ideò utraque in illa erat conceptionis tempore in complemento suæ operationis; *& lib. 3. d. 3. p. 2. art 1. q. 1.* ait: Per sanctitatem sanctificantem fuisse carnem, & animam, ad hoc ut esset proportionata Verbo Dei; cum igitur Seraph. Doct. recognoscat talem virtutem infusam, & sanctitatem donatam Mariæ in instanti sanctificationis, idest, ex consensu Ecclesiæ, Conceptionis, patet ex hac auctoritate veritas primæ partis conclusionis; quam & tradiderunt plures SS Patres, & Theologi fusè citati, & expensi à Savedra *vest. g. 2. dist. 2. per totam,* fundantque suam sententiam in verbis Angeli: *Invenisti gratiam apud Deum*; per quam omnes intelligunt donum Maternitatis. Prob. item ex verbis S. Athanasii *or. de Deipara*: Virtus concipiendi Deum hominem fuit in B. Virgine non temporanea, sed ex omni tempore, ergo & ab instanti Conceptionis, & hinc in eodem instanti appellatur verè Mater, scilicet in actu primo; ideóque Ecclesia in conceptione ipsam proponit, ut Matrem Dei: Quod verò ista virtus, seu donum Maternitatis fuerit sublimius, & magis sanctificans, quàm quæcumque gratia habitualis, estque 2. pars Conclusionis, probatur ex SS. Patribus apud citatum Savedram, & Vegam in Theologia Mariana, qui fusissimè de ipsa tractant apud Granadum, Suarez *tom. 2. in 3. p. d. 1. sect. 2.* Simonem de Cassia, aliosque, qui videri possunt apud Vegam. Prob. etiam rationibus à Seraph. Doct. allatis *in spec. B. Virginis, cap. 6. art. 3.* Primò, quia omnia Privilegia sunt concessa Mariæ ex hoc, quòd est Mater Dei electa, ergo ad Maternitatem tamquam ad radicem debent reduci. 2. quia verè prædicatur à S. Patribus singularis Filia Dei Patris; ergo, infert Seraph. Doct. est regenerata per talem Filiationem; sed hæc Filiatio non est communis cum cæteris adoptivis, ergo per donum Maternitatis.

Dices: alii Justi dicuntur etiam Filii Dei. Resp. S. Bon. quòd licèt donum Maternitatis à tota Trinitate proveniat, tamen, quia est participatio quædam singularis fœcunditatis naturæ, quæ est in Patre, per quam Mariam sublimavit, & regeneravit ad tam sublimissimum statum, hinc dicitur singularis Filia Patris, de qua dicitur: *Omnis gloria ejus ab intus*; idest hæc Virtus fœcunditatis. *Vide S. Bon. in spec. cap. 10.*

Prob. 3. quia per maternitatem super omnes alios unita est verè, & physicè Deo, ergo magis moraliter, fuit enim Mater Dei physicè, & magis fide,

fide, & charitate: Tum quia ob istam maternitatem fuit clarior Deo, quam per quamcumque adoptionem: tum quia ratione maternitatis exigit cultum hyperduliæ, sed cultus supponit sanctitatem: ergo, &c. tum quia hæc est ordinis hypostatici, ob idque superior omni gratia habituali. Et hinc, sicut in Christo est duplex gratia, scilicet unionis, & gratiæ habitualis, illaque est istius radix, sic in Maria maternitas spectans ad unionem hypostaticam, & gratiam.

531 Objic. 1. Sanctitas hæc, & virtus infusa ad nihil deserit, nisi in tempore Conceptionis Verbi: ergo frustra assignatur in instanti. Resp. neg. antec. duplicem enim sanctitatem corpoream in B. Virgine assignamus; alteram in carne ante animationem, per quam mundificata prodiit ad modum status innocentiæ, & de qua formandum erat Corpus Christi, ut dixit S. Bon. suprà expositus, alteram in actu animationis, estque illa virtus infusa elevans naturalem generativam, de qua suprà ex Seraph. D. & hujus virtutis duo sunt munera; primum est qualificatio, sublimatio, & sanctificatio totius conjuncti; secundum est concursus efficiens ad generationem Verbi, utrumque habuit Maria in instanti Conceptionis, sed tamen primum in actu 2. & secundum in actu 1. & in actu 2. solùm in Conceptione Filii Dei.

Objic. 2. Maternitas, sicut Paternitas est pura relatio resultans ex actuali generatione: ergo si hæc virtus, & sanctitas est donum maternitatis, non potuit esse in instanti Conceptionis; tum quia relatio non est activa, ergo, &c. Hæc objectio petit aliam quæstionem, quàm agitant Theologi: quid formaliter dicat Maternitas, & Paternitas, in qua communiter dicitur, ut etiam Seraph. D. quòd Maternitas potest sumi fundamentaliter, & formaliter; fundamentaliter dicit ipsam potentiam generativam; formaliter dicit ipsam relationem Matris ad Filium; quando igitur dicimus, Maternitatis donum esse sanctitatem corpoream, sumimus ipsam pro fundamento, talique pacto in Maria, ut elevata ad generandum Deum hominem, est formalis participatio divinæ naturæ, prout reperitur in Patre, & consequenter potentiæ generativæ Patris divini, qua Filium divinum producit, & generat; de qua materia alibi agimus, & tractat fusè Savedra, & Vega in Theologia Mariana.

Objic. 3. Christus potuit nasci de muliere peccatrice, ut fatentur Theologi, Vasquez, Gabriel, Durandus, aliique: ergo, hæc maternitas non sanctificat. Resp. distinguendo anteced. si sumitur præcisè secundum humanitatem concedo anteced. si pro ut unitam Verbo, negatur; quia implicat contradictionem esse Matrem Dei, & peccatricem, ut in sequenti concl.

Concl. 4. Hæc dignitas maternalis habet repugnantiam formalem, & materialem cum peccato, & sequitur ex traditis; cum enim sit sanctitas tum physica, tum moralis sanctificans totum conjunctum, sequitur repugnantia cum peccato, quæ veritas in sequenti quæstione magis patebit.

Concl. 5. Hæc dignitas, seu virtus supernatu-
532 ralis, qua Maria Virgo constituta fuit in actu 1. ad generandum Deum, & hominem, est eminentissima; quæ in unica tantum entitate realiter indivisibili plura causandi efficienter, & formaliter etiam inter se specie distincta fuit ratio formalis. Hæc assertio est plurimorum Theologorum, & SS. Patrum, quos citant, & expendunt fusè Savedra vestig. 2. d. 1. fol. 217. & Vega in *Theologia Mariana*, hanc eandem asserit Seraph. D. *l. 3. d. 4. a. 3. q. 1. & 2.* ait enim, Mariæ fuisse infusam virtutem, & potentiam suprà naturam, ut esset Mater Dei, pro ut competebat tam nobili, & perfectæ generationi divinæ; idest quatenus ex tali potentia consequuntur plures, & miraculosi effectus spectantes ad elevationem ipsius Mariæ, & ad generationem Filii Dei, & probatur efficaciter, quia illa virtus per se primò ordinatur ad generandum Deum hominem, redditque Mariam causam ipsius principalem effectivam; item constituit illam instrumentum Dei ad productionem unionis hypostaticæ, ut traditur à nobis in 3. libro; ubi etiam probabitur, fuisse principium instrumentale sanctitatis, & habituum supernaturalium ad ipsam connaturaliter debitorum; & cum sit participatio divinæ naturæ, ut fœcunda est, induit rationem sanctitatis, & munditiæ, quam confert Virgini in genere causæ formalis. Ex quibus sequitur, Mariam in instanti Conceptionis ex vi maternitatis habuisse majorem copiam meritorum, & gratiarum intensivè, & extensivè, quàm omnes Sancti, & Angeli unquam habuerint; fuit enim tunc Deo chara, & dilecta, & unita; tum quia id exigebat redemptio singularis, & privilegiata præservativa; idque fatentur S. Bon. *in spec. plurimis locis*, Rupert. Abb. *l. 6. in Cant.* D. Greg. *in 1.* Suarez, Petrus Morales, aliique communiter.

QVÆSTIO VI.

An Deipara de potentia Dei absoluta potuerit infici peccato originali.

Regula est D. Augustini *l. 3. de libero arbitrio* 533
cap. 5. apud Thomam Frances Hispanum verè doctissimum in suo Opusculo de Conceptione B. Virginis *n 249. & 752.* quod verùs meliùs occurrerit, id fecisse Deum in Virgine Maria credendum est: idem & S Thomas à Villanova *serm. 2. in Nat.* aliique SS. Patres asserunt, unde meritò hæc quæstio excitatur à doctissimo Savedra *d. 21.* ad sublimitatem, & dignitatem Mariæ pro viribus, & rationabiliter extollendam: Hujus quæstionis duplex potest esse sensus; primus est, an ex vi præsentis decreti potuerit B. Virgo infici peccato originali, secundus, an ex vi alterius decreti permissivi potuit Maria contrahere peccatum originale. Prima pars facilè resolvitur ex supra traditis, nam supposito dono maternitatis, ad quod evecta fuit in primo instanti, quia pugnat cum peccato, cum sit formaliter sanctitas sanctificans, sive physicè, sive moraliter ex ordinatione divina; & cum peccatum, & gratia habitualis pugnent ad invicem, ita ut ex sententia Thomistarum implicet contradictionem manere simul, & semel in eodem subjecto; & ex sententia aliorum pugnant moraliter, multo magis peccatum, & maternitas divina, Unde quæstio reducitur ad secundum sensum propositum; nempe an ex vi alterius decreti permissivi potuerit infici peccato originali: communiter affirmativa sententia est potuisse infici ex vi alterius decreti B. Virginem ex hoc, quod ablato decreto ipsam præservandi, sequitur posse auferri à Deo tale privilegium; potuit enim non excipi à lege transfusionis peccati Adæ, estque satis probabilis. Sententia opposita; quam docet Savedra,

& ab omnibus universitatibus Hispaniæ accepta, est negativa, quam veluti probabilem, & magis conferentem ad gloriam B. Virginis sustinemus. Pro solut, &c.

Not. 1. & suppon. ex aliàs traditis, & in 3. tradendis, maternitatis donum fundamentaliter sumptæ esse qualitatem absolutam spiritualem, quæ de se formaliter dicit participationem divinæ naturæ fæcundæ, & consequenter sanctitatem eminentissimam in Virgine, ipsam reddentem sanctam, puram, immaculatam, etiam præcisa quacumque gratia habituali, & ordinatione extrinseca Dei, vel acceptatione, ad quam consequenter exiguntur omnes gratiæ, & privilegia puræ creaturæ communicabilia.

Not. 2. quòd, loquendo de Dei potentia, licèt possit evertere rerum naturas, tamen ea, quæ secum indecentiam, & ordinationem intrinsecè, non cadunt sub ea; hincque Seraph. D. negat, Verbum posse assumere hypostaticè asinum, vel serpentem, de quo postea in 3. agemus. Cum ergo decens fuerit, Verbum eligere sibi Matrem sanctam, & ornatam omni privilegio, & secundum rectam rationem, ista exigeret, & oppositum est valdè indecens, hinc etiam talia privilegia in ipsa recognoscenda; unde Seraph. D. *l. 3. p 1. d. 3. a 2. q. 3. ad* 3. ad illam objectionem; potentia moriendi sequitur potentiam peccandi; sed B. Virgo post Conceptionem mori potuit: ergo & peccare potuit. Resp. Seraph. D. neg. paritatem, non enim decens fuit Filium Dei habere matrem immortalem, cum ipse esset mortalis, sed valdè indecens esset, si haberet peccatricem matrem, id enim fuisset ad improperium Christi. Idem & probat Bacon. *l. 4. d. 2. a. 3.* His positis.

534 Concl. 1. Si Mariæ infunderetur gratia materialis, etiam seclusa quacumque alia gratia in primo instanti, impossibile esset, absolutè loquendo, quod contraheret peccatum originale, ac proinde ex vi alterius decreti non posset maculari primo peccato Adæ. Sequitur ex dictis, & ratio evidens est; quia maternalis dignitas est virtus supernaturalis, & sanctitas formalis perfectissima præcisa quacumque alia ordinatione divina, ergo ejus effectus formalis est reddere subjectum purissimum, ab illoque expellere omnem immunditiam: ergo implicat simul, & semel donum maternitatis, & peccatum.

Concl. 2. Si supponatur B. Virginem non peccasse proximè in Adamo, ut in superioribus probatum fuit, ex vi etiam alterius decreti non potuit extraordinariè maculari peccato primi parentis; ratio evidens est; quia peccatum primi parentis est radix omnis peccati: ergo si Maria non continebatur in illo pacto, impossibile est infici, &c.

535 Concl. 3. De Potentia Dei absoluta non potuit B. Virgo maculari, posito decreto Dei efficaci de dignitate maternali: unde posito tali absoluto, & efficaci decreto, liberum non fuit Deo eam peccato permittere, & consequenter, necessitate orta ex libera Dei dispositione, in conceptu fuit ab illa macula immunis. Hæc assertio est integra explicatio hujus sententiæ, quam fusè probat Savedra citatus, supposito beneficio impeccabilitatis cujuscumque esse gratiam, & donum præstantissimum, omniumq. excellentissimum communicabile creaturæ, ut patet in Beatis: potest enim Deus ita alligare liberum arbitrium primæ regulæ, ut non sit in ejus potestate ab ipsa deficere, de quo vide Ægidium Lusitanum *l. 4. de Concept.* Savedram *vestig. 3. d. 8.* qui doctissimè hanc conclus. probat *vestig. 2. d. 21. seq.* ex auctoritate S. Script. & SS. Patrum.

Prob. autem primò, quia hæc impeccabilitas neque excedit dignitatem Matris Dei, neque superat meritum Christi, neque evacuat perfectissimam redemptionem universalem Redemptoris: ergo sacra Deipara absoluta potentia non potuit maculari culpa primæva; consequentia est evidens; quia solùm ex his capitibus repugnare posse videtur hæc excellentia. Antecedens quoad primam partem prob. quia, ut ferè omnes SS. Patres, & Doctores tradunt, præcipuè Seraph. D. *Opusc. spec. B Virg. cap. 5.* Vega *l. 5.* dignitas Matris Dei est quasi infinita, & cujus excellentia nullis clauditur limitibus, nec ullo intellectu etiam Angelico comprehendi potest: ergo hæc gratia capacitatem, dignitatemque Matris Dei nulla ratione excedere potuit. Pr. ex 2. capite; merita enim Christi, cum sint infinita, non extra uniri possunt etiam infinito præmio, ac proinde præmium quodcumque in mortem, & passionem Christi cadere potest, ut constat in maternitate Dei genitricis, quæ excellentius donum est hac impeccabilitate. Pr. ex 3. capite: quia redemptio amplissima Christi non solùm non evacuatur, sed magis ex hoc lucet: 4. ratio desumitur ex oppositione formali, & morali, quæ est in dono maternitatis cum peccato, ut suprà dictum est. Alias probationes, quas fusè expendit Savedra citatus missas brevitatis causa facio, quæ videri possunt ibidem; sed magis patebit hæc veritas ex solutione objectionum.

Objic. 1. Impeccabilitas non est proprietas Ma- 536
ternitatis Dei: ergo potest tolli ab ipsa; antecedens patet; quia aliunde etiam potest provenire, nempe à gratia, & gloria; ergo, &c. Resp. neg. anteced. ad probationem resp. valde differre impeccabilitatem procedentem à maternitate, & à gratia; nam illa est donum debitum ex justitia maternitati, nec ab ipsa potest physicè separari; non sic ista.

Objic. 2. Si B. Virgo nullo modo potuit peccare, sequitur non indiguisse redemptione Christi; consequens est erroneum: ergo, &c. Resp. neg. sequelam majoris; non enim dicimus, Mariam fuisse impeccabilem ex propria natura, sic enim non indiguisset redemptione Christi; sed fuisse impeccabilem ex gratuito Dei beneficio per Sanguinem Christi; Maria autem fuit impeccabilis supposito dono maternitatis; at hoc ablato, esset peccabilis.

Objic. 3. Flexibilitas, & defectibilitas est essentialis creaturæ: ergo & in B. Virgine. R. conced. anteced. si consideretur creatura in suo statu naturali, & secundum suam innatam capacitatem, sed tamen per obedientialem potentiam potest tolli quoad potentiam proximam, & ad actum secundum ratione alicujus doni superadditi.

Objic. 4. Deus potuisset in instanti Conceptionis Mariæ ipsi non conferre donum maternitatis, vel aliam gratiam habitualem, & hoc ex vi alterius decreti, & postea in conceptione Filii Dei ipsi eam infundere: ergo tunc potuisset peccare. Resp. neg. suppositum, & sequelam; dato enim quod Deus non infunderet ullam gratiam, adhuc tamen ex vi electionis in Matrem non contraheret peccatum originale, quia dignitas hæc non solùm dicit physicam, sed & moralem oppositionem cum peccato; unde gratia maternalis, & habitualis in ea non requirebatur ad hoc, ut non contraheret peccatum, sed ad hoc, ut esset in ea perfectissima sanctitas

ctitas; negatio enim peccati non affert secum necessariò aliquid positivum, ut eveniret in hominibus, qui crearentur à Deo in pura natura; sed quia hæc præservatio de facto non fit, nisi per gratiam, sicut nec remissio; hinc est, quod B. Virgo utraque gratia ditata fuit.

Dices: ergo Deus potest ab extrinseco necessitari. Resp. absolutè neg. conseq. supposita libera Dei voluntate de aliqua conditione, vel re concedo; sic supposita voluntate eligendi Matrem Deus deberet ipsam reddere impeccabilem.

Dices iterum; gratia, & peccatum non opponuntur nec physice, nec moraliter, sed demeritoriè: ergo nec gratia maternitatis. Resp. 1. transeat antec. d. & negatur conseq. ob indecentiam, quam fert secum peccatum in Matre Dei. Resp. 2. si sumatur peccatum secundùm totam suam rationem non materialiter tantum, falsum est antecedens; quia peccatum dicit carentiam rectitudinis debitæ actui, simulque gratiæ, & justitiæ Resp. 3. transeat anteced. si sumatur in sua ratione formali, non verò si sumatur secundùm effectus intrinsecos; nam maternitas fert secum impeccabilitatem, amicitiam, & unionem cum Deo: peccatum privationem, unde opponuntur ut habitus, & privatio.

QVÆSTIO VII.

De effectibus maternitatis Marianæ.

537 PRo complemento eorum, quæ ad eminentissimam dignitatem Maternitatis à Deo collatam Mariæ in instanti suæ Conceptionis pertinent, superest, ut de ipsius effectibus aliqua breviter dicamus, ipsa enim expensio spectat etiam ad magis elucidandam sublimitatem suæ purissimæ Conceptionis, & hoc per varia quæsita.

Primò igitur quæritur: an ex vi maternalis dignitatis Maria habuerit justitiam originalem; videtur resp. neg. eò quod status innocentiæ afferebat secum impassibilitatem, immortalitatem, &c. quæ in Maria, sicut & in Christo, non fuerunt: Attamen quia justitia originalis importabat subjectionem inferiorum potentiarum rationi, & rationis Deo, & simul gratiæ infusionem, hinc dicendum est talem justitiam originalem fuisse in B. Virgine ex vi doni maternitatis, ut infrà meliùs patebit. Vide S. Bon. *l. 3. d. 3. p. 1. a. 1. q. 3. in corp. & d. 2. a. 2. q. 1. ad 1. & 2. & ser. 1. & 2 de B. Virg. & Brevil. p. 3. c. 7. & Spec. Virg. c. 6. & l. 2. d. 24. p. 2. a. 3. q. 2. ad 3. & d. 33. a. 1. q. 1. in fund. 2. & ad* 3. ubi designat rationem justitiæ originalis.

538 Q. 2. An à gratia maternali oriantur gratia habitualis, & virtutes infusæ? & quæstio movetur non quidem: An talis dignitas petat ex sua natura, ut est sanctitas, & virtus supernaturalis, gratiam habitualem, cæteraque dona tanquam partes integrantes ipsam dignitatem; certum enim est ipsas virtutes coexigere; & ratio est, quia talis Mater deberet elicere actus supernaturales, ideo talibus habitibus indigebat, de quo vide Salazar *de Concept. c.* 10. sed quæritur an talia dona fluant à Maternitatis dono veluti proprietates emanantes à proprio subjecto, & à radice, & principio: An vero solum fluant per modum moralitatis, nempe ex dependentia institutionis divinæ, sic decernentis ipsa esse semper simul. Eandem quæstionem movent Theologi de gratia in ordine ad charitatem, & virtutes infusas, & de union. hypostatica, ut patebit in 3. &c. Cui dubitationi pro ejus solutione præmittenda sunt tria: 1. emanationem non esse actionem distinctam ab actu, quo principium emanationis ab agente producitur, sed esse eandem, & unicam terminantem primò ad subjectum, 2. ad proprietates, ad quas concurrit etiam physicè ipsum subjectum, unde producens animam, simul producit proprietates, & potentias emanantes: 2. donum maternitatis spectare ad ordinem hypostaticum tanquam quid requisitum necessariò ad existentiam incarnationis: 3. unionem hypostaticam esse formam sanctificantem, & radicem physicam gratiæ habitualis, quod à nobis probabitur in 3. sent. quibus positis.

Resp. gratiam habitualem, & supernaturales virtutes emanasse physicè in Conceptione B. Virg. ità ut verè possit dici donum maternitatis radix, & principium illarum, illasque respicere ut proprietates exorientes ab illa, ut anima rationalis respicit intellectum, & voluntatem, & cæteræ substantiæ suas respiciunt proprietates. Hæc conclusio est omnium illorum, qui admittunt sanctitatem corpoream in Virgine, & unionem hypostaticam esse formam sanctificantem, & in terminis Savedra *vestig. 3. d. 5.* Granadus, aliique eam tenent; & probatur ratione inclinationis, & ordinis ipsius maternitatis ad talia dona tanquam ipsam integrantia, in ordine ad elicitionem actuum supernaturalium; Tum ratione dispositionis proximæ, quam affert secum maternitas ad ista dona; Tum quia eadem actione infusa est maternalis dignitas cum istis donis; Tum quia cum hæc dignitas sit participatio divinæ naturæ fæcundæ, inde debent emanare proportionatæ proprietates, sicut ex divina natura emanant perfectiones: Tum quia hæc dignitas est prima gratia eminentialis: ergo ex ipsis debent aliæ fluere ut proprietates, ratio enim proprietatum est exigentia ipsarum ad complementum illius. Et hæc satis sint de hoc mysterio, qui alia cupit, adeat Vegam in Theologia Mariana, Salazar, aliosque recentiores, qui de hac materia fusè, & doctissimè tractant, &c.

QUÆSTIO VIII.

Expenduntur breviter effectus peccati originalis.

SUppono. 1. Tanquam certum de fide, peccatum 539
originale producere aliquos effectus; sic Apostolus *ad Romanos c. 6.* docet per peccatum derivatam esse mortem in omnes homines: isti autem effectus vel respiciunt corpus, vel animam, vel totum conjunctum tanquam extrinseca: alii etiam contrahuntur in hac vita, alii in alia vita, onde sit.

Concl. 1. Effectus peccati originalis alii sunt in ordine ad animam, alii in ordine ad potentias; primi, & immediati sunt subtractio justitiæ originalis, & gratiæ: 2. in ordine ad potentias sunt in irascibili infirmitas, in intellectu ignorantia, in voluntate malitia, in appetitu concupiscentia, ratio est (ait S. Bon. *in Brevil. p. 3. c. 5.*) quia culpa dicit recessum à bono incommutabili, ob idque à summa virtute, veritate, & bonitate: dicit & conversionem ad bonum commutabile per nimium amorem; hinc oritur infirmitas, ignorantia, & malitia; & quia deserens bonum incommutabile ob amorem boni incommutabilis redditur indignus

utroque bono, hinc est, quòd per peccatum perdit quietem temporalem per multiplicem corruptionem; hinc & quo ad corpus subjicitur pœnalitatibus, defectibus, laboribus, morbis, doloribus, mori, &c.

Dices: Effectus istos, maximè in corpore, esse purè naturales, & proprios naturæ puræ, ut patet in B. Virg. & in Christo: ergo non sunt effectus peccati originalis. Resp. conced. anteced. attamen erant sublati per statum justitiæ originalis, qua amissa reviviscunt; quæ doctrina tamen non verificatur in Christo, & in Maria, cum non destituti fuerint justitia originali, ideo in istis sunt effectus puræ naturæ, ad quos Christus se subjecit voluntariè, & Maria Virgo, ne videretur magis privilegiata Christo, ipsis subjecta fuit, sic Seraph.D. *l.3.d.3 a.2.q.3.*

Concl. 2. Effectus peccati originalis alii sunt extra nos, suntque ita Dei, captivitas sub diabolo, crudelitas hominum in alios, inimicitia, & rebellio bestiarum, denique omnia mala, quæ à Cœlo, Terra, Mari, cæterisque elementis patimur, quæ omnia patent continua experientia; & omnia supradicta mala dicuntur effectus, in quantum sunt à peccato originali, dicuntur & pœnæ, in quantum nobis dantur à Deo propter peccatum originale.

Concl. 3. Effectus peccati originali post hanc vitam est in adultis privatio visionis Beatæ, & damnatio æterna; & quia major difficultas est de pueris decedentibus sine baptismo, an puniantur pæna sola damni, an etiam pæna sensus: hinc,

Concl. 4. Parvuli decedentes sine baptismo privantur visione Beata: Ait enim Christus Ioan.c.3. *Nisi quis renatus fuerit, &c.* & ratio est, quia carens gratia, nullum jus habet ad gloriam: ergo nec ad visionem.

Concl. 5. Parvuli isti non puniuntur pœna sensus: est communis Catholicorum, exceptis Driedo, & Ariminens. apud Vasq *d.184.c.2.* qui sustinent puniri pæna sensus, licèt mitiori, sed ab omnibus rejiciuntur; ratio conclusionis est (ait S. Bon. *l.2.d.33. a.3.q.2.*) quia parvuli sunt medii inter damnatos, & Beatos, ergo participant carentiam visionis beatæ ob privationem gratiæ, & cum Beatis carentiam pœnæ sensus, ob carentiam culpæ voluntariæ; & hic est effectus divinæ sapientiæ ordinantis, & libertantis eorum cognitionem, & affectionem, & à qua nec justitia deiciat, nec lætitia reficiat, vide Suar. *in 3.p. tom.2. d.17. sect.6. & d. 50. sect. 5.* sed clariùs hanc veritatem Seraph Doct. explicat *l.2.d.37.* qui omnino videndus est.

Quæres: *Quomodo se habebunt Parvuli post resurrectionem universalem corporum.* Resp. 1. quod communiter asseritur à Theologis eos affuturos judicio universali cum suis corporibus impassibilibus, & animabus impeccabilibus extincto peccati fomite, ac rationis usu præditos. Resp. 2. quod habebunt naturalem cognitionem Dei, & multarum rerum Item & cognitionem Christi Redemptoris, ex eo quod ipsum videbunt, & experientur judicem in die judicii, reliquaque habebunt, quæ respiciunt statum puræ naturæ, de quibus fusius Suar. Bellar. aliique. Et quoad locum post diem judicii aliqui asserunt permansuros in terra, & aliquibus locis amenis, sed communissima sententia Theolog. & SS. PP. est, eis designandum esse locum subterraneum infernalem, & hoc ob habitualem fæditatem, quam in carne contraxerunt, de quo iidem Theologi, &c. Et de peccato originali finis sit ad gloriam Dei, B. Virginis, Seraph. Doct. omniaque subjecta judicio Sanctæ Romanæ Ecclesiæ volo.

Finis Libri secundi.



INDEX

INDEX GENERALIS RERUM NOTABILIUM.

Quæ in hac prima Parte hujus Cursus Theologici Seraph. Bon. continentur.

In quo numerus marginalis citatur.

A

B

C

D

Non

E

Loci

M

N

O

P

in



INDEX

INDEX GENERALIS RERUM NOTABILIUM.

Quæ in hac secunda Parte Theologici Cursus Seraph. Bon. continentur.

In quo numerus citatus est marginalis.

A

D

E

F

G

H

I

L

Redemptio

F I N I S.